PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (*ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT :*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CLXXVI

HUGO DE S. VICTORE.

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA *AVENUE-DU-MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1880

Clichy. — Ex typis Pauli Dupont, 12, via dicta Bac-d'Asnières. — 1336.12.79.

SÆCULUM XII.

HUGONIS DE S. VICTORE

CANONICI REGULARIS S. VICTORIS PARISIENSIS

TUM PIETATE, TUM DOCTRINA INSIGNIS

OPERA OMNIA

TRIBUS TOMIS DIGESTA

EX MANUSCRIPTIS EJUSDEM OPERIBUS QUÆ IN BIBLIOTHECA VICTORINA SERVANTUR ACCURATE CASTIGATA ET EMENDATA, CUM VITA IPSIUS ANTEHAC NUSQUAM EDITA

STUDIO ET INDUSTRIA

CANONICORUM REGULARIUM

REGALIS ABBATIÆ S. VICTORIS PARISIENSIS

(Rothomagi 1648, fol.)

EDITIO NOVA

SPURIIS ET ALIENIS IN APPENDICEM AMANDATIS, ORDINE POTIORI DONATA, PRÆFATIONIBUS AMPLISSIMIS VARIISQUE OPUSCULIS AUCTA ET ILLUSTRATA

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1880

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXXVI CONTINENTUR.

HUGO DE SANCTO VICTORE.

HUGONIS DE S. VICTORE

CANONICI REGULARIS S. VICTORIS PARISIENSIS

OPERUM PARS SECUNDA. — DOGMATICA

INSTITUTIONES

IN DECALOGUM LEGIS DOMINICÆ

Quarum hæc sunt capita :

Cap. I. *De tribus præceptis prioris tabulæ.* — Cap. II. *De septem præceptis posterioris tabulæ.* — Cap. III. *De ordine præceptorum Dei.* — Cap. IV. *De substantia dilectionis, et de charitate ordinata.*

Cap. I. — *De tribus præceptis prioris tabulæ.*

Audi, Israel: Deus tuus, Deus unus est, ipsum adorabis, et ei soli servies (*Deut.* vi). Non hoc totum, de præcepto est quod dicitur, quia ante præceptum per admonitionem ad obedientiam auditoris animus præparatur. *Audi, Israel.* Hic nota obédientiam. *Deus tuus*, hic nota gratiam. *Deus unus est*, hic doctrinam ; quasi diceretur : Obedientiam exhibe, gratiam intellige, veritatem agnosce. Quod audis, hoc est obedientia, quam exigeris. Quod Deus tuus, est gratia prevænientis. Quod Deus unus, veritas qua illuminaris et perficeris. Deum tuum audi, qui tibi misericordiam jam exhibuit, et necdum tamen a te servitium accepit, ut scias ab ipso esse utrumque, scilicet, et quod a te exigit opus virtutis, et quod tibi promittit præmium retributionis. *Audi, Israel* id est, ausculta, acquiesce. Omnis enim virtus ab obedientia incipit, quemadmodum omne vitium ab inobedientia procedit. Frustra namque vel inobedienti gratia, vel contumaci doctrina, vel non intelligenti præceptum daretur. Idciro primum audi, Israel, ut si obediens, *Deus tuus*, ut devotus existas, *Deus unus est*, ut veritatem agnoscas. Deinde sequitur præceptum : *Ipsum adorabis*, hoc pertinet ad fidem. *Et ei soli servies*, hoc pertinet ad operationem. Fides enim operans ex dilectione perfectum facit, quia nec opus sine fide, nec fides cui tempus suppetit, accepta est sine opere. Proptera adora recte credendo, servi bene operando. Quæri autem potest, si id quod dixit, *ei soli*, ad utrumque referendum est, ut dicatur, Ipsum solum adorabis et ei soli servies ? Sed hoc quomodo stare poterit, quia sæpe in Veteri Testamento sanctos viros non solum angelos ado-
A rasse, sed etiam homines legimus, nec tamen propterea alicubi reprehensos invenimus ? Et in Novo Apostolus quidem etiam fideles ad serviendum superioribus et prælatis, summopere exhortatur. Sciendum ergo est quod alio modo homines adorantur, et alio modo Deus adorari præcipitur : usu namque veteri superiores quivis ab inferioribus adorari dicebantur, quando eis sive in curvatione genuum, sive capitis inclinatione ab his reverentia exhibebatur. Deum autem adorare est ei totam mentem per humilitatem ac devotionem substernere, et ipsum principium ac finem omnis boni credere. Quod ei soli nos debere nemo est sanæ mentis qui ambigat. Unde ipse quoque per prophetam de se testatur, dicens :
B *Gloriam meam alteri non dabo : et laudem meam sculptilibus* (*Isa.* xlii), De servitute vero idipsum competenter intelligi potest, quia nimirum omnis ille rectissime soli Deo servire dicitur, qui et secundum Deum homini superiori humiliter se subjicit, et ubi causa Dei impugnatur fidenter contradicit, qui cavet sollicite ne in sua servitute, vel pro timore hominis contra Deum quid faciat, vel terrenæ retributionis lucrum in intentione cœlesti præmio anteponat. Sed in Græco manifestior sententia expressa est. Græca namque locutio divinam servitutem ab humana proprio vocabulo distinguit quod Latinitas non habet : ibi enim Dei servitus *latria*, et humana *dulia* vocatur. Et ob hoc idololatræ appellati sunt
C qui eam servitutem quam Deo debuerunt, idolis exhibebant. Sed Latina lingua utramque sub eodem nomine servitutem comprehendit, et propterea obscurior signifiatio facta est, cum dicitur : *Ei soli servies*, quod in Græco ambiguum

non est. Sed cum hoc præceptum ad Patrem pertineat, quare dictum est : *Ei soli servies*, quasi etiam Filio et Spiritui sancto serviendum non sit ? Verum, quod dictum est, *soli*, non excludit communionem Filii et Spiritus sancti : sed quidquid Deus non est. Pater autem, et Filius, et Spiritus sanctus unus Deus est, et ipse solus adorandus est, eique soli, et non alteri serviendum est, ea videlicet servitude, quæ ei soli debita est. Nam et in Evangelio cum dicitur : *Nemo novit Patrem, nisi Filius* (*Matth.* xv), etc., non utique Spiritus sanctus a Patris cognitione excluditur, cum ipse, etiam profunda Dei, teste Apostolo (*I Cor.* II), scrutetur. Sed est ejusmodi loquendi genus, ut dicatur, nemo nisi ille videlicet qui non, hoc est quod ille.

His pro brevitate transcursis, ad sequens mandatum discutiendum transeamus, quod tale est : *Ne assumas nomen Dei tui in vanum* (*Exod.* xx). Hoc ad simplicem litteræ sensum taliter intelligi debet, ut nomen Dei homo in vanum non assumat, id est, vel ad mendacium confirmandum, vel ad idolum venerandum, scilicet, ut neque idola nomine divino honoret, neque falsitati nomen Dei associet. Mystice autem nomen Dei in vanum assumere, est Filium Dei visibilem per humanitatem factum creaturam existimare. In vanum quippe nomen Dei assumit, qui Filium Dei æternum ex tempore cœpisse credit. Nomen siquidem Patris Filius dicitur, quia in Filio, et per Filium Pater invisibilis manifestatur, non solum quando per ipsum mundus factus est, verum etiam quando per ipsum homo est redemptus. Sane qui Filium Dei hominem factum confitentur, nequaquam in vanum nomen Dei assumunt, quia quem credunt hominem per id quod assumpsit ex tempore, Deum verum agnoscunt per id quod fuit ex æternitate. Potest adhuc aliter intelligi, quod dictum est : *Ne assumas nomen Dei tui in vanum*. In vanum namque nomen Dei assumunt, qui Filium Dei ad se missum, et pro sua salute incarnatum contemnunt. Quid est ergo dicere : *Ne assumas nomen Dei tui in vanum*, nisi, Sicut veneraris, et adoras eum propter hoc, quod ab eo factus es ; sic adora eum, et venerare propter hoc, quod ab eo es redemptus, qui non minus tibi contulit cum redemit, quam cum creavit ? Ad eumdem spectat sensum, quod ipse Filius in Evangelio discipulis, et per discipulos omnibus in se credentibus dicit : *Creditis in Deum, et in me credite* (*Joan.* XIV) modesta quidem (ut decuit pium) insinuatione nos admonens, ut intelligamus eum non solum adorandum a nobis in sua divinitate qua condidit, sed in humanitate etiam qua redemit.

Tertium præceptum est : *Observa diem Sabbati* (*Deut.* v) Quatuor Sabbata commemorare videtur Scriptura. Primum illud, in quo Deus perfectis operibus suis requievisse dicitur. Secundum illud quod filiis Israel carnaliter custodiendum mandatur. Tertium illud, quod populo Dei spiritualiter servandum præcipitur. Quar-
A tum illud, quod in repromissione Sabbatum pro Sabbato suis Deus dilectoribus pollicetur. Duo igitur sunt Sabbata exterius, unum Dei et unum hominis : et duo interius, unum Dei et unum hominis. Sabbatum Dei illud, quo exterius ab opere cessasse dicitur, sacramentum est illius interioris sabbati ejus in quo ipsius æterna immortalitas, immortalisque æternitas perpetua et inconcussa beatitudine perfruens nullo unquam labore fatigatur. Sabbatum hominis, quod ei exterius visibiliter servandum præcipitur, sacramentum est interioris Sabbati, ubi mens sancta per bonam conscientiam a servitute peccati quiescens in gaudio Spiritus sancti jucundatur. Hoc Sabbatum quisquis in præsenti vita ita servaverit, ut nullis consentiat malis, perveniet in futura vita ad illud internum et æternum Dei Sabbatum, ubi nulla sentiet mala, sicut dictum est : *Et erit Sabbatum pro Sabbato, mensis pro mense*. Istud itaque præceptum specialiter ad Spiritus sancti personam referri videtur, cum dicitur : *Observa Sabbatum*, ut videlicet in præsenti suscipiamus eum et custodiamus intra nos in gaudium bonæ conscientiæ, quatenus eum in futuro suscipere et possidere mereamur in gaudium vitæ æternæ. Hæc igitur sunt tria præcepta primæ tabulæ, in quibus præcipue Dei dilectio commendatur, et tota Trinitas unus Deus æqualiter adoranda et colenda præcipitur.

B (margin letter beside "rit. ut nullis consentiat malis")

Cap. II. — *De septem mandatis secundæ tabulæ.*

Septem alia secunda tabula continebat, quæ hominem ad dilectionem proximi instruunt. Et propterea septenario distinguuntur : quia in præsenti vita tantum quæ septem diebus volvitur, nostra charitas pietatis operibus exercetur erga proximum : postea, consummatis operibus et finitis laboribus, per contemplationem pariter cum proximo beatificanda est in Deum. Amor ergo proximi et temporalis est, quantum pertinet ad exhibitionem operis ; et æternus, quantum pertinet ad effectum dilectionis. Primum præceptum secundæ tabulæ ad patrem pertinet hominem, sicut primum primæ ad Patrem Deum, utrobique paternitas præponitur, utrobique principii dignitate honoratur, quia secundum quemdam modum sic habemus principium nascendi per generationem a patre homine, sicut principium existendi per conditionem accepimus a Deo Patre. Et paternitas hominis sacramentum est et imago divinæ paternitatis. Ut discat cor humanum in eo principio quod videt, quid debeat illi principio a quo est et quod non videt. Sic ergo dictum est : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram* (*Deut.* v) Sicut superius dictum est in primo præcepto primæ tabulæ, ita et hic non totum ad præceptionem pertinet quod positum est. Sed ibi quod præter præceptum erat, præmissum est, hic subjunctum est : *Audi, Israel, Deus tuus, Deus unus*, hoc totum ante præceptum præmittitur, ipsum præceptum postea subenfertur : *Ipsum*

adorabis, et ei soli servies. Hic præceptum præcedit, *honora patrem tuum et matrem tuam,* deinde subjungitur, *ut bene sit tibi, et sis longævus super terram.* Quid est ergo quod ibi ante præceptum causa præcepti subinfertur, nisi quia Deus diligendus est propter seipsum, et homo propter Deum ? Nam et amor parentum si ad solam carnem respicit, spirituale præmium non acquirit. Ex Deo igitur prius in nobis est propter quod postea diligendus est a nobis, quia ejus gratia nostra dilectio prævenitur, et nostra dilectio per ejus gratiam excitata subsequitur. In patribus autem carnis nostræ, si ad id solum beneficium nostra dilectio tenditur, quo carnaliter ab illis nostrum meritum prævenitur, quia ultra carnis affectum et supra carnis intuitum non proficit, ad perfectionem præmii spiritualis non pertingit. Ergo propter vitam æternitatis diligendus est auctor vitæ temporalis, ut scilicet non hoc diligatur quia hanc ab illo, imo per illum vitam accepimus, sed quia per illum vitam intraturi sumus. Bene ergo cum dictum esset : *Honora patrem tuum,* subjuncta est causa, *ut bene sit tibi et sis longævus super terram,* scilicet viventium, quia hoc diligere debemus in auctore vitæ hujus, quod ab illo per hanc vitam ad vitam futuram initiati sumus. Et pulchre honoranti principium suum longævitas promittitur, quia Deo per dilectionem adhærere, æternitatem promeretur. Sane quantum spectat ad sensum litteræ, duobus modis parentes nostros honorare debemus, et obediendo eis videlicet in omnibus, his exceptis in quibus Dei Patris dilectio non offenditur, et eos (quantum nostra facultas suppetit) adjuvando. Sed et de patribus spirilualibus, id est prælatis nostris, idipsum intelligere nihil impedit, quibus obedientiam debemus quantum nostra habet possibilitas, et auxilium, imo servitium quantum suppetlt facultas.

Secundum præceptum est : *Non occides* (*Deut.* v) Convenienter sane cui in præcedenti mandato vitæ longævitas promittitur, hic ne alienam vitam exstinguat prohibetur, ut hoc ex charitate Dei sit, quod principium suum honorans ad vitam quæ finem nescit inhiat : hoc vero ex charitate proximi, quod ad vitæ alienæ finem nullo crudelitatis odio se relaxat.

Deinde sequitur tertium præceptum : *Non mœchaberis* (*ibid*). : et quartum : *Non furtum facies* (*ibid.*). *Non mœchaberis,* hoc pertinet ad vitam propriam : *Non furtum facies,* hoc pertinet ad vitam alienam. Supra enim jussus est et suam et alterius vitam conservare ; hic jubetur et suam et alterius vitam non lædere. Justum est enim ut in via vltæ corruptionem caveat, qui in patria vitam incorruptam exspectat, et qui vitam proximi per apertam violentiam non opprimit, etiam per fraudem occultam in iis quæ ad usum vivendi data sunt ei non noceat. Et non solum ipse per se non noceat, sed neque nocentibus et nocere volentibus sua auctoritate vel attestatione fiduciam aut firmamentum præstare præsumat. Hoc enim sequenti mandato prohibetur cum dicitur : *Non falsum testimonium dices* (*ibid.*). Et quia ab opere læsionis diu se cohibere non potest, qui mentem suam ab intentione et voluntate lædendi non cohibet, sequitur et dicit : *Non concupices uxorem proximi tui* : *nec concuptsces rem proximi tui* (*ibid.*) Ut non mœcheris, non concupiscas uxorem proximi tui ; ut furtum non facias, non concupiscas rem proximi tui. Hæc sunt decem præcepta, quæ primæ perfectionis viam et semitam pandunt directionis. Prima enim perfectio per bonam operationem hominem in semetipso dirigit. Secunda per charitatem proximi in latum expandit. Tertia per charitatem Dei in altum extollit. Quia denarius primæ perfectionis lineam porrigit, centenarius secundæ expandit lattitudinem : millenarius in altum summan tollit perfectionem.

Cap. III. — *De ordine præceptorum Dei.*

Ordinem autem ipsorum præceptorum Dei sine consideratione transire non oportet. Nam si ordo vivendi est, utique et ordo præcipiendi. Primum ergo attende quod dicatur tibi, *ut adores Deum tuum, et servias illi,* hoc est primum præceptum. In adoratione agnosce fidem, in servitute intellige bonam operationem. Post hæc secundum præceptum sequitur : *Ut nomen Dei tui in vanum non assumas,* quatenus verbum veritatis in ore tuo sit propter veritatem, ut post fidem cordis sequatur confessio oris. Primum devotio ad bonam conscientiam, postea exemplum operis ad bonam famam, novissime verbum prædicationis ad doctrinam. Deinde sequitur tertium præceptum, et dicitur tibi, *ut Sabbatum observes,* hoc est mentis quietem custodias, ut non pertuberis ex adversis foris occurrentibus pro veritate. Sed discas esse pacificus etiam inter illos qui pacem oderunt, prædices veritatem, et non omittas charitatem. Hæc sunt tria præcepta primæ tabulæ, de iis que pertinent ad Deum. Postquam sequitur secunda tabula de iis quæ spectant ad proximum. Primum ergo præceptum secundæ tabulæ est, in quo tibi præcipitur, *ut honores principium tuum, ut vitam longævam habere possis,* quoniam qui non honorat eum a quo est, dignus est ut retinere non possit id quod est. Secundum : *Non occides,* debito subsequitur ordine, quia si observando primum hujus tabulæ præceptum, vis esse *longævus super terram,* rationi et dictamini naturæ consonum est ut occidas neminem, nec videlicet alii cuipiam quod tibi factum nolis, facias. Cui etiam tertium, quartum et quintum concordant, nam sicut tibi non solum vitam vis esse salvam, sed et conjugem, et rem, et famam, vis habere inviolatam, ita decet *ut non mœcheris, non furtum facias, non falsum testimonium dicas,* quo postremo proximo in tribus nocere possis, in vita, re et fama. Porro quia ad justificationem non satis est formidine pœnæ cohibere ab illicitis manum, sed necesse est ut Dei et virtutis amore cohibeamus et mente,

bene subduntur duo reliqua, ut neque uxorem neque rem concupiscas proximi.

(1) CAP. IV. — *De substantia dilectionis et charitate ordinata.*

Quotidianum de dilectione sermonem serimus, ne forte non animadvertentibus nobis scintillet in cordibus nostris et exardescat ignis flammam faciens, aut totum consumens aut purgans totum. Ex eo namque totum est quod bonum est, et totum quod malum est ex eo est. Unus fons dilectionis intus saliens duos rivos effundit. Alter est amor mundi, cupiditas : alter est amor Dei, charitas. Medium quippe est cor hominis unde fons amoris erumpit, et cum per appetitum ad exteriora ducitur, cupiditas dicetur : cum vero désiderium suum ad interiora dirigit, charitas nominatur. Ergo duo sunt rivi qui de fonte dilectionis emanant, cupiditas et charitas. Et omnium malorum radix cupiditas, et omnium bonorum radix charitas. Ex eo igitur totum est quod bonum est, et totum quod malum, ex eo est. Quidquid ergo illud est, magnum est quod in nobis est, et ex eo totum est, quod inest nobis, ex hoc autem amor est. Quid est amor, et quantum? quid est amor, aut unde est amor ? Et sermo Dei de amore loquitur. Nunquid hoc negotium non potius illorum est qui amorem, qui pudicitiam prostituere consuevrunt ? Ecce quam multi qui ejus mysteria volentes suscipiunt, quam pauci qui ejus verba in medium proferre non erubescunt. Quid igitur nos facimus ? Forsitan multa improbitate frontem fractam habemus qui non verecundemur amorem dictatum formare, quem et impudici aliquando non possunt sine verecundia in verbis exprimere. Sed aliud est investigare vitium ut eradicetur, aliud exhortari ad vitium, ut virtus et veritas non ametur. Nos igitur investigamus et quærimus ut sciamus, et scientes caveamus : quod illi investigant ut sciant, sed sciant ut faciant, quid illud in nobis sit quod desidera nostra sic multifariam dividit, et cor nostrum in diversa deducit. Invenimus autem hoc aliud non ese præter amorem, qui, cum sit motus cordis, secundum naturam singularis et unicus, secundum actionem autem divisus cum se inordinate movet, id est, ad ea quæ non debet, cupiditas dicitur, cum vero ordinatus est, charitas appellatur. Ipsum ergo hunc cordis motum quem amorem appellamus, qua definitione signare poterimus ? Expedit nobis propius intueri eum, Ne lateat aliquatenus, et non sciatur, proptereaque nec caveatur cum malus est, nec appetatur aut inveniatur cum bonus, de quo et cum malus est tanta mala veniunt, et cum bonus est tanta bona procedunt. Ipsum igitur quomodo diffinimus, investigemus, consideremus, quia occultum est quod quæritur, quantoque interius collocatum est, tanto magis in utraque parte cordi dominatur. Igitur videtur amor, et amor

A est dilectio cordis alicujus ad aliquid propter aliquid : desiderium in appetendo, et in perfruendo gaudium : per desiderium currens, requiescens per gaudium. Hic bonum est, et hic malum est tuum, cor humanum, quia nec aliunde bonum es si bonum es, nec aliunde malum es si malum es : nisi quod, vel male, vel bene amas, quod bonum est. Nam omne quod est, bonum est ; sed cum id, quod bonum est, male amatur, illud bonum est, et hoc malum est. Igitur nec qui amat malum est : nec quod amat malum est : nec amor quo amat malum est, sed quod male amat, et hoc omne malum est. Ordinate ergo charitatem, et jam malum nullum est. Magnam rem commendare volumus, si tamen valemus, quod volumus.

B Omnipotens Deus, qui nullo indiget, quia ipse summum et verum bonum est, qui nec de alieno accipere potest quo crescat, quoniam ex ipso sunt omnia, nec de suo amittere, quo decidat, quoniam in ipso immutabiliter consistunt universa : ipse rationalem spiritum creavit sola charitate, nulla necessitate, ut eum suæ beatitudinis participem faceret. Porro ut idem esset aptus tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem, spirituale palatum, quoddam significans ad gustum dulcedinis internæ : quatenus per ipsam videlicet dilectionem suæ felicitatis jucunditatem saperet, eique infatigabili desiderio cohæreret. Per dilectionem ergo copulavit sibi Deus creaturam rationalem, ut ei semper inhærendo, ipsum

C quo beatificanda erat bonum, et ex ipso quodammodo per affectum sugeret, et de ipso per desiderium biberet, et in ipso per gaudium possideret. Suge, o apicula, suge et bibe dulcoris tui inenarrabilem suavitatem. Immergere, et replere, quia ille deficere nescit, si tu non incipias fastidire, adhære ergo et inhære, sume et fruere. Si sempiternus gustus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit. Non jam pudeat nos neque pœniteat de amore fecisse verbum. Non pœniteat ubi tanta utilitas : non pudeat ubi talis honestas. Igitur per amorem sociata est factori suo creatura rationalis : solumque est dilectionis vinculum quod ligat utrosque in idipsum, et tanto felicius quanto fortius. Propter quod etiam, ut in-

D divisa societas, et concordia perfecta utrobique haberetur, germinatus est nexus in charitatem Dei, et proximi, ut per charitatem Dei omnes uni cohærerent, per charitatem proximi omnes ad invicem unum fierent, ut quod de illo uno cui omnes inhærebant, quisque in semetipso non caperet, plenius atque perfectius per charitatem proximi in altero possideret, et bonum omnium fieret totum singulorum. Ordinate ergo charitatem. Quid est ordinate charitatem ? Si desiderium est amor, bene urat : si gaudium est bene quiescat. Est enim amor (sicut dictum est) dilectio cordis alicujus ad aliquid propter aliquid : desiderium in appetendo, et in perfruendo gau-

(1) Capitulum hoc, sub titulo *De substantia dilectionis*, mss, codices ut opusculum distinctum exhibent. Extat etiam inter opera S. Augustini, tom. VI, col. 843, edit. Migne.

dium : per desiderium currens, et requiescens A per gaudium : currens ad illud, requiescens in illo. Ad quid, aut in quo ? Audite, si forte explicare possimus, quo currere debeat amor noster : aut in quo requiescere. Tria quædam sunt, quæ amari bene aut male possunt, id est Deus, proximus, et mundus. Deus supra nos est : proximus juxta nos est : mundus subtus nos est. Ordinate ergo charitatem. Si currit, bene currat : si requiescit, bene requiescat. Desiderium currit : gaudium requiescit. Propter quod gaudium uniforme est, quia semper in uno est : nec vicissitudine variari potest. Desiderium autem mutabilitatem suscipit, et idcirco non se continet in uno, sed varias species repræsentat. Omnis namque cursus aut de illo est, aut cum illo, aut in illo ad quod est Quomodo ergo currere debet desiderium nostrum? Tria sunt : Deus, proximus, et mundus. Tria Deus, duo proximus, et unum mundus habeat in cursu desiderii nostri, et est in desiderio ordinata charitas. Amor namque per desiderium, et de Deo, et cum Deo, et in Deum ordinate currere potest. De Deo currit quando de ipso accipit unde eum diligit. Cum Deo currit, quando ejus voluntati in nullo contradicit In Deum currit, quando in ipso requiescere appetit. Hæc sunt tria, quæ ad Deum pertinent. Duo sunt proximi. Potest enim desiderium de proximo currere, sed in proximum non potest. De proximo, ut de ejus salute, et profectu gaudeat. Cum proximo, ut eum in via Dei et comitem itineris, et socium perventionis habere concupiscat. Sed in proximum non potest, ut in homine spem et fiduciam suam constituat. Hæc sunt duo, quæ ad proximum pertinent, id est, de ipso cum ipso, non in ipsum. Unum est mundi, de ipso currere : non cum ipso, aut in ipsum. De mundo desiderium currit, quando inspecto foris Dei opere per admirationem et laudem, ardentius intus ad ipsum se convertit. Cum mundo curreret, si se pro mutabilitate temporalium, sive dejiciendo in adversis, sive elevando in prosperis, huic sæculo se conformaret. In mundum curreret, si in ejus delectationibus semper requiescere B vellet. Ordinate ergo charitatem : ut desiderium currat de Deo, cum Deo, in Deum ; de proximo, cum proximo, non in proximum ; de mundo, nec cum mundo, nec in mundum. Et in solo Deo requiescat per gaudium, quia, si gaudium est, amor bene quiescat ; si desiderium est, amor bene currat. Est enim amor, sicut dictum est, dilectio cordis alicujus ad aliquid propter aliquid : desiderium in appetendo, et in perfruendo gaudium, currens ad aliud, requiescens in illo. Hæc est ordinata charitas, et præter ipsam omne quod agitur non ordinata charitas est, sed inordinata cupiditas.

DE SACRAMENTIS LEGIS NATURALIS ET SCRIPTÆ

DIALOGUS

MAGISTRI SIGNANDI PER M. ET DISCIPULI SIGNANDI PER D.

Loquitur prior discipulus.

D. Quid fuit priusquam mundus fieret ? M. Solus Deus. D. Quandiu prius fuit ? M. Ab æterno. D. Ubi fuit cum nihil esset prœter ipsum ? M. Ubi modo est, ibi fuit et tunc. D. Ubi est modo ? M. In semetipso est, et omnia in ipso sunt, et ipse est in omnibus. D. Quando fecit Deus mundum ? M. *In principio* (*Gen.* I). D. Ubi factus est mundus ? M. In Deo. D. Unde factus est mundus ? M. De nihilo. D. Quomodo factus est mundus. M. Prius in materia simul facta sunt omnia : postea vero in hac qua nunc mundus cernitur forma, per sex dies composita sunt et ordinata universa. D. Quomodo poterat materia prius esse quam forma ? M, Materia illa non omnino sine forma fuit ; sed tamen informis prius fuisse dicitur, quia in prima sui conditione tam decentem et tam aptam (sicut nunc habet) adhuc formam non habuit. D. Quare voluit Deus prius creare rudem materiam : quasi non potuerit simul cum forma creasse eam ? M. C Voluit prius ostendere quid esset creatura ex se, et quid ex beneficio Creatoris deinde accepisset ; ideoque prius creavit essentiam, postmodum formam indidit. D. Cui ostendebat hoc, quando adhuc nemo erat qui hoc videre poterat ? M. Erant jam tunc angeli quibus hoc ostenderetur, ut foris in rebus conditis viderent, quod in seipsis intus agnoscerent ; ne et ipsi gloriam quam acceperrnt sibi, sed conditori suo tribuendam putarent. Nobis quoque hoc ostenditur ; qui et si illud quando factum est non vidimus, quod tamen factum sit (sacro eloquio referente) audivimus. D. Ubi vel qualis fuit prima illa materia priusquam formaretur ? M. Ibidem confusa jacuit, ubi nunc ordinata subsistit. Nam terra in D eodem in quo modo est, hoc est : medio loco constituta, tribus reliquis elementis, id est aqua, et aere, et igne, in una adhuc caligine confusis undique involvebatur, quæ videlicet confusio circumqua que terram ambiens tantumdem spatii sursum

occupabat, quantum nunc universitas creaturarum complectitur. Formam jam tunc terra qualemcunque cæteris potiorem habuit, sed involuta adque obducta necdum apparere potuit quod fuit. Reliqua tria, ut dictum est omnimodo confusa erant et indigesta, in modum cujusdam nebulæ in hoc quod nunc aer et cœlum tenet spatio suspensa. Quam caliginem tenebrosam tenebras Scriptura nominavit : quæ in principio super faciem abyssi (quæ adhuc nondum impleta erat) collectione aquarum desuper oppansæ pendebant.

D. Quæ formatio facta est prima die ? M. Lux facta est prima die (*Gen.* I) : quæ quidem jam prius inter cætera materialiter creata fuerat ; sed nunc primum ut lucere posset et illuminare, ab aliis segregata est adque distincta. D. Qualis existimanda est fuisse lux illa ? M. Sunt qui asserunt nubem lucidam fuisse, quæ sicut sol modo circumferebatur ambiens terram ; quæ dum superiores mundi partes oriens lustrabat diem, occasu autem suo ad infera descendens absentata luce fecit noctem. Inde distinctos et appellatos volunt tres illos primos dies in exordio creaturarum priusquam sol et cætera luminaria conderentur. D. Ubi dicendum est modo esse lucem illam ? M. Dicunt modo in superioribus ætheris partibus circumquaque dispersam esse, et adhuc videri posse si non major illam solis claritas absconderet ; nocte vero ex illa adhuc luce diligenter considerantibus demonstrari quasi quasdam tenuissimæ nebulæ lucidas contra firmamentum reliquias dispersas, quas omnino major diei claritas ab oculis intuentium celat.

D. Quæ formatio facta est secunda die ? M. Firmamentum factum est secunda die (*ibid.*), quod quidem et prius ipsum materialiter creatum fuerat : sed huc usque indiscretum et in illa universali confusione permistum manebat. Nunc autem, id est secunda die, erutum a permistione et in formam redactum positum est, ut inter aquas superiores et aquas inferiores divideret ; sic scilicet ut illi confusioni in modum nebulæ circa terram pendenti medium veniens quodammodo illam intersecaret, et ambitu suo circumquaque complectens partem infra se clauderet, partem extrinsecus separaret, id est ut ab ipsis aquis quæ in divisione extrinsecus sive superius remanserunt, firmamentum medium inter aquas et aquas totum circumquaque ambiretur, aquæ autem, quæ intrinsecus sive inferius relictæ sunt, totæ ab ipso firmamento ex omni parte clauderentur. Pars ergo aquarum in divisione super firmamentum remansit ; pars alia infra ambitum firmamenti conclusa, totum circumquaque aeris spatium implens occupavit. D. Estne credendum adhuc esse aquas super firmamentum ? M. Sic putatur ; quia et Scriptura sacra diversis in locis hoc manifeste confirmat, sicut est illud Psalmistæ testimonium : *Aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII).

A D. Quomodo possunt aquæ super cœlum consistere ? M. Glacialiter vel (quod magis credibile est) ad similitudinem illius primi chaos firmiter ibi suspenduntur pendulæ ad modum nebulæ levis, qualis in principio natura omnium aquarum fuisse putatur.

D. Quæ fuit formatio diei tertiæ ? M. Aquæ illæ quæ sub firmamento pendentes remanserant compactæ sunt ad invicem ; et pondere tandem deorsum pressæ congregatæ sunt *in locum unum* (*Gen.* I), id est in magnam illam abyssum quam prius desuper obtexerant : unde et nunc ad omnes terrarum partes per thracones et alveos suos derivantur. Congregatis autem aquis, cœpit
B apparere *arida* (*ibid.*), hoc est terra, quæ prius caligine illa et confusione involuta latuit ; quam apparentem Deus germinibus suis vestivit : et sic completum est opus diei tertiæ.

D. Quæ formatio facta est die quarta ? M. Luminaria condita sunt in cœlo, id est sol et luna et stellæ ; ut lucerent super terram, et illuminarent illam, et tempora cursu suo distinguerent (*ibid.*).

D. Quæ formatio facta est die quinta ? M. Aves et pisces facti sunt de aquis. Aves deinde in aere collocatæ sunt ; pisces in originali sede permanserunt (*ibid.*).

D. Quæ formatio facta est die sexta ? M. Bes-
C tiæ et cætera animantia quæ vivunt super terram de terra creata sunt. Consummatis autem et præparatis omnibus, postremo (eadem tamen sexta die) factus est homo, qui universæ dominaretur creaturæ. D. Quare aves, quæ in aere collocatæ sunt, non sunt factæ de ipso aere, sicut pisces de aqua, et bestiæ pariter et homo de terra ? M. Quia aer talem non habet corpulentiam ut de eo animal fieri possit sicut et de terra. D. Quare novissime factus est homo ? M. Quia homo universæ creaturæ præficiendus fuit, congruum erat ut prius mansio ejus præpararetur, postmodum ipse ordinatis omnibus quasi possessor et rector introduceretur in orbem terrarum. Hæc igitur sunt opera conditionis quæ
D sex diebus fecit Deus atque complevit, ante omnem diem creans, tribus primis diebus disponens et ordinans, tribus sequentibus exordinans : prima discernens, secunda distinguens, tertia disponens, quarta exornans cœlos, quinta aerem et aquam, sexta terram. D. Quare sex diebus fecit Deus opera sua, et septima requievit ? M. Senarius quia ex partibus suis constat, signum perfectionis est ; et idcirco voluit Deus sex diebus complere opera sua, ut ostenderet se in iis quæ fecerat, nec superfluum aliquid posuisse nec reliquisse imperfectum. Completis autem sex diebus septima demum die requievit (*Gen.* II), id est ab opere cessavit ; non quod ipse quasi fatigatus requie indigeret, sed ut nobis si secundum modum et mensuram nostram opera bona et perfecta facere studuerimus, requiem fu-

turam promitteret. D. Quomodo septima die Deus requievisse dicitur, cum ipse in Evangelio dicat : *Pater meus usque modo operatur et ego operor ?* (*Joan.* v.) M. Deus multis modis operari dicitur. Est namque opus creationis, est et opus dispositionis, est opus propagationis, et est opus gubernationis ; Opus creationis ante omnem diem fecit ; opus dispositionis sex diebus complevit ; opus propagationis usque in finem sæculi non deserit ; ab opere gubernationis usque in æternum non cessabit. D. Si septima die primum requievit Deus, quid ergo egit ab initio primæ diei postquam lucem fecerat usque ad exortum sequentis quando firmamentum faciebat ? M. Si propius rem intueri velis, invenies nequaquam Deum prima die post exordium lucis ab omni penitus opere quievisse ; quia non solum hoc quod lux facta est ad opus ejus pertinuit ; sed etiam quod directa est, donec peracto circuitionis suæ ambitu cursum consummavit. Primum igitur ut opus suum a perfecto inciperet, lucem orientem fecit ; et inde eam dirigens, primum vespere, deinde mane, id est primam diem complevit. D. Nunquid ita de operibus reliquorum dierum intelligendum ? M. In his ego nihil temere affirmare velim ; quia, etsi similiter de opere diei secundæ dici possit, quod primum firmamentum inter aquas et aquas fecerit ; deinde cursum ejus usque ad exortum diei tertiæ direxerit tamen quia de motu firmamenti necdum certum experimentum invenimus : hujus quæstionis nodum alio si placet modo dissolvamus. Potest namque non inconvenienter dici non ita in illis sex diebus Dominum sui operis seriem continuasse, quasi nullo interim intervallo temporis opus intermiserit ; sed quia nullum in operando diem intermisit, septima autem die sic demum ab omni opere quievisse, ut nec alia præter ea quæ jam facta fuerant deinceps crearet, nec aliter quam disposita jam erant (quantum ad ordinem pertinet universitatis) disponeret. Neque enim aliquid postmodum numero universitatis addidit, neque ordinem universitatis in aliquo commutavit. D. Et quid quod adhuc quotidie novæ creantur animæ. M. Nihil tamen novum addici dicitur ; quia ipsæ animæ, licet de nihilo creatæ nunc primum esse incipiant, tamen quodammodo etiam tunc iu similitudine sua creatæ fuerunt. Et ut breviter id quod mihi dicendum inde videtur tibi absolvam, universa tunc facta sunt ut nihil postmodum fieret quod prius vel in materia vel in similitudine creatum non fuisset.

D. Ultra adhuc in his operibus digna inquisione video, quæ quidem nolens præterire compellor ; ne forte in hujusmodi si te plus justo detineam, ad alia quæ restant magis necessaria non pertingam. Nunc ergo si placet ad hominem revertamur, ut causam creationis ejus mihi admodum desideranti aperias. Quia profecto dignum est ut qui omnia propter ipsum facta jam credimus, etiam cur ipse factus sit non ignoremus. M. Deus qui

A summun et verum perfectumque bonum et ita ab æterno in se et per se beatus fuit, ut ejus gloria et beatitudo, quia æterna et incommutabilis erat, non posset minui, est quia plena et perfecta fuerat. non posset augeri. Nullo igitur indigens, sed bonum quod ipse erat et quo beatus erat, cum aliis participare et alios in illo et per illud beatificare volens, nulla necessitate, sed sola charitate creavit rationalem creaturam, id est spiritus rationales, jussitque ut ipsi partim in sua puritate persistèrent, partim ut carue vestiti corpus humanum ad vitam et ad sensum animarent. Illis ergo spiritibus qui corporibus sociandi erant, locum et habitationem in terra constituit ; illis vero qui in suo puritate permansuri fuerant, mansionem B in cœlo collocavit. Illos quidem per dignationem in summo constituens ; istos per dispensationem in imo disponens, ut et istos quandoque per obedientiam ab imo ad summa proveheret, et illos per obedientiam in summo confirmaret. D. Quare voluit Deus spiritus sociare corporibus, cum majoris excellentiæ fuissent in sua puritate persistentes ? M. Voluit in illis ex creatione ostendere quod postmodum facturus ipse in illis fuerat ex dignatione. Quia enim in rebus creatis nihil excellentius est spiritu, nihil terra infimius atque corruptibilius, dum corpori de terra facto et corruptibilem materiam habenti, rationalem spiritum, id est, animam rationalem tribuit, in unum quodammodo consortium et societatem summis ima conjunxit ; C ostendens quia, quod erat corpus spiritui, hoc quadommodo spiritus erat sibi. Et sicut excellentiam spiritus infirmitati corporalis naturæ conjuxerat una creationis conditio, ita humilitatem creaturæ spiritualis, excellentiæ Creatoris sociare debuerat una pietatis dignatio. Fecit ergo, ut dictum est corpus hominis de limo terræ et inspiravit ei animam rationalem quam creavit de nihilo (*Gen* II), ut in corpore obedienter viventem ad consortium illorum spirituum qui sine corpore vivebant, id est angelorum, quandoque simul cum corpore elevaret ; et pariter utrosque ad participationem gloriæ suæ attolleret, quatenus et in spiritum et in spiritu corpus glorificaret ; et quantum prius summa per dispensatio- D nem inclinavit dum conderet, tantum nunc ima per dignationem exaltaret. D. Quare non creavit Deus homines simul, sicut angelos creaverat ? M. Quia voluit ut unum esset humani generis principium. D. Quare hoc voluit ? M. Ad retundendam superbiam diaboli. Quia enim diabolus superbe aliud a Deo principium esse appetiit, ut magis confunderetur ejus elatio, hoc homo accepit, quatenus etiam in eo dignitatem similitudinis Dei haberet, quod sicut ille rebus omnibus creationis principium exstitit, ita iste esset omnibus hominibus principium generationis ; et omnes homines dum se ab uno et unum esse cognoscerent, omnes se quasi unum amarent. D. Quare facta est mulier ? M. In adjutorium generationis. D. Quare de viro facta est ? M. Quia si aliunde fieret, unum principium

non esset. D. Quare de latere facta est? M. Ut ostenderetur quia in consortium creabatur dilectionis; ne si de capite facta fuisset, præferenda videretur viro ad dominationem; aut si de pedibus, subjicienda ad servitutem. Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur, sed socia: nec de capite, nec ne pedibus, sed de latere fuerat producenda, ut juxta se ponendam agnosceret, quam de juxta se sumptam didicisset: *Missit igitur Deus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus* (*Gen.* II), et exinde mulierem fabricavit. D. Quare dormienti potius quam vigilanti voluit costam subtrahere? M. Ne putaretur illi eam pœnaliter abstraxisse. D. Quomodo de sola costa fieri potuit mulier? Nunquid aliquid aliud Deus illi costæ ad augmentum extrinsecus addidit, aut novum alliquid concreavit, aut ipsa in semetipsa costa multiplicari cœpit? M. Si ad mulieris corpus perficiendum illi costæ Deus extrinsecus augmentum addidit (cum illiud quod addebatur multo majus fuit quam ipsa costa cui addebatur), inde potius mulierem factam Scriptura dixisse debuit unde plures substanciæ suæ partes accepit. Similiter si id quod costæ in augmentum venit, de nihilo, factum creditur: cur eam de viro factam dicimus et non potius de nihilo, cum illud ejus quod de nihilo factum esse multo majus sit quam id quod de viri substantia in corpus illius transivit? Restat ergo ut credamus costam illiam in semitipsam multiplicatam nullum extrinsecus augmentum suscepisse. D. Quomodo potest fieri ut aliqua res crescat cui nihil aliunde apponitur? M. Plus est de nihilo aliquid facere, quam parvam substantiam in seipsum multiplicare.

D. Certum est: quapropter ea quæ restant prosequere M. Factos igitur extra paradisum in paradiso posuit, informans præceptis vitæ et disciplinæ. D. Quare homo, qui in paradiso mansionem habiturus fuerat, extra paradisum facus est? M. Ne benificium Dei imputaret naturæ, sed gratiæ. D. Quibus præceptis informavit Deus hominem, cum eum collocaret in paradisum? M. Duobus, id est præcepto naturæ, et præcepto disciplinæ. Duo namque bona præparat Deus homini: aliud temporale et aliud æternum, utrumque plenum et perfectum. Alterum, id est temporale bonum, plenum in eo posuit; et alterum, id est æternum, plenum ei proposuit. Illi quod dederat, custodiam apposuit præceptum naturæ; ad illud quod proposuerat, viam, aperuit præceptum disciplinæ. Præceptum naturæ continet præceptionem, prohibitionem, concessionem; præceptio naturalis fuit discretio per quam ei inspiratum est quæ essent naturæ suæ necessaria; prohibitio naturalis fuit discretio per quam naturaliter ei insinuatum est quæ essent noxia: concessio discretio fuit eorum quæ erant media, id est quibus uti et non uti sine incommodo potuisset. Si igitur homo per naturale præceptum imbutus negligentiam cavisset, divina providentia nulla cum violentia opprimi permitteret. Poterat namque

A homo per præceptum naturæ conservare bonum quod habuit sed per illud non potuit bonum quod necdum habuit adipisci. Neque enim meritum esse poterat homini si vel vitaret noxia vel salubria appeteret, sive ad utrumlibet mediis uteretur: quoniam in his omnibus non tam præcipientis affectum quam commodum obedientis attenderet. Itaque ut homo aliquid promereri posset, necessarium fuit ut præceptum disciplinæ adderetur, sed hoc neque de præceptionne neque de prohibitione sumi poterat, ne si vel eadem Deus præciperet aut prohiberet, meritum, ut dictum est, obedienti non esset; aut si mutaret mandatum, ipse sibi contrarius fieret. Oportuit ergo ut de concessione sumerentur, sic tamen ut
B per ipsum præceptum concessio non mutaretur, id est ut non præceptum naturam corrumperet, sed inobedientia prævaricatori non natura noceret. Cum autem de concessione naturali præceptum disciplinæ formandum fuisset, congruum fuit magis ut secundum prohibitionem hoc fieret, ne diabolus posset obedientiam calumniari; et in uno tantum non in pluribus, ne obedientia valeret ab homine excusari. Si igitur homo in hac obedientia perstitisset, post tempus définitum a Deo ad illud summum bonum quod in cœlis ei præparatum fuerat, sine mortis dolore transferri debuerat cum omni prole sua in consortio beatorum angelorum æternaliter victurus. D. Quare Deus indigentiam in homine esse voluit? M. Ut
C inde occasionem exercitationis sumeret; et ipsa exterior indigentia interiorem ei indigentiam demonstraret. D. Ante peccatum fuit mortalis an immortalis homo? M. Utrumque potestate, neutrum necessitate; utrumque postea futurus necessitate, neutrum potestate: alterum prius per culpam, alterum deinde per gratiam.

D. Ubi est paradisus? M. Cur quæris quod vides? Ad orientem ingressus tuus, hoc est lignum vitæ quod conspicis. D. Quare vocatum est lignum vitæ? M. Quia talis in eo virtus est ut ejus fructus possit vitam hominis a mortis et omnis infirmitatis molestia defendere. D. quod est lignum scientiæ boni et mali? M. In quo prævaricatus est Adam. D. Quare sic vocatum est? M.
D Adam antequam peccaret bonum et malum scivit: bonum quidem et per scientiam et per experientiam, malum vero per solam scientiam. Postquam vero lignum vetitum tetigit, malum tum etiam per experientiam cognoscere cœpit; non tamen natura ligni, sed inobedientia hominis scientiam contulit, dum per experientiam mali etiam bonum quam stricte fuerat tenendum agnovit. Itaque nomen hoc non ex natura quam habuit, sed ex occasione quam præstitit, ligno inditum esse credendum est. D. Quomodo prævaricatus est homo? M. Videns diabolus quod homo per obedientiam illuc ascenderet unde ipse per superbiam ceciderat, invidit ei et quia per violentiam ei nocere non poterat, ad fraudem se convertit. Ne autem fraus illius si nimis occultaretur caveri omnino non posset, non permissus est

per aliud animal tentare nisi per serpentem, ut A naturalis astutia serpentis malitiam proderet tentatoris; ut per indumentum quod foris erat homo cognosceret quantum ejus qui intus regebatur versutiam cavere debuisset. D. Quomodo tentatus est homo? M. Exteriori tentatione tantum. D. Quæ est exterior tentatio? M. Suasio alicujus facta vel signo vel verbo ut ille cui fit ad consensum peccati inclinetur. D. Quæ est interior tentatio? M. Motus primæ delectationis per quem ad peccandum impellitur. Hæc autem difficilius vincitur, quia interius oppugnans de nostro contra nos roboratur. Propterea diabolus veniam non meruit, quia nulla tentatione peccavit; homo vero qui exteriori tantatione pulsatus cecidit, tanto gravius plectendus erat, quanto leviori B impulsu fuerat prostratus. Et tamen quia aliquam in cadendo, ut ita dicam, violentiam sensit, idcirco hunc tandem Dei gratia ad veniam erexit. Nos vero quanto graviorem in peccando tentationis violentiam patimur. tanto leviori piaculo ad gratiam amissam renovamur. D. Quo ordine tentatus est homo? M. Diabolus, quia vidit mulierem utpote infirmiorem et minus ratione vigentem, facilius fraude circumveniri posse, primum eam agressus est interrogatione, volens animum ejus elicere ut ex responsione ejus colligeret qualiter eam de cætero alloqui debuisset. D. Quare non horruit mulier serpentem loquentem sibi? M. Quia cum noviter creatum officium loquendi a Deo accipisse credebat. D. Quomodo al- C locutus est eam? M. *Comedite: et eritis sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen.* III) Per tria tentavit, per gulam, per vanam gloriam, per avaritiam. Est autem gula immoderatus appetitus edendi; vana gloria, amor propriæ laudis; avaritia immoderatus appetius habendi. Per gulam tentavit, cum dixit: *Comedite*, Per vanam gloriam, cum dixit: *Eritis sicut dii*. Per avaritiam cum dixit: *scientes bonum et malum*. D. Vellem ut ipsam radicem istius peccati explicares: et sicut demonstrati mihi quo ordine patratum sit, ita etiam quid sit ostenderes. M. In primo homine Deus duo posuerat, videlicet appetitum justi, et appetitum commodi; unum, id est appetitum justi, secundum voluntatem; alte- D rum, id est appetitum commodi, secundum necessitatem. Illum autem ideo voluntarium esse constituit, ut in eo homo promereretur, sive bene eum retinendo cum posset deserere, sive male deserendo cum posset retinere. Hunc autem necessarium propterea esse voluit; quatenus in eo remuneraretur, sive ad pœnam si illum desereret, sive ad gloriam si illum retineret. Et idcirco illi effectum suum, id est justitiam inseparabiliter adjunxit, isti vero effectum suum, id est commodum separabilem proposuit, quatenus homo vel illo solo amisso hujus et illius affectus perderet; vel illo solo retento hujus et illius effectum retineret. Sed homo hoc solum quod potuit fecit; et quia appetitum justi sponte deriliquit, idcirco juste et justitiam et commodum perdidit; solum appetitum commodi ad augmentum in felicitatis retinendo; quia sicut augmentum gloriæ fuisset in justitia perseveranti non posse ab amore habito boni tepescere, ita modo cumulus miseriæ est ab appetitu boni non posse se (quamvis illud adipisci nequeat) cohibere. D. Utrum volens an nolens deseruit homo appetitum justitiæ? M. Si nolens deserutt, violentia potius appellanda est quam culpa; si autem volontas præcessisse in eo dicitur, jam ipsa desertio justitiæ primum peccatum fuisse negatur; nec poterit inveniri unde talis voluntas ei advenierit ut vellet bonum deserere; quia nec a semetipso velle aliquid potuit, nec a Deo quidquam præter commodumet justum velle potestatem accepit. D. Tamen cum deseruit voluisse credendus est quod fecit M. Recte hoc diceres si desinere aliquid esset facere. Quia autem ille non velle cœpit quod prius noluit, sed tantummodo quod prius voluit, velle desiit, non necesse et ut hoc aut volens aut nolens fecisse dicatur. Voluit tamen aliquid quod volendo quia cum isto velle non potuit, desiit istud velle quod voluit: nec ideo illud voluit quia velle desiit; sed potius ideo istud velle desiit quia illud voluit. D. Quare ergo magis dicitur peccasse in eo quod istud velle desiit quam in eo quod illud velle incœpit? M. Quia si hoc velle non desineret, sive illud sive aliud volendo, nunquam peccare potuisset. D. Quid est ergo justitia? M. Mensura in appetitu commodi. D, Quid est appetitus justitiæ; M. Amor Mensuræ. D. Quid ergo voluit ut hoc velle desineret? M. Voluit aliquid extra mensuram. D. Nunquid et hoc velle peccatum non fuit? M. Non quod hoc voluit peccatum fuit, sed quod hoc volendo mensuræ volendi, id justiæ appetitum amisit. D. Quid voluit extra mensuram? M. Similitudinem Dei appetiit. Peccavit itaque homo in hoc quod deseruit appetitum justi, et punitus est in retento appetitu commodi. D. Quomodo? M. Dupliciter punitus est in appetitu commodi; sive cum ab his quæ ordinare appetit restringitur, sive quia ad inordinata commoda appetenda relaxatur. In altero est pœna in altero est pœna et culpa. D. Unde venit homini ut appetat inordinata? M. A pœna peccati. D. Modum requiro. M. Deus fecerat primum corpus hominis sanum et integrum. Integrum quidem, quia nihil inerat ad perfectionem; sanum, quia nihil inerat ad corruptionem. Sed in utroque talem conditionem posuerat ut nec integritas nec sanitas sine adminiculo posset conservari. Itaque in rebus creatis forinscus quædam ordinavit quæ ad conservandam atque tuendam incolumitatem sive integritatem ejus valere potuissent; horum autem providendorum curam, et officium spiritui qui corpori præsidebat injunxit. Ne vero illo exsequendo, si ex sola hoc præceptione non etiam ex amore impleret, servili condione premeretur, dedit ei Deus affectum quo corpus suum amaret, ut sicut ejus integritatem et sanitatem diligeret, sic etiam omnia quæ ad illam conservandam valerent libenter provideret. Rursum ne vel in illus quærendis labor

esset, vel in sumendis periculum, indigentiam A simul et appetitum carnalem certa mensura temperavit; quatenus ei ad fomentum et pauca sufficere possent, et ad satietatem modica. Itaque prudentia carnis tam labor quam oblectamentum et exercitatio futura foret si homo justitiam tenuisset. Sed quia spiritus supra elatus appetitum suum intra mensuram cohibere noluit, idcirco meruit ut jam subtus per infinitos labores dissipatus in appetitu carnis suæ mensuram tenere non possit. Fregit enim Deus mortalitate integritatem corporis humani, et ab hoc pluribus jam fomentis indiget quam prius, tam ad reparandam incolumitatem quantum periit quam ad conservandam quantum remansit. Hunc illa dura necessitas gignitur ut extra ordinem natura appetitum exten- B dat: ut non solum naturam custodiat, sed etiam vitium naturæ expellat. Spiritus enim sicut ei naturaliter datum est commodum carnis suæ diligere: sic naturaliter etiam habet ut ejus incommodum non possit amare. Sciendum tamen est quod hæc necessitas concupiscendi non ideo culpa non est quia necessitas est: quia ut esset hæc necessitas, non necessitas causa fuit, sed voluntas. Hoc tamen de omnibus veraciter dici potest, quod nihil anima appetit quantumlibet inordinatum videatur nisi propter aliquod commodum vel conservandi boni vel mali removendi; sicut verbi gratia dum coitum appetit, extinguere cupit carnis pruriginem, dum cibum appetit vel potum, gulæ ardorem. D. Si omnis appetitus C commodum appetat, commodum autem suum appetere tam in bono conservando quam in removendo malo naturæ datum sit, ut quid hæc concupiscentia homini in culpam reputatur? M. Non ideo peccat quod commodum suum appetit: sed quod inordinate appetit. D. Non potest inordinate non appetere? M. Non potest. D. Quare non potest? M. Propter infirmitatem suam. D. Quare infirmatus est? M. Quia Deus integritatem naturæ passibilitate mortalitatis confregit. D. Quare hoc fecit? M. Video quo tendas. D. Quæ tamen causa fuit? M. Culpa hominis. D. Ergo per culpam suam ad hanc necessitatem venit. M. Ita est.

D. Non igitur eum excusat ista necessitas. M. D Non potest excusare. D. Sed quid faciet? M. Quærat adjutorium gratiæ et dicat: *De necessitatibus meis erue me, Domine* (*Psal.* XXIV sicut dicit Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum* (*Rom.* VII). D. Ergo homo nisi per gratiam Dei liberari non potest? M. Non potest. Dicimus enim quod homo in appetitu justi derelicto sponte peccaverit; in appetitu commodi retento dupliciter punitus sit: sive quia ab ordinatis commodis restringitur, sive quia ad inordinata commoda relaxatur. In altero pœna, in altero pœna et culpa. Quia igitur homo tali pœna multatus est per quam culpa non purgaretur sed cresceret, nisi fuisset liberatus per gratiam, per hanc pœnam ad pœnas damnationis A æternæ merito descendisset. Itaque dilatum est judicium ejus ne damnandus inveniretur. Et quia eum Deus ad salutem præordinaverat, locum et spatium correctionis et pœnitentiæ concessit, quatenus eum interim per gratiam suam talem efficeret, quem tandem non solum misericorditer sed etiam juste ad salutem judicare potuisset. D. Quis est locus pænitentiæ quem Deus concessit homini? M. Mundus iste. D. Et quod est spatium pænitentiæ? M. Vita præsens, id est ab initio mundi usque in finem sæculi. D. Satis magnæ sunt induciæ istæ: sed velim ut dicas adhuc quare mundum istum voces locum pænitentiæ? M. Quatuor sunt loquar: unus in quo est solum bonum et summum bonum, et unus in quo B est solum malum et summum malum; unus est quo est solum bonum non tamen summum bonum; et unus in quo est bonum et malum, nec mummum bonum nec summum malum. D. Vellem ut exempla singulorum propo neres. M. In cœlo est solum bonum; et summum bonum; in inferno est solum malum et summum malum; in paradiso est solum bonum non tamen summum bonum; in mundo est bonum et malum, nec summum bonum nec summum malum. D. Quare distinxisti loca ista? M. Paradisus est locus inchoantium et in melius proficientium, et ideo ibi solum bonum esse debuit; quia creatura a malo initianda non fuit; non tamen summum, ut esset in quo illi qui initiabantur proficere po- C tuissent. Cœlum est locus confirmatorum bonorum et per disciplinam ad summum profectum pertingentium. Unde solum summumque bonum in eo collocatum est. Infernus eet locus confirmatorum malorum et disciplinam irrecuperabiliter deserentium; et ideo ibi solum et summum malum positum est. Mundus est locus errantium et reparandorum; et ideo simul bonum et malum in eo ordinatum est, ut per bonum quidem consolationem accipiant, per malum vero correctionem. Non tamen summum bonum aut summum malum ibi est, ut sit quo et persistentes in malo deficere, et recendes a malo proficere possent. Cœlum igitur est in summo infernus est in imo; in medio paradisus; inter imum et medium mundus. Homo D igitur qui a medio ceciderat (quia ad reparationem expectabatur) inter imum et medium collocandus erat. D. Ecce diu expectatur homo: et quid faciet? M. Non poterit invenire consilium evadendi. D. Quid ergo prodest judicium differri si homo non potest liberari? M. Per se non potest. D. Per quem igitur? M. Ille qui per gratiam suam differt judicium, oportet interim ut per eamdem gratiam ostendat evadendi consilium.

D. Ergo judex reo consilium dabit? M. Deponet interim personam judicis, et assumet personam conciliatoris. D. Quando veniet? M. In temporibus novissimis. D. Quare tandiu differt adventum suum? M. Ut permittat prius homini experiri defectum suum. Venient prius patriarchæ et prophetæ et legislatores, venient justi et sa-

pientes, quærent et non invenient; laborabunt et deficient, promittent multi et nulli ostendent. Cum autem omnes defecerint et multis promissionibus, multis etiam verbis prolatis siluerint, tunc ipse proferet unum verbum et dabit consilium. D. Quod consilium dabit? M. Nunquid ego conscius sum secretorum Dei? Secretum est et absconditum hoc concilium a sæculis. D. Tamen temporibus novissimis manifestum. Præterea si nos ad redemptionis sortem pertinere volumus justum est ac decens ut ejus redemptionis nostræ modum non ignoremus. M. Consilium hoc in eo fuit qualiter homo juste vel a potestate diaboli eripi, vel Deo posset reconciliari. D. Desidero admodum scire qualiter hoc fieri potuerit. M. Causam hominis prius considera; et tunc facile poteris videre qua justitia sit liberatus. D. Et ipsam mihi demonstrari cupio. M. Causa hominis adversus duos constitit, id est adversus Deum et adversus diabolum; quapropter non te pigeat si hanc ipsam causam quasi sub trium personarum conformatione explanem. D. Totum me in expectatione posuisti. M. Três in causam veniunt, homo, Deus, et Diabolus. Deo Diabolus injuriam fecisse convincitur; quia servum ejus, id est hominem, et fraudulenter abduxit, et violenter tenuit. Homo injuriam fecisse convincitur Deo; quia et præceptum ejus contempsit, et se sub manum alienam ponens suæ servitutis damnum illi intulit. Item diabolus homini injuriam fecisse convincitur: quia illum et prius bona promittendo decepit, et post mala inferendo læsit. Injuste ergo diabolus tenet hominem, sed homo juste tenetur; quia diabolus numquam meruit ut hominem sibi subjectum premeret: sed homo meruit per culpam suam ut ab eo premi permitteretur. Licet enim ignoraret falsum esse quod diabolus promisit, non tamen ignoravit quod illud (etiam si verum esset) contra Creatoris voluntatem concupiscere non debuit. Juste ergo homo subjectus est diabolo quantum pertinet ad culpam suam; injuste autem quantum pertinet ab diaboli fraudulentiam. Si ergo homo talem patronum haberet cujus diabolus in causam adduci posset, juste dominio ejus homo contradiceret; quia nullam diabolus causam justam habuit quare sibi jus in homine vendicare debuerit. Patronus autem nullus talis inveniri poterat nisi Deus. Sed Deus causam hominis suscipere noluit; quia homini adhuc pro culpa sua iratus fuit. Oportuit ergo ut prius homo Deum placaret, et sic deinde fiducialiter Deo patrocinante cum diabolo causam iniret. Sed Deum rationabiliter placare non poterat, nisi damnum quod intulerat restitueret, et de comtemptu satisfaceret. Homo vero nihil habuit quod digne Deo pro ablato damno recompensaret, quia si quid de irrationabili creatura redderet, pro rationabili sublata minus esset. Sed nec hominem pro homine reddere potuit; quia justum et innocentem abstulerat, et neminem nisi peccatorem invenit. Nihil ergo homo invenit unde Deum sibi placare posset; quia sive sua

A Sive seipsum daret, digna recompensatio non esset. Videns ergo Deus hominem sua virtute jugum damnationis justæ evadere non posse, misertus est ejus; et primo gratuito prævenit eum per solam misericordiam, ut deinde liberaret per justitiam: hoc est, quia homo ex se justitiam evadendi non habuit, Deus homini per misericordiam justitiam dedit. Neque enim ereptio hominis perfecte rationabilis esset, nisi ex utraque parte justa fieret, hoc est, sicut Deus justitiam habuit hominem requirendi, ita et homo justitiam haberet evadendi. Sed homo hanc justitiam nunqam habere potuisset, nisi Deus ei per misecordiam eam tribuisset. Ut ergo Deus ab homine placari posset, dedit Deus gratis homini

B quod homo ex debito Deo redderet. Dedit ergo homini hominem, quem homo pro homine Deo redderet; qui (ut digna recompensatio fieret) priori non solum æqualis sed et major esset. Ut ergo pro homine redderetur homo major homine, factus est Deus homo pro homine, et dedit se homo homini ut se acciperet, ab homine. Incarnatus est Deus Dei Filius, et datus est hominibus Deus homo Christus, sicut Isaias ait: *Puer natus est nobis* (*Isa.* II), etc. Quod ergo homini datus est Christus, Dei fuit misericordia; quod ab homine redditus est Christus, hominis fuit justitia. In nativitate enim Christi juste placatus est Deus homini; quia talis homo inventus est pro homine, qui non solum, ut dictum est, par, sed

C et major esset homine. Ideo in nativitate Christ angeli pacem mundo nuntiant, dicentes: *Gloria in altisimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Sed adhuc supererat homini ut sicut restaurando damnum placaverat iram; ita quoque pro contemptu satisfaciendo dignus fieret evadere pœnam. Sed hoc convenientius fieri non poterat, nisi ut pœnam quam non debebat sponte et obedienter susciperet, ut de pœna quam per inobedientiam meruerat eripi dignus fieret. Hanc autem pœnam homo peccator solvere non poterat; qui quamcumque pœnam susciperet, non nisi digne et juste (propter primi contemptus reatum) sustineret. Ut ergo homo juste pœnam debitam evaderet, necesse fuit ut talis

D homo pro homine pœnam susciperet, qui nihil pœnæ debuisset. Sed talis nullus inveniri poterat nisi Christus. Christus igitur et nascendo debitum hominis Patri solvit, et moriendo reatum hominis expiavit: ut cum ipse mortem pro hominec quam non debebat, sustineret, juste homo pro ipso mortem quam debebat evaderet, et jam locum calumniandi diabolus non inveniret: quia et ipse homini dominari non debuit, et homo liberari dignus fuit. Idem itaque et judicium nostrum et causam nostram fecit. Unde psalmista: *Quoniam fecisti judicium meum et causam meam* (*Psal.* IX). Causam nostram fecit; quia debitum Patri pro nobis solvit, et moriendo reatum expiavit. Judicium vero; quia descendens ad inferos et portas mortis frangens captivitatem quæ ibidem tenebatur liberavit. Judi-

cium ergo diaboli adversus Deum factum est statim in principio sæculi; judicium hominis adversus diabolum, in passione Christi. Judicium hominis adversus Deum differtur usque in finem sæculi. Et ideo homo, si prius per Christum Deo reconciliari voluerit, potest judicium suum sine timore damnationis præstolari. D. Hic congrue debueras modos judicandi distinguere, quatenus ea quæ hic de judicio dicta sunt ex aliorum collatione valeam et manifestius discernere et verius approbare. M. Quatuor sunt judicia, videlicet secundum præscientiam, secundum causam, secundum operationem, secundum retributionem. Secundum præscientiam judicati fuimus antequam essemus; secundum causam judicamur ex quo esse incipimus, quando boni et mali sumus; secundum operationem judicamur, quando operibus foris ostendimus quales intus apud nos sumus; secundum retributionem judicamur, quando in percipienda mercede operum cognoscemus, quales ab æterno apud Deum prævisi fuimus. Ex his quatuor judiciis duo sunt occulta, judicium secundum præscientiam et judicium secundum causam, et ideo in eis humanum judicium non recipitur: duo manifesta, id est judicium secundum operationem, et judicium secundum retributionem, in quorum altero, hoc est judicio secundum operationem, hominibus a Deo in præsenti judicandi potestas datur; alterum vero hoc est judicium secundum retributionem, non ab hominibus sed a Deo choram ominibus judicabitur. Sed judicium secundum præscientiam occultum est et immutabile; judicium secundum operationem manifestum et mutabile. Judicium secondum retributionem manifestum et immutabile. Judicium secondum operationem imago quodammodo est sacramentum judicii secundum retributionem: qua illud manifestat causam et præscientiam innuit: hoc vero manifestabit causam et confirmabit præscientiam.

D. Quid ad nos pertinuit quod Christus diabolum vicit? M. Christus propterea Filius hominis dicitur, quia humana natura quæ in primo parente per peccatum senuerat, in Christo renovata quasi ad juventutis robur refloruit: et justum fuit etiam secundum legem, ut pro patre decrepito et quasi per defectum ætatis debili, Filius validior robore contra tyrannum congressum faceret, et ut ejus victoria non ipsi sed illi præcipue pro quo pugnaverat ad libertatem valeret. Nam et idcirco Filius Dei Filius hominis fieri voluit, ut illud de homine sumeret in quo homo pro homine diabolum superaret. D. Nunquid non etiam ante passionem Christi fuerat diabolus a quibusdam hominibus ejectus? M. Fuerat, non tamen nisi per passionem. D. Quomodo potest hoc fieri? M. Sicut passio Christi nunc præterita credentes sanctificat, ita nunc futura credentes sanctificabat. D. Qua ratione poteris hoc confirmare? M. Quid Verbum incarnatum dixerim, nisi regem qui hunc mundum intravit per assumptam humanitatem cum diabolo bellaturus, et cum exinde,

A quasi tyrannum et violenter in alieno dominantem, expulsurus. Et quid omnes priores sanctos qui anti incarnationem ab initio fuerunt electi appellaverim, nisi milites quosdam optimos regem venturum in acie præcedentes, ipsis quibus tunc sanctificabantur sacramentis quasi quibus armis muniti atque præcincti. Quid item eos qui post incarnationem usque ad finem electi subsequuntur, nisi milites alios non tamen alium, sed ipsum regem suum præcedentem unanimiter atque alacriter sequentes, habentes et ipsi novi arma nova, tamen ad eodem armati, et contra diabclum pugnaturi. Sunt igitur sive præcedentes sive subsequentes, unius regis sacramenta portantes, uni regi militantes, et unum tyrannum superantes;
B illi venturum præcedentes, isti præcedentem subsequentes. Vides ergo quomodo omnes ab initio usque ad finem boni sunt Christi? Neque ulli diabolum vincunt, nisi hi soli qui sunt Christi. D. Ergo ab initio Christiani fuerunt? M. Nihil verius. D. Sed multi aliter existimant. M. Vis idem tibi evidentius ostendi? D. Volo. M. Tria sunt tempora per quæ præsentis sæculi spatium decurrit. Primum est tempus naturalis legis; secundum tempus scriptæ, legis: tertium est tempus gratiæ. Primum est ab Adam usque ad Moysen; secundum a Moyse usque ad Christum; tertium a Christo usque ad finem sæculi. Similiter tria sunt genera hominum; id est homines naturalis legis, homines Legis scriptæ, homines gratiæ. Homines naturalis legis
C dici possunt qui sola naturali ratione vitam suam dirigunt; vel potius homines naturalis legis dicuntur qui secundum concupiscentiam in qua nati sunt ambulant. Homines scriptæ legis sunt ii qui exteriobus præceptis ad bene vivendum informantur. Homines gratiæ sunt ii qui per aspirationem Spiritus sancti afflati et illuminantur ut bonum quod faciendum est agnoscant, et inflammantur ut diligant, et corroborantur ut perficiant. Et ut idem manifestiori distinctione significemus, homines naturalis legis sunt aperte mali: homines scriptæ legis, ficte boni: homines gratiæ, vere boni. In primo genere continentur pagani; in secundo Judæi; in tertio Christiani. Ista tria genera hominum ab initio nunquam
D ullo tempore defuerunt, tamen tempus naturalis legis ad aperte malos pertinet; qui illi tunc et numero plures et statu excellentiores fuerunt. Tempus legis scriptæ ad ficte bonos; quia tunc homines in timore servientes opus mundabant, non animum. Tempus gratiæ ad vere bonos pertinet: qui modo etiamsi numero plures non sint, tamen statu sunt excellentiores, et Dei gratia publice anteferuntur etiam ab iis qui ei moribus contradicunt. Scias ergo quocunque tempore ab initio mundi usque ad finem nullum fuisse vel esse vere bonum nisi justificatum per gratiam; gratiam autem nunquam adipisci potuisse nisi per Christum, ita ut omnes sive præcedentes sive sequentes uno justificationis remedio salvatos agnoscas. Aspice ergo castra regis nostri et acies exercitus ejus in armis spiritualibus fulgentes, et

quanta præcedentium sequentiumque populorum A multitudine stipatus incedat.

D. Vellem ut nunc tanti regis exercitum mihi sigillatim describeres; qui et quales milites ejus ab initio fuerint; quæ arma, quos hostes habuerint, ubi et quando, et qualia bella gesserint: quomodo vicerint, quæ postremo præmia (victoria consummata) perceperint. M. Postquam primus parens generis humani propter inobedientiæ culpam a paradiso exsulans in hunc mundum venit, diabolus jus tyrannicum in illo exercens, sicut prius fraudulenter seduxerat, ita postmodum violenter possidebat. Sed Dei providentia quæ hunc ad salutem disponebat, sic justitiæ rigorem per misericordiam temperavit, ut eum ad tempus quidem ab illo premi permitteret, et tamen ne ab illo in B æternum premeretur, ex ipsa ei pœna remedium prepararet. Itaque jam tunc ex ipso mundi exordio sacramenta salutis suæ homini proposuit quibus eum sub exspectatione futuræ sanctificationis consignaret: quatenus ea quisquis fide recta et spe firma propter obedientiam institutionis divinæ perciperet, etiam sub jugo positus ad consortium libertatis pertineret. Proposuit itaque edictum informans et hominem erudiens, ut quicunque eum salvatorem atque liberatorem exspectare eligeret, ejusdem suæ electionis votum in perceptione sacramentorum ejus approbare debuisset: « Proposuit et diabolus sacramenta sua quibus suos sibi alligaret, quatenus ab illis qui ejus imperium detrectabant quanto C eos manifestius discerneret tanto securius detineret. Cœpit ergo genus humanum mox in partes contrarias dividi aliis diaboli sacramenta suscipientibus, aliis vero suscipientibus sacramenta Christi: et factæ sunt duæ familiæ: una Christi, altera diaboli. » Diabolus ergo videns quod generis humani propago quam in radice sua vitiaverat, quamvis tota cum corruptione nascendo prodiret, non tamen tota in eadem renascendo innovata persisteret, statuit per eos quos possidebat, illos quos amittebat persequendo, premere; tanto tunc amplius ad inferendam violentiam præsumens, quanto se prius meminerat fraudulentia prævaluisse. Verum hæc maligni versutia machinatio, divinæ misericordiæ dispensatio fuit, ut videlicet homo confir- D matus per gratiam contra eum justitiam suam defenderet, quam per eum prius seductus deseruit. In quo nimirum convenienter etiam superbia tyranni confunditur, quod modo hominem mortalem et infirmum per tormenta superare non prævalet quem antea nulla infirmitate circumdatum sola persuasione seduxit. Tam diversa igitur intentione opus unum perficitur, cum diabolus suos milites ad persecutionem et violentiam, Christus vero suos ad patientiam exhortatur. Quia autem diabolus ab initio sive per se sivé per suos non ob aliud bonos impugnat nisi ut eis justitiam tollat, et boni non aliud per hanc pugnam exigunt, nisi ut suam justitiam non amittant, patet profecto quod ipse cum non valet quod vult ad effectum perducere, semper a bonis vincitur, etiam si foris prævaluisse videatur. Ergo cum milites diaboli exterius violentiam inferunt, milites Christi interius per patientiam vincunt. D. Ergo sacramenta Christi arma sunt? M. Non solum arma, sed et medicamenta. D. Quomodo? M. Medicamenta sunt, quia sanant infirmos; arma, quia protegunt sanos. D. Quid est sacramentum? M. Sacræ rei signum. D. Quot modis fiunt sacramenta? M. Tribus; Id est rebus, verbis, factis. Rebus, ut in aqua, in pane, in vino, in sale, in cimere, in oleo, in igne et in cæteris hujusmodi; verbis, ut est Trinitatis invocatio et alia quæ in benedictionibus sive consecrationibus vel conjurationibus virtutem divinam habentia verba proferuntur; factis, ut est crucis signaculum, incurvatio genuum, expansio manuum, et cætera quæcunque talia sunt. D. Quare dicitur sacramentum sacræ rei signum? M. Quia per id quod foris visibile cernitur, aliud interius invisibile significatur. Verbi gratia: Ut per aquam, remissio peccatorum; per ignem, ardor charitatis; per oleum, misericordia; per salem, sapientia, etc. D. In talibus ergo salutem quæret homo cum ipse rationalis sit, et dignior in conditione sua rebus insensatis? Quomodo ista salutem dare possunt et languoribus animarum mederi; cum ipsa sint corporalia, nihil præter speciem visibilem habentia? M. Est prorsus aliud ibi præter id quod oculis corporeis cernitur; et ipsum est quod invisibiliter peccatorum maculas mundat, et languoribus animarum medetur. D. Illa ergo virtus unde venit? M. Non ex illius natura quod ibi visibile cernitur; sed ex operatione Spiritus sancti qui in illo visibili invisibiliter operatur. D. Nonne hanc eamdem virtutem ad reparationem hominis sine exhibitione vel adminiculo rerum corporalium Spiritus sanctus præstare potuisset? M. Posset utique si vellet. D. Quæ ergo causa fuit ut ista instituerentur, ut homo quasi in istis quæ inferiora sunt et indigniora juberetur salutem quærere, cum solus Deus sit a quo homo salutem et debeat quærere et possit sperare? M. In istis, non ab istis jubetur homo salutem quærere; sic ut eam cum adeptus fuerit, sciat se ab illo qui eam in istis quærere jussit accepisse. D. Dic ergo cur præcepit Deus homini in ejusmodi rebus salutem quærere? M. Ut humiliaretur homo et erudiretur. Humiliaretur quidem dum cogitur nunc jacens in inferiori bonum suum quærere; quod prius cum staret, a suo superiori contempsit accipere. Congruum ergo præcedentis superbiæ morbo, subsequentis humilitatis medicamentum apponitur, ut videlicet homo qui prius Deum (perniciose elatus in semet ipso) despexeat postmodum salubriter humiliatus sponte se etiam in sensibilibus rebus præter Deum substernat. Ad doctrinam etiam sacramenta proposita sunt homini, ut per ea quæ exterius aguntur, quid sibi interius exhibeatur possit agnoscere D. Ergo in omni sacramento plus esse credendum est, quam id quod solum videri et corporali sensu percipi potest? M. Duo ibi sunt: unum quod exterius

sensu corporali percipimus, quod proprie sacramentum, id est sacræ rei signum dicitur; alterum quod non videmus sed credimus, quod recte res sive virtus sacramenti nominatur. D. Quid interest inter signum et sacramentum? M. Signum solum ex institutione significat; sacramentum etiam ex similitudine repræsentat. Item signum rem significare potest, non conferre. In sacramento autem non sola significatio est, sed etiam efficacia: ut videlicet simul et ex institutione significat, et ex similitudine repræsentet, et conferat ex sanctificatione. D. Utrum potest aliquando sacramentum pro signo accipi? M. Improprie pro sola significatione sacramentum vocatur. D. Quid si dixerimus illas Veteris Legis figuras signa tantum fuisse futurorum, non sacramenta, et spiritualem gratiam (quæ in illis dabatur) mediantibus iis quæ futura erant sacramentis fuisse collatam? M. Si quis sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negaverit, non mihi recte sentire videtur, in hoc tamen dignitatem sequentium indubitanter præferimus, quod illa et visibilia et signa visibilium fuerunt: ista vero cum sint visibilia, ipsa quidem tantummodo invisibilis gratiæ sacramenta sunt. Idcirco sacramenta gratiæ primum per invocationem. Trinitatis sanctificationem in se suscipiunt, ac deinde sanctificationem conferunt, ut sint ex sanctificatione sanctificantia, atque hoc ex sua sibique cœlitus indita sanctificatione conferant quod illa per hæc conferre consueverant ex sola horum significatione.

C. Quæ sunt illa sine quibus salus ab initio haberi non potuit? M. Tria sunt, id est fides, et sacramenta fidei, et opera bona: quæ a principio ad obtinendam salutem homini proposita videntur. His milites Christi semper usi sunt: in fide robur in sacramentis fidei arma, in operibus bonis tela accipientes, quibus contra diabolum pugnaverunt. Sane quemadmodum neque robur inermi, neque arma sine viribus, aut tela, contra fortem armatum prodesse possunt dimcanti; ita quidem fides sine operibus et sacramentorum sanctificatione, et rursus sine fide sacramenta, aut opera salutis effectum non habent.

D. Quid est fides? M. Paulus dicit *fidem esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI). D Qualiter hoc accipiendum putas? Quæcunque vel futura, nec dum sunt; vel præterita jam esse desierunt; vel præsentia veritatem sui a sensibus nostris sive cognitione abscondunt: hæc omnia quantum attinet ad nos quodammodo non sunt: sed quia per fidem de his omnibus quasi existentibus quædam in nobis certitudo nascitur, non immerito ipsa fides et non existentium substantia, et non apparentium argumentum appellatur. Porro illud considerandum est quod sola fide nemo potest placere Deo nisi charitas illi sociata fuerit, ut sit videlicet fides operans ex dilectione. Attamen fides fundamentum quedammodo est et principium boni in homine, de qua charitas nascitur, de charitate autem spes generatur; quia fides ad cogitationem pertinet, charitas vero amor, spes fiducia est.

D. Brevitter velim ut horum diffinitione proposita, ipsa mihi manifestius distinguantur. M. Fides est voluntaria absentium certitudo supra opinionem et infra scientiam constituta. Charitas est amor Dei propter ipsum, et amor proximi propter Deum. Spes est fiducia futurorum bonorum ex gratia Dei et bona conscientia. In hoc etiam fides et spes differre videntur: quod fides de præsentibus præteritis simul et futuris esse potest: spes de solis futuris; fides de nostris et alienis; spes solummodo de nostris. Fides de bonis et malis: spes de solis bonis.

D. Quid est sacramentum fidei? M. Duobus modis intelligi potest sacramentun fidei: sive ipsum sacramentum quod est fides; sive sacramentum fidei, id est fidelium, quo fideles utuntur et sanctificantur. D. Qua ratione fides sacramentum dicitur? M. Sicut sacramentum baptismi cum dicitur, non aliud sacramentum quam ipsum quod est bahtismus significatur, ita et sacramentum fidei ipsam fidem quæ sacramentum est, nonnunquam accipere solemus. Porro cætera omnia ideo sacramenta fidei dicuntur, quod ad eos tantum qui fidem habent sanctificandos instituta sint. Ipsa vero fides, ut dictum est, sacramentum est, propterea quod sicut in baptismo et in aliis sacramentis aliud est quod foris ostenditur, atque aliud spiritualis virtus quæ intus exhibetur; sic aliud est fides qua *nunc*, sicut dicit Apostolus, Deum quasi *per speculum in ænigmate cernimus (I Cor.* XIII); atque aliud visio manifesta qua eum postea *facie ad faciem (ibid.)* contemplantes visuri sumus. Fides igitur sacramentum est visionis futuræ; et ipsa visio virtus est ejus sacramenti quod est fides. D. Doceri nunc velim quæ res ad fidem pertineant? M. Duo sunt: Creator et creatura. Hæc sana fides ita discernere debet, ut nec creaturæ divinitatem Creatoris attribuat, nec Creatori infirmitatem creaturæ ascribat; id est, nec Deum concludat tempore, nec creaturam tendat æternitate. Nam quodlibet horum fiat: fides necesse est detrimentum patiatur. Sequitur autem ut fides cum recte inter Creatorem et creaturam diviserit, recte etiam offerre studeat Creatoris honorem suum tribuendo, ut videlicet confiteatur omnia ab ipso et per ipsum facta esse, ipsum vero non aliunde sed a semetipso sine principio et fine subsistere. Deinde sequitur tertium, ut videlicet eum quem Creatorem confitetur omnium, credat etiam et exspectet hominum salvatorem. Et ut breviter perstringamus, hæc sunt quibus nihil unquam minus recta fides habere potuit, ut unus Deus credatur, factor omnium et hominum salvator. Nam illi qui creaturam pro Deo colentes gemino errore decepti, vel creaturam æternam, vel Deum temporalem esse credebant: quid isti aliud fecisse dicendi sunt quam excellentiam factoris operi et infirmitatem facturæ tribuisse Creatoris? Rursus philosophi

gentilium; quia fidem de Salvatore non habebant, quamvis inter Creatorem et opus suum discernendum minime fallerentur, nequaquam tamen fideles appellandi sunt, quia fidem salvatoris non habuerunt. D. Qualem fidem habuerunt antiqui de Salvatore venturo, maxime ii qui circa primordia sæculi existentes nondum adhuc Scripturas in quibus adventus ejus promittebatur acceperant? M. Non necesse est ut dicamus omnibus qui tunc fideles erant adventum ejus in carnem, crucem et resurrectionem manifeste revelatum fuisse; cum etiam apostoli qui eum præsentem in carne viderunt (quorum fides et justitia ab ipso Salvatore prædicatur) hoc ignorasse legantur. Credebant tamen se salvari per eum quomodo et quando ei placuisset; sed quod morte illius redimendi essent (exceptis paucis quibus hoc a Deo revelatum fuerat) eos ignorasse ex hoc patenter ostenditur, quod et Petrus Domino mortem suam prædicenti contraire nititur *(Math.* XVI); et cæteri apostoli omnes in morte ipsius desperasse potius leguntur, adeo ut ipsi propter crucem jam desperantes dicerent: *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV). Qui enim ipso vivente redemptionem speraverant, postea autem ipso moriente desperant; patenter ostendunt, quia quod per mortem ejus redimendi fuerant nescierunt.

D. An hoc illis prioribus sufficere poterat ad salutem, ut crederent eum creatorem omnium, et salvatorem exspectarent venturum? M. Poterat hoc eis tunc sufficere cum cæteris sine quibus, ut dictum est, fides placere non poterat, in iis duntaxat qui tempus bene operandi habebant, id est, cum susceptione sacramentorum et exercitatione bonorum operum per charitatem et spem fide roboratam. D. Ergo postea crevit fides? M. Duobus modis crescit fides: per constantiam et cognitionem. Alii fidem habent cognitione magnam, et parvam constantia; alii cognitione parvam et constantia magnam. Apud Deum autem pretiosior est magna fidei constantia quam cognitio magna. Antiqui igitur sancti fidem habebant plures cognitione parvam et magnam constantia; sicut e contrario nunc multi fidem habent cognitione magnam et constantia parvam.

D. Quæ sacramenta erant sub lege naturali? M. Oblationes et sacrificia et decimæ. D. Qua ratione hæc sacramenta vocantur? M. Quia sacræ rei signa sunt. D. Cujus? M. Remissionis peccatorum. D, Quomodo? M. Substantia hominis duplex est: alia interior quæ ipse est; alia exterior in rebus quas possidet. Voluit ergo Deus ut homo de exteriori substantia sua sibi oblationem faceret, ut justa recompensatione dum id quod exterius a Deo acceperat devote redderet, id quod interius de semetipso perdiderat Deo tribuente recuperaret. Per fidem ergo et oblationes sive sacrificia tunc remissionem peccatorum acceperunt quicunque veterem hominem deponentes, hoc est Adam, membra novi, id est Christi facti sunt. Idem namque in illis oblationes et sacrificia fide mediante operabantur,

A quod postea sub lege scripta circumcisio aut sub gratia baptismus; videlicet ut et ipsi ab omni peccato sive originali sive actuali justificati, inter membra illius computarentur, cujus fide et sacramentis sanctificabantur. Eamdem quippe passio Salvatoris, præcedentibus sacramentis, id est sive oblationi sub naturali, sive circumcisioni sub lege scripta, virtutem et efficaciam sanctificationis contulit, quam subsequentibus et succedentibus confert: hoc solo excepto quod sacrificia et oblationes non ita sub naturali lege quemadmodum circumcisio sub scripta et baptismus sub gratia ad necessitatem salutis, sed ad cultum devotionis fiebant, sola tunc fide justificante et purificante credentes. Et rursum hoc

B etiam in circumcisione excepto quod illi priores patres quamlibet justi et Deo placentes ante datam hostiam regni cœlestis januam intrare non poterant; sed tantum in sinu Abrahæ, id est in requie tranquilla servabantur, quousque ille veniret qui pro nobis moriens et resurgens per assumptam carnem cœlos ascenderet, et omnibus in se credentibus ac se sequentibus viam aperiret.

D. Si eadem virtus in illis sacramentis fuit quæ in istis est, quid causæ erat ut illa cessarent et ista succederent? M. Manifestior veritas in istis declaratur; et justum erat ut sicut paulatim procedente tempore crevit agnitio fidei, ita etiam alia sacramenta instituerentur, quæ etsi aliam

C sanctificationem gratiæ spiritualis non conferrent, eamdem tamen manifestius panderent. Erat quippe idem Salvator, eadem fides, eadem gratia: illic venturi, hic exhibiti. Sed, quia ipse per quem salus dabatur adhuc longe erat, ejusdems alntis signa obscura esse debuerunt, ut paulatim ejus adventu appropinquante et fides amplius cresceret, et gratia evidentius se manifestaret. Ideo primum per oblationem et postea per circumcisionem, ad ultimum per baptismum, expiationis et justificationis sacramentum formari institutum est; quia ejusdem mundationis forma et similitudo in oblatione quidem occulte innuitur, circumcisione vero evidentius exprimitur, per baptismum autem manifesta declaratur. Primam

D namque justificationem accepit homo, ut pro remediis salutis, exterioris substantiæ partem offerret Deo, partem ad usum proprium retineret, quatenus in hoc facto disceret ea quæ intrinsecus bona erant Deo tribuere, quæ vero mala, sibi imputare. Sed hoc signum de longe sumptum magis docuit hominem quid esset quam quid fieret. Igitur cum tempus advenisset quo veritas declarari debuerat, datum est ei remedium circumcisionis sacramentum, ubi dum ab interiori substantia hominis pars non quidem naturaliter superflua, sed ejus quod superfluum est figura, præciditur; jam manifestius illa peccati circumcisio quam in interiori homine gratia perficit demonstratur. Quia autem circumcisio exteriores sordes et enormitates quæ foris sunt resecat, ablutio autem maculas etiam interiores

emundat : jam manifesta veritate adveniente A Christo circumcisio cessare debuit, ut illud sacramentum succederet, quod perfectam hominis emundationem et interiorem animæ candorem (quem in ipso et per ipsum sacramentum adipiscitur) posset declarare. Videntur ergo illa prima sacramenta quasi quædem umbra gratiæ spiritualis ; illa vero quæ postea secuta sunt quasi quædam imago, et (si ita dicendum est) lineamenta veritatis habentia. Ista vero non jam umbra vel imago, sed corpus veritatis ; in quibus (quia plenarie salutis effectus datur, et evidenter ostenditur) quasi spiritus in corpore viventi exteriori motione se prodit ; sic in eis vita gratiæ invisibilis clarissime demonstratur.

D. De operibus restat nunc ut quæ dicenda B sunt aperias. M. Tria genera factorum sunt : quædem sunt omino bona quæ nunquam licite præteriri possunt ; quædam omnino mala sunt quæ numquam licite committi possunt ; quædam sunt media quæ sive fiant sive non fiant nec culpa est nec meritum. Quæ sic ergo se habent ut nunquam licite fieri possint, illa tantummodo lex naturalis prohibuit ; illa vero quæ nunquam licite possunt præteriri sola præcepit, media omnia ad utrumlibet relinquens. De illis autem quæ vel præcipienda vel relinquenda erant, unum tantum præceptum in corde hominis posuit : *Quod tibi vis, id aliis feceris ; quod tibi non vis, aliis ne feceris (Matth.* VII ; *Tobiæ* IV), ut ex sui videlicet consideratione homo disceret C qualem se erga proximum exhibere deberet. Sed postea, cum lex subintrasset, et disciplinam vivendi arctiorem proponeret cœpit ex iis quæ media erant quædam excipere, et ex eis alia per preceptionem ; alia per prohibitionem in alteram partem tantum locare, ut quemadmodum primo homini in paradiso Deus de cencessione naturali unam pro præcepto disciplinæ exhibitionem exceperat, ita modo filiis ejus non ex una veritate stantibus, sed per varios errores dissipatis, non unum de concessione naturali præceptum disciplinæ quasi probandis, sed quasi corrigendis et reparandis multa formaret, ut quanto magis se in mediis temperare discerent, tanto levius inconcessa cavere valerent. D

D. Quæ fuerunt illa quæ lex naturalis facienda aut vitanda proposuerat ? M. Illa septem quæ postea lex scripta in secunda tabula de dilectione proximi mandabat. Primum erat : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram* ; secundum : *Non occides* ; tertium : *Non mœchaberis* ; quartum : *Non furtum facies* ; quintum : *Non falsum testimonium dices* ; sextum : *Non concupisces uxorem proximi tui* ; septimum : *Non concupisces rem proximi tui* (*Deut.* V). Primum secundum præceptionem factum est ; sex alia secundum prohibitionem. D. Quare de non faciendis snum tantum præceptum datum est, et de faciendis plura ? M. Primum peccatum hominis fuit inobedientia ; et idcirco vita ista quæ homini ad pœnitentiam conceditur, tota obedientiæ deputatur. Quia igitur homo in malis agendis ex propria concupiscentia in diversa distrahitur, in bonis vero agendis sola obedientiæ regula gubernatur ; ideo in malis cavendis, quæ habet ex semetipso et per semetipsum facere potest, singulatim instruendus erat, ad bona vero agenda ad obedientiam solummodo revocandus, ut ibi per sententiam alterius salubrius disceret quid ipse agere debuisset. Cum enim jubetur homo patri et matri honorem deferre, non hoc ad carnales parentes solum referendum est ; sed hoc potius ei præcipitur, ut quod in mandatis suis aliquando contempsit, nunc propter Deum homini superiori obedientiam atque honorem exhibere non dedignetur.

D. Ecce demonstrasti tria, id est fidem, et sacramenta fidei et opera. Nunc superest ut in his qui hæc habebant, qualis aut quanta effecta sit reparatio ostendas. M. Si summum bonum hominis contemplatio præsentis Dei esset, maxime quia ad perfruendum hoc homo primus conditus creditur, merito fides, per quam absentem quodammodo videre incipit, initium boni et principium restaurationis ejus memoratur. Nam quoniam homo, qui peccando cognitionem Dei perdidit, per fidem iterum illuminatur, ut eum videre atque cognoscere possit ; patet quia id per quod ei primum bonum quod perdiderat redditur, jure exordium restaurationis ejus vocatur. Quæ restauratio scilicet secundum incrementa fidei crescit, dum homo per agnitionem amplius illuminatur et inflammatur perdilectionem. Fides igitur ipsa est per quam reparatur homo et in qua ei bonum amissum redditur, ut per eam paulatim cognitione pariter et amore crescens ad plenam illam visionis felicitatem pervenire mereatur. Sic enim justus quandiu in hoc corpore existens peregrinatur a Domino vivere habet ex fide, quemadmodum beatus cum eductus de hoc ergastulo fuerit et introductus in gaudium Domini sui, vivere habebit ex contemplatione. Sed mira Dei dispensatione agitur quod nunc interim malitia hostis antiqui ad impugnandos et persequendos fideles relaxatur quatenus videlicet hoc homini reputetur pro merito, si nunc per fidem ambulans viam veritatis etiam vel impugnatus non deserat, qui prius visione præsentis Dei roboratus sola persuasione prostratus erat. Ut autem in hoc prælio invictus stare possit et bonum suum illæsum custodire, dantur ei, ut dictum est jam, in sacramentis arma quibus se muniat, et in operibus bonis tela quibus hostem prosternat, ut scilicet fidei charitate et spe adjuncta interius pariter roboretur et vincat. Jam (ut existimo) satis demonstratum est tibi qualis fides et quæ sacramenta aut quæ opera illis sanctis primis ad obtinendam salutem fuerunt necessaria.

D. Quandiu duravit status iste priorum ? M. Usque ad Abraham. Tunc etenim volens Deus populum suum in unum congregare et ab infidelium collegio sequestrare, ut non solum in una

fide, sed etiam in una essent societate, vocavit A Abraham, ut eum de terra sua educeret, ut per illum unum et in illo uno omnes qui ab illo nascituri aut illum secuturi erant a pristina conversatione educens in unam societatem novæ vitæ congregaret. Cui etiam præcepit ut circumcideret pellem præputii sui in signum sibi, posteris in exemplum ; tantum ad priorem statum superaddens quatenus per hoc signaculum populus Dei ab infidelibus discerneretur, quousque ille viveret qui non solum de filiis Abrahæ, sed de universis etiam gentibus fideles colligeret, ac per hoc non jam per signaculum carnis in genere, sed per signaculum baptismatis secerneret in emundatione. D. Nunquid non etiam olim ante diluvium fideles ab infidelibus discreti erant ? M. B Erant ; sed post diluvium rursus humanum genus ad unum populum redactum in Abraham secundo discerni cœpit. D. Qualiter fiebat circumcisio ? M. Præceptum fuit ut puer masculus octavo die nativitatis suæ circumcideretur in carne præputii sui cultello de petra facto. D. Quæ fuit ratio ut sic fieri præciperetur ? M. Tres sunt circumcisiones : una in carne tantum exterius, quæ sacramentum est ; duæ aliæ quæ sunt res et virtus sacramenti. Altera quæ fit in præsenti, quando per depositionem iniquitatis mens circumciditur. Altera quæ in futuro fiet, quando per depositionem corruptionis corpus circumcidetur. Prima igitur est in carne ; secunda in mente ; tertia in corpore. Octonarius vero in sacra Scriptura aliquando tempus resurrectionis significat quod post præsentem (quæ septem diebus currit) vitam sequitur : aliquando tempus gratiæ in quo æterna bona servientibus Deo promittuntur. Merito igitur illa prima circumcisio quæ sacramentum erat aliarum duarum, jussa est fieri die octavo, ut ostenderet quod in tempore gratiæ corda circumcidenda erant per emundationem iniquitatis, et in tempore resurrectionis corpora per depositionem corruptionis. Propterea autem solis masculis data est circumcisio carnis, quia sacra Scriptura per masculinum sexum animam, per muliebrem vero carnem significare solet ; ut videlicet ostenderetur quod illa exterior circumcisio animabus justificationem contulit, sed carni non abstulit corruptionem. Cultellus de petra factus Christum significat, de quo dicit Apostolus : *Petra autem erat Christus (I Cor.* x), *qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). In carne præputii idcirco jussa est fieri quoniam ad remedium data est contra originale peccatum, quod a parentibus contrahimus per illud membrum propagati. D. Quod ergo mulieres remedium habebant quæ non circumcidebantur ? M. Fidem et oblationes sive sacrificia : ipsam quoque circumcisionem ; non tamen suscipiendo sed credendo. D. Quid dicendum est de pueris ante octavam diem morientibus, quoniam ad illud remedium pervenire non poterant, salvine fuerant an damnati ? M. Hoc Dei judicio relinquendum mihi videtur.

SUMMA SENTENTIARUM

SEPTEM TRACTATIBUS DISTINCTA.

TRACT. I. *De tribus virtutibus theologalibus* : *fide, spe et charitate. De sacratissima Trinitate, et de fide Incarnationis Verbi.*—TRACT. II. *De creatione et statu angelicæ naturæ.*—TRACT. III. *De creatione et statu humanæ naturæ.* — TRACT. IV. *De sacramentis in generali et præceptis divinis.* TRACT. V. *De sacramento baptismi.* — TRACT. VI. *De sacramento confirmationis, eucharistiæ, pœnitentiæ, et extremæ unctionis.* — TRACT. VII. *De sacramento conjugii.*

PRÆFATIO.

De fide et spe quæ in nobis est, omni poscenti rationem reddere, ut ait Petrus in Epistola sua, *parati esse debemus cum modestia et timore (I Petr.* III). Itaque, ut pariter servetur modestia in sermone, timor in assertione, *profanas verborum novitates*, ut Apostolus præcipit *vitemus*(*I Tim.*VI); et in nullam partem præcipiti assertione declinemus. Melius est enim non eloqui (ubi sine periculo non erratur) magna, quam definire contraria. Seb ubicunque possumus auctoritatum vestigia sequamur, ubi vero certa deest auctoritas, his potissimum assentire studeamus, qui maxime autoribus accedunt ; et non de sensu suo præsumentes, scripturas ex pietate interpretantur. Scriptura enim sancta, ut ait beatus Augustinus, altitudine superbos irridet, profunditate attentos tenet ; magnos veritate, parvulos nutrit affabilitate. Si qua igitur obscura nobis occurrerint, sit nostri propositi primum ad auctoritates confugere ; deinde quid nostri temporis sapientes de illis sentiant in medium conferre ; et cur potius hos quam illos imitari placeat (et ratione et auctoritate simul concurrentibus) pro facultate nostra in lucem ponere

---

TRACTATUS PRIMUS.

CAPITULA.

Cap. VII. *De nominibus personas Trinitatis distinguentibus.*—Cap. VIII. *De æqualitate Patris, et Filii et Spiritus sancti.* — Cap. IX. *Quod de sancta Trinitate nihil dicatur secundum accidens.* — Cap. X. *De diversa nominum acceptione.* — Cap. XI. *De personarum appropriatis.* Cap. XII. *De præscientia et prædestinatione.* — Cap. XIII. *De voluntate Dei.* — Cap. XIV. *De omni potentia Dei.* — Cap. XV. *De fide incarnationis.* — Cap. XVI. *Quod Christus simul animam et carnem assumpsit.* — Cap. XVII. *Quod Christus omnia infirma nostra præter peccatum susceperit.* — Cap. XVIII. *An Christus sit creatura.* — Cap. XIX. *An in morte Christi separata fuerit divinitas ab humanitate.*

Cap. I. *De fide.*

Et quoniam fide (tanquam mensura rectudinis) omnia moderanda sunt, ne quid ut superfluum diffluat, dicente Apostolo : *Unicuique Deus divisit mensuram fidei (Rom.* XII) : de ea in primis est videndum quid sit, et quas partes habeat. *Fides,* ut ait Apostolus, *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium (Heb.* XI) Substantia rerum sperandarum quia per fidem in nobis subsistunt speranda. Speranda vocat bona illa æterna quæ desideramus, ut sunt immortalitas, et cætera quæ in nobis per fidem jam subsistunt, in futuro per experientiam. Argumentum non apparentium, id est probatio ; quia si quis dubitat inde, non possunt aliquando probari humana ratione. Ut si quis quæreret unde scis partum virginis, futurum etiam statum electorum : non habeo aliud argumentum, nisi quod credo indubitanter quod prophetæ et alii qui per Spiritum sanctum locuti sunt, super illis dixerunt, quos Deus nullo modo falleret, cum in eis loqueretur et miracula faceret. Et cum ex magna parte videam completa quæ dixerunt, cætera non dubito complenda quæ restant. *Est* itaque *fides substantia rerum sperandarum*, quantum ad nos ; *argumentum non apparentium,* quantum ad alios. Sed hac diffinitione magis ostenditur effectus fidei quam quid ipsa sit ; nec etiam omnes partes fidei comprehendit, cum speranda non præterita, sed futura tantum contineat : Quare sic diffiniri potest. *Fides est voluntaria certitudo absentium supra opinionem et infra scientiam constituta.* Voluntaria; quia non cogitur, absentium, id est sensibus corporis non subjacentium ; supra opinionem, quia plus est credere quam opinari ; infra scientiam, quia minus est credere quam scire. Ideo enim credimus, ut aliquando sciamus.

Cap. II. *De spe et charitate.*

De fide oritur spes, quæ sic diffiniri potest : *Spes est fiducia futurorum bonorum, ex gratia Dei et ex bona conscientia veniens.* De fide tanquam fundamento omnium bonorum spes et charitas oriuntur ; quia nihil potest sperari vel speratum amari nisi prius credatur; credi autem potest quod non speratur vel amatur. Licet simul sint tempore et non prius fides (quæ meritum habet) quam spes et charitas, tamen in causa fides præcedit spem et charitatem, quia inde speramus et diligimus quod credimus; similiter ex spe charitas, quia ideo diligimus futura bona, quia speramus. Quod enim speramus nos adepturos, hoc diligimus. Sed quia, ut auctoritas dicit, spes et certitudo veniens ex præcedentibus meritis ; et item : Sine meritis sperare non spes, sed præsumptio debet dici ; et sine charitate nullum meritum : A videtur quibusdam quod ex fide et charitate sit spes. Ut enim dicit Augustinus in lib. De fide et operibus : Fides quæ per dilectionem operatur, fundamentum est : non fides dæmonum qua ipsi credunt et contremiscunt. Et si spes est ex fide operante per dilectionem ; tunc ex fide et charitate. Sed quod auctores frequenter hunc ordinem ponunt : fides, spes, charitas ; hoc ideo fit, ut dicunt, quia charitas major est. Illa tamen opinio (ut mihi videtur) sic potest solvi. Spes est certitudo ex præcedentibus meritis : non debet intelligi ex meritis præcedentibus ipsam spem, quia nullum meritum præcedit spem ; sed præcedentibus illud quod speratur. Hoc distat inter fidem et spem, quod fides est de præteritis, ut sunt nativitas et passio B Christi ; et de præsentibus, ut quod in altari est verum corpus Christi ; et de futuris, ut est immortalitas. Spes autem de futuris tantum est ; item fides est de bonis et malis ; spes de bonis tantum adipiscendis. Spes namque alicujus incommodi magis debet desperatio a bono quam spes appellari. Illud quoque sciendum est quod fides est solummodd de iis quæ non videntur. Gregorius Homilia tertia : Apparentia non habent fidem, sed agnitionem. Item in Dialogo : Cum Paulus dicat : *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* II) : hoc veraciter dicitur credit, quod non valet videri. Nam credi jam non potest, quod videri potest. Thomas aliud vidit, aliud credidit ; C hominem vidit, et Deum confessus est dicens : *Deus meus et Dominus meus (Joan.* XX). Credimus ut cognoscamus ; non cognoscimus, ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides ? Fides ergo est quod non vides credere ; veritas quod credidisti videre. Videntur tamen quædam auctoritates velle quod fides etiam de iis quæ videntur sit, ut in Joanne : *Nunc autem dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis (Joan.* XIII). Unde Augustinus : Quid sibi vult, *ut cum factum fuerit credatis ?* Nam et ille cui dictum est : *Quia vidisti credidisti (Joan.* XX) ; non hoc credidit quod vidit. Cernebat carnem ; credebat Deum in carne latentem. Sed si dicimus credi quæ videntur (sicut dicit aliquis se oculis suis credidisse) non tamen ipsa est D quæ ædificatur in nobis fides; sed ex rebus quas videmus agitur in nobis, ut ea credantur quæ non videntur. Idem Augustinus in libro Quæstionum Evangeliorum : Est etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis præsentibus creditur; cum jam per speciem manifestam se contemplandam præbebit sanctis ipsa Dei sapientia. De qua fide rerum lucis que ipsius præsentia forsitan Paulus dicit : *Justitia enim Dei revelatur in eo ex*

fide in fidem (Rom. I). Sed potest dici quod Augustinus hoc dicat, non de sacramento fidei, sed de re fidei. Est enim ipsa fides qua nunc Deum *cernimus per speculum in ænigmate (I Cor.* XIII), sacramentum illius futuræ visionis qua Deum videbimus *facie ad faciem* (*ibid.*) sicuti est. Potest quæri an Petrus habuit fidem passionis Christi quam oculis vidit, cum fides non sit apparentium. Ad quod dici potest quod non fidem, sed agnitionem inde habuit, nisi ut solet abusive dici : credo oculis meis. Sed in hoc quod vidit, nullum meritum fuit si credidit ; sed in hoc quod illum credebat Deum esse, quem videbat in ligno pendere. Fides itaque quæ est ad ædificationem, de non apparentibus est.

Solet quæri de fide utrum sit virtus. Prosper ex dictis Augustini : Tres sunt, inquit, summæ virtutes, fides, spes, charitas. Et Apostolus : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (Galat.* III) Item fides habet meritum ; sed nihil habet meritum nisi virtus. Quidam tamen dicunt quod non sit virtus, propter illud Apostoli : *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum (I Cor.* XIII), ubi innuit quod fides sine charitate possit haberi; sed nulla virtus sine charitate potest esse. Sane tamen potest dici quod fides per dilectionem operans sit virtus, sine dilectione non est virtus. Si oponatur, tunc sunt duæ fides : non sunt duæ sed eadem aucta, unde illud : *Adauge in nobis fidem* (*Luc.* XVII), ut enim dicit Hyeronimus : Quantum credimus, tantum diligimus ; et e diverso.

CAP. III. *De fide antiquorum.*

Nunc de cognitione fidei quam antiqui habuerunt, et quomodo aucta sit per legem Moysi et Evangelium, dicendum videtur. Est enim fides aliquando parva cognitione, et magna constantia vel devotione. Magna devotione fuit in muliere illa cui dictum est : *O mulier, magna est fides tua ! (Matth,* XV.) Aliquando magna cognitione, et parva constantia vel devotione, ut in Petro quando negavit, et in nobis etiam : quæ non adeo Deo placet. Et quia non potest esse penitus sine cognitione fides, licet non perfecta ; Deus tamen sic ab initio temperavit notitiam sui, ut sicut nunquam totus potuit comprehendi, sic nunquam prorsus, potuit ignorari. Ideo autem totus noluit manifestari, ut fides haberet meritum ; nec totus occultari ut infidelitas de ignorantia non excusaretur. Et est quædam fides vel cognitio fidei, sine qua nullo tempore potuit salus esse ; scilicet cognoscere Deum esse, et remuneratorem esse sperantium in se ; juxta illud Apostoli : *Oportet accedentem ad Deum credere quia est, et quod remunerator est sperantium in se (Hebr.* XI). Sed cum Deus invisibilis sit, juxta illud : *Deum nemo vidit unquam (Joan.* I) ; quomodo indicari potuit ? Partim humana ratione partim divina revelatione. Quod utrumque apostolis ostendit cum dicit : *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* (*Rom.* I). Et non dicit manifestum illi. In hoc profecto quod ait *manifestum est in illis*, plane ostendit quod in illis erat, unde Deum noscere poterant. Cum vero subjungit : *Deus illis revelavit (ibid.)*, ostendit quod ratio humana per se insufficiens esset nisi revelatio divina illi in adjutorium adesset. Revelatio divina autem fit duobus modis : interna inapiratione et disciplinæ eruditione, quæ foris fit per facta vel per dicta. Humana etiam ratione poterant Deum scire ; quïa, cum humana mens se non possit ignorare, cit se aliquando cœpisse. nec hoc ignorare potest, quoniam ; cum non semper fuit, sibi ut esset subsistentiam dare non potuit, ut ergo esset hoc ab alio se cœpisse cognoscit. Quem idcirco non cœpisse constat ; quia si ab alio cœpisset, primus omnibus existendi auctor esse non posset. In administratione etiam visibilium et gubernatione, divinam sapientiam et bonitatem poterant deprehendere. Apparet itaque quod etiam ante legem per ea quæ facta sunt invisibilia Dei a creatura mundi conspici potuerunt. Per legem scriptam cæpit crescere cognitio fidei. Tunc enim ille cæpit promitti per quem fieret liberatio, scilicet Messias ; nondum tamen modus redemptionis plene cognoscebatur. Semper tamen et ante legem et in tempore legis fuerunt aliqui quibus fides incarnationis revelata fuit, qui velut eolumnæ Ecclesiæ essent. Quæritur de illis simplicibus quibus non erat facta revelatio (credebant tamen Deum esse et remuneratorem sperantium in se) utrum salvati sint ? Quidam dicunt eos non esse salvatos propter istas auctoritates. Augustinus ad Optatum. Illa, inquit, tantum fides salvat, qua credimus nullum hominem liberari a contagione mortis, quam prima nativitate contraxit nisi per unum mediatorem, cujus mediatoris fide etiam illi salvi facti sunt qui priusquam in carne veniret crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides est et nostra et illorum ; quoniam quod illi crediderunt futurum, nos credimus factum. Idem in libro De correctione et gratia : Nemo liberatur a damnatione quæ facta est per Adam nisi per fidem Jesu Christi. Gregorius super Ezechielem : *Et qui præibant*, inquit, *et qui sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David* (*Matth.* XXI), et cætera. Quia omnes electi, qui in Judæa esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia sunt, in mediatorem Dei et hominum crediderunt et credunt. Augustinus De nuptiis et concupiscentia. Eadem, inquit, fides mediatoris salvos faciebat antiquos justos, pusillos cum magnis ; quia, sicut credimus nos Christum in carne venisse, ita illi venturum ; sicut nos mortuum, ita illi moriturum ; sicut nos resurrexisse, ita, illi resurrecturum ; et nos et illi ad judicium vivorum et mortuorum venturum. Et ideo dicunt isti quod nullus de antiquis potuit salvari, nisi ista quatuor ad mininum crederet ; scilicet venturum, moriturum, resurrecturum et ad judicium venturum. Sed quibus

non erat revelatio facta hoc penitus ignorabant. A Quomodo ergo hoc credebant ? Alii, quibus magis assentimus, dicunt eos fidem Christi velatam in mysterio habuisse ; et quod alii quibus revelatio facta erat sciebant et credebant, hoc isti (et si nescirent) credebant : commiserant enim illis fidem suam. Unde in Job : *Boves arabant et asinæ pascebantur juxta eos* (*Job* I). Isti erant asinæ pascentes juxta boves. Sicut hodie in Ecclesia multi simplices, etsi ita distinctæ nesciant Trinitatem assignare, credunt tamen quia in fide et humilitate adhærent illis qui et hoc sciunt et credunt.

Opponitur : Cum hoc esset habere fidem Christi velatam in mysterio, credere scilicet Deum esse et remuneratorem sperantium in se, B et philosophi hoc crederent : tunc habebant fidem Christi velatam in mysterio. Sed auctoritas dicit eos non posse humana ratione fidem incarnationis habuisse : ipsi vero nihil credebant nisi quod humana ratione poterat comprobari. Sed, ut diximus, bobus arantibus per fidem et humilitatem adhærere : hoc erat habere fidem Christi occultam in mysterio, quales fuisse putamus quosdam gentiles, ut viduam Sareptenam et Job. Et ita dicimus simplices illius temporis credidisse omnia qui a nos credimus, qua credebant credentibus. Sed in tempore gratiæ jam non sufficit Deum esse credere, sicut tunc ; quia manifestatio veritatis jam facta est. Etenim secundum tempora profectus est et mensura fidei. Cornelius C habebat fidem, sed quæ non sufficeret ad salutem, unde Augustinus : Acceptæ sunt, inquit, eleemosynæ Cornelii antequam crederet in Christum, nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat. Nam quomodo invocabat in quem non crediderat ? Sed si posset sine fide Christi esse salus, nec ad eum mitteretur Petrus. Ex quo apparet quod licet crederet hoc idem quod antiqui simplices ; tamen propter temporis qualitatem jam non sufficiebat. Post supra dicta partes fidei prosequamur.

CAP. IV. *De quibus constet fides*

Duo sunt in quibus maxime fides consistit : mysterium divinitatis et sacramentum incarnationis. Ac primum de illa parte fidei quæ pertinet ad unitatem divinæ substantiæ videamus. D Sicut enim ratio approbavit Deum esse, ita et unum esse affirmat, ut principium omnium unum sit et finis. Si enim duo essent, vel utrumque insufficiens esset, vel alterum superfluum : quia, si aliquid deesset uni quod haberet alterum, non summe perfectum esset. Si vero nihil uni deesset quod haberet alterum, cum in uno omnia essent, alterum superflueret. Est ergo unum principium, unus auctor omnium ; quod (ut juvetur ratio) multæ auctoritates probant. Ut in propheta Moyse : *Audi, Israel : Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI). Et ideo vere unus est ; quia incommutabilis, invariabilis. *Apud* eum namque *non est* ulla *permutatio, nec visissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I) ; quia non est ei illud esse quam sapientem esse, immensum esse, æternum, bonum, justum. Cum autem dicitur justus, sapiens, et cætera : non diversitatem proprietatum ostendimus quæ in Deo nulla est, sed diversos effectus quos Deus operatur in creaturis. Cum enim dicitur justus, intelligimus quod juste judicat ; cum sapiens, quod sapienter omnia facit et gubernat ; cum misericors quod misericorditer peccatoribus parcit. Augustinus contra Arium : Intelligamus, inquit, Deum quantum possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine commutatione mutabilia facientem nihilque patientem. Quod si quis Deum ita cogitat et nondum potest invenire omnino quid sit, pie tamen caveat quantum potest aliquid de illo sentire quod non sit. Hæc divina substantia ubique tota est, et in ipsa sunt omnia. Quod omnia in Deo sint, Joannes testatur, dicens : *Omnia in ipso vita erat* (*Joan.* I), id est immutabiliter, quia eorum dispositio et ordo in ipso fuit ab æterno. Non enim in Deo cœperunt esse, quæ in actu et ortum habent et mutabilitatem. Quod Deus ubique et in omni creatura sit, ipse ait per prophetam : *Cælum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII). Et alibi : *Si ascendero in cœlum tu illic es ; si descendero ad infernum ades* (*Psal.* CXXXVIII). Item Sapientia : Quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter* (*Sap.* VIII), id est a minima creatura usque ad maximam, vel ab una extremitate usque ad alteram ; *et disponit omnia suaviter* (*ibid.*). Sed aliter omnia in Deo ; et aliter Deus in omnibus. Omnia in Deo non per essentiam ; quia, ut dicit Augustinus : Quidquid in Deo est Deus est ; sed ut diximus, per dispositionem. Quia, ut idem ait : Sicut arca antequam fiat est in mente artificis, ita omnia in Deo ab æterno. Nec tamen sequitur : ergo ab æterno fuerunt, sed in Deo ab æterno ; quia si in Deo cœpissent, jam in eo esset mutatio. Solet opponi sic. Si creaturæ in Deo, quia sciuntur ab eo antequam fiant ; ergo mala in Deo, quia sciuntur ab eo antequam fiant. Sed, ut dixi, creaturæ sunt in Deo, quia eorum dispositio et causa in eo est : malorum vero non est auctor Deus. Ut enim ostendimus, creaturæ non sunt in Deo per essentiam : Deus vero in omni creatura est per essentiam. Quidam tamen calumniatores veritatis dicunt eum per potentiam et non per essentiam ubique esse ; quia eum contingere possent inquinationes sordium si ubique esset essentialiter. Quod ita frivolum est, ut nec responsione dignum sit, cum etiam spiritus creatus sordibus corporis (etsi leprosi vel quantumcunque polluti) inquinari non possit. Postremo quæratur ab eis quid potissimum de eo concedendum sit, vel quod nusquam per essentiam sit, vel quod ubique, vel quod alicubi, ita quod non ubique. Sed quis audeat dicere quod nusquam divina essentia sit ? Quis

etiam quod alicubi et non ubique ? Si enim ita alicubi est divina essentia vel substantia quod non ubique, ergo localis est. Concedant ergo quod ubique est essentialiter. Nam auctoritas Augustini quam solent inducere, illorum errorem potius quam juvet destruit : Hæc scilicet qua dicit Deum ubique esse non locis, sed actionibus ut errorem foveant. fures veritatis efficiuntur. Sic namque est in auctoritate illa. Deus ubique est, cui non locis, sed actionibus appropinquamus. Fatendum est itaque Deum in ômni loco veraciter et essentialiter esse, nec tamen loco comprehendi ullo, quoniam incircumscriptibilis est. Quod ipse Augustinus alibi ad Dardanum testatur dicens : Non quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus B aut lux ista diffunditur ; sed ita potius sicuti est sapientia in duobus quorum neuter sapientior, sed alter corpore grandior. Una sapientia in utroque non est in majore major, nec in minore minor ; aut minor in uno quam in duobus ; ita et Deus sine labore regens, sine onere continens mundum in cœlo totus, in terra totus, et in utroque totus ; et nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus. Ideo ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens ; ideo totus, quia non parti rerum partem sui præsentem exhibet et alteri parti alteram partem in seipso ; quia non continetur in eis quibus præsens est, tanquam sine illis esse non possit. Nam spatia locorum tolle corporibus, et corpora non erunt ; tolle ipsa corpora qualitatibus, C non erit ubi sint, et ideo necesse est ut non sint.

Opponitur : Hodie fit nova aliqua creatura, sicut anima. Prius nihil erat ipsa, quia de nihilo facta, non erat Deus in eo cum nihil erat ; modo est in ea : ergo est hubi non erat prius. Mutabilis est igitur. Sed, quemadmodum si nubes opponitur radio solis, non est tamen radius alibi quam prius ; nubes vero est ubi non erat, sed radius non ; quia nubes ubi radius erat ibi cœpit esse. Ita Deus cum antequam creatura illa esset ubique foret, ibidem erat ubi illa facta est : non ergo modo alibi quam prius. Ita etiam dicimus de mundo et de omnibus creaturis : quæ, licet non semper fuerunt (cum auctoritas dicat Deum in singulis esse), non tamen est ubi non erat ; quia ubique D sine loco veraciter est, sicut sempiternus sine tempore, ut Augustinus dicit. Quamvis igitur ad plenum discutere non sufficimus, indubitanter tamen credimus Deum ubique essentialiter esse ; nec sine eo potest aliquid subsistere etiam per momentum ex omnibus quæ fecit ; quia omnia continet et penetrat et a nullo continetur ; qui non potest comprehendi pro sui immensitate, nec pro sui puritate maculari, nec pro sui simplicitate dividi. Augustinus ad Dardanum : Non solum universitati creaturæ? verum etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest. In eodem : Fatendum est ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam ; sed non ubique per inhabitantis gratiam. Propter hanc enim inhabitationem, ubi procul dubio gratia dilectionis ejus agnoscitur, non dicimus : A *Pater noster* qui est ubique (etiam cum hoc verum sit ;) sed *qui est in cœlis (Math.* VI). Dicamus igitur Deum in omnibus creaturis esse et æqualiter esse per præsentiam deitatis sive per essentiam ; per inhabitantem vero gratiam non in omnibus, sed in bonis tantum ; nec æqualiter, quia quanto meliores, tanto abundantius in eis habitat, id est perfectius ab eo cognoscitur et diligitur : Sicut anima, ut Augustinus dicit ad Hieronymum de origine animæ, per omnes particulas corporis tota simul adest, nec minor in minoribus nec in majoribus major ; sed tamen in aliis, attentius, in aliis remissius effectus suos exercet, cum in singulis particulis corporis essentialiter sit. In malis non est Deus per inhabitantem gratiam ; qui non illuminantur ab eo. Unde : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt (Joan.* I). Sicut lux solis perfundit oculos cæci, sed non capitur eo. Ronos vero illuminat lux ista, sed non æqualiter. Augustinus ad Dardanum : Cum Deus qui ubique est non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat non æqualiter habitat. Nam inde est illud quod Eliseus proposcit, ut dupliciter in eo staret spiritus Dei qui erat in Elia *(IV Reg.* II). Et unde ab omnibus sanctis alii sanctiores sunt, nisi abundantius habeant Deum habitatorem ? Ihi quoque ab eo longe esse dicuntur qui peccando dissimiles facti sunt ; et ei appropinquare dicuntur qui similitudinem ejus bene vivendo recipiunt. Est ergo Deus ubique per præsentiam sive per essentiam ; et æqualiter in omni loco ; sed non est in loco, id est, non est localis.

Cap. V. *De spiritu creato, utrum sit localis.*

Quæritur de spiritu creato, utrum in loco vel localis sit. Quidam volunt et dicunt quod non sit localis nec in loco : nimis inhærentes isti sententiæ Augustini super Genesim. Corporalis creatura movetur per tempora et loca ; spiritualis vero tantum per tempora. Moveri per tempus, est moveri per affectiones, ut de tristitia in gaudium, discendo etiam quæ nescit, ut in angelis, in hoc enim prius et posterius consideratur. Deus nec per tempora, nec per loca. Sed ubi Augustinus dicit : Spiritualis creatura non movetur per loca ; hoc intellexit, non habet localem circumscriptionem. Ea enim quæ habent dimensionem loco circumscribuntur, quoniam eis secundum locum principium et medium et finis assignatur. Spiritus vero creatus non habet dimensionem ; et quia tamen terminum habet, quia ita est hic quod non alibi, localis est licet, non faciat distantiam in loco ; quia, etsi multi spiritus essent hic, non coangustarent locum ut minus de corporibus contineret. Solus igitur Deus, quia intra se omnia continet, juxta illud : *In quo vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII) : nec habet terminum, nec loco continetur. Sed quidquid habet terminum secundum aliquid locale est. Ambrosius in libro De fide : Sic enim Isaias dixit : Quia *missus est ad me unus de Seraphim* (*Isai.* VI). Et Spiritus quidem sanctus missus dicitur ; sed seraphin ad

unum. Spiritus sanctus ad omnes. Seraphin mittitur in ministerium. Spiritus sanctus operatur mysterium. Seraphin de loco ad locum transit, non enim complet omnia, sed ipsum repletur a Spiritu. Hic plane dicit Ambrosius quod angeli locales sunt.

CAP. VI. *De distinctione Trinitatis*

His consideratis restat de iis videre quæ pertinent ad distinctionem personarum Trinitatis; et prius testimonia auctoritatis inducamus. In Genesi dicitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* II). Per numerum pluralem, Trinitatem ostendit. Et Psalmista: *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu* (*Psal.* II). Et Joannes : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Hujus quoque investigationis et considerationis habet ratio quædam exemplaria in iis quæ facta sunt. Deus enim qui in se videri non potest, in opere suo manifestatus est. Nam sicut sapientia hominis non videtur ab homine ipso nisi quando manifestatur per verbum, ita sapientia Dei non potuit agnosci donec manifestaretur per opus suum, quod est quasi extrinsecum verbum, sapientiam Dei quodammodo revelans, sicut per verbum oris manifestatur verbum cordis, id est cogitatio mentis. Et quia inter omnes creaturas magis accedit ad similitudinem Dei rationalis creatura (ea enim sola ad imaginem et similitudinem Dei facta est) in seipsa potuit humana mens vestigium Trinitatis invenire evidentius quam in cæteris. Vidit enim quoniam ex seipsa nascitur sapientia, quæ est in ipsa, et quoniam ipsa diligit sapientiam suam; et ita procedit sapientia de mente, et de mente et sapentia procedit amor, quo ipsa mens diligit sapientiam genitam a se. Et sunt simul hæc tria et tamen una est substantia in qua sunt hæc tria, scilicet mens, sapientia et amor. Et sunt hæc tria inter se distincta; quoniam mens non est sapientia vel amor, nec sapientia mens vel amor, et tamen unitas substantiæ non recedit. Et conscendit mens ab istis ad Creatorem suum, et considerat eum sapientiam habere. Et quoniam nunquam sine sapientia fuit, considerat etiam quod sapientiam suam semper dilexit, et quod amorem ad eam semper habuit. Est enim amor coæternus æterno; quia coæternæ sapientiæ ejus. Rursus considerat quod non potest in Deo aliquid diversum esse ab eo. Et ita sapientia Dei, Deus est ; et amor ejus Deus est. Et ideo unitas manet in Trinitate. Et hæc Trinitas est Pater qui a nullo est, et sapientia Patris quæ a Patre genita est, et Spiritus sanctus qui ab utroque procedit, qui sæpissime in Scripturis amor Patris et Filii appellatur. Et sunt istæ tres personæ distinctæ; sed tamen una substantia, unus Deus. Augustinus in libro De Trinitate : Tres personas ejusdem essentiæ vel tres personas unam essentiam dicimus, tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud quod essentia, aliud quod persona.

A Hic videndum est quare in sancta Trinitate illa persona quæ a nullo est appellatur Pater. Ideo scilicet quia de substantia sua genuit Filium. Sapientia Patris seu Verbum dicitur Filius, quia genita ab ipso Patre. Unde Psalmista : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV). Qui a Patre et Filio procedit, dictus est Spiritus sanctus; quia inspiratur a Patre et Filio ad sanctificandum ; et tamen non venit sine Patre et Filio ; quia Trinitas indivisa est. Sed inspirari a Patre et Filio, hoc est illi esse a Patre et Filio; quod æternum illi est qui datur ex tempore et accipitur. Sicut Spiritus sanctus donum est Patris et Filii; et cum datur, ex tempore datur; et dari a Patre et Filio non aliud illi est quam esse a Patre

B et Filio; quod æternum illi est et non temporale qui datur ex tempore. Sic quod spiritus est Patris et Filii, æternum illi qui ex tempore inspiratur a Patre et Filio. Beda in Homilia prima post ascensionem : Cum spiritus gratia datur hominibus, profecto Spiritus mittitur a Patre, mittitur a Filio, procedit a Patre, procedit et a Filio ; quia et ejus missio ipsa processio est qua ex Patre et Filio procedit. Augustinus in libro quinto De Trinitate ait : Procedit non quomodo natus sed quomodo datus : quod enim datum est, et ad eum refertur qui dedit, et ad eos quibus dedit. Idem : Si non procedit nisi cum datur, nec procederet utique nisi prius esset cui daretur. Nam donum potest esse anteqnam datur, donatum autem nisi

C datum fuerit nullo modo dici potest.

Hic magna oritur quæstio quare illa tria quæ in anima sunt non dicantur tres personæ, sicut illa quæ horum similitudine in Deitate reperta sunt, tres personæ dicuntur et sunt. Ad quod potest dici quod ideo non sunt personæ, quia sunt affectiones mutabiles circa animam. Aliquando enim anima est sine notitia et amore. Nec potest dici, notitia hominis est homo, vel amor hominis est homo ; sed sapientia Dei Deus est, amor Dei Deus est ; qui a non est in Deo aliud ab ipso. Tres igitur personæ; unus Deus, una substantia, una natura ; tres personæ; Pater, Filius, Spiritus sanctus. Sed Pater a nullo est, unde Augustinus : Pater est principium Trinitatis, hoc est, in Tri-

D nitate; quia non est principium sui ipsius ; sed ab eo Filius et Spiritus sanctus, et ipse a nullo. Quod a Filio procedat Spiritus sanctus auctoritates multas habemus. Apostolus : *Dominus misit spiritum Filii clamantem in corda vestra : Abba pater* (*Gal.* IV). Et in Evangelio : *Virtus Dei de illo exibat* (*Luc.* VI). Græci tamen dicunt Spiritum sanctum procedere tantum a Patre et non a Filio. Hoc autem ideo dicunt, quia in Symbolo apostolorum nulla fit inde mentio, hoc est in Credo minori, nec in Symbolo quod fuit datum in Nicæna synodo : in fine cujus habetur, qui aliter dixerit anathema sit, quod nos ita exponimus : qui aliter, id est contrarium. Sed cum istud non sit ibi affirmatum vel negatum, non dicimus illi Symbolo contrarium.

CAP. VII. *De nominibus personas Trinitatis distinguentibus.*

His præmissis videndum est quod in sancta Trinitate sunt quædam nomina distinguentia personas, sunt et alia unitatem naturæ vel substantiæ significantia, ut hæc nomina, Deus omnipotens, æternus, immensus; et hæc dicuntur secundum substantiam. Non enim aliud est illi natura esse quam Deum esse, omnipotentem esse, æternum, immensum, justum, sapientem et similia, et ideo sicut una essentia et non tres; ita unus et non tres unus omnipotens, unus æternus, unus immensus, et cætera. Augustinus in libro septimo De Trinitate : *Quia hoc est illi esse Deum, quod esse : tam tres essentias quam tres deos dici fas non est.* Sunt et alia nomina quibus distinguitur Trinitas. Pater, ingenitus genitor : et hæc conveniunt Patri tantum. Filio soli conveniunt hæc alia; Filius genitus, natus, Verbum, et alia similia. Spiritui sancto hæc, Spiritus santus, donum, procedens a Patre et Filio; et hæc nomina significant proprietates quibus personæ distinguuntur. Solius namque Patris est proprium esse Patrem, esse ingenitum, quia a nullo est. Proprium Filii genitum esse a Patre. Proprium Spiritus sancti, a Patre et Filio procedere. Sed in hoc quod Pater est Deus, omnipotens, sapiens, et cætera : non distinguitur a Filio et Spiritu sancto, quia et Filius Deus, omnipotens, et similia; et Spiritus sanctus similiter.

Quæritur cum Spiritui sancto non conveniat genitum esse, si esse ingenitus dici possit. Augustinus ad Oriosum : Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum fides certa declarat; quia si dixerimus ingenitum duos patres affirmare videbimur; si autem genitum, duos filios credere culpabimur. Iem Orosius ad Augustinum : Voluntate genuit Pater Filium an necessitate? Augustinus, nec voluntate, nec necessitate; quia necessitas in Deo non est, præire voluntas sapientiam non potest. Nam quidam nostrum, cum eum interrogasset hæreticus, utrum nolens an volens genuerit Pater Filium, laudabiliter respondisse fertur. Dic, inquit, et tu, hæretice, Deus Pater necessitate est Deus. an voluntate? Si dixisset necessitate, grandis absurditas sequebatur; si voluntate, respondebatur illi, ergo voluntate Deus est non natura. Itaque sicut Pater natura est Deus, ita natura genuit Filium. Et hæc genitura æterna, ineffabilis est. Unde propheta : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LII.) Solent quidam sic opponere. Non est aliud Filium gigni a Patre quam esse a Patre. Ad quod dicimus quod cum Filius et Spiritus sanctus a Patre sint aliter tamen Filius est a Patre, aliter Spiritus sanctus. Augustinus : Spiritus quoque a Patre est, sed non quomodo natus est imo quomodo datus. Filius etiam a Patre procedit, ut ipse ostendit in Joanne, dicens : *Ego ex Deo processi et veni in mundum* (*Joan.* VIII.) Et ita Filius a Patre et procedendo et nascendo; Spiritus vero a Patre non nascendo, sed procedendo. Uterque

A enim procedit a Patre, sed ineffabili et dissimili modo. Non itaque Spiritus sanctus genitus; quia cum sit a Patre et Filio, si genitus esset jam haberet duos patres. et sic in trinitate esset confusio in qua et duo patres et duo filii essent. Quid autem sit gigni. quid sit procedere, in hac vita sciri non potest. Augustinus, in libro secundo De Trinitate de hac genitura dicit: Non est aliud illi esse de Patre, id est nasci de Patre, quam videre Patrem; aut aliud videre Patrem operantem quam pariter operari. Sed quis hoc intelligit! Ambrosius de Trinitate : Quomodo Filius sit genitus, impossibile est scire; mens deficit, vox silet, non hominis tantum sed angelorum; super angelos, super cherubim, super seraphim, B super omnem sensum est. Credere jubemur, discutere non permittimur. Aufer argumenta ubi fides quæritur. Idem : Licet scire quod natus sit, non autem licet discutere quemadmodum natus sit. Quidam tamen de ingenio suo præsumentes dicunt se non nescire ejusmodi; adhærentes illi auctoritati Hieronymi super Ecclesiastem. Quis in sacris Scripturis sæpissime non pro impossibili, sed pro difficili ponitur, ut ibi : *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed hoc intellevit Hieronymus de generatione quæ fuit secundum carnem, quæ aliquo modo enarrari potest.

Quæri solet, cum generatio Filii a Patre nec principium habet nec finem (quia æterna est) utrum debeat dici, Filius semper gignitur, an semper geni- C tus est? Gregorius super Job : Dominus Jesus Christus in eo quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est; vel potius quia nec cœpit nasci, nec desiit, dicamus verius semper natus. Non possumus autem semper dicere nascitur, ne imperfectus esse videatur. At vero ut æternus designari valeat et perfectus, et semper dicamus, et natus : quatenus et natus ad perfectionem pertineat, et semper ad æternitatem. Quanquam hoc ipso quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expressione deviamus; quia quod factum non est non potest dici perfectum. Et tamen infirmitatis nostræ verbis Dominus condescendens, inquit : *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* V.) Et in Psal- D mo dicitur : *Ego hodie genui te* (*Psal.* II.) hodie dixit quia non præterit illa generatio : genui, quia initio caret.

CAP. VIII. *De æqualitate Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Supradictis adjiciendum, quod licet Filius de Patre, non tamen posterior Patre vel inferior putandus est, sed coæternus, coomnipotens, consubstantialis, coæqualis Filius Patri et Filio Spiritus sanctus. Augustinus in libro De Trinitate : Sic coæternus est Patri Filius, sicut splendor coævus est igni, et esset æternus, si igni esset æternus Et est notandum quod Filius æqualis est Patri secundum substantiam, non secundum proprietatem quia distinguitur a Patre. In eo enim quod Filius est unus Deus cum Patre, una natura, una substantia, æqualis est Patri; sed se-

cundum quod de Patre est genitus, non est æqualis ei. Ergo inæqualis? non est verum: quia secundum hoc quod Pater est ingenitus, filius genitus nec æqualitas nec inæqualitas consideratur. Idem et de Spiritu Sancto. Augustinus in quinto libro De Trinitate: Quia vero Filius relative ad Patrem dicitur, non secundum quod ad Patrem dicitur æqualis est Patri Filius. Sed secundum quod ad se dicitur, æqualis est patri filius. Quidquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur: restat ergo ut secundum substantiam, æqualis sit Patri. Eadem ergo utriusque substantia. Hujus senctæ Trinitatis non debet dici pars, una de tribus personis. Tota enim Trinitas est una substantia, simplex et individùa. Nec sunt aliquid majus duæ personæ quam una, vel tres quam duæ. Cum enim unaquæque illarum sit divina substantia et illæ tres eadem substantia; non tres sunt majus aliquid quam una. Augustinus: In Trinitate, quæ Deus est: Pater est Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; et hi tres unus Deus. Nec hujus Trinitatis tertia pars unus Deus est; nec major pars est duo quam unus, nec majus aliquid sunt omnes quam singulæ personæ; quia spiritualis non corporalis est magnitudo. Idem: Non quoniam Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est Deus: alioquin minor esset in singulis quam in tribus pariter.

Cap. IX. *Quod de sancta Trinitate nihil dicatur secundum accidens.*

Hoc etiam considerandum est quod de sancta Trinitate nihil dicitur secundum accidens. Quod enim secundum accidens dicitur, mutabile est; sed in Deo nihil mutabile. Non tamen omne quod dicitur de Deo secundum substantiam dicitur; quia quædem secundum relationem vel proprietatem dicuntur, ut Pater, Filius. Augustinus in libro quinto De Trinitate. Accidens dici non solet nisi aliqua mutatione rei cui accidit amitti potest, In Deo autem secundum accidens nihil dicitur, quia ei nihil accidit. Nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Secundum substantiam dicuntur quæ sine aliquo respectu relationis dicuntur, vel quæ unitatem divinæ, substantiæ exprimunt: ut Deus, Omnipotens, et similia. Et hæc omnia, ut ait Augustinus, de singulis dicuntur personis, et non pluraliter sed singulariter de tribus simul dicuntur. Sicut enim Pater Deus, omnipotens, sapiens, æternus et cætera; ita Filius Deus, omnipotens, et cætera; et Spiritus sanctus similiter. Et isti tres unus Deus, unus omnipotens: et sic de omnibus quæ secundum substantiam dicuntur: excepto hoc nomine persona. Cum enim hoc nomen persona, secundum substantiam dicatur; de singulis enim potest enuntiari personis. Pater est persona, Filius persona, Spiritus sanctus persona: non tamen potest dici isti tres una persona. Augustinus: Persona ad se dicitur sicut Deus, et similia. Hoc autem solum nomen est quod cum dicatur de singulis ad se, pluraliter non singuraliter accipitur in summa. Et est inventum hoc nomen persona, ut

A Augustinus ait, ut, cum quæreretur quid tres vel quid tria, uno nomine responderetur, scilicet tres personæ. Augustinus: Ideo tres dicimus personas, non ut aliqua intelligatur essentiæ diversitas, sed ut vel uno vocabulo responderi possit cum dicitur quid tres tria. Idem: Cum quæritur; qui tres vel quæ tria dicentur Pater et Filius et Spiritus sanctus dictum est tres personæ, quo nomine non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit, ut non solum ibi unitas intelligatur, sed Trinltas. In Trinitate namque non est diversitas (quia qualis Pater talis Filius) sed distinctio. Nec singularis dicendus est Deus; quia jam esset tantum una persona. Augustinus in libro quæstionum Veteris et Novæ

B Legis: Unus quidem est, sed non singularis: habet et exterius in mysterio alterum qui sit cum altero. Ambrosius de fide ad Gratianum imperatorem. Quod unius est substantiæ separari non potest, ut non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitas ad personam pertinet; unitas ad naturam.

Hinc non parva oritur quæstio. Cum hoc nomen persona teste Augustino secundum substantiam dicatur, et cum hæc sit definitio personæ; persona est rationalis substantiæ individua natura, quomodo sit intelligendum, Filius est alia persona a Patre, hoc enim sane potest dici, Pater est persona, id est rationalis substantia; Filius est persona, id est rationalis substantia. Item cum di-

C cimus Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personæ, non possumus dicere tres rationales substantiæ. Ad quod potest dici: quando per se dicitur, Pater est persona, filius est persona, sane ita exponitur; Pater est persona, id est rationalis substantia; sed per additionem restringitur significatio, ut Filius est alia persona, id est discretus per aliam proprietatem; Pater et Filius et Spiritus santus sunt tres personæ, id est discreti per tres proprietates. Sicut enim cum dicitur Filius est Deus non distinguitur a patre; sed cum additur filius est Deus de Deo, jam fit distinctio. Ita cum dicitur Pater est persona, filius est persona, nondum fit distinctio; sed cum additur alia persona vel per pluralem tres personæ, jam distinc-

D tio notatur. Si quis hanc quæstionem convenientius potest solvere; ego nulli præjudico. Præterea est unum nomen, scilicet Trinitas, quod de nulla persona singulatim dicitur, sed omnibus simul; nec est substantiale, sed pluralitatem designat personarum. Et ita quædam sunt nomina in sancta Trinitate quæ dicuntur singulatim, et non conjunctim, ut Pater, Filius et Spiritus sanctus, quæ ad proprietatem referuntur: quædam conjunctim et non singultatim, ut Trinitas; quædam singulatim et conjectim, ut Deus, omnipotens, et similia.

Cap. X. *De diversa nominum acceptione.*

Modo considerandum est quod illa nomina quæ ad unitatem divinæ substantiæ pertinent, per determinationes quandoque etiam sine determinatione accipiuntur in personarum distinctione, ut

sapientia bonitas, ad substantiam enim referuntur; quia tres personæ sunt una substantia, una sapientia, una bonitas. Sed tamen cum dicitur sapientia Patris, ad Filium tantum; bonitas Patris et Filii, ad Spiritum sanctum. Similiter spiritus, charitas; tota enim Trinitas unus spiritus, una charitas; Sed cum additur sanctus, cum etiam dicitur charitas Patris et Filii, solummodo ad Spiritum sanctum referuntur. Pater enim est spiritus, Pater etiam sanctus, sed non Spiritus sanctus. Solent etiam sine appositis determinationibus personas significare hæc nomina, ut per sapientiam intelligatur Filius, ut in Proverbiis Salomoni sæpissime, per bonitatem Spiritus sanctus. Hoc etiam nomine spiritus usus est Hieronymus in significatione personarum, sic dicens in psalmo confessionis. Tres spiritus postulat David, dicens: *Spiritu principali confirma me; spiritum rectum innova in visceribus meis; Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L.) Qui sunt isti tres spiritus? Principalis spiritus Pater est; rectus Spiritus Filius; Spiritus sanctus, Spiritus sanctus. Ecce quod Hieronymus dicit tres spiritus, id est tres personas. Augustinus quoque in libro De doctrina Christiana tres res dixit ad pluralitatem personarum respicientes; ait quippe sic: Res aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum. Illæ quibus fruendum est nos beatos faciunt. Illis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur. Si redire in patriam volumus, utendum est mundo non fruendum. Res igitur quibus fruendum est, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Eademque Trinitas una quædam res est communisque omnibus fruentibus ea. Frui autem est amore inhærere alicui rei propter seipsam. Patet itaque quod eadem nomina modo ad unitatem substantiæ, modo ad pluralitatem personarum significandam ponuntur. Similiter hæc nomina potentia, sapientia, bonitas nomina substantiæ sunt, et singulis personis æqualiter conveniunt; et tamen sæpissime in sacra Scriptura per potentiam Pater, per sapientiam Filius, per bonitatem Spiritus sanctus intelligitur Et quare hoc fiat, bonum est quærenti satisfacere. Cum hæc nomina, Pater, Filius, Spiritus sanctus translata sint a creaturis ad ipsum Creatorem, ne videantur quod in nobis significant in Deo significare, attribuitur Patri potentia, Filio sapientia. In hominibus enim pater est prior filio, filius patre posterior; et ex antiquitate in patre defectus; ex posteritate in filio imperfectio sensus solet notari. Attribuitur ergo Patri potentia, ne videatur prior Filio, et inde impotentior; Filio sapientia, ne videatur posterior, et inde minus sapiens Patre vel inferior. Nec dicitur Filius sapientia, ideo quod ipse solus sit sapiens cum tota Trinitas una sit sapientia; nec Pater potentia quod ipse solus sit potens cum tota Trinitas sit una omnipotentia; sed ibi magis dicendum fuit ubi plus dubitari potuit. Unde dicitur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Spiritus etiam solet poni ad rigorem significandum, et crudelem solet denotare; et ideo bonitas vel benignitas frequentius appellatur. Hic oritur

A quæstio difficilis, si in Deo tres personæ dicuntur esse quia potens, sapiens et benignus est, quare non potius quatuor vel quinque, vel multo plures, cum sit fortis, justus, misericors, pius et cætera? Ad quod dici potest quod quæcunque dicuntur de Deo, et creduntur veraciter in Deo, ad hæc tria referuntur. Si enim fortis dicitur incorruptus, incommutabilis, et similia, totum hoc potentiæ est. Si providus, inspector, intelligens, totum hoc sapientiæ est. Si pius, mansuetus, misericors, totum hoc bonitatis est. Et in his tribus summa perfectio est. Ubi enim concurrunt ista tria, posse, scire, velle (quod benignitatis est), nihil deest. Si aliquod horum tollas non est summa perfectio. Est ergo Trinitas perfecta, quæ non potest minui, nec potest augeri. In crea-

B turis hujus sanctæ et individuæ Trinitatis signa apparent. Signum potentiæ est rerum immensitas; sapientiæ pulchritudo; bonitatis utilitas. Et ita per hæc quæ foris sunt, invisibilia Dei cognoscuntur a creatura rationali. Sicut nomina substantia, de quibus prius diximus, dicuntur de singulis personis; similiter illa nomina quæ respectu creaturæ competunt Deo temporaliter, velut hæc nomina, Dominus creator. miserator. Ut enim Augustinus ait in libro De Trinitate: Non ante fuit Dominus, quam ejus esset servus. Itaque temporaliter cœpit esse Dominus; quoniam creatura in tempore facta cœpit ei subservire. Similiter cœpit Deus esse creator, in tempore ex quo fecit creaturam. Non enim creavit eam ab æterno, nec

C creatori est coæterna. Et cum pater sit Dominus et creator, et Filius simiiiter, et Spiritus sanctus: non tamen tres Domini sed unus Dominus, non tres creatores sed unus. Quod aliqua dicantur de Deo temporaliter et sine ejus mutatione, Augustinus ostendit per similitudinem rei quæ incipit esse pretium sine sui mutatione, in libro quarto De Trinitate. Nummus cum dicitur pretium relative dicitur nec tamen mutatus est cum esse cœpit pretium, neque cum dicitur pignus, et si qua sunt similia. Si ergo nummus nulla sui mutatione potest relative dici, quanto magis de immutabili substantia Dei accipiendum est, ut, quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen substantiæ Dei aliquid accidisse dicatur,

D sed illi creaturæ ad quam dicitur. Quod ergo incipit temporaliter dici quod ante non dicebatur, manifestum est relative dici; non secundum accidens quod ei acciderit, sed secundum accidens ejus ad quod dicitur: Patet itaque quod Deus ex tempore est Dominus et creator; et tamen verum est, Dominus omnium est ab æterno, et creator ab æterno; sed non ab æterno dominus nec ab æterno est creator. Nec mirum videri debet quod aliquid dicitur ei ex tempore competere. Nam assumpsisse carnem ex tempore convenit ei; et hoc nomen Christus ex temporæ convenit Filio Dei, Christus tamen ab æterno est.

CAP XI. *De personarum appropriatis.*

Quærendum est utrum proprietates illæ quibus distinguuntur personæ sint ipsæ personæ et Quod perso-

næ distinguanturper proprietates, habetur in illa auctoritate, in essentia unitas; et in personis proprietas; et in alias multis auctoritatibus. Quidam tamen voluerunt dicere quod proprietates illæ non essent ipsæ personæ, opponentes illud : si per eas discernuntur personæ, quomodo sunt ipsæ personæ! Quos auctoritas et ratio confutat. Dicit enim Augustinus. Quidquid in Deo est, Deus est. Ergo proprietas Patris Deus est ; quia proprietas Patris est ipse Pater. Non tamen dicetur ita simpliciter, proprietas est Deus vel Pater ; sed proprietas Patris; sicut non dicitur voluntas est Deus ita absolute; sed voluntas Dei est Deus. Quid est enim proprietas Patris, proprietas Filii, proprietas Spiritus sancti, nisi istæ personæ interse discretæ et distinctæ? Hieronymus ad Damasum papam de explanatione fidei: Confundentes Arium unam emdemque substantiam Trinitatis dicimus: Impietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Item : Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas vel, ut Græci exprimunt, hypostases, id est subsistentias confitemur. Ecce quod Hieronimus dicit proprietates, id est personas. Ideo Deus simplex dicitur sive non amittendo quod habet ; seu quia aliud non est ipse, et aliud quod in ipso est. Ratione étiam potest eis obviari hoc modo, Si tres proprietates vel relationes in Deo sunt quæ non sunt ipsa divina substantia, apparet non fuisse solam ab æterno divinam substantiam, quæ Trinitas est. Sed sola Trinitas est ab æterno quæ unus Deus est ; fateamur igitur tres personas, vel tres illarum proprietates unum Deum, unam essentiam et unam divinam substantiam : illas tres personas esse vel illas proprietates. Quod quamvis longe sit a sensibus nostris et ab humana ratione, indubitanter tamen credi oportet, ut enim ait Gregorius: Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum; id est in ea parte in qua humana ratio præbet experimentum. Non enim fides est contra rationem, sed supra rationem. Et ideo qui nil credere vult nisi quod ratione comprehendit, ut philosophi, non habet meritum fides ejus; sed qui illud quod rationi non est contrarium, et tamen est supra rationem credit. Unde Apostolus: *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo verbum fidei* (*Rom.* x), prope quia non est contrarium rationi, sed supra rationem. Quid sit proprium Patris, supra assignatum est; scilicet esse ingenitum ; quod est esse Patrem. Nec turbet quod Augustinus dicit ; Non est idem ingenitum dicere, quod Patrem dicere : quia Pater dicitur ad Filium, sed ingenitus nullam relationem notat. Et ideo non est idem dicere Patrem esse ingenitum et esse Patrem ; sed idem in sancta Trinitate est esse ingenitum et esse Patrem ; sicuti idem est esse sapientiam Patris, et esse Filium ejus, et esse verbum Patris. Sed tamen illud nomen Filius notat relationem, et non illud, scilicet verbum vel sapientia. Augustinus in libro De Trinitate. Non est idem ingenitum dicere quod est Patrem dicere ; quia, etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet eum ingenitum dicere ; quia nec ideo quisque Pater, quia ingenitus, nec ingenitus ideo, quia Pater. Ideo non ad aliquid, sed ad se ingentius dicitur. Genitus vero dici non potest nisi ad aliquid. Ideo quippe Filius, quia genitus ; et quia Filius utique genitus. Sicut autem Filius ad Patrem, sic genitus ad genitorem ; et sicut Pater ad Filium, sic genitor ad genitum. In hoc loco notandum est quod cum Filius sit sapientia a Patre genita, et Pater sit sapiens sapientia sua ; utrum Pater sit sapiens sapientia a se genita. Augustinus dicit hoc non esse concedendum. Si enim esset sapiens sapientia genita ex se (cum ei sit esse quod sapientem esse) jam Pater a Filio haberet esse, non Filius a Patre. Non est ergo Pater sapiens sapientia genita ex se ; sed sapientia ingenita, quæ ipse est. Pater enim est sapientia ingenita. Si opponitur : cum Pater sit sapiens, vel sapientia genita ex se vel alia. Non est verum. Quia una sapientia tota est Trinitas ; sed in Patre ingenita, in Filio genita. Sicut dicitur Filius est *Deus de Deo, lumen de lumine*, principium de principio : Pater non est Deus de Deo, principium de principio ; ergo alius et aliud. Non est verum ; quia unus Deus cum Filio, et unum principium omnium creaturarum. Pater enim principium Filii, quia de eo Filius ; Pater et Filius principium Spiritus sancti ; tota Trinitas unum principium omnium creaturarum. Similiter, licet Pater non sit sapiens sapientia genita ex se ; non tamen est alia sapientia sapiens. Augustinus De Trinitate : Si solus Filius intelligit Patri et sibi et Spiritui sancto, illud consequitur ut Pater non sit sapiens de seipso, sed de Filio ; nec sapientia sapientiam de se genuit, si ea sapientia Pater dicatur esse sapiens quam genuit ; ubi enim non est intelligentia, nec sapientia esse potest. Ac per hoc patet si Pater sibi non intelligit, et Filius intelligit Patri, profecto Filius Patrem sapientem facit. Et si hoc est Deo esse quod sapere, et illi essentia quod sapientia, non Filius a Patre (quod verum est), sed a Filio potius Pater habet essentiam, quod falsum est. Est ergo Deus Pater sapiens ea quæ ipsa est sapientia, et Filius sapientia Patris.

Solet a quibusdam talis fieri quæstio. Deus Pater genuit Deum Filium, et ita Deus genuit Deum, quod sane potest concedi. Legitur enim de Filio : *Deus de Deo, lumen de lumine.* Si vero quæratur, quia Deus genuit Deum, an se an alium ? Neutrum est concedendum. Quod non genuit alium Deum, manifestum est, quia non est Deus, nisi unus. Quod non sit concedendum. Deus genuit se, Augustinus ostendit in libro De Trinitate, dicens: Qui putat hujus potentiæ Deum esse, ut seipsum genueerit ; eo plus errat, quo non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis creatura nec corporalis. Nulla enim res est omnino quæ seipsam gignat; et ideo non debet dici, Deus genuit se. Non enim divina substantia genuit seipsam nec etiam aliam divinam substantiam; sed persona Patris genuit personam

Filii. Præterea sciendum est quod sicut Trinitas inseparabilis est, ita inseparabiliter operatur.

Quidquid enim operatur Pater, hoc idem Filius et Spiritus sanctus operantur. Opponitur : Soli filio convenit assumpsisse carnem, sed hoc est quædam operatio : igitur aliquid operatur Filius quod non Pater quod non Spiritus sanctus. Ad quod dicitur quod licet inseparabiliter operentur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus , tamen aliquid convenit uni quod non aliis. Quod per simulitudinem ostendunt sancti. In radio namque solis sicut inseparabiliter adjunguntur splendor et calor tamen splendor illuminat; calor exsiccat, nec calor illuminat, nec splendor exsiccat. Similiter in sancta Trinitate, tota Trinitas operata estincarnationem Filii. Tota enim Trinitas operata est ut homo ille esset et ut verbo uniretur ; sed non ut toti Trinitati uniretur. Ergo illa operatio non magis Filii quam Patris ; sed unio Fillii et non Patrissicut solius Patris vox de nube audita est : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui* (*Math.* III), et cætera. Si enim esset vox Filii vel Spiritus sancti, falsum esset : *Hic est Filius meus.* Non est enim Filius, sui ipsius vel Spiritus sancti Filius. Et tamen tota Trinitas operata est vocem illam, sed soli Patri convenit, quia solus Pater per eam significatus est. Sicut etiam solus Spiritus sanctus in columba apparuit, cum tota Trinitas eam operata sit. Sed solus Spiritus sanctus in ea apparuit, quia ipse solus per eam significatus est. Quæritur an aliter Spiritus sanctus fuerit in columba illa quam in aliis creaturis, Respondetur : non aliter quantum ad præsentiam vel essenttam divinitatis, sicut jam diximus, quæ est in omnibus creaturis et æqualiter ; sed quantum ad significationem aliter.

CAP. XII. *De præscientia et prædestinatione.*

Cum omnium quæ operatur Trinitas præscientia ejus, dispositio et voluntas actum præcedat, oboritur investigatio de præscientia Dei et de providentia, de prædestinatione et voluntate et potestate. Et est sciendum quod sapientia Dei propter diversos affectus pluribus appellatur nominibus, ut sunt : scientia, providentia, scientia, prædestinatio, dispositio. Scientia est existentium, præscientia futurorum, providentia gubernandorum, dispositio faciendorum, prædestinatio salvandorum. De præscientia, solet quæri utrum ipsa sit causa rerum, vel ipsæ res causa præscientiæ. Sed ut Boetius in libro. De cons. philos, ostendit, neutrum est concedendum Si enim quia præsciantur a Deo, ideo essent (cum et mala præsciantur) jam esset præscientia causa malorum, quod penitus caret ratione. Item si res quia futuræ sunt, ideo, præsciuntur a Deo ; tunc quod temporale est, causa est ejus quod æternum est. Origenes tamen super Epistolam ad Romanos dicit : Non propterea aliquid erit, quia id Deus scit futurum ; sed quia futurum est, scitur a Deo antequam fiat. Quod sic potest exponi quia futurum est, id est quod futuram est ut ibi non notetur causa. Sicut enim Isaias prædixit cæcitatem Judæorum futuram. dicens : *Dedit eis oculos; ut non*

A *videant* (*Isa.* VI) ; nec tamen ideo facta est quia ille prædixit; sed quod futurum erat ille prædixit. Ita Deus ab æterno præscivit cæcitatem illam, sed non ideo facta est quia præscivit; sed quia futura erat eam præscivit ; quem nihil potest latere. Præscientia improprie dicitur in Deo. Apud eum namque nihil futurum, nihil præteritum; in eo nec prius est nec posterius. Sed quantum ad res quæ nobis futuræ sunt, Dicimus eum futura præscire; quod quantum ad eum est, est ea tanquam præsentia scire. Dicit auctoritas quod ejus scientia non potest augeri nec minui. Non enim plus potest scire qui omnia scit; nec minus, qui non potest oblivisci. Opponitur de hoc quod Hieronymus dicit super Habacuc : Absurdum est, inquit, ad hoc B Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot culices nascantur quotve moriantur; quæ pullicum et muscarum sit multitudo, quotve pisces natent in aquis, et similia. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrudimus in nosipsos injuriosi simus eamdem irrationabilium et rationabilium providentiam esse dicentes. Quod quidam ita exponunt : Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot culices, etc. Scit quidem quia eum nihil latere potest ; sed non per momenta, ut nos qui simul omnia scire non possumus. Alii sic exponunt : Absurdum est ad hoc Dei majestatem, etc. ut sciat quot culices, ita ut habeat inde curam. Non enim Deo cura est de bobus (*I Cor.* IX), sed de ho- C minibus est cura ; quia ad eorum custodiam angelos delegat. Unde : *Angeli eorum semper vident faciem Patris (Matth.* XVIII).

Potest et alia difficilis oppositio hic fieri. Est aliquis qui nunquam lecturus est, posset tamen esse ut ipse legeret; quæritur utrum Deus hunc lecturum sciat, an non. Non possumus dicere quod scit eum lecturum; quia hoc falsum est quod ipse sit lecturus. Augustinus in lib. ad Renatum : Quid quod ipsa exinanitur præscientia si quod præscitur non erit? Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum quod futurum non est ? Si dixerimus : Non scit eum lecturum ; opponitur : Potest esse ut iste legat, quod si esset utique sciretur a Deo, et hoc potest esse ; ergo potest esse, ut sciatur a Deo ; ergo plus potest scire quam sciat, quod penitus falsum est. Hujus D quæstionis solutionem aliorum judicio relinquo. Mihi tamen videtur quod neutra illarum sit concedenda. Si quis enim quærit, scit hunc lecturum? non dicam : Scit eum lecturum, vel nescit eum lecturum ; sed scit eum non esse lecturum. Nunquam enim Deus nescit hoc , vel non scit hoc (cum eum nil lateat) dicendum est. Hco distat inter præscientiam et prædestinationem ; quod præscientia de salvandis et damnandis, prædestinatio de salvandis tantum. De prædestinatis nullus damnari; de reprobis nullus potest salvari Reprobi sunt præsciti ad mortem; prædestinati prævisi ad vitam. Augustinus De correctione et gratia. In Apocalypsi dicitur : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam (Apoc.* III). Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit; certus est

electorum numerus. Idem: Prædestinatus electorum numerus nec potest augeri nec minui. Opponitur quod possit minui; quia omnes damnari possunt. Quicunque enim salvatur, ex gratia salvatur; et quod gratis datur, posset non dari. Similiter probatur quod posset augeri; quia omnes possunt salvari; nisi enim possent salvari, non imputandum esset eis quod damnantur. Solutio: Verum est, non potest augeri numerus prædestinatorum, quia hoc non potest esse, ut aliquis salvetur ita quod non sit prædestinatus. Non potest minui; quia hoc non potest esse, ut aliquis prædestinatus sit et damnetur. Per se enim verum est, iste potest damnari; quod ideo verum est quia posset non esse prædestinatus, sed non est verum, iste prædestinatus, potest damnari; quia non potest utrumque esse ut prædestinatus sit et damnetur. Similiter verum est, iste potest salvari; sed non est verum, iste reprobus potest salvari, quia non potest hoc esse ut reprobus sit et salvetur. De præscientia solet opponi: Deus præscivit hunc lecturum, vel aliud hujusmodi; sed potest esse ut ipse non legat: ergo potest non esse quod Deus præscivit; igitur potest falli præscientia Dei. Sed sicut diximus de aliqua re futura si hoc futurum est, scilicet quod iste legat, non potest esse quin illud sit; non enim potest esse ut futurum quid sit et non eveniat, et tamen hoc quod futurum est potest non non evenire, quia ita futurum est ut possit non esse vel futurum esse. Similiter si præcitum est, non potest non evenire; quia non potest esse ut præscitum sit et non eveniat; et tamen hoc quod præscitum est, potest non evenire. Quod ideo verum est quia posset non esse præscitum. Quod ideo verum est quia posset non esse præscitum. Nec inde sequitur, ergo potest falli præscientia Dei; qui tunc falleretur si utrumque esset, scilicet et quod præscitum esset evenire, et quod non eveniret. Cum prædestinatio divina sit electio juxta illud Apostoli: *Quos elegit ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I); solet quæri quare hunc elegerit Deus magis quam illum? ut de Jacob et de Esau. Quidam dicunt: Hunc elegit quia talem futurum eum esse præscivit, qui in eum crederet et serviret ei. Sed hoc Augustinus retractat in libro Retractationum, plane ostendens quod si propter opera futura electus esset, jam non ex gratia electio esset. *Si enim ex operibus*, ut ait Apostolus, *jam non est gratia* (*Rom*, XI). Idem in libro De prædestinatione: Non quia futuros tales non esse præscivit ideo elegit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. Cum ergo prædestinavit opus suum præscivit. Idem Augustinus super locum illum in Malachia propheta: *Jacob dilexi, Esau odio habui* (*Malac.* I), dicit: *Cui vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX). Sed hæc voluntas Dei non potest esse injusta. Venit enim de occultissimis meritis; quia et ipsi peccatores cum propter originale peccatum unam massam fecerint; tamen inter illos nonnulla est diversitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus quo quam- A

vis nondum sint justificati, digni efficiuntur justificatione; et item præcedit in aliis peccatoribus quo digni sunt obstinatione. Sed quid intelligere voluerit nescimus, nisi forte dixerimus tum hoc intellexisse quod supra diximus, tum retractasse. Quidam tamen hanc auctoritatem sic exponere conantur; venit de occultissimis, id est ut merita eorum occultissima fiant. Gillebertus sic: Nisi homo peccasset, nullus damnandorum nasceretur; sed quia peccavit, simul damnandi cum salvandis nascuntur. Salvandi loco eorum qui tunc nascerentur; damnandis nullorum loco, sed ad exercitium et coronam bonorum. Item quæritur an ab æterno prædestinatos dilexerit. Ita est. Ergo et Paulum. Sic est. Et æqualiter; quia B non dilexit eum plus ab æterno quam quando persequebatur Ecclesiam Dei; quia quod erat futurum de eo ei erat præsens; et hoc non secundum merita, sed secundum præmia quæ ei ab æterno paravit; et tamen malum ejus odio habebat. Et nota quod omnes tam bonos quam malos secundum naturam æqualiter diligit quia *nihil odit eorum quæ fecit* (*Sap.* XI); non tamen æqualiter diligit bonos secundum præmiorum præparationem, nec malos æqualiter odit secundum pœnarum prævisionem. Sed quæritur utrum Judam dilexerit? Resp. Ita ab æterno tantum quantum modo secundum naturam; habuit tamen odio, quia talem videbat eum futurum. Et nota quod Judas potuit salvari, nec tamen reprobatus potuit salvari. Disponit Deus tam bona quam C mala. Unde queritur an omnia tam bona quam mala sint in ejus dispositione? Ita est, dicunt quidam; et habent auctoritatem ab Augustino dicente: Nulla reliquit Deus inordinata. Et alibi: Malarum voluntatum Deus est ordinator. Et iterum: In potestate malorum est malum velle; sed utrum hoc vel illud malitia perficiant in potestate Dei est, dividentis tenebras et ordinantis. Sed alii opponunt. Si Deus mala disponit, tunc mala placent ei; sed hoc est falsum, quia non placent ei mala; sed mala fieri placet ei propter universitatem. Propter hanc oppositionem dicunt quidam quod non disponit mala; sed disponit de malis eliciendo inde aliquid quod prosit bonis: ut de Nerone quod Petro profuit, de Decio quod Laurentio; quia non vult aliquem ita stare otiosum in repu- D blica sua quin sibi serviat. Quod tamen servitium quia mala intentione fit; eis sic servientibus malum est.

Cap. XIII. *De voluntate Dei*

Nunc de voluntate Dei restat videre. Voluntas Dei prima est causa omnium, et ideo immutabilis. Aliæ enim causæ mutabiles sunt, quia non sunt primæ; et ideo sæpe fallunt. Sed hæc quia non habet aliam ante se, falli non potest vel mutari. Et quia voluntas Dei prima causa est omnium; cum dicicitur hoc ideo est quia Deus voluit, non est quærendum quare voluit. Primæ enim causæ nulla est causa. Cum igitur voluntas Dei una sit (quæ est ipse Deus, qui unus est) propter effectus tamen diversos dicuntur plures voluntates Dei. Unde Propheta

Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus (*Psal.* CX). Sicut idem Propheta propter diversos effectus misericordiæ et justitiæ Dei dicit pluraliter : *Misericordias Domini in æternum cantabo* (*Psal.* LXXXVIII). Et alibi : *Justitiæ Domini lætificantes corda* (*Psal.* XVIII). Cum tamen (quantum ad ipsum Deum) una sit misericordia, una sit justitia, quæ est hoc quod ipse. Sic et de voluntate. Nam voluntas Dei in sacra Scriptura aliquando accipitur ipsa quæ idem est cum Deo, et ipsi coæterna est; et hæc voluntas semper impletur. De hac dicit Apostolus: *Voluntati ejus quis resistit?* (*Rom.* IX.) Et alibi : *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* (*Rom.* XII). Et potest hæc voluntas beneplacitum Dei vel dispositio appellari. Unde Propheta : *Quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII); id est, quæcunque disposuit se facturum. Aliquando præceptio vel prohibitio Dei voluntas Dei dicitur ; quia signa sunt divinæ voluntatis. Ut signa iræ appellantur ira ; ita signa dilectionis, dilectio. Et dicitur iratus Deus et ira in eo non est; sed signum tantum quod foris fit quo Deus iratus ostenditur, ira appellatur, ut in Ægyptiis submersis. Ita præceptio vel prohibitio (quia indicant nobis quid Deus velit ut fiat vel non fiat) voluntas nominantur. De qua Dominus in Evangelio : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI). Et alibi : *Qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse frater meus et soror est* (*Matth.* XII). Contra hanc voluntatem multa fiunt. Augustinus in libro De spiritu et littera : Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt. Sicut præceptio et prohibitio signa sunt voluntatis divinæ, ita et operatio et permissio et ideo in scriptura sacra sæpe appellantur voluntas Dei. Unde illud Apostoli : *Vult omnes salvos fieri* (*I Tim.* II). Quod ita exponit Augustinus in libro De correctione et gratia. *Vult omnes salvos fieri*; id est nos facit velle. Ecce quod illa quæ operatur in nobis voluntas Dei nominatur. Similiter et permissio. Unde illud Apostoli : *Quem vult indurat* (*Rom.* IX). Et Augustinus in Enchiridio : Non fit aliquid nisi omnipotens velit fieri; vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Non dubitandum est Deum benefacere ; etiam sinendo fieri quæcunque fiunt mala. Non enim hæc nisi justo judicio sinit; et profecto bonum est omne quod justum est. Habemus itaque quatuor signa divinæ voluntatis. Hæc sunt præceptio, prohibitio, operatio, permissio; cum tamen Dei voluntas una et immutabilis permaneat. Quare diligenter est intuendum ubi loquatur Scriptura de ipso Dei beneplacito, ubi et de signo beneplaciti. Cum enim invenitur : vult Deus bonum, non vult malum; de benaplacito Dei intelligitur. Vult bonum, id est approbat, judicat sibi concordare ; non vult mala, id est non approbat, non judicat sui similia. Et quamvis non vult mala; tamen vult mala esse. Ad quod videndum quod quædam sunt bona in se et ad aliud; et quædam bona ad aliud et non in se; et quædam bona in se et non ad aliud.

A Ea quæ sunt bona in se et ad aliud, vult Deus, id est approbat, et vult ea esse, quia ad aliud bona sunt, sicuti omnia bona quæ fiunt. Bona in se et non aliud, ut bona quæ possent fieri et non fiunt, ea vult Deus; quia vult omne bonum, id est approbat; sed non vult ea esse, id est non approbat ea esse; quia non sunt bona ad aliud. Quæ sunt mala in se et ad aliud bona, sicut mala quæ fiunt, ea non vult Deus, id est non approbat; et tamen vult ea esse, quia bonum est ea esse. Nisi enim vellet quod mala essent, nullo modo esse possent. Sicut enim ea vellet non esse, et non posset hoc efficere, impotens esset; sicut et nos sumus, qui quod volumus quandoque non possumus, itaque non possent esse male nisi vellet
B ea esse. Eo namque invito quomodo aliquid fieret, cum dicat Scriptura : *Voluntati ejus quis resistit?* (*Rom.* IX). Cum igitur Deus ab æterno in præscientia et sapientia sua omnia tam bona quam mala viderit, inter omnia illa vidit ipse quædam quæ si essent bona in se, essent et ad aliud; et ea non solum voluit, sed et esse voluit. Vidit et alia quæ si essent, licet in se bona essent, non tamen ad aliud; et ideo etsi approbet, qui sine causa nihil vult esse, noluit ea esse. Item cum viderit alia quæ in se mala et ad aliud bona, voluit ea esse. Quid enim melius est esse, an ea quæ sunt bona in se, tantum, an ea quæ et si non sunt bona in se, tamen ad aliud sunt bona? Ea utique quæ ad aliud sunt bona. Non tamen
C concedimus si vult ea esse quod et vult ea ; nec illud, si sunt bona ad aliud, quod tunc sunt bona. Cum itaque aliquis peccat, contra voluntatem Dei facit; quia contra præceptum ejus, et quia non vult Deus quod facit; et tamen facit quod vult esse. Verbi gratia : Judæi Christum crucifixerunt, occidendo contra voluntatem Dei fecerunt; et tamen volebat Deus illud malum esse, quia ad aliud bonum.

Solent quidam sic opponere. Voluit Deus Pater Christum pati et mori; ergo voluit ut Judæi flagellarent et occiderent eum : et ita fecerunt quod volebat Deus. Quod non est ita concedendum; quia cum actus esset malus illorum, non placebat Deo qui nullum malum vult, et si placeret
D Deo ut esset actus ille. Ita enim solent accipi hæc verba : Iste facit quod vult Deus; id est quod facit remunerat, gratum habet. Patet igitur quod Deus vult malum esse, et tamen non vult malum; nec vult ut aliquis faciat malum, quia inde non remunerat, imo punit; sed bonum vult esse, et ut homines illud faciant, quia gratum habet et remunerat. Et hoc est quod Augustinus dicit in Enchiridio : Voluntas Dei semper impletur, ut de nobis aut a nobis. De nobis impletur, sed non tamen implemus eam quando peccamus. A nobis impletur quando bonum facimus. Ideo enim facimus quod Deo scimus placere. Augustinus. Hæc sunt *magna opera Domini exquisita in omes voluntates ejus* (*Psal.* CX); et tam sapienter exquisita ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est non quod ille, sed quod voluit ipsa

fecisset : etiam per eamdem creaturæ voluntatem A quæ factum est quod Creator noluit impleretur illud quod voluit, bene utens etiam malis tanquam summe bonus ad eorum damnationem quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad salutem eorum quos benigne prædestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt; quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullomodo id efficere valuerunt. Hoc enim ipso quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namque *opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus;* ut miro et ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, et quod etiam contra ejus voluntatem fit (quia non fieret si non sineret), et hoc utique non nolens sinit sed volens : nec sineret bonus fieri malum, nisi omni- B potens et de malo posset facere bonum. Gregorius : Multi voluntatem Dei peragunt unde mutare contendunt : et consilio ejus resistentes obsequuntur : quia hoc ejus dispositioni militat, quod per humanum studium resultat.

Potest opponi hoc modo. Bonum est malum esse ; sed omnis boni Deus est auctor ; ergo facit malum esse. Quod non est ita concedendum ; quia tunc fierent mala eo auctore. Sed potest dici quod facit ut malum esse sit bonum ; ipse enim operatur malum in bonum.

De præceptione et prohibitione solet ita opponi. Præcepit Deus quod non vult esse; quia multis præcipiuntur bona quæ ipsi non faciunt, ut Judæis sæpissime præcepit quæ non fecerunt; sed nec erat in C beneplacito Dei ut illa facerent, vel quod illa essent; quia, sicut jam diximus, quidquid Deus vult esse (cum omnia possit) illud totum est; alioquin impotens esset, si vellet aliquid esse et non esset. Similiter prohibet malum facere alicui (ut eisdem Judæis sæpissime) et tamen facit illud malum. Volebat enim Deus illud malum esse; quia nihil potest esse nisi Deus velit illud esse. Unde apparet quod præcipit aliquando quod non vult esse; quia nihil potest esse nisi Deus velit illud esse; et quod vult esse prohibet. Sed si vult esse, quare prohibet? si non vult, quare præcipit? Ad quod potest dici quod ideo præcipit illud quia bonum est illi; et Domini est præcipere servo quod bonum est in se, et quod bonum est illi cui præcipit. Et si placet Domino juvare servum ut illud faciat misericordia est; si non D placet juvare, justitia est. Similiter prohibet servo malum, quia in se malum et illi malum cui prohibet; et Domini est servo prohibere malum ut non habeat excusationem. Est etiam hic videndum quod licet bonum sit isti quod præcipitur, ei non tamen bonum universitati; et quod prohibetur licet ei malum sit, bonum est universitati. Et quia majus bonum est quod totius quam quod partis est; et minus malum quod unius partis et majus quod totius; ideo quod bonum est uni et non universitati, non vult esse; et quod malum est uni et bonum universitati, vult esse, ne bonum universitatis impediatur. Nihil enim fit quod universitati bonum non sit, quamvis judi-cia Dei nobis occulta sint. Sed ut dicitur ni Job : *Nihil in terra sine causa fit* (*Job* v) ; et ita necfolium sine causa de arbore cadit.

CAP. XIV. *De Omnipotentia Dei.*

Nunc de potestate Dei dicendum est. Quod Deus omnia possit, multæ auctoritates dicunt. Augustinus in libro Quæstionum Veteris et Novæ Legis : Omnia quidem potest Deus ; sed non facit nisi quod conveniat veritati ejus et justitiæ. In eodem : Potuit Deus simul cuncta facere ; sed ratio prohibuit. Dicendum est ergo Deum omnia posse. Opponitur quod dicit in libro De spiritu et littera Augustinus : Omnipotens non dicitur Deus quod omnia possit facere ; sed quia potest perficere quidquid vult, ita ut nihil valeat resistere ejus voluntati quin compleatur, aut aliquo modo impedire eam. Ad quod potest dici quod Augustinus ubi dicit : Omnipotens non dicitur quod omnia possit, tam large accipit ibi omnia, ut comprehenderet etiam mala, quæ non vult Deus nec potest. Idem in libro De Symbolo: Deus omnipotens non potest mori, non potest falli, non potest miser fieri, non potest vinci. Hæc itaque et hujusmodi absit ut possit omnipotens! Ac per hoc non solum ostendit veritas omnipotentem esse qui ista non possit ; sed et cogit veritas omnipoenttem non esse qui hæc possit. Patet itaque quod Deus est omnipotens, quia potest omnia quæ vult. Absolute etiam potest dici quod possit omnia, nec tamen potest peccare ; quia hoc non est aliquid de omnibus. Sed si opponitur de actionibus nostris, ut ambulare, et cætera, potest dici quod ad ejus omnipotentiam pertineant, licet in se non habere possit ; non enim potest ambulare, et tamen potest facere ut ambuletur. Considerandum arbitror utrum Deus plura possit facere quam velit facere vel faciat. Augustinus in Enchiridio : Omnipotens voluntas multa potest facere quæ nec vult nec facit. Potuit enim efficere ut duodecim legiones angelorum pugnarent contra illos qui eum ceperunt. In Evangelio Matthæus : *An putas quia non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum ?* (*Matth.* XXVI.) Unde et idem Augustinus : Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur quod nunc pio rum fides habet ; quam immutabilis et efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit et non velit, nihil tamen velit et non possit. His auctoritatibus patet quod multa possit Deus quæ non vult ; ratione idem potest probari. Non vult Deus omnes justificari ; et tamen quis dubitet eum posse ? Augustinus in libro De natura et gratia : Dominus Lazarum suscitavit in corpore ; nunquid dicendum est non potuit Judam suscitare in mente ? Potuit quidem sed noluit. Ad illud quod dicimus Deum posse facere quædam quæ non vult facere, opponitur illud quod Augustinus dicit in libro De symbolo : Hoc solum non potest Deus quod non vult ; etiam ita videtur quod non possit facere aliquid quod non vult. Sed ita exponendum est illud *: Hoc solum non potest Deus quod non vult.* Id est nihil potest facere nolens ; non enim potest esse ut no-

lens faciat aliquid, qui cogi non potest. Item opponitur : Quidquid potest Deus facere, potest velle; sed quiddam potest facere quod non vult; potest igitur velle quod non vult; et si potest velle quod non vult, mutabilis est voluntas ejus, nec est æterna ; sed incipit aliquid velle quod prius non volebat. Augustinus in libro Confessionum loquens ad Deum ait: Nec cogeris invitus aliquid, quia voluntas tua non est major quam potentia. Major autem esset si teipso major esses. Unde videbitur quod non possit Deus facere aliquid quod non vult facere ; et nihil potest velle nisi quod vult. Ad quod dici potest quod voluntas Dei accipitur multis modis ut supra assignatum est. Aliquando pro effectu divinæ voluntatis; aliquando pro ea quæ in Deo est, quæ est ipse Deus. Cum Augustinus dicit, multa potest facere Deus quæ non vult, ad effectum respexit; quæ non vult, id est quæ non operatur, potest operari. non enim ex impotentia dimittit, et secundum hoc potest dici: Potest Deus velle quod non vult. Sed si de ipsa Dei voluntate loquimur quæ est hoc quod ipse, nihil potest facere nisi quod vult et nihil potest velle nisi quod vult. Idem enim est velle quod esse ; idem etiam velle quod posse. Et ideo Augustinus dicit : Non est major voluntas quam potentia. Vel hoc vel alio competenti modo potest prædicta contrarietas solvi. Non est præmittendum hic quosdam scientia inflatos dicere Deum non posse facere aliud quam facit, vel dimittere de his quæ facit aliquid. Quod ita volunt asssignare. Quidquid Deus facit bonum est fieri et justum (Non enim potest facere nisi quod est justum), et quod bonum est fieri, non debet non fieri; igitur non debet Deus dimittere quæ facit, et quod non debet non potest ; ergo non potest non facere quæ facit. Similiter probant quod non potest aliud facere quam facit, hoc modo. Quod non facit non debet fieri, quia si deberet fieri illud faceret ; et quod non debet fieri a Deo non potest fieri ab eo : ergo non potest facere ea quæ dimittit facere. Sed ut mihi videtur, sub hoc verbo latet venenum. Si enim dicimus non debet Deus illa facere ; inferunt ergo non potest facere. Si dicimus debet illa facere ; ergo non potest dimittere quin faciat, sed neutrum de Deo concedendum est. Ut enim ait Augustinus : Fuit alius modus possibilis Deo ; sed nullus nostræ miseriæ sanandæ convenientior. Nec tamen dicemus, debuit alio modo redemisse mundum vel non debuit ; quia nihil ipse ex debito sed sola bonitate facit. Homines ex debito faciunt ; quia meliores inde fiunt vel deteriores si non faciunt.

Solent dicere quidam quod ea quæ facit Deus non potest meliora facere ; quia si posset facere et non faceret, invidus esset. Augustinus in lib. Quæst : Deus quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit (nihil enim Deo melius) debuit æqualem, si enim potuit et noluit, invidus est. Et ex hoc volunt dicere quod si posset Deus res meliores facere et non faceret, invidus esset. Sed non valet simile ; quia Filium genuit ex substantia sua. Ideo cum ex substantia sua Filium genuit, si posset æqualem generare et non

A faceret, invidus essset. Alia vero quæ non ed substantia sua fecit, meliora potuit facere. Augustinus super Genesim : Talem potuit Deus hominem fecisse, qui peccare non posset nec vellet, et si talem fecisset quis dubitet eum meliorem fecisse ? Quærendum est qualiter intelligant rem non posse esse meliorem. Sive ideo non potest esse melior quia summe bona est ; quod si esset, creatura suo Creatori æquaretur, sive ideo non potest esse melior, quia majus bonum quod ei deest ipsa capere non potest ; quod si ita est potest esse melior si fiat capax majoris boni, quod ipse qui fecit potest. Illa tamen locutio est ambigua : Deus potest melius facere. Si enim ita opponatur, potest melius, id est majori sapientia B aliquid facere, falsa est, quia non potest augeri sapientia ejus ; sed hoc modo vera est, potest melius, id est rem meliorem facere.

Cap. XV *De fide incarnationis.*

Nunc de illa parte fidei est agendum, quæ ad sacramentum incarnationis pertinet, ut ait Apostolus : Missit *Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*, ut damnaret *peccatum de peccato* (*Rom.* VIII). Quibus verbis ex parte aperit mysterium incarnationis. Ad hoc enim venit in mundum ut damnaret diabolum, et hominem liberaret. Sed cum in mundo esset Filius Dei, qui ubique est, quomodo venit in mundum ? Venit, quia visibilis apparuit. Solet quæri quare non Pater nec Spiritus sanctus carnem assumpC sit, sed solus Filius ? Ad quod potest dici, quod Patrem non decuit ; quia ei non convenit mitti ab aliquo cum non sit ab alio. Neque Spiritus sanctus carnem assumpsit ; ne alius esset filius in humanitate, et alius in divinitate ; et ita essent duo filii in Trinitate. Est igitur persona Filii incarnata, ut idem qui erat filius in divinitate, esset filius in humanitate. Erat et decens ut sicuti per sapientiam suam Pater mundum fecit, ita per eamdem redimeret. Et quia in homine utraque corrupta erat natura, scilicet anima et corpus ; utramque suscepit ut utrumque liberaret. Nec tamen personam hominis suscepit ; naturam suscepit et non personam. Augustinus in libro De fide ad Petrum : Deus enim Verbum D personam hominis non accepit, sed naturam. In Christo enim duæ sunt naturæ, divina et humana ; et tres substantiæ : caro, anima et verbum : sed non duæ personæ. Alia enim natura Deus, alia homo ; sed non alia persona Deus, et alia ille homo. Ut enim Augustinus dicit ad Felicianum : Aliud est Dei Filius, aliud filius hominis ; sed non alius. Idem filius Dei de patre aliud, aliud de matre ; sed non alius Ad illud quod dicitur non assumpsisse personam, opponitur sic : Animam et corpus suscepit, sed hæc sunt una persona : igitur suscepit unam personam, quod ita solvunt quidam. Ista duo simul juncta sunt una persona ; sed antequam assumerentur a verbo, quia non erant simul juncta, nec erant una persona. Illa enim assumendo univit ; et uniendo assumpsit. Sed tamen potest opponi quod anima est ra-

tionalis substantia et individuæ naturæ (quæ diffinitio est personæ). Igitur si assumpsit animam, etiam personam. Quod utique sequeretur si prius esset anima quam assumeretur. Est namque anima persona, sicut angelus. Quid enim est homo nisi anima habens corpus ? Sed ideo non assumpsit personam; quia non erat persona quod assumpsit. Animam namque creando assumpsit; et assumendo creavit. Eadem oppositio fieret sic. Filius Dei hominem assumpsit, sed nullus homo est qui non sit persona. Quod satis concedimus; sed, ut diximus, non erat ille homo priusquam assumeretur. Licet enim corpus esset prius, non tamen anima. Itaque non assumpsit hominem qui prius esset, sed assumendo creavit. Tamen non videtur concedendum, assumpsit aliquem hominem ; sed simpliciter hominem, quod tamen sic probari posse videtur. Assumpsit hominem qui in cruce perpendit, qui de Spiritu sancto conceptus est : ergo aliquem. Hoc videtur sophisticum esse ut istud aliud. In præterito anno vidi illum qui est episcopus: ergo aliquem vidi episcopum. Sed quidquid in hujusmodi verborum controversia concedatur, hoc indubitanter teneamus quod non assumpsit personam. Ut enim dicit Augustinus: Cum de rebus constat, in verbis non est habenda controversia. Prædictæ tamen quæstioni rursus potest illud adjungi. Si ideo non est persona assumpta, quia non fuit homo ille antequam assumeretur a Verbo ; tunc ille homo ex quo fuit assumptus persona fuit. Et si homo a Verbo assumptus persona est, cum ille sit unitus Verbo persona est unita verbo et sic persona est unita personæ, quod non est ita concedendum. Non enim est alia persona homo assumptus a Verbo; sed una persona cum Verbo. Legitur namque: Homo assumptus est in unionem personæ non naturæ; quia non est una natura cum Verbo, sed una persona. Sicut enim anima et caro est unus homo: ita Deus et homo unus est Christus, quamvis multo major unio sit inter Deum et hominem, quam inter animam et carnem. Major namque unio est inter spiritualem et spiritualem naturam, quam inter spiritualem et corporalem potest esse. Deus vero est spiritualis natura, et homo spiritualis natura. Unde tanta est unio inter Deum et hominem, ut Deus dicatur homo, et homo Deus, sed nec anima dicitur caro, nec caro anima. Item : Illa persona Christus est verus Deus et verus homo ; sed non potest dici, homo est caro, homo est anima.

Homo est Deus sic exponitur, id est, unitus Deo ; Deus est homo, id est, unitus homini. Quam expositionem ego non improbo ; sed tamen mihi videtur quod plus in istis verbis contineatur. Si enim nihil aliud dicitur his verbis, homo est Deus, nisi homo unitus est Deo ; quare non potest dici caro est anima, cum sit unita animæ ? vel anima est Deus, cum sit unita Deo ? Itaque ideo dicitur, homo est Deus, Deus est homo ; quia ille idem qui est homo, est Deus ; et ille idem qui est Deus est homo. Unde Propheta : *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (Psal. LXXXVI). Et in Joanne : *Nemo*

A *ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo* (*Joan.* III). Ut enim Gregorius dicit : Ipse temporalis ex matre, æternus ex Patre ; ipse qui fecit, ipse qui factus est. De hoc solet quæri, homo assumptus est Deus, utrum sit concedendum. Sed cum Augustinus dicat, homo assumptus est unigenitus Dei Filius ; non video qua fronte negari posset. Quidam tamen ejus negativam concedunt, homo assumptus non est Deus ; id est humana natura non est divina. Ed quod hunc sensum habeat probant auctoritate Hieronymi qui ait : Verbum est Deus, non caro assumpta. Quæ auctoritas nihil contra nos facit. Nullus enim concedit hæc verba, caro assumpta est Deus, vel humana natura est Deus. Licet enim idem sit B homo assumptus vel humana natura, differentiam tamen faciunt in modo dicendi, sicuti Deus non est aliud quam divinitas ; et cum dicatur homo est Deus : non tamen dicitur homo est divinitas. Hoc enim esset dicere, homo est divina natura. Ut enim dicit Ambrosius : « Non versibilitate naturæ, sed unione personæ et homo Deus, et Deus homo. »

CAP. XVI. *Quod Christus simul animam et carnem assumpsit.*

Præterea hoc indubitanter est credendum, quod non prius carnem (ut quidam dixerunt) et deinde animam assumpsit, sed simul univit sibi verbum Dei carnem et animam. In hoc vero differre non inveniuntur sapientes. Quidam dicunt quod C caro illa quam de Maria suscepit, quadraginta diebus formata sit ; et ea jam formata scilicet lineamenta hominis habente, verbum Dei simul univit sibi et carnem ipsam et ipsam animam. Et hoc volunt habere ex auctoritate Augustini super Joannem, ubi dicitur : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis* (*Joan*, II), etc. Super quem locum dicit Augustinus : Hic numerus convenit perfectioni Dominici corporis ; quia, ut dicunt physici, tot diebus forma humani corporis perficitur. Alii volunt dicere quod ut primum separata est caro illa per Spiritum sanctum, habuit aliquam membrorum distinctionem, sed adeo parvam, ut oculis non subjaceret ; sed D per illos quadraginta dies, de quibus loquitur Augustinus, perfecta et notabilis fuit facta, et in ipso momento separationis carnem et animam suscepit. Et istis magis assentiunt auctores. Gregorius : Angelo nuntiante et adveniente Spiritu, mox verbum in utero ; mox intra uterum Verbum caro. Augustinus in libro De Trinitate : Non esset hominum et Dei mediator, nisi idem Deus idem homo in utroque et verus et unus esset, Quam servilem formam a solo Filio susceptam tota Trinitas (cujus una est voluntas et operatio) fecit. Non autem in utero Virginis prius caro concepta est, postmodum divinitas venit in carnem ; sed mox ut verbum venit, in utero (servata veritate propriæ naturæ) factum est caro et perfectus homo ; id est, in veritate carnis et animæ natus est.

De carne illa cui unitum est Verbum quæritur utrum prius in Maria fuit caro illa obligata peccato (1*). Quod ita fuisse Augustinus dicit; sed in ipsa separatione per Spiritum sanctum mundata fuit, et a peccato et a fomite peccati. Mariam vero totam prorsus a peccato, sed non a fomite peccati mundavit; quem tamen sic debilitavit, ut postea non peccasse credatur. Augustinus De natura et gratia : Excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Dei nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem, inde enim scimus quod ei plus gratiæ sit collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo virgine excepta, si omnes sancti et sanctæ congregari possent; quid responderunt nisi quod Joannes ait : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Sed si igitur caro Christi in Maria et in aliis de quibus descendit, fuit obnoxia peccato; quomodo solvetur istud : *Levi decimatus est in Abraham* (*Hebr.* VII), et Christus non est decimatus in Abraham ? Quod ita solvit Augustinus : Levi decimatus est in Abraham, quia inde per concupiscentiam descendit, Christus non est decimatus in eo, quia caro Christi non descendit inde per concupiscentiam. Sed nonne in David et in Mariam per concupiscentiam eadem caro descendit ? Non tamen caro Christi ; quia hoc esset dicere quod in Christum descendisset per concupiscentiam, quod falsum est penitus. Quinam volunt dicere quod sicut ante peccatum in Adam fuit illa particula munda et sancta, ita et post peccatum in ipso et in omnibus successoribus recta linea usque ad Mariam conservata sit. Et hoc dicunt se a Gregorio habere.

Quod homo ille ab ipsa conceptione plenus gratiæ et veritatis fuerit, et quod tantam habuerit sapientiam quod augeri non poterat : multæ auctoritates testantur. Jeremias : *Novum faciet Dominus super terram; femina circumdabit virum* (*Jerem.* XXXI) gremio uteri sui. Quid est hoc *femina circumdabit virum*; nisi quia ab ipsa conceptione perfectus homo secundum sapientiam, licet non secundum quantitatem corporis (ut voluerunt quidam) scilicet quod tantus in utero quantus in cruce? Ab ipsa enim conceptione *unxit* eum *Deus oleo lætitiæ præ participibus* suis (*Hebr.* I). Sed ad hoc videtur oppositum illud quod dicitur in Evangelio : *Jesus proficiebat ætate et sapientia apud Deum, et apud homines* (*Luc.* II). Sed potest dici quod si non in se proficiebat sapientia, proficiebat tamen in hominibus, qui scilicet de sapientia ejus proficiebant et meliores fiebant. Sicut solet dici : proficit iste in episcopatu suo; non quod aliquando sapientior fiat, sed quia bene instruit alios apud Deum et apud homines, id est, ad honorem Dei et ad profectum hominum. Beda super Lucam : Recte dicitur plenus sapientia, non per intervalla tem-

A porum proficiendo in sapientia qua semper plenus fuit ab hora conceptionis : *Quoniam in ipso*, ut Apostolus ait, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II).

Solet a quibusdam quæri utrum anima Christi sapientiam omnium rerum habuerit. Dicunt quidam quod non habuit omnem scientiam nec omnia scivit quæ Deus scit; quod ita volunt probare : Anima illa creatura est, sed in nullo æquatur creatura Creatori; non ergo scit quiquid Deus scit. Item si anima illa cum Deo æqualem habet sapientiam, falsum erit Deum in omni bono majorem habere sufficientiam quam ejus creaturam. Item dicit Apostolus : *Solus spiritus Dei scrutatur omnia, etiam profunda Dei* (*I Cor.* II);
B igitur illa anima non potest scire omnia. Ad quod potest dici quod, licet anima illa unita Verbo Dei, sciat quidquid Verbum, non tamen æquatur ei in scientia, quia illi inest per naturam illa scientia, animæ per gratiam. Item quod opponitur : Deus in omni bono habet majorem sufficientiam quam creatura ejus : hoc ibi dictum esse sciant, ubi aliud creaturæ bonum a bono Creatoris invenitur, sed cum sapientia illius animæ non sit alia quam divina sapientia, quomodo potest fieri comparatio? Indubitanter namque dicendum est quod alia sapientia quam divina non fuit in Christo. Si enim sapientia animæ Christi alia esset a divina sapientia, minor esset. Si minor esset sapientia illius animæ a sapientia
C Dei, quomodo illud totum comprehenderet? Minus ergo scivit homo ille quam Deus. Ideo ut illam veritatem firmiter teneamus quod illa anima nihil ignoravit, sed omnia scivit; dicendum est quod non alia sapientia erat anima illa sapiens; sed in Deo per naturam, in illa anima per gratiam. Quod autem dicunt. Solus Spiritus Dei scrutatur omnia, magis facit contra eos: statim enim supponit Apostolus : *Nos autem Spiritum Dei habemus* (*ibid*). Sed illa anima præ omnibus Spiritum Dei habuit. Contra pravitatem illorum dicit Joannes evangelista : *Spiritus aliis ad mensuram datur; sed Christo non est ad mensuram datus* (*Joan.* III). Sed cum in Christo sint duæ naturæ, videamus utri sit spiritus datus, an divinæ an
D humanæ. Divinæ non convenit dari, sed dare : est ergo humanæ naturæ datus spiritus sine mensura, sed ubi non est mensura non est terminus; igitur illa anima scivit omnia. Si enim quædam scivit, quædam non ; cum mensura scivit; quia terminum habuit scientia ejus. Fulgentius multa opponit contra illum errorem, asserens quod omnium rerum scientiam habuit anima illa auctoritate Apostoli, ubi ait : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi* (*Coloss.* II). Ratione quoque potest idem probari hoc modo. Nihil scit aliquis quod ejus anima nesciat; sed hoc omnes concedunt quod Christus omnia scit : igitur anima ejus scit omnia. Sed quamvis supradictis respondere nesciant, adhuc tamen nobis opponunt. Si anima

(1*) Hic loquitur secundum communem sui temporis opinionem, quo nondum Ecclesia aliter definierat scutiendum.

illa scit omnia quia unita est scienti omnia, ergo debet dici omnipotens, quia unita est omnipotenti. Ad hoc dici potest quod naturaliter anima est capax scientiæ ; et illud ei collatum est sine mensura cujus ipsa naturaliter capax est, sed cum idem sit esse Deum quod omnipotentem esse, non potuit illud conferri creaturæ.

Cap. XVII. *Quod Christus omnia infirma nostra præter peccatum susceperit*

Post supradicta videndum est quod dicit Leo papa : Dominus noster suscepit omnia infirmitatis nostræ præter peccatum. Ut enim probaretur verum corpus habere, suscepit defectus corporis, famem, sitim, etc., ut probaretur veram animam habere, suscepit defectus animæ, scilicet tristitiam, timorem, et cætera hujusmodi.

Hic potest opponi quod ignorantiam non habuerit, et tamen ignorantia non est peccatum; non ergo omnia nostræ infirmitatis suscepit. Ad quod potest dici, quod sicuti concupiscentia peccatum est, et tamen post remedium sacramenti non imputatur nisi consentiatur illi motui, ita ignorantia est peccatum ; et tamen non imputatur nisi negligentia sit, de qua dicitur in Apostolo : *Qui ignorat ignorabitur* (*I Cor.* xiv). Sed invincibilis ignorantia non imputatur : est tamen, ut assignavimus, peccatum. Omne enim quod separat inter nos et Deum peccatum dicitur; sed per ista Deo dissimiles sumus et ab eo recedemus : et ideo dicuntur peccata. Si opponitur quod non habuit pœnitentiam, hoc non est aliquid inter omnia nostræ infirmitatis. Quod tristitiam habuit et timorem, in Evangelio habemus : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Math.* xxvi; *Marc.* xiv). Et alibi : *Cœpit Jesus pavere et tædere* (*Math.* xiv). Augustinus : Tristitiam sic assumpsit quomodo carnem. Si enim non fuit tristis cum Evangelium dicat : Tristis est anima mea usque ad mortem, ergo et quando dicit Evangelium : Dormivit, non dormivit. Jesus ergo fuit tristis ; sed voluntate suscepit tristitiam veram. Ambrosius : Suscepit ergo tristitiam meam, suscepit voluntatem meam. Confidenter tristitiam nomino qui crucem prædico. Inveniuntur tamen aliæ auctoritates quæ videntur a Salvatore tristitiam et timorem removere. Hieronymus : Ne passio in illius animo dominaretur per passionem, cæpit contristari. Aliud enim est contristari ; et aliud incipere contristari. Item : Erubescant qui putant Salvatorem mortem timuisse, et passionis pavore dixisse : *Pater si potest fieri transeat a me calix iste* (*Math.* xxvi). Augustinus : Infirmos in se præsignans ait : Transeat a me calix iste. Non enim vere Dominus pati timebat tertia die resurrecturus cum averet Paulus *dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* i). Ad quod dicendum est quod est quædam tristitia et quidam timor, quæ in tantum dominantur animo et submergunt rationem, ut hominem, Dei contempto præcepto, ducant in peccatum; sicuti Petrus timore negavit. Et de hujusmodi loquuntur auctores quando dicunt Christum non timuisse. Sed est quidam timor moderatus qui naturaliter inest omni homini, et sine peccato est, sicut fames et sitis ; et ille fuit in Christo, horruit quippe mortem. Est etiam notandum quod in Christo fuerunt duæ voluntates. Dicit namque Augustinus : Non est alia voluntas Patris quam Filii ; et secundum illam voluntatem voluit Christus pati et mori, sicut et Pater volebat. Sed et alia voluntas quæ naturalis appetitus potest dici, cujus est nolle mori. Et juxta voluntatem hanc dictum est : *Non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* xxii). Alibi : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris* (*Joan.* vi). Sed in eo semper prævaluit voluntas rationis qua idem volebat cum Patre. Quod duæ voluntates fuerunt in Christo, habemus a metropolitana synodo, in qua fuit Macharius archiepiscopus damnatus; qui asserebat in Christo non fuisse duas voluntates. Solet etiam quæri utrum aliquid oraverit vel desideraverit quod non impetraverit. Quidam volunt dicere quod non sit exaudita illa oratio qua ipse orabat : Pater si fieri potest transeat a me calix iste; quia ex humana infirmitate illud orabat. Similiter volunt dicere quod ipse secundum humanum affectum voluerit salutem omnium. Unde illud : *In siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* lxviii) ; id est cum desiderarem fidem illorum. Sed cum ipse dicat in Joanne : *Non pro his rogo qui de mundo sunt* (*Joan.* xvii); non videtur quod unquam oraverit nisi pro salvandis. Non enim videtur conveniens quod ejus oratio non fuerit exaudita; vel quod ipse aliquid oraverit quod Patri sciret non placere, cum ipse omnia sciret.

Cap. XVIII. *An Christus sit creatura.*

A quibusdam solet quæri utrum sit concedendum : Christus est creatura. Non videtur per se concedendum. Nam si creatura est, initium habet. Si habet initium, non fuit semper. Sed cum determinatione potest concedi : Christus est creatura secundum quod homo ; quia secundum quod homo habet initium. Nec tamen per se concedendum est, Christus habet initium. Ambrosius quoque multis argumentis probat adversus Arium quod non sit creatura Christus, vel adoptivus filius. Quamvis enim non Filius Dei per naturam secundum quod homo, quia non est ejusdem substantiæ cum Patre secundum quod homo ; non tamen adoptivus. Adoptivus, enim est qui cum prius esset non filius, adoptatur postea in filium. Sed non prius homo ille quam Filius Dei fuit. Si ergo quærantur a me : est Christus Filius Dei ? concedam, sed cum determinatione. Christus secundum quod homo, est Filius Dei. Si dicatur : per naturam an per adoptionem ? neutrum concedam, sed per unionem. Unde Apostolus : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* (*Rom* i). Prædestinatio enim non secundum quod Deus, sed secundum quod homo ei convenit. De hoc dicit Ambrosius : Quidquid habet Filius Dei per naturam, habet Filius hominis per gratiam. Solet opponi : Deus est æternus, immensus, immortalis : ergo homo ille æternus,

immensus et immortalis. Sed homo ille ex tempore est mortalis et passibilis. Ad quod potest dici quod sicuti dicitur Deus passus, mortuus, crucifixus, unde Apostolus : *Dominum gloriæ crucifixerunt* (*I Cor.* II); et tamen Deus in natura sua non potest mori, non potest pati, sed per unionem hominis dicuntur; de Deo hæc omnia, ita et quæ Dei sunt dicuntur de homine illo per unionem Verbi. Unde Propheta. *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam* (*Psal.* LXXXVI). In Joanne : *Nemo ascendit in cœlum nisi Filius hominis qui de cœlo descendit* (*Joan.* III). Sed opponitur : Si homo ille æternus est, ergo caret initio; quod falsum est, habet enim initium ex tempore. Sed non sequitur de homine si est æternus quod caret initio; quia prima est figurativa. Sicut non sequeretur, Deus crucifigitur, moritur : ergo desinit esse vel vivere. Ut enim dicit Augustinus, videndum est quid de quo secundum quid dicatur. Quæri etiam solet utrum Christus habuerit fidem, spem et charitatem. De charitate certum est; ipse enim ex charitate posuit animam pro fratribus. Quod spem habuerit habemus in Psalmo : *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te* (*Psal.* XV); et in alio : *In te, Domine, speravi* (*Psal.* XXX), quos psalmos exponunt auctores de Christo. Sed Apostolus dicit : *Spes quæ videtur non est spes, quod enim videt quis, quid sperat?* (*Rom.* VIII). Christus autem omnia videbat. Sed illud dicit Apostolus de spe secundum quod in nobis est. Quod fidem habuerit non est concedendum. Quæritur autem an aliquid sibi meruit : certum est enim quod membris meruit. Quod sibi etiam meruit Apostolus dicit, ubi ait : *Propter quod et Deus exaltavit illum* (*Philip.* II), etc. Et in Propheta : *De torrente in via bibet : propterea exaltavit caput* (*Psal.* CIX). Meruit corpori suo et immortalitatem et impassibilitatem. Sed cum ipse innocens esset, hoc totum debebatur ei; et ita non ex merito hoc habuit. Potest tamen aliquis mereri quod sibi deberetur, ut filius cui deberetur hæreditas Patris, promeretur eam Patri serviendo. Quod animæ nihil promeruerit Christus multi dicunt; et quod animæ ejus nihil accreverit; perfecte enim ut dicunt, beata erat; quia, ut Joannes dicit, *Hæc est vita æterna, cognoscere te et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Gregorius quoque ita dicit : Non habuit anima Christi in quo proficere posset. Probari tamen hoc potest, quod etiam animæ, promeruerit, et quod animæ accreverit aliquid post passionem. Prius enim habuit timorem et tristitiam; sed post passionem nec tristari potuit, nec turbari. Accrevit ergo animæ illi impassibilitas ut jam pati non possit; quare non solum corpori, sed et animæ promeruit glorificationem et impassibilitatem. Sed quod dicit Gregorius : Non habuit anima Christi in quo proficere posset : intelligendum est de scientia et de dilectione. Non enim poterat augeri ejus scientia vel dilectio.

Illud quoque sciendum est quod illius personæ A quæ est Christus, non est una pars Deus, et alia homo. Si enim partes integrales esset illius personæ, tunc esset augmentata illa persona propter assumptum hominem. Augustinus : Christus est una persona geminæ substantiæ, nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest : alioquin Filius Dei antequam formam susciperet non erat totus; et crevit cum homo divinitati ejus accessit.

Solet quæri utrum Christus peccare potuerit. Quod quidam volunt probare auctoritate illa. *Potuit transgredi et non est transgressus : malum facere, et non fecit* (*Eccli* XXXI). Sed hoc non putamus dictum de Christo; sed de sanctis hominibus. Item opponunt : Christus habuit liberum arbitrium : ergo in utramque partem B poterat flecti. Sed hoc non valet cum etiam angeli habeant liberum arbitrium; et tamen ita sunt confirmati per gratiam quod peccare non possunt. Sed multo magis credimus illum hominem Deo unitum per gratiam, confirmatum esse ab ipsa conceptione. Item opponunt. Ille homo poterat non esse Verbo unitus; et si non esset unitus Verbo, peccaret sicut alii homines; ergo potuit peccare ille homo. Sed hoc non negamus quin peccare posset homo ille si non esset unitus Verbo; sed postquam fuit unitus Verbo, peccare non potuit. Si enim potuit peccare, et damnari potuit, quia peccatum sequitur damnatio. Sed quid absurdius quam quod Filius Dei (qui erat homo ille) damnari posset! Hic notandum est tres C status esse hominis; et videndum est quid de unoquoque susceperit Dei Filius. Primus status ante peccatum in quo fuit homo conditus. Secundus status ad quem per peccatum est lapsus. Tertius status ad quem post resurrectionem est inferendus. Primus status possibilitatem habuit moriendi, non necessitatem. Secundus status necessitatem moriendi habet; necessario enim moritur. Tertius status necessitatem moriendi non habet ut secundus, nec possibilitatem moriendi vel peccandi ut primus. De primo statu habuit mori Christus posse, vel posse non mori; sola namque voluntate mortuus est. Unde et dicitur a quibusdam : Voluntate mortuus, voluntate mortalis erat, natura immortalis; quia cum esset sine D peccato (quod est causa mortis) nunquam moreretur si vellet. De secundo statu habuit defectus istos, famem, sitim, etc. De tertio statu habuit non posse peccare.

Potest quæri, cum posset Christus mori morte non illata ab aliis et in ea redimere humanum genus : quare voluit mori tali morte in qua facta est multorum damnatio, sicut Judæ et aliorum? Ut nos traheret ad dilectionem sui. Quanto enim graviorem mortem pro nobis sustinuit; tanto magis eum diligere debemus.

Cap. XIX. *An in morte Christi separata fuerit divinitas ab humanitate.*

Præterea solet quæri, utrum in morte separata sit divinitas ab humanitate. Quidam volunt dicere quod a carne separata sit divinitas, non ab anima, quibus non est credendum cum dicat Leo

papa : Ex quo hominem assumpsit non deposuit. Et hoc omnes religiosi tenent, quod nec a carne nec ab anima separata est illa divinitas post illam ineffabilem unionem. Non enim est divinitas bis incarnata ; nec bis assumpsit carnem. Indubitanter ergo ex quo Dei Filius factus est homo, semper Deus homo, et homo Deus. Anima enim separata est a carne ; sed divinitas a neutro. Unde et ita exponit Augustinus verba illa : « Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam. » Non divinitas animam deposuit ; sed caro animam posuit in morte, et eam assumpsit in resurrectione. Item in libro ad Felicianum dicit Augustinus : Sicut in sepulcro carnem suam non deseruit sic in utero virginis eam conascendo formavit, sic ergo non discedente vita mortuus est, sic passus est non pareunte vitæ potentia. Erat enim uno atque eodem tempore totus in inferno, totus in cœlo. Erat apud inferos resurrectio mortuorum ; erat super cælos vita viventium. Vere mortus, vere vivus, in quo et mortem susceptio mortalitatis excepit ; et vitam divinitas servata non perdidit.

Opponitur : Si Dei Filius non est separatus ab homine in ipsa morte, ergo nunc non desiit homo esse : sed homo mortuus non est homo ; nec igitur tunc erat homo, quod quam frivolum sit manifestum est. Ita enim posset dici : modo non est homo ; quia non est animal rationale et mortale, quod penitus falsum est. Cum enim dicebant hoc etiam philosophi : homo mortuus non est homo, vel non est animal rationale mortale : loquebantur de homine secundum hunc statum. Item opponitur : Si tunc erat homo, vel mortalis vel immortalis, sed mortalis non, quia mortuus ; immortalis nondum, quia post resurrectionem tantum. Ad quod nos satis concedimus quod nunc nec mortalis, nec immortalis. Objiciunt tamen auctoritatem Anastasii, hanc scilicet : Maledictus qui hunc totum hominem, id est animam et corpus quod assumpsit denuo assumptum vel liberatum post tertium diem a mortuis resurrexisse non confitetur : Fiat fiat. Ad quod dicimus Anastasium loqui contra illos qui negabant ejus resurrectionem : et putabant quod in morte detineretur ille, qui solus inter mortuos liber. Et ideo dixit hominem denuo assumptum, id est liberatum a morte. Item Ambrosius super illud : *Clamavit voce magna dicens : Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* (*Math.* XXVII). Clamat homo separationem divinitatis moriturus. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat nisi vita discederet; quia vita est divinitas. Sed Ambrosius intellexit divinitatem separari ab homine illo per hoc quod morti exposuit hominem illum, sicut in psalmo : *Quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI), id est morti exposuisti ; non quod derelictus sit, vel ab eo divinitas separata sit. Videbatur enim derelinqui a Deo vel divinitas discedere; cum non ostenderet eum defendendo suam potentiam.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE CREATIONE ET STATU ANGELICÆ NATURÆ.

CAPITULA.

CAP. I. — *De creatione rerum et præcipue angelorum.*

Pertractatis partibus fidei adjiciendum videtur de prima rerum creatione. Cum Plato dixerit tria esse principia ; materiam, formam, opificem : fides Catholica unum principium credit esse omnium rerum, Deum scilicet cujus bonitas omnium rerum causa fuit. Cum enim summe bonus et perfecte beatus æternaliter esset, voluit aliquos esse participes suæ beatitudinis. Et quia non potest ejus beatitudo participari nisi per intellectum, et quanto magis intelligitur tanto magis habetur ; fecit rationalem creaturam ut intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur ; et eam hoc modo distinxit, ut pars in sui puritate permaneret scilicet angeli ; pars corpori jungeretur ut animæ. Quæritur cur ita factum sit ; cum majoris dignitatis esset anima si in sua puritate et simplicitate permansisset. Ad quod potest dici quod licet anima dignior esset sine corpore ; tamen corpori voluit Deus eam sociari, ut in humana conditione ostenderet novum exemplum æternæ unionis, quæ est inter spiritum et Deum. Videbatur enim creaturæ quod non posset uniri suo Creatori. Sed cum spiritus (qui excellentior creatura est) tam infimæ creaturæ sicut est corpus in tanta dilectione uniatur, ut non possit coarctari ad hoc ut velit eam relinquere ; patet spiritum creatum eodem modo tam summo bono uniri posse. Ideo etiam animæ sunt associatæ corporibus ; ut in eis Domino famulentur, et verum et summum bonum promereantur.

Cum itaque in angelos et homines distincta sit rationalis creatura ; primum de angelis agendum videtur. De quibus considerandum est quando creati fuerint ; ubi facti fuerint ; quales etiam facti fuerint. Quædam auctoritates videntur velle

quod ante omnem aliam creaturam facti sunt A angeli. Unde illud: *Prior omnium creata est sapientia* (*Eccli.* I); quod de angelis dictum est. Cui videtur contrarium quod dicitur in Genesi: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). Si enim hæc in principio creata sunt, nihil ante cœlum et terram factum est. Et in propheta: *Initio tu, Domine, terram fundasti* (*Psal.* CI). Quare dicendum videtur quod simul creata sit et angelica creatura et corporalis. Unde illud Salomonis: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII); id est spiritualem et corporalem naturam. Et ita non prius tempore creati sunt angeli quam illa corporalis materia quatuor elementorum. Tamen prima omnium creata est sapientia; quia si non tempore præcedit, B tamen dignitate. Hieronymus tamen in epistolam ad Titum aliud videtur sentire dicens; sex millia necdum nostri temporis implentur anni: et quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est; in quibus angeli, throni, dominationes servierunt Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris Deo jubente substiterunt? Cui auctoritati quidam adhærentes dicunt cum mundo tempus cœpisse; quoniam non fuit mutabilitas ante mundum; et tamen fuisse angelos astruunt immutabiliter et intemporaliter. Nos tamen quod dictum est prius, magis approbamus; et quod Hieronymus dicit, ex dictis. Origenis fuit, nec asserendo dictum est sed dubitando dixit, inqui- C rendo quantas æternitates, etc., arbitrandum est prius fuisse, etc.

Ubi facti fuerunt quæritur. Et videntur auctores velle eos fuisse factos in cœlo. Unde in Evangelio: *Videbam Satan sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X). Nec appellamus hic cœlum firmamentum quod secunda die factum est, sed cœlum empyreum; id est, splendidum quod statim repletum est angelis, illam scilicet superiorem partem usque ad quam machina illa elementorum adhuc indistincta porrigebatur. Simul enim, ut diximus, creati sunt angeli et illa corporea materia. Unde Augustinus exponit ita locum illum: «In principio creavit Deus cœlum et terram;» cœlum, id est angelos; D terram, id est corpoream machinam, in cujus superiori parte facti sunt cœli, id est angeli. Sed si in cœlo erant; quomodo, ut legitur in Isaia, diceret, Lucifer: *Ascendam in cœlum, ponam sedem meam ad aquilonem: et ero similis Altissimo?* (*Isa.* XIV). Sed ibi vocat cœlum sublimitatem Divinitatis. « Ascendam in cœlum, » id est ad æqualitatem Deitatis.

CAP. II. — *De statu angeli in principio creationis ejus.*

Deinde restat videre quales facti fuerint. In prima conditionne tria videntur esse attributa; essentia indivisibilis et immaterialis, et ideo indeficiens per rationem naturaliter insitam; intelligentia spiritualis; liberum quoque arbitrium quo poterat sine violentia ad utrumlibet propria voluntate deflecti.

Solet a quibusdam quæri utrum boni an mali, justi an injusti, beati an miseri creati sunt. Eos fuisse bonos in primo exordio creationis constare debet, id est sine vitio. Non enim creator optimus auctor mali poterat esse. Sed nec justi nec injusti tunc fuerunt, nec aliquam virtutem tunc habuerunt. Est enim omnis virtus meritum, et omne meritum ex libero arbitrio; sed liberum arbitrium semper est ad futurum et non est ad præsens et præteritum. Quod enim est non potest tunc non esse; et quod non est non potest tunc esse: et ideo in potestate liberi arbitrii non est. Non igitur erat liberi arbitrii ut tunc essent boni, quod tunc erant ex creatione; vel mali, quod non erant, sed in posterum tantum. Sicut aliquis sedens in potestate habet ut stet; sed non tunc; non enim potest ut tunc stet; sed in futurum. Et ideo dicimus eos in principio creationis non habuisse aliquam virtutem vel justitiam, nisi acciperemus virtutem naturalem, ut ratio, ingenium et hujusmodi. Nec possumus dicere quod injusti essent; quia sine vitio erant. Et cum essent sine vitio, erant non miseri; cum pœna non præcedat culpam, nec tamen beati; quia non sunt creati in beatitudine, sed ad beatitudinem. Si tamen aliqua auctoritas dicat eos in ipsa creatione justos vel injustos vel beatos fuisse, beatitudinem vel justitiam vocat illum statum sine miseria et sine vitio. Opponitur a quibusdam hoc modo: Si in principio creationis non habuerunt virtutes et beatitudinem, tunc fecit Deus eos imperfectos; sed non decuit eum qui summe potens est et perfecte beatus aliquid facere imperfectum. Sed potest dici quod erant perfecti; quoniam habebant quidquid habere debebant. Dicitur namque perfectum tribus modis: secundum tempus, secundum naturam et universaliter perfectum. Secundum tempus perfectum quod habet quidquid tempus requirit et convenit secundum tempus haberi; et hoc modo angeli erant perfecti; secundum naturam quod habet quidquid debitum est vel expedit naturæ suæ ad glorificationem; et hoc modo perfecti post confirmationem fuerunt angeli, quomodo et erunt sancti post resurrectionem. Universaliter et summum perfectum est cui nihil deest; quod est solius Dei.

CAP. III. *De statu angelorum statim post creationem eorum.*

Quales fuerint angeli in creatione jam diximus. Statim autem post creationem quidam sunt conversi ad creatorem suum; quidam aversi. Converti ad Deum, fuit diligere; averti, odio habere. In conversis quasi in speculo lucere cœpit Dei sapientia, qua ipsi illuminati sunt. Aversi excæcati sunt, nec reluxit in illis divina sapientia; quia aversi sunt a lumine, tanquam speculum a facie videntis. Sed illis stantibus et istis ruentibus discrevit Deus lucem a tenebris, lucem fecit et discrevit; quia quod boni erant donum fuit. Tenebras non fecit, sed discrevit ab eis lucem. Et ita angeli prius creati; unde dictum est: *In principio creavit Deus cœlum* (*Gen.* I). id est angelos.

Deinde formati quando scilicet ad Creatorem (A) sunt conversi. Unde dictum est : *Fiat lux* (*ibid.*)

Sed quærendum est utrum aliquid collatum sit istis post creationem per quod diligerent? Quod ita est, scilicet cooperans gratia ; sine qua non potest proficere rationalis creatura. Eadem enim cadere per se potest ; sed proficere non potest nisi gratia cooperante. Unde videri potest quod non sit imputandum illis quod ceciderunt, sine gratia enim cooperante proficere non poterant : sed illa non est data, nec culpa eorum fuit quod non est data; quia in eis nulla culpa adhuc præcesserat. Ad quod potest dici quod quibus data est gratia illa, non fuit data ex merito, quia adhuc nullum erat meritum; sed quod aliis non est data, eorum culpa fuit ; non quæ præcessit tempore, sed in (B) causa ; quia sicut gratia in illis est causa meriti, et tamen tempore non præcessit meritum ipsum: ita in istis culpa fuit causa quare ex judicio Dei justo gratia non daretur, et tamen hoc non tempore præcessit illud ; quia cum Deo omnia sint præsentia, non eget alicujus testimonio. Ut primum aliquis peccat juste potest eum judicare, non post sed simul ; quod si placet differre, misericordia est. Illorum culpa in hoc potest considerari ; quia licet sine gratia cooperante (quam nondum acceperat) non possent proficere, tamen per id quos eis collatum erat ex gratia creatrice, poterant non cadere. Nihil enim in eis erat quod ad hoc eos compelleret. Et si non declinassent propria voluntate; quod aliis datum (C) est, daretur et istis.

Quæritur utrum aliqua mora fuerit inter creationem eorum et casum? Ad quod potest dici quod non fuit mora ; et tamen illud prius, istud posterius, sed sine intervallo. Non enim semper fuerunt mali, ut quidam dicere volunt pro illa auctoritate. *Ab initio homicida fuit; et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII). Sed non dicitur in initio hoc fecit, sed ab initio, id est statim post initium ; et in veritate non stetit ; id est non permansit, si in ea fuerit. Homicida potest dici sui ipsius, quia et ipse appellatur homo, ut: *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII). Vel ut Augustinus exponit, ab initio, id est ex quo homo fuit, homicida fuit ; quia eum per (D) invidiam in mortem præcipitavit. Item dicit Augustinus super Genesim : Non frusta putari potest ab initio temporis diabolum superbia cecidisse, nec fuisse antea ullum tempus quo cum angelis sanctis pacatus vixerit et beatus ; sed ab ipso primordio creaturæ apostatasse. Quia ut ait Dominus, non stetit ab initio, ex quo ipse creatus est, qui staret si stare voluisset. Quæ auctoritas supradicto modo potest exponi.

Cap. IV. *De excellentia Luciferi ante lapsum, et pœna post lapsum.*

Inter eos qui ceciderunt unus fuit excellentior omnibus aliis, et non solum illis qui ceciderunt, sed et aliis omnibus cum fuisse excellentiorem videntur auctores velle. Quemadmodum Job dixit: *Ipse est principium viarum Dei* (*Job* XL). Et in Ezechiele: *Tu signaculum similitudinis plenus scientia et perfectione decoris in deliciis paradisi* (*Ezech.* XXVIII). Quod sic exponit Gregorius : Quanto in eo subtilior est natura ; tanto in illo imago Dei similius insinuatur expressa. Item in Ezechiele : *Omnis lapis pretiosus operimentum ejus* (*ibid.*), id est omnis angelus operimentum ejus; quia, ut dicit Gregorius, in aliorum comparatione cæteris, clarior fuit. Unde appellatus est Lucifer ; quia non unus ordo sed unus spiritus putandus est. Quia, ut dicit Isidorus, postquam creatus est absque aliquo intervallo profunditatem suæ scientiæ perpendens in suum Creatorem superbivit, et ut dicitur in Isaia Deo æquari voluit, dicens : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, et ero similis Altissimo* (*Isa* XIV). Similis esse voluit ; non per imitationem, sed per æqualitatem : et non solum æqualis, sed etiam quod superior esse voluit videtur auctoritas illa velle : *Extollitur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus* (*II Thes.* II).

Et quia contra Creatorem suum in tantum superbivit, dejectus est in istum caliginosum aerem cum omnibus illis qui ei consenserunt; et hoc ad nostri probationem ut sint nobis adminiculum exercitationis. Non est eis concessum habitare in cœlo, quæ est clara patria ; nec in terra, ne homines nimis infestarent ; sed in aere caliginoso qui est carcer eis usque in diem judicii. Tunc enim detrudentur in barathrum inferni secundum illud: *Ite, maledicti, in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Et sicut majoris scientiæ sunt vel minoris, ita habent majores vel minores prælationes ; quia quidam uni provinciæ, quidam uni homini, quidam uni vitio præsunt. Unde dicitur spiritus superbiæ, spiritus luxuriæ. De hoc autem dubitatio est utrum modo omnes in isto aere sint usque in diem judicii ; an aliqui eorum in inferno inferiori sint, quod de auctoritate non multum certum habemus. Quidam tamen volunt dicere quod Lucifer qui plus cæteris peccavit, statim illuc demersus sit ; et etiam quidam ex aliis. Origenes etiam dicit quod illi qui a sanctis juste et pudice viventibus vincuntur, non habent potestatem amplius tentandi alios, sed statim illic demerguntur : quod satis verisimile est. Origenes : Puto etiam sane quod sancti repugnantes adversus illos tentatores et vincentes minuant exercitum dæmonum velut quam plurimos eorum interimant ; nec ultra fas sit ullum spiritum qui ab ullo sancto caste et pudice vivendo victus est, iterum impugnare alium hominem.

Sciendum quoque est quod boni angeli ita sunt confirmati per gratiam quod peccare non possunt; mali autem ita obstinati per malitiam quod bonum facere non possunt.

Ad hoc opponitur quod liberum arbitrium habent : ergo in utramque partem possunt flecti. Sed inde non dicitur liberum arbitrium, ut in loco suo ostendemus, sed liberum, id est volontarium;

et boni non necessitate cogente, sed libera voluntate a malo abstinent; similiter et mali a bono. Item opponitur de hoc quod Hieronymus dicit: Solus Deus est in quem peccatum cadere non potest; cætera cum liberi arbitrii sint in utramque partem flectere voluntatem suam possunt. Sed qualiter hoc intelligendum sit, ex his verbis Isidori conjicere possumus. Angeli mutabiles natura; immutabiles gratia. Unde videtur concedendum: Boni angeli possunt peccare ex sua natura, id est, eorum natura non ad hoc repugnat, nec tamen concedendum est, boni angeli possunt peccare. sed potius non possunt peccare, id est gratia per quam sunt confirmati ad hoc repugnat. Et quanquam mali sint per malitiam obstinati, tamen vivacem sensum non amiserunt: Quia, ut dicit Isidorus, triplici acumine scientiæ vigent; subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum. Augustinus: Spiritibus malis quidam vera de temporalibus rebus nosse permittuntur, partim sensus subtilitate, partim experientia temporum callidiore propter tam magnam longitudinem vitæ; partim a sanctis angelis quod ipsi ab omnipotente Deo discunt et jussu ejus sibi revelantibus. Aliquando autem idem nefandi spiritus etiam quæ ipsius auctoris sunt velut divinando prædicunt. Quæritur utrum præscii fuerint sui casus. Sed si suum casum præscierunt; aut vitare noluerunt, et ita stulti et maligni erant ante casum; aut vitare voluerunt, sed non potuerunt, et ita erant miseri antequam caderent. Propter hæc inconvenientia dicit Augustinus super Genesim, eos sui casus non fuisse præscios.

Cap. V. *De ordinum distinctione.*

Post supradicta videndum est quod Scriptura novem ordines angelorum testatur esse in pluribus locis. Et inveniuntur in istis ordinibus tria terna esse; et in unoquoque tres ordines, ut Trinitatis similitudo in eis præ aliis creaturis impressa videatur. Sunt enim tres ordines superiores, tres inferiores, tres medii. Superiores: seraphin, cherubin, throni; medii: dominationes, potestates, principatus; inferiores: virtutes, archangeli, angeli. Hic igitur videndum est quid appellemus ordinem, et utrum ab ipsa creatione fuerit illa distinctio ordinum. Ordo angelorum dicitur multitudo cœlestium spiritualium qui intra se præ aliis in aliquo dono assimilantur: ut seraphin qui præ aliis ardent charitate; seraphin enim interpretatur *ardens*. Cherubim, qui præ aliis in scientia eminent, cherubin namque interpretatur *plenitudo scientiæ*. Thronus interpretatur *sedes*. Throni ergo vocantur, ut Gregorius ait, qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis sedeat Deus, et per eos judicia sua decernat. Dominationes qui potestatem principatuum transcendunt. Principatus vocantur qui sibi subjectis dum quæ sunt agenda disponunt: eis ad explenda divina mysteria principantur. Potestates qui hoc potentius cæteris in suo ordine acceperunt, ut virtutes adversæ eisque subjec-

A tæ earum refrenentur potestate ne homines tentare valeant quantum desiderant. Virtutes dicuntur per quos signa et miracula frequentius fiunt; archangeli qui majora nuntiant: angeli qui minora nuntiant. Et quia majus donum est charitas quam scientia; ideo superior cæteris ordo a digniori nomen accepit. Item majus est scire quam judicare. Scientia namque informat judicium. Sic et de aliis colligi potest per singula; et ita secundum excellentiam donorum, assignatur excellentia ordinum. Et tamen sicut Gregorius ait: Illa dona omnibus sunt communia. Omnes enim ardent charitate, et scientia pleni sunt; sed quanto superiores, tanto excellentius præ aliis ea possident. Gregorius: « In illa summa civitate B quisque ordo ejus rei nomine censetur, quam in munere plenius accepit. »

Hic oritur quæstio hujusmodi. Si quisque ordo plenius possidet donum illud a quo nominatur, tunc cherubin in scientia præeminet omnibus; sed qui magis diligit plus cognoscit (tantum enim cognoscitur quantum diligitur Deus); igitur seraphin non solum in charitate, sed etiam in scientia præeminet. Unde quidam sic exponunt auctoritatem illam. Ejus rei nomine ordo quisque censetur, quam in munere plenius accepit. Plenius non ad omnes, sed ad inferiores intelligitur, vel nos possumus dicere quod illa comparatio fiat non ad angelos, sed ad alia dona, Sicut enim in hominibus cum idem habeat plures C virtutes; tamen unam plenius aliis: ut Job patientiam, David humilitatem: ita et in angelis. Unde sic exponi potest illa auctoritas: Ejus rei nomine censetur quam in munere plenius accepit. Non plenius aliis angelis omnibus, sed aliis donis.

Hic restat inquirere utrum ordines isti a creatione sui fuerint. Quod ita fuisse constat, cum auctoritas dicat de singulis ordinibus aliquos cecidisse. Sed ex alia parte non potest dici quod tunc charitate arderent. Non ergo videtur quod tunc esset seraphin. Ad hoc potest dici quod, quamvis in principio creationis non arderent charitate, tamen in hoc erat ille ordo discretus ab aliis, quia ad diligendum habilior cæteris erat. sicut enim videmus in corporibus quod in natura D sua quædam sunt aliis magis solida et firma, magis etiam aliis munda et clara; sic et in illis spiritualibus naturis convenientes eorum puritati et excellentiæ et in essentia et in forma differentiæ gradus in ipso conditionis exordio potuerunt esse, quibus alii superiores, alii inferiores. Superiores qui natura magis subtiles, inferiores qui natura minus subtiles, et sapientia minus perspicaces conditi sunt. Sed istas discretiones invisibiles invisibilium solus ponderare potuit: Qui *omnia in numero et pondere et mensura* fecit (*Sap.* XI).

Quæritur an omnes ejusdem ordinis pares sunt et æquales. Quod quibusdam visum est. Sed illud non potest stare cum Scriptura dicat Luciferum cunctis aliis excellentiorem; quem constat fuisse de ordine supremo, et tamen in ordine illo

cæteris fuit excellentior. Sicut enim omnes virgines unius ordinis sunt, et tamen alius excellit alium in virginitate ; sic et in angelis potest esse. Legimus quod decimus ordo de hominibus impleri debeat. Mali enim angeli cum de singulis ordinibus caderent, fecerunt unum ordinem ; quia in malitia similes, licet improprie in eis dicatur ordo. Et ille decimus ordo, ut Scriptura dicit, de hominibus restauratur. Sed cum Gregorius dicat assumendos esse homines in ordines angelorum ; quidam in ordinem superiorum qui scilicet magis ardent charitate ; quidam in ordinem inferiorum qui scilicet minus perfecti sunt ; non videtur quod decimus ordo de hominibus fiat, sed novem tantum remaneant. Ad quod potest dici quod secundum convenientiam donorum quam B habent cum angelis dicuntur assumendi in ordines angelorum ; sed secundum naturam quam habent differentem ab illis, alium ordinem dicuntur facturi.

Et quamvis de hominibus restauretur quod lapsum est in angelis (propter quod ait Apostolus : *Proposuit Deus instaurare omnia in Christo quæ sunt in cælo et quæ in terris* (*Ephes.* I) non tamen intelligendum est quod solummodo propter illos qui ceciderunt factus sit homo. Licet enim angelus non cecidisset ; homo non minus factus esset. Unde Gregorius dicit quod non sunt homines electi juxta numerum eorum qui ceciderunt ; sed juxta eorum numerum qui permanserunt. Gregorius : Quia superna C civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantos humani generis credimus conscendere, quantos illic contigit angelos remansisse, sicut scriptum est : Statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei.

Cap. VI. *De missione angelorum.*

Videntur quædam auctoritates velle quod non omnes angeli mittantur. Ut in Daniele : *Millia millium ministrabant ei ; et decies millies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII). Dionysius : Superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt, quoniam ea quæ præeminent usum exterioris officii nunquam habent. Istis auctoritatibus dicunt quidam quod non mittuntur nisi inferiores. Sed eis opponitur illud quod D Isaias dicit : *Volavit ad me unus de seraphim* (*Isa.* VI). Quod ita solvit Dionysius : Hi spiritus qui mittuntur sortiuntur eorum vocabulum quorum gerunt officium. Unde dicunt illum angelum qui missus est ad Isaiam ut mundaret labia prophetæ, de ordine inferiorum fuisse ; sed appellatum seraphin, quia veniebat incendere et consumere delicta prophetæ. Item dicit Apostolus : *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi* (*Hebr.* I). Unde videtur quibusdam quod omnes mittantur ; et quod ille qui missus est ad annuntiandum sanctum sanctorum fuerit de supremo ordine. Si opponitur. Quare ergo non omnes appellantur angeli ; sed duo

A tantum inferiores ordines ? Quia sæpius et quasi ex officio injuncto hoc habent illi duo ordines. Nec debet indignum videri si etiam superiores mittuntur ; cum et ille qui Creator est omnium ad hæc inferiora descenderit. Unde videtur quod Michael, Gabriel, Raphael de superiori ordine sint. Nec sunt nomina ordinum sed spirituum. Michael interpretatur *quis ut Deus* ; Gabriel, *fortitudo Dei* ; Raphael, *medicina Dei* ; Dicit Scriptura quod angeli sunt deputati ad custodiam hominum, ut in Evangelio : *Angeli eorum semper vident faciem Patris* (*Matth.* XVIII). Gregorius etiam dicit quod quisque habet unum bonum angelum sibi ad custodiam deputatum ; et unum malum ad exercitandum. Cum enim omnes boni angeli desiderent bonum nostrum et communiter saluti omnium studeant ; ille tamen qui deputatus est alicui ad custodiam, eum potius ad bonum hortatur, sicut legimus de angelo Tobiæ, de angelo Petri in Actibus apostolorum. Similiter et mali angeli cum desiderent malum omnium, tamen magis incitat eum malus angelus qui permissus est ei ad tentandum.

Sed dubium est nec de Scriptura habemus determinatum utrum pluribus unus sit datus ad custodiam, an singuli singulis. Sed cum electi tot sint quot et boni angeli sunt ; plures constat esse inter bonos et malos homines quam boni angeli sunt. Quomodo ergo singuli et boni et mali homines habent singulos sibi ad custodiam legatos?

Præterea sciendum est quod cognitio angelorum usque ad judicium augeri potest. Unde illud quod in Isaia Domino ascendente angeli quærunt : *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra*? (*Isa.* LXIII.) Et in psalmo : *Quis est iste rex gloriæ* ? (*Psal.* XXIII.) Itaque dici potest quod eorum cognitio non decrescit, quia nihil obliviscuntur cum sint confirmati per gratiam ; sed potest crescere usque ad futuram consummationem, quando fixi et immobiles erunt in eo quod scient, ut nec plus nec minus scire possint.

Ad hoc quod diximus angelorum cognitionem augeri posse, videtur oppositum quod dicit Isidorus : Angeli in Verbo Dei sciunt omnia antequam fiant. Gregorius in libro Dialogorum : Quid est ibi quod nesciant ubi scientem omnia sciunt ? Sed potest dici quod, et si videant (imo habent eum *in quo omnes thesauri sapientiæ sunt* (*Coloss.* II) non tamen ibi cognoscunt nisi quantum ipse vult eis aperire ; et tamen dicuntur omnia scire, id est nihil ignorare. Nihil enim ignorat qui scit quidquid scire debet, et quidquid Deus vult eum scire. Per omnia enim voluntas eorum divinæ concordat voluntati , nec aliud volunt scire nisi quod eos scire cognoscunt Deum velle. Meritum angelorum dicitur esse in hoc quod desiderant bonum nostrum et nostro profectui student. Unde Apostolus : *Et Angeli nostri sunt* (*Hebr.* I).

TRACTATUS TERTIUS.

DE CREATIONE ET STATU HUMANÆ NATURÆ.

CAPITULA.

CAP. I. *De operibus itaque sex dierum.*

Sicut diximus : *in principio* creaturarum *creavit Deus cœlum*, id est angelos *et terram* (*Gen.* I), scilicet illam materiam quatuor elementorum adhuc confusam, quæ dicta est chaos : et hoc fuit ante omnem diem. Restat igitur videre quomodo per sex dies illam materiam distinxit. Sicut in Genesi dicitur : Prima die *facta est lux* (*ibid.*). Quidam expositores dicunt quod lux illa fuit quoddam splendidum corpus quasi lucida nubes quædam, quæ sicut sol circumferebatur ortu et occasu suo diem et noctem faciens. Alii dicunt, quod lux illa quæ facta est prima die, fuit angelica creatura ad Creatorem conversa, sicut jam diximus ; secunda die firmamentum factum est, ut divideret aquas ab aquis. Beda dicit quod firmamentum sit de acquis consolidatis quasi crystallinus lapis ; quod satis verisimile est cum et color ejus indicet hoc. Quidam tamen expositores videntur velle, quod igneæ naturæ sit. Quod aquæ super firmamentum sint ; et in Genesi *cap*, I) habetur, et etiam in Propheta : *Aquæ quæ super cœlos sunt benedicite Domino* (*Psal.* CXLIII). Quales sint aquæ illæ nobis non est certum. Sed ut dicunt expositores, vel glacialiter solidatæ sunt ; aut vaporaliter suspensæ ad simulitudinem vaporis, id est fumi, quod verisimile est. Tertia die *congregatæ sunt aquæ in locum unum et apparuit arida* (*Gen.* I). Quarta die *facta sunt luminaria* (*ibid.*), ut essent in signa et tempora ; id est ut per ea distinctio temporum fieret. Ex quo enim creatura fuit et tempus fuit ; quia non potuit creatura esse sine mutabilitate, et ubicunque motus est, ibi prius et posterius. Nec aliud est tempus nisi mora de illo quod prius est, in id quod posterius. Sed ante luminaria non erat illa distinctio temporis ; quæ modo est per solem et lunam et stellas. Quinta die produxit aqua pisces et volatilia. Unde illud : *Partim remittis gurgiti, partim levas in aera.* Sexta die produxit terra animalia diversi generis ; et in eadem die post omnia factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei. Et merito factus est homo post omnia ; qui omnibus præferendus erat. Sicut processimus, videtur ista series et plures expositores velle ut scilicet ante omnem diem illa informis materia facta fuerit, sicut diximus, simul cum angelis ; postmodum per sex dies ex illa materia genera rerum sint distincta. Quibusdam tamen videtur quod non per intervalla temporum factæ sunt illæ distinctiones rerum, sed simul. Sed cum Moyses loqueretur rudi populo et carnali, oportebat eum loqui de Deo sicut de homine aliquo qui opera sua per moras temporum format et perficit. Unde Augustinus : Quod a Deo potuit simul fieri, ab homine simul non potuit dici. Nec nos negamus quin Deus illud potuisset fecisse si ei placuisset. Nec Augustinus illud asserit, sed dicit : Potuit simul fieri. Item Augustinus : Quia illud unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen origine prius est quam illud quod inde fit ; potuit Scriptura dividere loquendi temporibus, quod Deus faciendi non divisit temporibus. Qui istis auctoritatibus adhærent, illos sex dies appellant sex operum distinctiones : quæ secundum eos simul facta sunt, sed ordine dici oportuit. Prima tamen sententia est probabilior.

Septima die requievit Deus ab omni opere quod patrarat (*ibid.*) ; quia non fecit postea nova genera rerum. Sed opponitur illud quod dicitur in Evangelio : *Pater meus usque modo operatur et ego operor* (*Joan.* V). Operatur enim quotidie novas animas creando ; propagando etiam unum de alio. Sed hoc non est facere nova genera rerum. Licet enim modo creatur anima nova, nihil tamen novum additur, cum et prius anima fuerit. Alia littera in Genesi dicit : Requievit Deus die *sexta.* Sed utrunque verum est ; et quod ille die sexta requievit ; quia in sex diebus omnia complevit ; et quod die septima requievit, quia sexta die consummata et septima inchoata a generibus rerum distinguendis cessavit.

Hic potest quæri, cum in sex diebus omnia compleverit opera, et post illo sex dies nihil novi addiderit ; quare procedimus numerando dies usque ad septimam, si dicitur quia septima est alia

ab illis; sic et octava alia ab illis, et nona, et sic de aliis. Sed non sunt aliæ in distinctione rerum; similiter et septima alia non fuit in distinctione rerum; quia non fuit in ea alicujus operis distinctio facta; sicut in illis sex; facere enim septimam diem, non fuit facere aliud genus rerum, quia jam præcesserat dies. Ad quod potest dici quod licet in septima die non fuerit aliquod opus factum, tamen fuit ibi aliquis status rerum scilicet consummatio omnium, et ideo usque ad eam procedimus, et post eam statim reincipimus.

Cap. II *De creatione hominis.*

His excussis restat agere de creatione hominis, de lapsu ejus, et de reparatione. In Genesi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I). Ad imaginem Dei factus est homo secundum animam. Sicut enim imago rei cernitur in speculo, ita anima in sui ratione Deum cognoscere potest. Unde illud: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Ut enim in facie cognoscitur homo, ita in ipsa ratione tanquam in sua imagine cognoscitur Deus, homo itaque imago Dei est per rationem. Unde Apostolus: *vir est imagino dei et gloria* (*I Cor.* XI), id est ad imaginem ejus; quia non est ei usquequaque similis. Filius autem imago est Patris et non ad imaginem; quia quidquid habet Pater, totum habet Filius per naturam. Homo vero est ita imago Dei quod ad imaginem; quia non per naturam sed participatione vel imitatione habet ea quæ Deitatis sunt. Deus namque est ipsa sapientia, justitia, bonitas; sed homo non est ipsa sapientia, justitia bonitas, sed potest esse sapiens, justus, bonus, et similia. Augustinus in libro De Trinitate: Homo est imago Dei ad imaginem; quia non est æqualis Patris, sed quadam simililudine accedit. Filius imago et non ad imaginem; quia æqualis est Patris.

Et est notandum quod non solum ad imaginem Patris, sed etiam totius Trinitatis factus est homo, cum scriptum sit: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Nostram dixit, id est totius Trinitatis. Et est notandum quod imago appellatur ipsa imago impressa in re aliqua, et res in qua imprimitur. Unde et ipsa ratio imago dicitur, quæ animæ est tanquam sigilum impressa; et homo imago dicitur. Augustinus in libro De Trinitate: Aliud est Trinitas res ipsa, aliud imago Trinitatis in re aliqua, propter quam imaginem similiter et illud in quo impressa est imago dicitur. Sicut imago Dei dicitur simul et tabula et quod in ea pictum est; sed propter picturam quæ in ea est. Ad similitudinem Dei factus est homo, quia innocens et sine vitio factus est.

De angelis solet quæri utrum ad imaginem Dei (cum nusquam legatur) sint facti. Sed licet non sit scriptum non est inde dubitandum. Quod enim de homine dicit, hoc et de angelis intelligi voluit.

Dicitur et aliter homo ad imaginem Dei quia sic ut ex Deo omnia, ita ex Adam omnes homines. Sed hoc modo esse ad imaginem Dei; non competit nisi primo homini. In hoc etiam potest dici anima ad similitudinem Dei, quia immortalis, indissolubilis. Augustinus in libro De quantitate animæ: Anima est facta similis Deo; quia immortalem, id est indissolubilem fecit eam Deus, sed ex nihilo. Augustinus: Quod de Deo est, necesse est ut ejusdem sit naturæ cujus et ipse est, ac per hoc etiam quod immutabile sit. Anima vero mutabilis est; non ergo est de ipso; si autem de nulla alia re facta est, procul dubio de nihilo facta est, sed ab ipso Deo. Corpus vero formavit de limo terræ, cui animam inspiravit. Unde in Genesi: *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ*; id est ei animam inspiravit. Sed utrum in corpore an extra corpus creata sit, non multum ex auctoritate habemus certum. Augustinus tamen super Genesim de anima primi hominis videtur dicere quod extra corpus facta fuerit, et propria voluntate illud subintravit. Sed, sicut ipsemet dixit, magis quærendo super Genesim quam asserendo locutus fuit. Sed quidquid de anima primi hominis dicatur, de aliis verisimilius est ut in corpore creentur. Si quæratur in qua ætate factus sit homo. Augustinus dicit; Adam continuo factus est sine ullo progressu membrorum in ætate virili, ut virga de manu Moysi continuo conversa est in draconem.

Cap. III. *De formatione mulieris.*

Sicut legitur in Genesi: *Misit Deus soporem in Adam et tulit unam de costis, et ex ea mulierem formavit* (*Gen.* II).

Hic quæri potest quare non creavit Deus homines simul sicut angelos. Quia voluit ut unum esset principium generis humani ad retundandam superbiam diaboli. Ut enim ejus elatio confunderetur: hoc homo accepit quod diabolus per superbiam appetiit, scilicet principium esse. Ut sicut Deus omnibus rebus existit principium creationis, ita homnibus esset principium generationis. Est et alia causa quare ex uno voluit esse omnes, ut dum cognoscerent esse ab uno, se quasi unum diligerent. In quo facto mysterium Christi et Ecclesiæ figuratum est. Sicut enim mulier de latere viri dormientis facta est, sic Ecclesia de sacramentis quæ de latere Christi dormientis in cruce profluxerunt, scilicet sanguis et aqua. Sanguine enim redemit fideles; aqua abluit peccata in baptismo.

Solet quæri utrum cum addittone rei extrinsecus sumptæ de costa illa facta sit mulier? Quod quidam solent dicere. Sed si ad perficiendum corpus mulieris de costa illa Deux extrinsecus augmentum addidit (cum istud quod addebatur majus fuerit quam costa ipsa) potius de illo mulierem factam Sciptura dicere debuit, unde scilicet plures substantiæ suæ partes acceperit. Restat ergo ut dicamus costam illam in semetipsam multiplicatam; et ex ea mulierem formatam nullo additiamento extrinsecus sumpto. Majus enim fuit de nihilo aliquid facere, quam illam parvam substantiam in seipsam multiplicare. Idem dicimus de illis quinque panibus evangelicis (*Matth.* XIV).

Quæritur utrum in natura illius costæ esset ut inde fieret mulier. Ad hoc videndum est quod omnium rerum quæ fiunt, causæ in Deo ab æterno fuerunt. Ut enim homo sic fieret, et equus, et similia, in Dei dispositione ab æterno fuit. Et istæ dicuntur in Scriptura primordiales causæ; quia istas aliæ non præcedunt. Et quamvis una sit causa omnium, divina scilicet dispositio, quæ non est aliud quam ipse Deus, tamen propter effectus plures pluraliter dicit Augustinus primordiales causas omnium rerum in Deo esse. Unde etiam inducit similitudinem artificis in cujus dispositione est qualis futura sit arca vel quadrata vel oblonga. Ita etiam in Deo uniuscujusque rei antequam fieret causa et dispositio æternaliter præcessit. In naturis vero quarumdam rerum non omnes causæ præcedunt. Inservit namque Deus, ut Augustinus ait, quasdam causas rebus secundum quas aliqua ex eis proveniunt, ut de hoc semine tale granum, de hac arbore talis fructus, et ut qui juvenis modo est, tali tempore senescat, et similia. Et hæ quoque appellantur primordiales causæ, licet non multum proprie dicantur. Habent enim causas ante se quæ in Deo æternaliter fuerunt; quæ et increatæ sunt, et universaliter primæ sunt. Illæ autem quæ in creaturis sunt, universaliter primæ non sunt, sed tamen in suo genere primæ sunt, ad posteriora enim primæ sunt. Sed ideo istæ etiam primordiales dicuntur; quia in prima conditione rerum quæ facta est in sex diebus eas Deus inseruit rebus et sicut creaturæ mutabiles sunt; ita et hæ causæ mutabiles sunt. Cum enim sit in juvenis natura ut aliquando senescat, mutari tamen potest. Sed illæ quæ in Deo sunt, et increatæ, et immutabiles sunt. Dispositio enim Dei mutari non potest, quia Deus immutabilis est. Apparet itaque ex his quod omnium rerum causæ in Deo sunt. Quædam vero in naturis rerum sicut ostendimus de semine, de arbore; et hæc dicuntur fieri secundum naturam, id est secundum usitatum cursum rerum. Aliorum vero in solo Deo et non in naturis rerum causæ consistunt, ut illud quod virga arida floruit (*Num.* XVII); quod asina locuta fuit (*Num.* XXII), et similia. Et hæc dicuntur fieri per miraculum; quia contra naturam fiunt ipsarum rerum, id est non secundum causas illis rebus a Deo insertas. Inter hæc ponit Augustinus, quod de costa facta est mulier. Non enim erat in costa causaliter ut de ea fieret mulier, sed in Dei potentia qui non alligavit naturis rerum potentiam suam. Augustinus super Genesim : Alius est ergo modus quo illa herba sic germinat; illa non sic germinat; sic illa ætas parit, et illa vero non; homo loquitur, pecus loqui non potest : horum et talium modorum rationes non tantum sunt in Deo, sed ab illo etiam in rebus creatis. Ut autem lignum aridum floreat fructum gignat; ut femina in juventute sterilis in senectute pariat; ut asina loquatur, et similia, dedit quidem Deus naturis quas creavit, ut ex eis etiam hæc fieri possent, non ut haberent in

A naturali motu. Habet ergo Deus, in semetipso absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non illo opere Providentiæ quo naturas substituit ut sint; sed illo quo illas administrat ut voluerit, quas ut voluit condidit. Quorum si hoc unum erat quod ita facta est mulier de latere viri dormientis, non habuit hoc rerum prima conditio ut femina omnino sic fieret; sed tamen hoc habuit quod sic fieri posset.

Sicut corpus mulieris de corpore viri traductum fuit, ita voluerunt quidam quod anima ipsius Ævæ de anima viri propagata esset, et omnes animæ præter primam de traduce essent sicut et corpora. Sed Hieronymus hoc sub anathemate prohibet, inducens hanc auctoritatem Prophetæ : B *Qui finxit singillatim corda eorum* (*Psal.* XXXII). Ubi satis innuit quod non de anima animam creat Deus; sed singillatim de nihilo eas fecit. Augustinus tamen nihil inde asserit, sed quærendo refert de anima diversorum sententias. Quorum quidam voluerunt quod simul omnes creatæ essent; quidam quod non simul, sed de traduce. Alii quod nec simul, nec ex traduce, quam sententiam Hieronymus asserit.

CAP. IV. *De statu hominis ante peccatum*

Tulit *Deus hominen, et posuit in paradisium voluptatis* (*Gen.* II). Quibus verbis plane ostendit Moyses quod extra paradisum creatus sit, et postmodum in paradisum positus. Quod ideo factum dicitur quia non erat in eo permansurus, C vel ne beneficium Dei imputaret naturæ, sed gratiæ. Paradisus in parte orientali a sanctis fertur esse locus eminentissimus, ut nec aquæ diluvii illuc pertingere possent, in quo erant ligna diversi generis, lignum vitæ, lignum scientiæ boni et mali, et alia plura. Lignum vitæ appellatum est quod talis naturæ erant fructus ejus, ut defenderent a mortis accessu, et omnis infirmitatis molestia. Aliud erat, lignum scientiæ boni et mali; quod non a natura nomen habuit, sed ex occasione quam præstitit. Non enim hoc in natura sua habuit, ut conferret scientiam; sed hoc ex prohibitione inde secuturum fuerat; ut quam cito homo comederet de fructu ejus, tam cito D sciret per experientiam mali, quod distaret inter bonum quod reliquerat et malum quod invenerat. Habuit namque prius scientiam boni et mali : boni per scientiam et experientiam; mali per scientiam tantum et non per experientiam.

Hic videndum est de statu hominis ante peccatum. Sicut dicit Apostolus : *Primus Adam factus est in animam viventem* (*I Cor.* XV); id est, corpus sensificantem quod erat adhuc animale. Egebat enim alimonia ciborum. Mortale etiam habebat corpus. Poterat enim mori, poterat et non mori; poterat peccare, poterat non peccare; sed completo obedientiæ numero, transferretur ad illum statum in quo nec mori posset nec peccare. Erat igitur ante peccatum immortalis, scilicet potens non mori, non immortalis quod non posset mori. Et si non peccaset, ut Augusti-

nus dicit, esset in paradiso torus immaculatus, conceptus sine libidine, partus sine dolore.

Quales vero si non peccassent nascerentur eorum filii utrum mox ambulare et loqui, et cætera facere possent : nobis de auctoritate certum non est. Augustinus tamen videtur velle quod ut primum nati essent, hæc prædicata facere possent, sic dicens : Movet si primi homines non peccassent utrum filios tales habituri essent qui nec lingua nec manibus uterentur. Nam propter uteri necessitatem fortasse necesse fuerat parvulos nasci; quamvis enim exigua pars sit corporis costa, non tamen propter hoc parvulam viro conjugem Deus fecit. Unde et ejus filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos grandes facere sed ut hoc omittam, poterat certe, quia hoc multis animalibus præstitit ut eorum pulli quamvis sint parvuli, tamen mox ut nascuntur currant et matres sequantur. Contra homini nato nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles; et juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes flere quam sugere. Proinde infirmitati mentis congruit hæc infirmitas carnis. Sed cum Augustinus in hoc nihil asserendo dicat, non absurde videtur quibusdam quod tunc exspectaretur ætas in parvulis ad illa facienda et similia. Non quod ex vitio tunc non possent, sed ex conditione naturæ, sicut a cibo non penitus abstinere poterant; nec tamen illud ex vitio, sed ex natura conditionis. Hic potest sic opponi : Si non peccarent nunquam morerentur, et si non comederent non peccarent; igitur si non comederent nunquam morerentur : poterant itaque sine alimonia vivere. Ad quod dicimus quod non solum peccarent si de ligno vetito comederent, sed etiam si concessis non uterentur cum naturaliter appeterent. In hoc enim facerent contra naturæ rationem, quæ ad hoc data erat ut licitis uterentur. Item opponitur : Cum fames sit pœna peccati, nisi peccasent famem non paterentur; sed sine fame superfluum videtur comedere. Ad quod dicitur quod licet non peccassent, appetitum comedendi haberent, quo habito, ut famem prævenirent concessis uterentur. Et ille appetitus naturalis est et moderatus; fames vero immoderatus appetitus edendi est.

De hoc statu quem ostendimus erat transferendus homo cum omni prole sua sine mortis dolore ad illud summum bonum quod in cœlis eis paratum erat. Sicut enim duæ naturæ sunt in homine, corporalis et spiritualis; ita duo bona homini præparaverat Deus, temporale et æternum. Et quia prius quod animale, deinde quod spirituale; temporale prius datum fuit. Alterum, id est æternum, non tunc datum, sed propositum fuit. Ad illius quod dederat custodiam præceptum naturæ apposuit Deus. Præceptio naturalis fuit discretio per quam ei inspiratum est quæ naturæ suæ essent necessaria, et quæ noxia. Ad illud quod proposuerat promerendum præceptum dedit obedientiæ, dicens : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas* (*Gen.* II). Videns ergo diabolus quod homo per obedientiam illuc ascenderet unde iste per superbiam ceciderat, invidit ei. Et qui prius per superbiam factus fuerat diabolus, id est *deorsum fluens*; per invidiam factus est Satan, id est *adversarius*. Unde et mulierem tentavit in qua minus quam in viro rationem vigere sciebat. Et ne illa tentatio nimis occulta foret et ideo caveri non posset; non nisi per serpentem tentari fuit permissus, ut per indumentum quod foris erat versutiam tentanis advertere posset. Augustinus super Genesim : Cum accedere ad tentandum diabolus non posset nisi permissus; non per aliud potuit, nisi perquod permittebatur.

CAP. V. *Quare non horruit mulier serpentem.*

Quæritur quare non horruit mulier serpentem. Quia cum noviter creatus esset, officium loquendi a Deo accepisse putavit. Hoc modo tentatio facta est. Primum interrogatione aggressus est, ut ex responsione ejus colligeret qualiter eam de cætero alloqui debuisset. *Cur non comeditis de ligno scientiæ boni et mali? (Gen.* III.) Ad quem mulier : *Ne forte moriamur* (*ibid.*). In quo verbo dedit locum tentati cum dixit : Ne forte. Unde diabolus mox inquit : *Comedite et eritis sicut dii* (*ibid.*). Per tria tentavit ; per gulam cum dixit : Comedite; per vanam gloriam, cum dixit : Eritis sicut dii; per avaritiam, cum dixit : *Scientes bonum et malum* (*ibid.*). Gula est immoderatus appetitus edendi; vana gloria amor propriæ laudis; avaritia immoderatus appetitus habendi. Cum tentatio alia sit interior, alia exterior; exteriori tentatione homo est tentatus. Tentatio exterior foris fit signo vel verbo, ut ille cui fit ad consensum peccati inclinetur. Tentatio interior est motus pravæ delectationis per quam animus ad peccatum impellitur; et multo difficilius vincitur. Homo igitur qui exteriori tentatione pulsatus cecidit, tanto gravius puniendus, quanto leviori impulsu fuerat prostratus.

CAP. VI. *De peccato primi hominis.*

In hoc loco videtur inquirendum quæ fuit origo et radix illius peccati. Augustinus super Genesim : Non esset hominem dejecturus tentator, nisi in animo ejus elatio præcessisset comprimenda. Unde quidam volunt quod antequam cederet tentationi, habuit illam elationem. Sed cum elatio vitium sit, inde sequitur quod ante peccaverit quam tentationi cederet. Non igitur suggestione prius peccasset, cum auctoritas dicat quod ideo peccatum diaboli sit incurabile; quia non suggestione sed propria cecidit superbia. Homo vero quia per se non cecidit sed per alium, surgere potuit per mediatorem. Et ideo illa auctoritas sic potest exponi : Non erat tentator hominem dejecturus scilicet in has miserias, nisi elatio in animo ejus præcessisset. Non dico præcessisset suggestionem, sed post suggestionem præcessit in animo ejus finem et completionem peccati ipsius. Alioquin, et si diabolus suggessisset, ad suggestionis tamen effectum non pervenisset. Sic enim diceremus : non erat hominem dejecturus in peccatum ubi elatio præcessisset tunc antequam peccasset elationem

habuisset. Potest etiam dici quod non erat hominem dejecturus in actum illius peccati, ut scilicet pomum vetitum comederet, nisi elatio præcessisset. Est enim superbia radix omnis peccati. Audiens enim mulier : Eritis sicut dii, elata est in superbiam; quæ superbia erat comprimenda per pœnas illud peccatum secuturas. Sed cum natura hominis sine vitio esset, solet quæri unde ille consensus mali processerit? Ad quod videndum est quod Deus in primo homine duos posuit appetitus; videlicet appetitum justi et appetitum commodi. Appetitum justi secundum voluntatem; ut in eo homo promereri posset, sive bene retinendo cum posset deserere, sive male deserendo cum posset retinere. Appetitum commodi secundum necessitatem; non enim potest homo non appetere commodum suum, et ideo istum cum necessitate posuit Deus in homine ut in eo remuneratur homo. Unde in inferno hæc maxima erat pœna impiorum; quod semper appetent commodum et nunquam assequi poterunt, sicut augmentum gloriæ bonis quod ab amore habiti commodi tepescere non poterunt. Et in hoc appetitu commodi mensuram posuit Deus, ut quæ appetenda essent, et quando, et quomodo homo appeteret. Sed quia ultra modum commodum appetiit, scilicet esse sicut dii, justi protinus appetitum deseruit. Et in hoc peccavit quia justitiam deseruit; non enim ideo peccavit quia commodum suum appetiit; sed quia illud appetendo justitiam deseruit, quod fuit appetere commodum ultra mensuram. Justitia namque est mensura in appetitu commodi. Fuit igitur peccatum primi hominis desertio justitiæ, quod Apostolus vocat inobedientiam.

Quæritur utrum voluntas peccatum illud præcessit? Sed non videtur quod voluisset aut deliberasset justitiam deserere; voluit tamen illud appetere, propter quod justitiam deseruit. Potest itaque dici quod volens deseruit justitiam, quia voluit illud propter quod deseruit; nec tamen volebat ut justitiam desereret, sed voluit illud propter quod justitiam deserebat. Voluntate itaque justitiam deseruit, non quod voluntas illud in tempore præcederet; non enim verum est quod omne peccatum voluntas tempore præcedat, cum et ipsa voluntas peccatum sit, sed de actu illud dicitur quod omne malum ex voluntate procedit; sicut ille actus scilicet comestio pomi, quod a quibusdam dicitur primum peccatum in homine, quod satis potest concedi. In uno enim peccato et reatus est et actus; nec dicuntur duo peccata sed unum. Ut qui habet voluntatem homicidii perpetrandi, et postea perpetrat; non tunc aliud peccatum facit, sed quod habebat prius in voluntate, tunc facit in opere.

Quæritur uter eorum plus peccaverit, an mulier an Adam. Sed sicut Apostolus dicit : *Adam non est seductus, imo mulier (I Tim.* II). Mulier interrogata inquit :*Serpens seduxit me*, ut in Genesi (*cap.* III). Vir autem interrogatus non ait : *Mulier* seduxit me, sed *dedit mihi et manducavi* (*ibid.*). Mulier in hoc dicitur seducta, A quod auditis verbis illis : Eritis sicut dii, adeo intumuit ut crederet verum esse, quod dicebatur. Adam vero non est seductus; quia non, ut ait Augustinus, credidit illud verum esse, sed putavit utrumque fieri posse ut et uxori morem gereret, et per pœnitentiam Deo satisfaceret. Minus ergo peccavit qui de venia cogitavit. Ex quibus apparet quod major fuerit in muliere superbia quam in viro : igitur et majus peccatum. Mulier quoque peccavit in Deum et proximum; vir in Deum tantum. Item mulier magis punita fuit, cui dictum est : *In dolore paries filios* (*ibid.*), etc., unde apparet quod plus peccavit.

Opponitur de hoc quod dicit Isidorus : Tribus modis peccatum geritur : ignorantia, infirmitate, B industria. Ignorantia peccavit Eva; quia, ut ait Apostolus, *seducta fuit* (*I Tim.* II). Adam industria peccavit; quia *non seductus* (*ibid.*), sed sciens et prudens peccavit. Petrus infirmitate deliquit. Gravius est infirmitate quam ignorantia peccare; gravius quoque industria quam infirmitate. Industria peccat qui studio et deliberatione malum perpetrat; infirmitate qui casu vel perturbatione delinquit. Ex his verbis videtur asseri quod plus peccavit vir quam femina. Ad quod potest dici quod secundum aliquid plus peccaverit; in hoc scilicet quod major deliberatio videtur fuisse in viro quam in muliere et quod majoris scientiæ erat; et cui plus committitur, plus abeo exigitur. Nec tamen dicemus ab- C solute quod plus peccaverit; sicuti de aliquo presbytero et de aliquo laico diceremus, si committant homicidium, laicus ex longo odio, presbyter ex subita ira : non posset absolute dici quod ille ordinatus plus peccaverit, et tamen secundum aliquid plus peccavit, in hoc scilicet quod fecit contra ordinem suum. Solet quæri, cur Deus hominem tentari permisit quem tentanti cessurum esse sciebat? Augustinus sic solvit istam quæstionem : Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere quia nemo male vivere suaderet : cum et in natura posse, et in potestate haberet velle non consentire suadenti Deo adjuvante. Illud quoque solet quæri: quare creavitDeus homi- D nem quem sciebat esse casurum, cum sit summe pius. Eadem quæstio de angelis qui ceciderunt. Augustinus super Genesim: Cum per injustos justi,per impios pii proficiant; frustra dicitur ut non crearet Deus quos præsciebat malos futuros. Cur enim non crearet bonis profuturos? Quia sicut prævidit quod mali essent futuri; sic etiam prævidit de malefactis eorum quid boni esset ipse facturus.

Cap. VII. *De gratia habita ante peccatum.*

Nunc restat inquirere quam gratiam homo ante peccatum habuit, et utrum per eam potuit stare an non. Ad quod videndum est quod sine apposita gratia proficere non poterat, sicut et de angelis diximus; sed non declinare ab eo quod acceperat per gratiam sibi in creatione collatam poterat. Aliud enim est facere bonum, aliud declinare a malo. Per illud adjutorium gratiæ quod

acceperat in creatione poterat declinare a malo ; A sed sine super apposita gratia non poterat ipse facere bonum. Augustinus in libro De correptione et gratia : Si hoc adjutorium vel angelo, vel homini cum primum facti sunt defuisset (quoniam non talis natura facta erat ut sine divino adjutorio posset manere si vellet) non utique sua culpa cecidisset. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset. In eodem : Dederat Deus homini bonam voluntatem ; in illa quippe eum fecerat rectum : dedit adjutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet, et per quod posset ; ut autem vellet reliquit in ejus arbitrio. In eodem : Acceperat si vellet posse ; sed non habuit velle quod posset. Nam si habuisse, utique perseverasset. Istis auctoritatibus B patet quod homo poterat per id quod acceperat in creatione non cedere tentationi. Nisi enim talis fuisset factus quod posset non cadere et tentanti resistere, sicut dicit Augustinus, non sua cecidisset culpa.

Opponitur quod homo sine gratia cooperante poterat proficere, hoc modo. Poterat homo per illud adjutorium creatricis gratiæ non consentire suadenti, sed hoc meritum esset, et omne meritum profectus est : igitur per eam proficere poterat. Ad quod dicimus quod ipsum non consentire malo non est meritum, sed hoc quod malo non consentiendo diligitur bonum. Non enim est meritum in hoc quod declinatur a malo ; sed in hoc quod declinando a malo fit bonum. Nec ta- C men unum sine altero esse potest. Ita dicimus quod si homo vel angelus declinasset a malo, haberet utique meritum et proficeret ; sed non in hoc quod a malo declinasset, sed in hoc quod a malo declinando bonum diligeret, ad quod egebat gratia cooperante. Ad illud vero primum sufficiebat adjutorium creatricis gratiæ. Habebat enim homo ante peccatum ex libero arbitrio et ex illo adjutorio gratiæ, posse non peccare, id est vitare malum ; sed, ut diximus, egebat gratia cooperante ad bonum perficiendum. Post lapsum vero non solum cooperante, sed etiam gratia operante eget. Operans gratia facit a peccatis surgere ; facit etiam velle bonum. Cooperans gratia volenti cooperatur ut bonum faciat. Sed ante D lapsum non egebat nisi cooperante ; nondum enim ceciderat, et ideo non egebat gratia per quam surgeret, sed ea sola per quam proficeret. Post lapsum vero operans præcedit quæ movet et excitat cor. De qua dicit Propheta : *Et gratia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII). Hæc inspirando prævenit, hæc adjuvando prosequitur. Primo enim gratia operatur sine nobis : et ibi nihil meretur homo quia tunc accepit bonum velle ; sed post utitur accepta voluntate et cooperatur gratia, in quo meritum hominis est. Non enim est meritum hominis in hoc quod accipit bonam voluntatem, quia ibi nihil facit ; sed in hoc quod accepta utitur. Unde Apostolus : *Gratia Dei sum id quod sum ; et gratia ejus in me vacua non fuit* (*I Cor.* XV). Et hoc in simili potest videri.

Prius fit ferramentum ut per illud homo aliquid faciat, quod non per se incidit, sed ducente manu artificis. Ita voluntas prius erigitur operante gratia, quæ erecta ad bonum operandum juvatur et ducitur per cooperantem gratiam. Unde Apostolus : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII). Sed gratia *operatur velle et perficere* (*Philip.* II). Operatur velle hoc spectat ad operantem ; perficere ad cooperantem. Solet quæri utrum homo ante lapsum habuerit virtutes. Quidam dicunt quod non habuit, quod sic volunt ostendere. Fortitudinem non habuit, quia cessit pravæ suggestioni ; nec justitiam, quia contempsit præceptum Dei ; prudentiam non habuit, quia sibi non cavit ; temperantiam non habuit, quia aliena appetiit. Sed illud satis concedimus quod non tunc habuit quando peccavit ; sed quod prius non habuerit non est concedendum, cum Augustinus dicat in quadam homilia : Adam, perdita charitate, malus inventus est. Item : Princeps vitiorum dum vidit Adam de limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia armatum, temperantia compositum, charitate splendidum, primos parentes illis donis ac tantis bonis spoliavit, pariterque peremit. Ambrosius ad Sabinum : Quando Adam solus erat non est prævaricatus ; quia mens ejus adhærebat Deo. Quidam vero asserentes dicunt quod ex quo aliquis habet charitatem non potest eam amittere. Opponitur sic ad illud quod diximus Augustinus ad Julianum comitem : Charitas quæ deseri potest non vera fuit. Ad quod dicimus quod vera dicitur duobus modis, et quantum ad permanentiam et quantum ad substantiam. Non fuit vera, id est permamens et constans. Item sit tibi fons proprius cui non communicet alienus. Sed non citur qui futurus est alienus, id est malus ; sed qui tunc est alienus. Dum enim malus est non potest habere charitatem ; tamen qui futurus est alienus potest modo habere, vel qui modo est malus potest alio tempore habere. Stultum namque videtur dicere quod in hac vita aliquis ita confirmatus sit quod non possit malus fieri ; quod in alia vita tantum promittitur. Fatemur itaque eum charitatem habuisse, et postea perdidisse. Nec tamen aliquis putet nos dicere quod in ipso exordio creationis habuit, sicut supra de angelis diximus ; sed post creationem. Non enim statim cecidit sicut Angelus ; sed per aliquam moram in paradiso fuit, cum Scriptura dicat soporatum eum fuisse, animalia etiam ante eum ducta quibus nomina imposuit. Quæritur utrum præscius fuerit sui casus. Ad quod dicimus quod sui casus præscius non fuit, sicut, et de angelo diximus. Et hoc illa eadem ratione probatur quam ibi diximus. Augustinus quoque super Genesim idem dicit : In pœnam hujus peccati ejectus est homo de paradiso in locum istum miseriarum. Sicut dicitur ibi : *Ejecit eum Deus de paradiso ne forte comederet de ligno vitæ et vivat in æternum* (*Gen.* III). Hæc verba videntur velle quod si postea comedisset nunquam more-

retur ; sed ex alia parte factus est mortalis propter peccatum. Quomodo igitur peccato remanente non moreretur ? Ad quod dicitur si non puniretur ista pœna, scilicet morte, puniretur graviori ; quia nunquam finirentur miseriæ, quæ modo finiuntur morte, sicut et diaboli miseriæ nunquam finiuntur. Sed quia hoc certum de auctoritate non habuimus, volunt quidam dicere quod si comedisset, postea non conferret et immortalitem ; et sub tali sensu exponunt verba illa : Ne comedat de ligno vitæ, id est indignus est illo ligno vesci quod prius conferret immortalitatem. Et ideo ne posset ad illud accedere, posita est ante paradisum quædam ignea custodia scilicet flammeus gladius atque versatilis qui ministerio cherubin ante paradisum volvebatur. Gladius iste signat passiones hujus vitæ præsentis, quæ urunt ad tempus, sed transitoriæ sunt. Cherubin *plenitudo sapientiæ* interpretatur, et significat charitatem. Ad esum itaque ligni vitæ per tribulationes multas, et per charitatem quæ est plenitudo scientiæ post peccatum redire fuit necesse. Cum enim cherubin cum flammeo gladio sit ad ostium paradisi, non potest homo ad illum ingredi nisi transierit per flammeum gladium. Solet quæri utrum prius de ligno vitæ comedissent. Augustinus De baptismo parvulorum : Recte profecto intelliguntur ante malignam diaboli persuasionem abstinuisse a cibo vetito atque usi fuisse concessis et præcipue ligno vitæ. Sed hoc non videtur sub assertione dictum.

Cap. VIII. *De libero arbitrio.*

Præter alias pœnalitates pro peccato illo incurrit homo pœnam de passione liberi arbitrii. Ut enim Augustinus dicit in Enchiridio : Homo male utens libero arbitrio, et se perdidit et ipsum. Videndum est itaque quid sit liberum arbitrium, et quale ante peccatum, et qualiter depressum sit per peccatum. Sic potest diffiniri : Liberum arbitrium est habilitas rationalis voluntatis qua bonum eligitur gratia cooperante, vel malum ea deserente. Et consistit in duobus : in voluntate et ratione. Liberum namque dicitur quantum ad voluntatem ; arbitrium quantum ad rationem. Rationis est videre quid sit eligendum vel non ; voluntatis est appetere. Et ita ratio tanquam pedissequa monstrat viam consulendo illud quod videt faciendum, dissuadendo contrarium ; voluntas tanquam domina ducit secum rationem ad quodcunque fuerit inclinatur. Non enim trahitur voluntas a ratione, sed solummodo monstrat ratio quod appetere debeat voluntas. Ratio vero trahitur a voluntate, etiam in iis quæ sunt contra rationem. Naturaliter namque ratio contradicit, hoc est non illud esse faciendum indicat ; et tamen vincitur et consentit. Et, quoniam in his duobus consistit liberum arbitrium, soli rationali creaturæ datum est. Illa enim sola inter creaturas voluntatem habet et rationem. Bruta animalia habent sensum et appetitum videlicet sensualitatis ; sed voluntate et ratione carent, et ideo liberum arbritrium non habent. Cum itaque

A habeamus cum pecoribus, communem sensum et appetitum, liberum arbitrium nos ab eis discernit, penes quod omne meritum consistit. Cum enim nulla vi, nulla necessitate cogatur ; non immerito beatitudinem seu miseriam promeretur. Sensus et appetitus nec beatum nec miserum faciunt ; alioquin bruta animalia beatitudinis vel miseriæ possent fieri participantia. Ingenium quoque et memoria et cætera similia, nec justum nec injustum constituunt. Siquidem nec tardum ingenium nec labilis memoria imputatur. Sola itaque voluntas quæ semper libera est, et nunquam cogi potest ; merito apud Deum judicatur. Ea semper a necessitate libera est. Ubi enim necessitas, ibi non est libertas ; ubi non est
B libertas, nec voluntas : et ideo nec meritum.

Cap. IX. *Quod liberum arbitrium ad futurum tantum se habeat : et de ipsius statu quadruplici.*

Præterea sciendum est quod liberum arbitrium solummodo ad futura se habet. Quod in præsenti est non est in potestate nostra, ut tunc sit vel non sit ; sed utrum in futuro ita se habeat vel non, in potestate liberi arbitrii est. Nec ad omnia futura se habet ; sed ad ea tantum quæ possunt fieri et non fieri. Nunc videndum est quale fuit ante peccatum. Et possunt notari in homine quatuor status liberi arbitrii. Ante peccatum nihil impediebat ad bonum ; ad malum nihil compellebat : tunc sine errore ratio judicabat ;
C sine difficultate voluntas bonum appetebat. Post peccatum vero (antequam per gratiam sit reparatum) premitur a concupiscentia et vincitur. Post reparationem (ante confirmationem quæ erit in futuro) premitur sed non vincitur. Post confirmationem nec vinci poterit nec premi. Est namque triplex libertas : a necessitate, a peccato, a miseria. A necessitate et ante peccatum et post æqualiter liberum est. Sic enim tunc cogi non poterat, ita nec modo ; hæc libertas æqualiter est in omnibus : non minor in malis quam in bonis, tam plena post peccatum sicut et ante peccatum. Est alia libertas a peccato, scilicet de qua dicit Apostolus : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III). Et alibi : *Cum servi essetis peccati, li-*
D *beri fuistis justitiæ : nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo habetis fructum in sanctificationem* (*Rom.* VI) Istam libertatem homo peccando amisit : et hoc est quod Augustinus ait : Homo male utens libero arbitrio se perdidit et ipsum. Non est amissa libertas a necessitate ; sed libertas a peccato. *Qui enim facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII). Hanc libertatem quidem a peccato illi soli habent qui per gratiam reparantur ; non quod penitus sine peccato sint, sed quia non dominatur eis peccatum : et hæc proprie appellatur libertas. In malo autem faciendo non liberum proprie dicitur arbitrium ; quia ratio discordat a voluntate. Judicat namque ratio faciendum non esse quod voluntas appetit. In bono concordat ratio voluntati, eique non contradicens servit. Unde Augustinus in En-

chiridio : Ipsa autem est vera libertas propter A recte faciendi licentiam ; et pia servitus propter obedientiam. Et ita apparet quod in bonis et in malis voluntas libera est a necessitate : sed in solis bonis libera est a peccato. Unde Augustinus in libro De gratia et libero arbitrio : Semper in nobis voluntas libera ; sed non semper est bona. Aut enim justitia libera est quando servit peccato, et tunc mala est ; aut peccato libera est quando servit justitiæ, et tunc est bona. Est iterum libertas a miseria, de qua ait apostolus Paulus ad Romanos. *Et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ Filii Dei* (*Rom.* VIII). Hanc libertatem in præsenti nullus habet. Potest enim in præsenti homo liber esse a peccato ; quia, ut supra diximus, B quamvis sine peccato nullus sit, tamen ex quo non regnat peccatum in homine, liber est a peccato ; sed a pœna peccati nullus liberatur in præsenti. Ex prædictis constat in quo per peccatum sit diminutum liberum arbitrium ; quia tunc nulla difficultas ad recte volendum, nullum impedimendum de lege membrorum ad bonum perficiendum ; sed modo antequam per gratiam liberatum sit a peccato, nec velle nec perficere bonum potest. Sicut diceremus de aliquo compedito : non potest hic ambulare, id est in potestate sua non habet tamen concederemus, possibile est hunc ambulare quia potest evenire ut solvatur et ambulet. Hunc nostrum defectum Apostolus comemorat, inquiens : *Velle adjacet* C *mihi.perficere autem bonum non invenio Rom.* VII). Nisi enim liberetur per gratiam intus operantem et excitantem cor non potest ipsum arbitrium erigi ad bonum, unde *: Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Et postquam liberatus fuerit nisi juvetur per gratiam cooperantem non potest perficere bonum. Et ita indiget modo operante gratia per quam liberetur ; et cooperante per quam ad promerendum juvetur : cum ante peccatum, sicut supra diximus, sola gratia cooperante indigeret. Prius enim quam caderet non indigebat liberatore, sed cooperatore. Hoc modo hic solet opponi. Antequam aliquis reparatum habeat liberum arbitrium, donec scilicet in peccatis est, habet ipse D liberum arbitrium : igitur potest in utramque partem flecti. Itaque vel liberum non est arbitrium, vel si est liberum cum in peccatis adhuc est, potest ipse bonum velle ; et ita videtur quod antequam detur gratia possit bonum velle. Sed ita est hic sicut in compedito illo qui scilicet non potest ambulare antequam solvatur ; et tamen per se verum est, possibile est hunc ambulare, vel hic potest ambulare. In eodem sensu similiter non negamus de illo peccatore vel pagano vel quolibet alioquin possibile sit eum bonum velle, vel quin possit bonum velle ; sed non nisi hoc modo scilicet si detur gratia per quam liberetur et quæ ei cooperetur. Aliud est velle simpliciter,aliud est velle bonum. Sicut aliud est timere simpliciter, aliud est timere Deum. Aliud est amare, aliud est amare Deum. Et timere et amare simpliciter prolata, affectiones sunt : cum additamento,virtutes. Velle est nobis per naturam : velle bonum per gratiam.Simplices namque affectiones insunt nobis naturaliter tanquam ex nobis additamenta ex gratia.Unde Augustinus in libro Retractationum : Quædam sunt magna bona,quædam media,quædam minima. Virtutes quibus recte vivitur, sunt magna bona.Species quorumlibet corporum sine quibus recte vivitur,minima sunt bona. Potentiæ animi sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur. Cæteris autem bonis et mediis et minimis non solum bene, sed et male uti quisque potest. Et ideo virtute nemo male utitur ; quia opus virtutis est bonus usus istorum quibus et non bene uti possumus. In mediis bonis reperitur liberum arbitrium ; quia et male illo uti possumus,sed tamen tale est ut sine illo recte vivere nequeamus. Bonus autem usus ejus jam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis quibus nemo male uti potest.

Ex hac auctoritate patet quod voluntas inter bona media sit ; bona voluntas inter magna bona quæ non per naturam, sed per gratiam inest nobis. Et tamen potest dici quod etiam mali naturaliter volunt bene ; et ita videtur quod ante susceptam gratiam aliquis habeat velle bonum ; sed nihil aliud est naturaliter velle bonum quam rationem judicare illud esse bonum. Sicut aliquis tyrannus dicit : Ego vellem esse bonus monachus, exire de sæculo, et similia. Iste naturaliter appetit bonum ; sed eum non delectat bonum. Unde nec proprie dici potest velle bonum, nec habet meritum illud tale velle ; sed illud quod est cum delectatione boni, quando scilicet placet ei bonum et in proposito habet. Unde Apostolus : *Deus qui operatur in nobis velle et perficere pro voluntate bona* (*Philip.* II), Prius est voluntas bona per naturam, quæ non habet meritum ; sed postea fit bona per gratiam, et tunc habet meritum.

Præterea sciendum est quod non ideo dicitur liberum arbitrium quod æqualiter se habeat ad utrumque, scilicet ad bonum et ad malum : cum per se possit quis cadere,sed per se non potest resurgere nisi juvetur a gratia Christi. Per se enim sufficit ad malum liberum arbitrium, sed non sufficit ad bonum per se. Boni etiam angeli non carent libero arbitrio ; et tamen ita sunt confirmati ut non possint esse mali. Similiter mali angeli non carent libero arbitrio ; cum tamen ita sint obstinati ut non possint esse boni. Liberum itaque arbitrium ex eo dicitur, quia est voluntarium. Quod enim boni angeli non possunt mali esse,non facit necessitas, sed confirmata per gratiam voluntas. Quod mali non possunt boni esse, non facit ulla coactio, sed voluntas obstinata in malo. Et tamen isti natura et illi mutabiles sunt.

Unde Hieronymus : Solus Deus est in quem peccatum cadere non potest ; cæteri cum sint liberi arbitrii in utramque partem possunt flecti. De Deo etiam legitur quod liberum arbitrium

habet. Ambrosius ad Gratianum : *Spiritus ubi* A *vult spirat* (*Joan.* III). Apostolus quoque dicit, quia *omnia operatur unus spiritus, dividens singulis prout vul (I Cor.* XII). Prout vult, inquit, id est pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Nec est aliud liberum arbitrium in Deo nisi divina voluntas, quæ non necessitate, sed sola bonitate omnia facit. Ejus enim natura bonitas est.

CAP. X. *Quare veccatum primi hominis posteris imputetur.*

Post peccatum primi hominis et pœnam quam assignavimus, quam inde incurrit, videndum est quare imputetur posteritati ejus. Omnes enim qui ab eo per concupiscentiam descendunt, obnoxii sunt illi peccato, et pro illo rei sunt B originalis peccati. Ad quod potest dici quod ideo imputatur omnibus, quia omnes illud commiserunt, ut Apostolus dicit: *In quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V), quod ita potest exponi : In eo omnes peccaverunt, id est peccato rei tenentur. Ut enim dicit Apostolus : *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi* (*ibid.*). Quod inde est quia per legem peccati ab eo descendunt. Non ideo imputatur eis quia in eo tunc fuerunt originaliter, cum et Christus secundum carnem in eo tunc fuerit; sed quia per concupiscentiam quæ venit de peccato illo inde descenderunt. Et ita potest dici quod ideo imputatur toti posteritati ; quia in effectu hujus peccati, id est in lege peccati de hoc veniente, C concipiuntur, videlicet in concupiscentia. Furtum, homicidium et cætera non imputantur posteris ; quia non fit ipsa generatio secundum effectus illorum, id est secundum motum de illis venientem. Solet a quibusdam prædicta quæstio sic solvi : Ideo illud peccatum omnibus imputatur posteris et non alia, quia illud peccatum in paradiso commissum gravissimum fuit ; quia ignorantia non induxit eum ad peccandum, nec fragilitas carnis ; quia ante peccatum neutrum fuit in eo. Unde adeo maximum fuit illud peccatum quod etiam naturam mutavit. Tota enim natura hominis per peccatum illud corrupta fuit. Augustinus De civitate Dei : Tanto majore injustitia violatum est illud mandatum, quanto faciliore D potuit observantia custodiri. Nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis secutum est postea. Sed non videtur absolute concedendum quod illud peccatum gravius omnibus aliis fuerit ; cum legatur : *Qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro* (*Matth.* XII ; *Luc* XII ; *Marc* III). Sed illud peccatum primis parentibus postea fuisse condonatum dicunt auctores. Augustinus in libro De baptismo parvulorum : Sicut illi primi homines postea juste vivendo, unde merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo liberati supplicio, non tamen illa vita meruerunt ad paradisum revocari ; sic et caro peccati et si remissis peccatis homo in ea juste vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti quam traxit a propagine peccati. Ad hoc quod diximus in Adam fuisse omnes, solet sic opponi : Sic omnes qui descenderunt a Cain in Adam fuerunt, per illam substantiam quam accepit Cain in primis parentibus, ibi exstiterunt; sed in illa particula quæ in Cain fuit propagata non tot atomi fuerunt quot homines ab eo descenderunt ; unde non videtur verum quod substantia uniuscujusque fuerit in primo parente. Ad quod potest dici quod quamvis illa particula primum fuerit valde parva, tamen nulla substantia exteriori in eam transeunte augmentata est, et facta est magna ; tanta scilicet quanta in resurrectione erit. Fomentum enim habet a cibis; sed non transeunt cibi in ipsam humanam substantiam ; quod ita probari potest : Puer qui ea moritur die qua nascitur, in illa natura resurget quam habiturus erat si viveret usque ad plenam ætatem nulla ægritudine vel vitio corporis impediente. Unde apparet quod etiam si viveret non aliunde sumerentur partes illiud substantiæ; sed in se augmentarentur sicut costa de qua facta est mulier, et sicut quinque evangelici panes. Nec tamen negamus quin cibi et in humores et in carnem transeant : unde quidam homines grossiores sunt quam debeant; sed illa superfluitas non erit in resurrectione, qui non est de veritate humanæ naturæ. Veritas humanæ substantiæ dicitur quod in primis parentibus fuit ; et illud solum in resurrectione erit. Sed illæ partes quæ de cibis fiunt, et in quas transeunt, tanquam superflua deponentur.

CAP. XI. *Quid sit peccatum originale.*

Deinceps inquirendum est quid dicatur originale peccatum, et quare originale dicatur. Quidam dicunt quod originale peccatum sit debitum quo tenentur omnes pro peccato primi hominis ; quia pro illo omnibus debetur pœna æterna nisi per gratiam liberentur. Isti dicunt quod originale peccatum non sit peccatum ; sed si Scriptura quandoque vocat illud peccatum, astruunt quod ibi peccatum pro pœna peccati accipitur ; et sicut pro peccato parentis quandoque exsulant filii secundum justitiam sæculi, ita ex justitia Dei omnes tenentur rei pro peccato illo ; et ita secundum istos in anima pueri nullum peccatum est. Quia dicunt ipsi : Si anima pueri nunquam peccavit, non est in ea peccatum; et tamen concedunt quod in ea est originale peccatum, quia tenetur debito peccati. Sed plane contra Apostolum loquuntur isti, cum apostolus dicat : *Per inobedientiam unius, peccatores constituti sunt multi* (*Rom.* V). Ecce quod Apostolus vocat eos peccatores antequam regenerentur ; sed si tantum esset pœna et non culpa in istis, ut ipsi aiunt, non peccatores essent. Item dicit Apostolus : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors* (*Ibid.*). Aliud peccatum quod intravit ; aliud ipsa pœna quæ innuitur in verbis Apostoli. Alii dicunt quod originale peccatum sit inobedientia ; et hæc inobedientia in omnibus est antequam renascantur. Sed non

videtur quod puer inobediens sit; quia nihil unquam fuit ei imperatum. Et qui nondum potest ratione uti, quomodo aut obediens aut inobediens potest dici? Inobedientia namque voluntatis est ut obedientia; sed peccatum originale non est voluntarium. His itaque omissis, dici potest quod originale peccatum est concupiscentia mali et ignorantia boni. Unde Augustinus in libro De correptione et gratia: Sunt omni homini ista duo pœnalia: ignorantia et difficultas. Ex ignorantia error, ut probet falsa pro veris; ex difficultate cruciatus, ut resistente et torquente dolore carnalis vinculi non possit a libidine temperare. Sed potest opponi: cum anima pueri nondum aliquid velit vel nolit, quomodo concupiscentiam mali habet? Vitium est in ea non actus, quod probatur: cum venerit ad annos discretionis, tunc concupiscit malum et dimittit bonum.

Similiter opponitur: Cum nondum aliquid debeat scire, quomodo ignorantiam habet? Sed sicut in oculo cæci in nocte vitium cæcitatis est, sed non apparet, nec discernitur inter videntem et cæcum nisi luce veniente; sic et in puero vitium est, sed nondum apparet, sed veniente tempore in quo deberet bonum concupiscere, malum ignorare, ignorat bonum et concupiscit malum. Item opponitur: In baptismo remittitur peccatum originale, sed post baptismum remanet concupiscentia mali, et cætera; et ita non videtur quod in baptismo remittitur peccatum originale. Sed, ut dicit Augustinus: Licet remaneat concupiscentia post baptismum, non tamen ad reatum; quia his qui renati sunt non imputatur, sed hoc est remitti peccatum originale, non imputari. Licet enim concupiscentia carnis sit in baptizato, tamen non imputatur ei nisi eat post concupiscentias. Quod si fiat, non jam originale, sed actuale est. Augustinus De nuptiis et concupiscentia: Ex hac carnis concupiscentia (quæ licet in regeneratis jam non reputatur in peccatum) quæcunque nascitur proles obligata est originali peccato. Et paulo post: Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut peccatum non imputetur: hoc est enim non habere peccatum, non esse reum peccati. Item: Quo modo alia peccata prætereunt actu et remanent reatu, ut homicidium et similia; ita et econtrario fieri potest ut concupiscentia prætereat reatu et remaneat actu. Ecce ex his auctoritatibus patet concupiscentiam mali esse peccatum originale, sub qua continetur ignorantia boni, quoniam ex ea est. Nisi enim præcessisset concupiscentia mali, non esset secuta ignorantia boni. Et inde est quod quandoque reperimus in sacra Scriptura pluraliter peccata originalia, quia diversa sunt ignorantia boni et concupiscentia mali: quandoque singulariter reperimus peccatum originale; quia, sicut diximus, unum istorum ex altero est. Unde et sub eo vel in eo continetur.

CAP. XII. *De ratione originalis peccati.*

Post hoc videndum est quare dicatur illud peccatum originale. Ideo scilicet quia ab origine trahitur; id est a parentibus, quando generatur, aliquis traducit ipsum peccatum. Unde David: *In peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L). Hic potest opponi hoc modo: Cum aliquis generatur, sola caro a parentibus propagatur; quoniam, ut superius diximus, animæ non sunt ex traduce; etiam in ipsa propagatione carnis nondum infunditur anima, ut philosophi dicunt, sed jam effigiato corpore. Id quod Moyses in Exodo manifestissime ostendit, dicens: *Si quis percusserit mulierem prægnantem et abortivum fecerit, si adhuc informatum fuerit, multabitur pecunia; quod si formatum fuerit, reddet animam pro anima* (*Exod.* XXI): formatum intelligit jam animatum. Quod si in ipsa propagatione transmittitur a parentibus peccatum originale, videtur quod in eo sit peccatum originale quod propagatum est. Sed illud adhuc inanimatum est, et omne peccatum animæ est; quomodo ergo in illo semine peccatum poterit esse? sicut enim virtus in anima, ita et omne peccatum. Ad quod potest dici quod non solum anima obnoxia est vinculo originalis peccati, sed etiam caro; non quod sit in carne illud peccatum, sed ex corruptione carnis illud contrahit anima: nisi enim caro in concupiscentia traduceretur, illo peccato anima non teneretur. Unde invenitur quod Christus non habuit carnem peccatricem, sed similem carni peccati (*Rom.* VIII); quia illa caro non ex concupiscentia viri de matre fuit propagata, sed operatione Spiritus sancti. Cæteri habent carnem peccatricem; non quod in carne sit peccatum, sed causa peccati. Augustinus De fide ad Petrum: Dum sibi invicem vir et mulier miscentur ut filios generent, sine libidine non est parentum concubitus: et ob hoc filiorum eorum ex carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, ubi peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido. Apparet itaque quod in ipsa conceptione transmittatur peccatum originale; quia nisi conceptio sic fieret in carne, anima ex carnis unione concupiscentiam non contraheret.

Si quæratur quid sit illa corruptio quam in carne diximus esse, utrum peccatum sit an non? potest dici peccatum, id est pœna peccati, scilicet sicut solemus accipere peccatum culpam; sed ipsa peccatum non dicetur. Sed quod in carne corruptio peccati sit, per effectum potest sciri, ut in vase scitur esse vitium per hoc quod reddit vinum acidum.

Item solet qæri: Cum parentes alicujus per baptismum mundati sunt a peccato originali, quomodo potest filius contrahere peccatum illud? Quod Augustinus in libro De baptismo parvulorum his similitudinibus ostendit: Quo modo præputium per circumcisionem aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circumcisi; quo modo et palea quæ humano opere tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu qui de purgato tritico nascitur: ita peccatum quod mundatur per baptismum, manet in eis quos genuerunt baptizati. Item in eodem: Ex hoc enim gignit quod adhuc vetustum trahit, non ex hoc quod in novi-

tate promovit eum inter filios Dei. Non enim generant parentes filios suos secundum generationem illam qua denuo sunt nati; sed potius secundum eam qua carnaliter et ipsi primum sunt generati.

Præterea solet quæri qua justitia teneatur peccato illa anima innocens a Deo creata, cum non sit in potestate ejus illud vitare. Non enim est in potestate liberi arbitrii illud vitare vel non, cum nondum utatur libero arbitrio, et cum non sit prius in corpore illo quam sit obnoxia illi peccato. Quod ita solvunt quidam : Ideo anima illa, quamvis ex traduce non sit, sed noviter a Deo creata et munda, rea est illius peccati, quia cum infunditur corpori, invenit illud corpus aptum et idoneum ad peccandum, et in hoc delectatur, et ex hac tali delectatione contrahit peccatum illud. Sed si hoc esset, non originale, sed actuale dici deberet. Si enim ex delectatione est hoc peccatum, non est alienum sed propriæ voluntatis : cum Augustinus et alii vocent illud alienum. Augustinus in libro De baptismo parvulorum: Manifestum est alia esse unicuique propria peccata in quibus ii tantum peccaverunt quorum sunt peccata; aliud illud unum in quo omnes peccaverunt. Itaque dicendum putamus occultam esse Dei justitiam qua illius peccati anima tenetur rea, quod non est in potestate sua vitare, et quod ipsa propria voluntate non commisit. Ut enim Apostolus dicit : *Incomprehensibilia sunt judicia Dei, et investigabiles viæ illius* (*Rom.* x).

Solet etiam quæri utrum voluntarium sit an necessarium illud peccatum. Sed quod non sit voluntarium constat per supradicta. Iterum si dicatur necessarium, non debet imputari. Et ideo voluit dicere quidam quod nec necessarium nec voluntarium. Propheta tamen dicit : *De necessitatibus meis erue me, Domine* (*Psal.* xxiv). Unde non videtur absurdum quod dicatur necessarium.

Si quis iterum quærit : Cum Deus qui facit animam ipsam immaculatam, sciat eam ex corpore maculam contrahere peccati, et quandoque ante baptismum separatum iri morte ab ipso corpore, et sic damnari; quare eam corpori conjungit ? Respondemus hoc idem quod superius : scilicet occultam Dei justitiam esse.

Solent quidam sic opponere : Cum anima in corpore creetur, nec prius sit in corpore quam in illo peccato teneatur : igitur cum primum est, maculam peccati habet. Itaque nunquam talis est qualis creatur a Deo. Creatur namque a Deo innocens; sed nunquam innocens est cum sit maculata cum primum est creata. Sed dicendum quod Deus creat eam mundam, id est ex creatione nullam maculam habet : et ita talis est quantum ad creationem, qualem creat eam Deus. Semper est enim bona et munda quantum ad creationem.

Propterea solet quæri an sint omnes animæ ex creatione æquales; an sint aliæ aliis excellentiores, sicut et in angelis fuit? Et videtur pluribus quod ex ipsa creatione una sit habilior ad intelligendum et memoriter retinendum quam alia : quod satis probabile est.

A Opponitur : Quod si decedant a corpore ante baptismum, æqualem habent pœnam; si statim post baptismum, æqualem habent coronam, et ita videtur quod in ipsa creatione indifferentes sint. Sed, sicut nos jam diximus in Tractatu liberi arbitrii, ea quæ sunt ex ipsa creatione, ut ingenium, memoria, nec plus nec minus beatum constituunt, vel pœna dignum faciunt.

Cap. XIII. *De peccato actuali.*

Postquam de originali peccato diximus, adjiciendum videtur de actualibus, de quibus primum videndum est quod non imputantur posteris, juxta illud Ezechielis : *Non ultra erit istud proverbium in Israel : Patres nostri manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum* B *obstupuerunt* (*Jerem.* xxxi; *Ezech.* xviii). *Anima quæ peccaverit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris* (*Ezech.* xviii). Ad hoc videtur contrarium quod dicitur in Exodo : *Ego reddo iniquitatem patris in filios usque in tertiam et quartam generationem iis qui oderunt me* (*Exod.* xx; *Deut.* v). Sed, sicut Hieronymus dicit, hoc dictum est de filiis imitantibus patrum mala; quod innuitur per finem illius auctoritatis, *ilis qui oderunt me.* Si enim filius non imitatur peccata patris, non inde punietur.

Opponitur: Si de imitantibus illud intelligendum est, quare solummodo usque in tertiam et quartam dixit, cum omnes qui imitantur peccata parentum, in qualibet generatione sint, illis teneantur? Quod C ita sancti solvunt : Ideo dictum est, in tertiam et quartam, quia usque ad quartam magis solet evenire ut filii imitentur facta parentum, cum adhuc eis nota et velut præsentia sint. Augustinus de temporali pœna illud exponit; quia in ultione parentum puniuntur sæpe fili temporaliter pro peccatis parentum, ut cæci nascantur, vel claudi post ortum fiant, vel quavis alia pœna afficiantur. Sed in futuro, sicut Apostolus ait *unusquisque onus sumu portabit* (*Galat.* vi). Hieronymus super Ezechielem dicit in nobis esse quasi patrem suggestionem carnis, filium primum impulsum cogitationis ad peccandum; et hæc est prima proles. Nepos, si decreverit facere vel opere compleverit. Pronepos, si non solum fecerit quod malum est; sed etiam in D suo scelere glorietur, et hæc est quarta generatio : non quod tres præcedant generationes; sed dicitur quarta a primo motu (qui est quasi pater) posita. Deus ergo primum et secundum stimulum, scilicet cogitationes (sine quibus nullus esse potest), non punit ad damnationem; sed tertiam et quartam generationem, quæ sunt peccata ad mortem. Ad probationem cujus rei, quod scilicet primus motus non punitur, Cham peccante dum irrideret nuditatem patris, non ipse qui risit, sed filius sententiam suscepit : *Maledictus*, ait, *Chanaan, servus erit fratrum suorum* (*Gen.* ix). Quæ enim justitia est ut pater peccaverit et in filium sententia proferatur, nisi fieret propter hujuscemodi significationem ?

Cap. XIV. *De peccato in generali.*

Assignavimus differentiam inter originale et

actualia peccata, nunc indifferenter de peccato dicendum est. De quo hæc quatuor inquirenda sunt : quæ sit causa peccati, quid dicatur peccatum esse, et quare, et in quibus modis dicatur fieri. Causa enim omnis paccati est voluntas a Deo deficiens. Augustinus : Omnium bonarum rerum causa est Dei bonitas : malorum vero causa est deficiens a Deo et mutabilis voluntas, prius angeli, deinde hominis. Si quæratur quid sit peccatum vel malum, potest responderi : Nihil, juxta illud : *Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). Ut enim dicit Augustinus : Malum nihil aliud est quam privatio boni. Itaque malum non est aliquid, sed alicujus privatio. Quidquid enim est vel opus Dei est, vel opus hominis imitantis Deum. Quod peccatum non sit opus Dei manifestum est ; nec opus hominis imitantis Deum, quia per peccatum recedit a Deo. Illud enim potest dici opus imitantis Deum, quod operando non recedit a Deo, ut domum, et similia. Quasi subtiliter volumus hæc pensare, potest dici quod quidquid est, opus Dei est. Operatur namque Deus duobus modis : quædam per se, sicut naturalia ; quædam per servos suos, sicut artificialia. Cum ergo per servos suos illa faciat, constat eum et ipsa facere. Unde potest dici quod quidquid est, opus Dei est ; sed malum Dei opus non est, nec igitur aliquid est. Sed malum cum nihil sit, quomodo potest bonum corrumpere ? Augustinus : Abstinere a cibo non est aliqua substantia : et tamen substantia corporis, si omnino abstineatur a cibo, languescit et frangitur. Sic non est substantia peccatum ; sed Deus substantia est, ut verus cibus rationalis creaturæ. Sed cum malum dicatur privatio boni, vivendum est cujus boni. Ad quod vivendum est quod bonum differenter dicitur. Deus est summum bonum, cujus essentia bonitas est. Idem est ei bonum esse quod esse. Itaque sicut non potest non esse, cum ipse careat principio et fine ; sic non potest non esse bonus, cum essentia ejus bonitas sit, et ideo hujus boni nulla potest esse privatio. Creaturæ dicuntur bonæ participatione ; et ideo possunt privari a bono suo. Et sicut sunt duæ creaturæ, spiritualis et corporalis, ita duplex bonum creaturæ. Aliud namque bonum est spiritualis creaturæ, aliud corporalis. Bonum spiritualis creaturæ maxime consistit in duobus : in cognitione veritatis et in amore virtutis. Bonum corporeæ creaturæ est vel in ipsa vel extra ipsam. Bonum in ipsa, integritas est sensuum et affectionem secundum quinque sensus ; bonum extra ipsam, ordinata distributio in creaturis. Quod enim hæc corrumpuntur vel emendantur, pro homine est ; et quidquid bonum est vel malum, homini bonum est vel malum.

Triplex itaque est bonum hominis ; aliud extra ipsum, quod scilicet est in creaturis ; aliud in ipso. Et quod in ipso, aliud in anima, aliud in corpore. Et ita triplicia sunt mala. Universaliter enim cujuslibet boni privatio malum dicitur ; sive illius boni quod est in anima, sive illius

A quod est in corpore sive illius quod est in creaturis : sed cum unumquodque istorum malum sit, aliud est culpa, aliud est pœna et non culpa, aliud nec culpa nec pœna, sed ad pœnam. Illius namque boni quod in anima est, corruptio et peccatum est et culpa. Boni siquidem hujusmodi incorruptione vivimus Deo, corruptione elongamur a Deo. Sicut diximus, in duobus præcipue bonum animæ consistit : quæ sunt cognitio veritatis et amor virtutis. Cognitionis corruptio ignorantia potest dici. De qua Apostolus: *Qui ignorat ignorabitur* (*I Cor.* XIV) Amoris corruptio, *cupiditas*, quæ *est radix omnium malorum* (*I Tim.* VI). Et quanto magis crescit hæc ignorantia et cupiditas, tanto magis bonum B animæ corrumpitur, et secundum hoc anima dicitur corrumpi. Cum anima enim sit substantia incorporea, secundum substantiam sui non potest corrumpi, sed secundum bonum quod participat.

Hic potest quæri in quo amplius corrumpi potest anima, postquam caret illis duobus, cognitione scilicet veritatis, et amore virtutis. Cum enim non sit ibi nisi substantia ipsa et vitium, sicut in dæmonibus vel in malis hominibus ; cum iterum peccant cujus boni dicetur corruptio ipsum peccatum ? Aliud bonum ibi non est nisi ipsa natura quæ deformata est ; sed ipsa non potest corrumpi secundum essentiam, quia simplex et incorporea est, nec virtus in ea est quæ possit corrumpi. Unde ergo privari potest ? Oculus C namque postquam semel privatur visione, non potest amplius privari. Ad quod potest dici quod quanto magis diligit injustitiam, tanto magis privatur justitia, non amittendo justitiam quam non habet, sed habilitatem recuperandi eam, quæ utique bonum est. Quanto enim injustior, tanto magis a justitia recedit, ita et in aliis. Sicut aliquis infirmus quanto magis infirmatur, tanto magis sanitate privatur; non amittendo sanitatem quam non habet, sed quia ab ea amplius elongatur : illa etiam bona naturalia quæ adhuc habet anima ut ratio, ingenium, memoria, et cætera ; tanto amplius deteriorantur et obtenebrantur, quanto magis anima peccatis deformatur.

CAP. XV. *In qua natura sit peccatum.*

D Nunc dicendum videtur in qua natura peccatum dicatur esse, verum in spirituali, an in corporali, an in utraque. Sed, ut jam diximus, non quælibet corruptio boni peccatum est, sed illius boni tantum quod est in spirituali natura. Apparet itaque quod in sola spirituali natura culpa vel peccatum potest esse ; nec negamus quin etiam in corporea natura malum sit. Unde in propheta : *Non est malum in civitate quod Dominus non faciat* (*Amos*, III). Sed malum vocat pœnam, non culpam, ut infirmitates et hujusmodi. Et cum natura omnis bona sit sive corporalis sive spiritualis, constat non esse malum nisi in bono. Unde Augustinus: Nullum est quod dicitur malum si nullum sit quod dicitur bonum, nec malum potest esse nisi ubi est aliquod bonum. Item Augustinus : Quid est malus homo nisi mala natura? quia homo na-

tura est; et si homo aliquod bonum est quia (A) natura est, quid est malus homo nisi malum bonum? sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Qui ergo dicit quod malum est hominem esse, aut quod bonum est iniquum esse, incidit in illud: *Væ iis qui dicunt bonum esse malum et malum esse bonum* (*Isa.* v). Hic videndum est utrum mali actus debeant dici peccata an non. Quidam dicunt quod omnes actus indifferentes sint, ut nec boni nec mali dicantur quantum ad se; sed dicitur bonus actus, quia fit bona intentione malus quia mala intentione. Ut occidere hominem zelo justitiæ bonum est, ex odio malum est: per se nec bonum nec malum. Unde Ambrosius: Affectus tui operi tuo nomen imponunt. Cui sententiæ sic opponitur: Si omnis actus indifferens est, tunc adulterari et (B) pejerare actus indifferentes sunt; sed isti actus non possunt nisi mali esse: igitur non omnis actus est indifferens? Quod ita ipsi solvunt: Adulterari et pejerare, nec tamen actum notant sed et vitium; et ideo quamvis hæc non sint indifferentia, non tamen minus actus ille, scilicet agere cum muliere et jurare, indifferentes sunt. Itaque secundum actus istos non sunt peccata. Nec ideo dicitur occidere hominem malus actus quia peccatum est; sed quia mala intentione procedit: sic et in aliis. Sane tamen potest dici quod malus actus peccatum sit: sub hoc sensu occidere hominem peccatum est, id est actus peccati. Duo enim, ut Augustinus dicit, considerantur in peccato: actus et reatus. Actus in opere, reatus in (C) voluntate. Ut in hoc peccato quod homicidium est reatus est ipsa voluntas, vel vitium voluntatis: qua manente homo reus est sive sit actus sive nondum fuerit, sive jam præteritus fuerit; et utrumque appellatur homicidium consuetudine loquendi et usu Scripturæ; nec duo sunt peccata, vel duo homicidia, sed unum et idem, licet diversis modis, scilicet voluntate et actu. Duobus namque modis malum dicitur, substantive et adjective. Ipsa corruptio vel privatio boni quæ fit in anima non solum mala est, sed etiam ipsum malum est, id est malitia, ut injustitia et similia. Actio dicitur mala non quod sit ipsum malum, sed mali exibitio.

Cap. XVI. *Qui sint modi peccandi.* (D)

Duobus autem modis peccatum committitur, ut dicit Isidorus, cupiditate et timore: dum quisque vel vult adipisci quod concupiscit, vel timet ne incurrat quod metuit. Item homo peccat in se, in Deum, in proximum. Illud quod fit in Deum dicitur delictum: ut perjurium, indigna participatio sacramentorum; quæ peccata dicuntur in Deum fieri, quia in istis major contemptus Dei est. Aliæ quæ sunt in nos et in proximum, non delicta, sed peccata dicuntur. Delictum quoque appellantur, quando relinquimus facere quod jubemur; peccaquando facimus quod prohibetur, et tamen indifferenter alterum pro altero ponitur. Item, ut dicit Gregorius, septem sunt vitia capitalia; hæc scilicet: superbia, invidia, ira, acidia vel tristitia, avaritia gula luxuria. De istis quasi septem fontibus omnes animarum corruptiones emanant. Nec dicuntur hæc capitalia quod majora sint aliis, cum alia æque magna sint vel majora, sed capitalia a quibus oriuntur omnia alia. Nullum enim est quod ab aliquo horum non exortum. Superbia est amor propria excellentiæ. Nec vitium est quod excellenter amamus, sed quia illud quod bonum est, scilicet excellentia, participatione usurpare nobis contendimus, quari singulari possessione. Et sunt quatuor species superbiæ, ut Gregoriur dicit: Prima est cum homo bonum quod habet sibi attribuit; secunda, cum credit a Deo esse datum, sed tamen pro suis meritis; tertia cum se jactat habere ea quæ non habet; quarta cum cæteris despectis singulariter vult videri. Hæc ultima species vicinius proximat diabolo, qui præ cæteris omnibus angelis voluit esse. Ex superbia primo loco nascitur invidia; quæ est odium alienæ felicitatis. Cum enim superbus videat proximum in eodem loco æqualiter vel præ se exaltatum, incipit invidere illi. Et inde ex levi injuria incitatur ad iram erga proximum. Ira est interni doloris impatientia. Ista tria omni interiori bono hominem spoliant. Tria enim sunt diligenda: Deus, proximus, nosipsi. Superbia tollit Deum; invidia proximum; ira seipsum. Deinde sequitur acidia, id est mentis confusio sive interna tristitia. Et, quia mens humana sine aliquo gaudio vivere non potest, amisso interiori evagatur ad exteriora; quod facit avaritia, quæ est immoderatus amor habendi. Et cum jam delectatur exterioribus, prius delectatur vitio quod est proximum naturæ, scilicet gula. Inde luxuria, quæ est libidinosæ voluptatis appetitus. Superbiæ supponuntur cætera non quod de illis prædicetur; sed post eam ponuntur ut matrem aliorum. *Est* enim *superbia initium* et radix *omnium malorum* (*Eccli.* x). Sed iterum legitur: *Cupiditas radix omnium malorum (I Tim.* vi); non itaque superbia radix omnium malorum. Ad quod potest dici, quod in superbia est avaritia, cum superbia sit amor propriæ excellentiæ. Ut enim Augustinus ait: Quid avarius illo cui Deus non sufficit? Vel potest dici superbia radix omnium malorum, id est malarum affectionum; cupiditas vero omnium malorum radix, id est actionum malarum.

Cap. XVII. *Quæ sit differentia inter dona et virtutes, et quæ sint septem dona Spiritus sancti.*

Contra illa septem vitia sunt virtutes quas pariunt septem dona Spiritus sancti. Inter dona autem et virtutes hæc est differentia quod dona sunt primi motus in corde, quasi quædam semina virtutum jactata super terram cordis nostri; virtutes quasi seges quæ ex ipsis consurgunt. Sunt enim effectus donorum hahitus quidam confirmati jam boni. Et dicuntur septem dona Spiritus. Unde in Apocalypsi: Vidit Joannes septem spiritus discurrentes ante thronum Dei (*Apoc.* i). Spiritus dicuntur, id est aspirantes vel aspirationes quæ præcedunt virtutes; et sunt dona solummodo et non merita. Virtutes sunt et dona et merita. In illis operatur Deus sine nobis; in istis operatur

nobiscum. Ex timore, qui est initium sapientiæ (*Psal.* CX), nascitur humilitas; ex spiritu pietatis mansuetudo nascitur; et ita per singula quæ numerantur ibi : *Beati pauperes spiritu (Matth.* V), etc.

Sed hic videndum est quod quatuor sunt timores, ut Augustinus inquit : servilis, mundanus, initialis, filialis. Servilis est cessare a malo pro pœna ab homine instanti, retenta tamen voluntate mali. Mundanus est cessare a bono propter pœnam quæ timetur ab homine, ut in Petro fuit. Et est præterea timor divinus, timere Deum propter pœnam vel præsentem vel gehennalem. Si tantum timet Deum propter pœnam sine dilectione boni, languor est et pœnæ tormentum habet; quod scilicet malorum est, et servilis est timor iste. Si autem timet adjuncta jucunditate boni, initialis est; et hic timor est initium sapientiæ; quoniam homo incipit sapere et gustare Deum ubi timor et spes se invicem comitantur. Unde legitur : Timor non sine spe est; et quanto plus bona voluntas crescit, id est charitas, tanto magis timor pœnæ decrescit. Si vero sola sit dilectio, filialis fit et castus; qui permanet in sæculum sæculi. Itaque constat quod timor initialis non est sine charitate : non dico perfecta, sed inchoativa. Unde Joannes in Epistola sua dicit : *Perfecta charitas foras mittit timorem (I Joan.* IV), scilicet initialem. Ubi innuit quod licet nondum perfecta, tamen est charitas in timore initiali. Servilem et mundanum timorem prohibet Christus, dicens : *Nolite timere eos qui occidunt corpus tantum, animæ vero non habent quid faciant* (*Matth.* X). Post de initiali timore subjungit, dicens : *Sed eum timete qui potest animam et corpus in gehennam mittere* (*ibid.*). Quem non præciperet, nisi in eo charitas (tametsi nondum perfecta) esset. Et est notandum quod aliquando in divina Scriptura iste timor appellatur servilis quod servili sit affinis; quia utrobique timore pœnæ cessatur a malo opere; sed hic timor cesare facit a malo opere et non a voluntate; iste vero et opere et voluntate. Beda super Parabolas dicit quod uterque timor cessabit in futuro. Cui videtur contrarium quod dicit Psalmista : *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi (Psal.* XVIII). Sed potest sic exponi quod dicit Beda : Uterque timor cessabit, id est uterque effectus timoris. Effectus initialis timoris est timere puniri. Effectus filialis est timere separari. Unde Augustinus : Timor castus gratis amat, non timens puniri sed separari. Non enim timent perfecti puniri gehennali pœna, sed separari in præsenti per aliquam culpam, in futuro vero nec puniri nec separari timebunt; et tamen erit ibi timor, scilicet reverentia. Duo enim in ipso Deo

A attendent, majestatem et pietatem; ex majestate reverentia, ex pietate dilectio. Itaque majestatem timebunt, id est ei cum reverentia subditi erunt. Solet quæri utrum in Christo uterque timor fuerit. Quod filialis timor in eo fuerit constat. Reverentiam enim Deo exhibebat secundum humanitatem. Initialis, ut quidam dicunt, non fuit in eo. De illo quippe dicit Joannes in Epistola : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Sed quis dubitat Christum summe perfectam habuisse charitatem? Item timor initialis timor est gehennæ, sed Christus non timuit gehennam cum esset immunis ab omni peccato. Unde certus erat quod illæ pœnæ nullomodo comprehenderent eum. Sed opponitur quod Isaias enumerat septem

B dona fuisse in Christo dicens : *Requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini (Isa.* XI). Sed, ut dicunt, quod est membrorum attribuitur Christo. Non enim habuit Christus illud donum in se: sed in corpore suo. Item opponitur eis quod in Christo plenitudo omnium donorum fuit; igitur et in Christo illud donum fuit. Quod ipsi ita solvunt : Non habuit Christus in se singula dona cum non habuerit pœnitentiam pro peccatis, quæ quoddam Dei donum est; et plenitudinem donorum omnium habuit, quia ei nihil ad perfectionem defuit. Sed si timorem initialem vel pœnitentiam seu alia consimilia (quæ etsi dona aunt, imperfectorum

C tamen sunt) habuisset, sine dubio non perfectionem darent, sed vitæ perfectæ initium tantum facerent. Aliis videtur quod in Christo fuerit illud donum quod est timor initialis; nec tamen concedendum est : in Christo fuit timor initialis. Timor namque Domini unum donum est de illis septem, non duo; sed duos effectus habet. Secundum unum effectum dicitur initialis, secundum alterum castus et filialis; et secundum hunc effectum fuit in Christo. Fuit igitur in Christo illud donum quod est in aliis timor initialis, et non tamen fuit in Christo timor initialis, quia non secundum effectum illum habuit Christus timorem. Sicut sunt duo quorum unus fidem imperfectam habet, alius perfectam et constantem : unam tantum

D dicimus eos habere fidem, unam virtutem; nec tamen inde sequitur : si habent eamdem, et iste imperfectam, igitur et ille imperfectam. Et istud probabilius videtur quam quod prius diximus. Quidam concedunt hæc verba : Christus habuit timorem initialem et gehennam timuit, et tamen certus erat quod non posset eum comprehendere. Ut si aliquis in magna turri positas timeret præcipitium ex quodam horrore, quamvis certus esset quod non rueret.

TRACTATUS QUARTUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERALI ET DE PRÆCEPTIS DIVINIS.

—

CAPITULA.

Cap. I. *De sacramentis in generali.*

Contra peccata tam originalia quam actualia, de quibus jam diximus, inventa sunt sacramentorum remedia, de quibus hæc tria consideranda sunt : quid sit sacramentum, quare institutum, et in quibus consistat. Augustinus : Sacramentum est sacræ rei signum. Idem : Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ut in sacramento baptismatis figuratur ablutio interior per illam exteriorem et visibilem. Ununquodque enim sacramentum ejus rei simulitudinem debet habere cujus est sacramentum. Unde Augustinus : Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Opponitur quod prædicta diffinitio non solis competat sacramentis, cum et ante sanctificationem hoc congruat aquæ ut sit visibilis forma invisibilis gratiæ ; quia, sicut aqua auferuntur sordes corporis, ita per gratiam sordes animæ. Sed ut solis sacramentis competat, sic intelligendum est : Sacramentum est visibilis forma invisibilis gratiæ in eo collatæ, quam scilicet confert ipsum sacramentum. Non enim est solummodo sacræ rei signum, sed etiam efficacia. Et hoc est quod distat inter signum et sacramentum ; quia ad hoc ut sit signum non aliud exigit nisi ut illud significet cujus perhibetur signum, non ut conferat. Sacramentum vero non solum significat, sed etiam confert illud cujus est signum vel significatio. Iterum hoc interest ; quia signum potest esse pro sola significatione quamvis careat similitudine, ut circulus vini ; sed sacramentum non solum ex institutione significat, sed etiam ex similitudine repræsentat. Sicut enim jam diximus, sacramentum debet habere aliquam similitudinem ejus rei cujus dicitur sacramentum. Sciendum quoque est quod sacramentum appellatur quandoque in sacra Scriptura res sacra et mystica, sicut sacramentum incarnationis. Deinde videndum est quare sacramenta instituta sunt. Tria sunt propter quæ instituta sunt : propter eruditionem, humiliationem, exercitationem. Propter eruditionem ; quia cum homo ante peccatum haberet cognitionem veritatis et tunc sine medio posset Deum videre, per superbiam excæcatus est ; et ut ad cognitionem redeat necessaria sunt hæc visibilia per quæ erudi- tur meus ad intelligenda invisibilia. Propter humiliationem : quia cum rationalis creatura tantæ A dignitatis esset ut non ipsa sibi bonum esset, sed id solum quod est summum bonum (cum aliis rebus hoc quod sunt sit bonum suum, ut lapidi ligno), ut illud obtineret ante peccatum non aliud oportebat nisi ut desideraret, quia si desideraret cognosceret bonum suum esse ; si autem sciret suum esse bonum, sciret illud melius se esse ; quia quidquid est bonum alicujus extra ipsum melius est eo ; quod si sciret melius se esse, subjiceret se ei et hoc desiderio haberet illud. Quia tantæ libertatis est rationalis natura, ut nunquam possit bonum illud habere nisi volens, unde ipsa sola in judicium venit. Sed quia per superbiam illud bonum amisit, per humilitatem recuperare oportet. Sed non sufficit in hoc solo humiliari ut subjiciatur Deo ; quia B et hoc ante peccatum debebat, post quod plus facere oportet. Et ideo sunt instituta sacramenta ut non solum Deo subjiciamur, sed etiam inferiori naturæ, ut in istis quærat homo salutem sed non ab istis. Magna enim humilitatis exhibitio, in istis visibilibus et homine multum inferioribus salutem quærere. Propter exercitationem sunt instituta, quia cum homo non possit esse sine exercitatione ut removeretur a mala exercitatione et superflua, et exerceret se in bona, instituit Deus sacramenta et eorum certa loca, ut in ecclesis audiatur missa et ibidem sacerdoti confessio fiat, et similia. Tria sunt genera exercitationum : unum ad ædificationem animæ pertinet, secundum ad corpus fovendum, tertium ad animæ subversionem. Primum indixit, medium conces- C sit, ultimum prohibuit. In tribus consistit sacramentum : rebus, factis, dictis. Rebus, ut sunt aqua, oleum et similia. Factis, ut sunt submersio, insufflatio. Dictis, ut est invocatio Trinitalis. Hic potest quæri : Cum in istis sacramentis præcipue hominis salus consistat, quare ab initio non fuerunt constituta ut ab initio esset sacramentum baptismi, sacramentum confirmationis, etc. Ad quod potest dici quod sicut paulatim crevit per intervella temporum agnitio fidei, ita congruebat ut tunc obscura essent sacramenta ; modo quia veritas in lucem venerat manifesta. Cum enim circumcisio et baptismus signa sint ejusdem gratiæ intus a peccato liberantis, manifestius hoc in baptissimo significatur quod abluit totum corpus, quam in circumsisione quæ unius partis tantum pelliculam auferebat. Itaque ab initio mundi, et in tempore naturalis legis et in tempore scriptæ

legis contra peccata et originalia et actualia fuerunt, sacramentorum remedia. Prius sacrificia; ut hostia Abel, Noe et aliorum fidelium. Postea non solum sacrificia, sed etiam circumcisio, quæ fuit tempore Abrahæ imperata. Gregorius in Moralibus: Quod apud nos valet aqua baptismi, hunc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis qui de stirpe Abrahæ prodierunt mysterium circumcisionis. Sed cum pro parvulis sacrificia offerentur, quomodo verum erit quod dicit Gregorius: sola pro parvulis fides? Ad quod potest dici quod per sola non excluduntur sacrificia; sed dicitur sola fides, id est nuda et in mysterio velata tunc fuisse in parvulis, id est in iis quibus non erat revelatio facta futuræ incarnationis. Pro majoribus virtus sacrificii; quia perfecti, quibus revelatum fuerat mysterium incarnationis, virtutem sacrificiorum intelligebant, quid scilicet significarent illa sacrificia. Circumcisio Abrahæ imperata fuit, quæ octava die fiebat et lapideis cultris. In carne præputii ideo justa est fieri; quia in remedium instituta est contra originale peccatum quod a parentibus contraximus propagati in concupiscentia, quæ in parte illa magis dominatur. Et significabat circumcicio carnis circumcisionem mentis; quia mundatur anima a vitiis. Octava die ideo fiebat quod per octavam significatur resurrectio, quæ erit post hanc vitam quæ volvitur septem diebus; et ibi erit perfecta circumcisio quando liberabitur caro a servitute corruptionis. Duplex itaque erat res illius sacramenti: circumcisio a peccatis quæ et in anima, et circumcisio a peccato et ab omni pœna peccati qui erit in resurrectione, et in anima et in corpore. Constat itaque tres esse circumcisiones. Prima est sacramentum; et duæ sunt res illius sacramenti. Cultri lapidei Christum significabant. Unde Apostolus: *Petra autem erat Christus* (*Joan.* I); *qui* scilicet *tollit peccata mundi* (*I Cor.* X). De mulierebus autem quæritur quod remedium contra originale peccatum haberent. Respondetur: Fidem, oblationes, et sacrificia. Solet quæri etiam de parvulis quæ moriebantur ante octavam diem, quod remedium haberent, vel utrum damnarentur. Beda videtur dicere quod damnarentur. Qui nunc per Evangelium terribiliter ac salubriter clamat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III), et ipse dudum clamabat per legem suam: *Masculus cujus præputii caro non fuerit circumcisa peribit anima illa de populo, quia pactum meum irritum fecit.* (*Gen.* XVII.) Sed melius videtur hoc Dei relinquendum judicio quam temere aliquid definire. Quæritur quid distat inter baptismum et circumcisionem quantum ad efficaciam. Beda: Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vuluns agebat, quod nunc baptisimus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit, excepto quod regni cœlestis januam necdum intrare poterant; tamen in sinu

A Abrahæ post mortem beata requie consolati supernæ pacis ingressum spe felici exspectabant.

CAP. II. *De sacramentis legalibus.*

Dicto quæ fuissent remedia ante legem contra peccata, restat videre quæ sunt superaddita per ipsam legem. De qua consideranda ista sunt: quare sunt data, et quibus, et quando, et ubi. Lex scripta ideo data est ut repararet legem naturalem, et reviviscere faceret quæ per peccatum abolita erant, et ut populum rudem legalibus figuris ad futuram veritatem præpararet. Primum efficit per naturalia decem præcepta. Secundum per figurativa, ut de agno paschali, et similibus. Quibus data est: semini Abrahæ, id est duodecim tribubus quæ a duodecim filiis Israel processerunt. Hic potest quæri: Quare istis solis? Ad
D quod potest dici quod ideo uni populo sit data et non omnibus, quia in figuram fuit proposita. Unde Apostolus: *Omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X). Et sufficiebat in uno ostendere quod causa figuræ et exempli proponebatur. Sed a Deo nova lex imperatur omnibus, quæ non est figura sed res ipsius figuræ. Et cum essent in populo illo perfecti aliqui, mediocres, pessimi, perfectis in signum fuit data, sicut circumcisio Abrahæ; mediocribus in pædagogum, ut facienda doceret, vitanda prohiberet, errata puniendo corrigeret; pessimis ab irato judice in vindictam data est, ut *qui in sordibus est sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Econtrario bonis a patre pio pro-
C visa est: ut *qui justus est justificetur amplius* (*ibid.*). Quando data est lex? Quinquagesimo die ab exitu de Ægypto et immolatione paschalis agni Sic et nova lex data est apostolis, id est, Spiritus sanctus scribens in corde, quinquagesimo die post immolationem veri Agni Jesu Christi. Ubi? In monte Sinai, sicut sermo perfectionem continens notat, quem Christus facit in monte. In Veteri sicut in Novo Testamonto tria continentur: promissa, sacramenta, præcepta. Promissa Veteris, bona temporalia, unde et Vetus dicitur; in quibus tamen, licet obscure, figurabentur æterna. Promissa Novi, beatitudo æterna. Sacramenta illius, circumcisio, quæ ante legem, et observantia Sabbati. Sacrificia etiam multa, ut
B agni paschalis, et similia, quæ cum non essent prius superaddita sunt in lege; per quæ etiam futura veritas manifestius quam prius monstrabatur etsi adhuc occulta. Sacramenta Novi: baptismus, etc. Ideo autem Deus bruta animalia sibi immolari voluit, ut populum in suo cultu exerceret, et eos ab idololatria removeret, ne scilicet ea dæmoniis immolarent.

CAP. III. *De præceptis primæ tabulæ.*

Nunc de præceptis restat dicere. In præceptis comprehenduntur naturalia et figurativa. Naturalia dicuntur illa decem quæ naturali manant lege; nec insceprita sunt lege inchoata sed renovata, quia per peccatum erant deleta. Hæc sunt illa decem mandata quæ et moralia dicuntur; nec sunt terminata in nova lege, imo perfectius adimpleta. Figurativa ad tempus data sunt, ad

futuram veritatem præsignandam a Deo sunt A præmissa, et veritate adimpleta finem acceperunt. In illis decem præceptis dilectio Dei et proximi imperatur. Tria quæ in prima tabula, ad dilectionem Dei; septem alia quæ in secunda tabula, ad dilectionem proximi referuntur. Primum præceptum primæ tabulæ tale est: *Dominus Deus tuus Deus unus est: ipsum adorabis et ipsi soli servies (Deut.* VI; *Matth.* IV). Inde videndum est quod alia est servitus quæ soli Deo exhibenda est, quæ Græce dicitur latria; et alia quæ etiam hominibus potest exiberi, quæ Græce dicitur dulia. Debemus etiam hominibus reverentiam exhibere, sicut præcipit Apostolus, sed non sicut Deo. Unde illud: *Honorem meum nulli dabo* (*Isa.* XLII). Honor iste est illa reverentia B quam soli Deo exhibemus; quod est totam mentem per humilitatem et devotionem ei substernere, et ipsum principium et finem omnis boni credere. Et hoc modo solus Deus est adorandus. Et ista servitus, sicut diximus, latria dicitur apud Græcos. Unde idololatræ dicuntur qui hunc cultum creaturæ tribuunt, servientes creaturæ potius quam Creatori; scilicet quod Dei est idolo attribuentes, de quo dicit Apostolus quod nihil est idolum: *Idolum nihil est in mundo* (*I Cor.* VIII). Quod nec de materia dictum est, sicut de lapide vel ligno, quoniam creaturæ Dei sunt; sed de forma, videtur esse dictum. Deo namque dicitur forma et illud proprie idolum dicitur, cui imprimitur forma aliqua ut colatur tanquam Deus; C quæ forma non est opus Dei sed opus hominis imitantis Deum: quare nihil est. Quidquid namque est, vel est opus Dei vel opus hominis imitantis Deum. Itaque idolum nihil est; id est illud propter quod idolum appellatur. Vel ita dictum est ac si diceretur: corporeus angelus nihil est. Non negatur angelum esse, necque corpus; sed ex illiis duobus unum esse negatur. Itaque qui dicit, idolum nihil est, negat esse aliquid illud quod ipse putabant esse idolum, scilicet unam personam ex simulacro illo et spiritu præsidente constantem, sicut ex corpore et anima constat unus homo. Putabant enim quod viveret idolum et loqui posset tanquam persona constans ex simulacro et ex spiritu illi simulacro præsidente; D et illud tale nihil est. Secundum præceptum est; *Non assumes nomen Dei tui in vanum* (*Exod.* XX). Et sicut præceptum primum pertinet ad Patrem, ita istud ad Filium. In vanum nomen Dei assumit, qui credit Fillium Dei tantum esse hominem. In vanum assumit, qui eum non adorat, et quia ab eo factus, et quia ab eo redemptus. Unde et ipse dixit: *Creditis in Deum? et in me credite* (*Joan.* XIV) Ut intelligamus eum non solum adorandum a nobis in Divinitate qua condidit, sed etiam in humanitate qua redemit. Unde Propheta: *Adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est (Psal.* XCVIII). Qui enim sic adorat humanitatem Christi Jesu, id est eum qui in humanitate redemit, non creatorem sed creaturam adorat. Tertium ad Spiritum sanctum pertinet.

Observa diem Sabbati (Exod. XX), id est exspecta requiem per bonitatem Dei, id est Spiritum sanctum.

CAP. IV. *De quatuor primis præceptis secundæ tabulæ.*

In secunda tabula primum præceptum ad carnalem patrem refertur; sicut primum primæ tabulæ ad Patrem cœlestem; quod tale est: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram* (*Exod.* XX). In his honora quæ contra Deum summum non sunt: obediendo et in necessitatibus suis quantum potes subveniendo. Ut sis longævus super terram, scilicet viventium. Secundum præceptnm est: *Non occides* (*ibid.*). Homicidium fit istis modis: manu, lingua. consensu. Judæi enim, quamvis manu Christum non occiderunt, linguis suis tamen occiderunt. Consensu quoque voluntatis multi homicidæ sunt; unde: *Qui odit fratrem suum homicida est* (*I Joan.* III). Judici licet occidere, et si zelo justitiæ hoc facit non committit homicidium. Tertium præceptum: *Non mœchaberis (Exod.* XX). Duplex et fornicatio: spiritualis, de qua dicitur: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII); et corporalis de qua agitur hic. Et in Evangelio prohibet Christus omnem illicitam concupiscentiam, dicens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V): in lege enim inchoata sunt hæc mandata, et in Evangelio consummata. Quartum præceptum est: *Non furtum facies* (*Exod.* XX). Sub furto comprehenditur sacrilegium; quod est auferre vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro. Sacrum appellatur quidquid mancipatum est cultûi divino, sive sit templum sive res templi. Rapina etiam sub furto comprehenditur Qui enim furtum prohibuit, rapinam non permisit. De qua inquit Augustinus: Quandiu res propter quam peccatum est non redditur, non agitur pœnitentia sed fingitur. Sub rapina usura comprehenditur. Hieronymus: Usuras quærere aut fraudere aut rapere nihil interest: Commoda fratri tuo et accipe quod dedisti, et nihil superfluum quæras. Augustinus: Usura est plus accipere quam dare. Quod filii Israel Ægyptiis fecerunt non fuit furtum, quia ex familiari mandato hoc facerunt. Si enim ille qui legem edit aliter præcipit, non transgreditur legem qui ei obedit.

CAP. V. *De quinto præcepto secundæ tabulæ.*

Quintum præceptum est: *Non falsum testimonium dices* (*Exod.* XX). Hic prohibetur perjurium; sed quia omne perjurium est mandacium, dicendum est quid sit mendacium et quod mendacium sit perjurium. Augustinus: Mentiri est contra hoc quod animo sentitur loqui. Opponitur de Jacob qui patri dixit: *Ego sum Esau* (*Gen.* XXVII), matre consolente, quod ipse contra conscientiam dicebat: vere enim sciebat se non esse Esau. Augustinus tamen inquit: Jacob quod matre fecit auctore ut patrem fallere videretur, si diligenter attendatur, non est mendacium, sed mysterium.

Item opponitur de Joseph qui fratribus suis dixit : *Per salutem Pharaonis exploratores estis* (*Gen.* XLII) ; et dixit se augurari in scypho, quod tamen verum non fuit. Dicunt quidam quod mendacium fuit, sed non tale mendacium quod peccatum sit. Dicunt enim quod non omne mendacium peccatum sit, sed illud solum quod dicitur intentione fallendi. Intentio autem Jacob erat matri obedire. Similiter Joseph non indebat fallere : sed non tam cito volebat se manifestare. Sed hoc non videtur velle Augustinus dicens quod nec pro vita alicujus mentiendum sit. Melius itaque videtur esse ut eos non esse mentitos dicamus, sed familiari mandato hoc dixisse, sicut et Hebræi excusantur a furto, familiari mandato. Cum enim mater Jacob per Spiritum sanctum hoc ei præciperet, matri obediendo Spiritui sancto obtemperabat. Item opponitur : Si quidquid dicitur contra hoc quod a Spiritu sancto est est mendacium, tunc illud, Christus est verus Deus et verus homo, cum dicat Judæus contra conscientiam : sed nullus auderet dicere hoc esse mendacium. Ad quod potest dici quod illud est verum quod dicit, non mendacium ; et tamen ipse mentitur, sicut justus putans se verum dicere falsum dicens non mentitur. Augustinus in Enchiridio : Nemo sane mentiri judicandus est qui dicit falsum quod putas esse verum ; quia quantum est in ipso non fallit. sed ipse fallitur. Ille potius econtrario mentitur qui dicit verum quod putat falsum. Item Augustinus : Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi ; quod sit debet intelligi, cum intentione fallendi quæ tunc inest vel postea advenit. Quandoque enim cum aliquid promittit, non tunc habet voluntatem fallendi. Item Augustinus : Cum causa humilitatis mentiris, si antequam mentireris peccator non eras, mendacio reus efficeris. Si enim te peccatorem dicis et ita non credis, veritas in te non est. Item dicit Augustinus quod pro salute alterius non sit mentiendum. Celare namque licet veritatem ut non prodat eum qui quæritur ad occidendum ; sed negare non debet veritatem. Opponitur contra illud : Si bona est intentio ; bona est operatio sed qui negat si vidisse illum, cum tamen viderit bona intentione facit ut liberet eum a morte. Ad quod potest dici quod non debet dici bona intentio illa quæ non est secundum scientiam, licet sit pia. Hoc enim debet habere bona intentio et ut sit pia et ut sit recta ; quia non est virtus misericordia sine justitia. Quidam tamen dicunt illud non esse peccatum, et hoc dixisse Augustinum ad terrorem, ut homines a mendacio deterreret. Opponitur de obstetricibus et de Raab quod pro tali mendacio remuneratæ sunt. Sed, sicut Augustinus : Non pro mendacio sunt renumeratæ, sed pro pietate. Duo enim in hujusmodi mendaciis attenduntur : affectus pietatis quo hæc dicuntur, et ipsum mendacium : affectus remuneratur non mendacium. Jocosa mendacia et ironiæ, mendacia non sunt. Nunc videndum est quid sit perjurium : Perjurium est mendacium juramento confirmatum. Si aliquem alteri facturum se aliquid mali jurare contingit, melius est frangere juramentum quam implere. Debet autem pœnitere quia temere juravit. Isidorus : Non est conservandum sacramentum quo malum incaute promittitur. Velut si quispiam adulteræ perpetuum cum ea permanendi fidem polliceatur : tolerabilius est enim non implere sacramentum quam permanere in stupro. Beda : Denique juravit per Dominum David interficere Nabal virum stultum ; sed ad primam intercessionem Abigail feminæ prudentis minas remisit, ensem in vaginam revocavit neque aliquid culpæ perjurio tali se contraxisse doluit, (*I Reg.* XXV). Item dicit Isidorus : Qui arte verborum jurat, Deus qui inspectator est cogitationum sic aspicit ut cui juratur intelligit. Quod sic exponodum est : Arte verborum, id est qui ad fraudandum alium jurat : Deus tunc vere sic aspicit. Ut ille qui injuste decipitur intelligit. Si autem aliquid pro vitando periculo non ut proximum lædat, [sed ut se vel alium a necessitate liberet veritatem dixerit, et tamen per hanc veritatem aliud occultaverit quod revelatum periculo foret, non peccat : sicut Abraham de Sara, *Soror mea est* (*Gen.* XX), non est mentitus ; cum illa esset soror, id est cognata ; et si illud jurasset non peccassset.

CAP. VI. *De sexto et septimo præceptis secundæ tabulæ.*

Sextum præceptum : *Non concupisces uxorem proximi tui* (*Exod.* XX). Septimum : *Non concupisces rem proximi tui* (*ibid*). Hic opponitur de hoc quod Dominus in Evangelio, cum suppleret illud præceptum : *Non mæchaberis.* (*ibid*)., dicit *Dictum est antiquis* : *Non mæchaberis. Ego autem dico vobis* : *Qui viderit mulierum ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam* (*Matth.* V). Sed hoc non fuit superaddere, cum in lege idem prohibeatur, ut in hoc præcepto : Non concupisces uxorem, proximi tui. Hic enim concupiscentia prohiberi videtur sicut ibi. Ad quod potest dici quod vere hoc præceptum bene intellectum et actum prohibet et voluntatem ; et qui hoc præcepto sic intellecto et opere et voluntate a malo cessabant, non homines Veteris Testamenti sed Novi dicendi sunt ; et lex eis sic intellecta non vetus sed nova erat. Et secundum hoc in Evangilio nulla superadditio facta est ; sed explanatur quod ibi occultum fuerat. Sed cum utrumque prohiberet lex bene intellecta, secundum quod non littera sed spiritus dicenda erat ; carnales autem alterum tantum intelligebant scilicet actum prohiberi, et hoc secundum litteram legis. Unde illud : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III). Et secundum hoc facta est superadditio. Ut in hoc præcepto : non concupisces res proximi tui ; utrumque prohibetur et voluntas et actus. Actus secundum quod littera sonat ; scilicet non agas foris per quod concupiscere videaris. Voluntas prohibetur in hoc præcepto spiritualiter intellecto. Unde et Augustinus dicit : Hoc inter Vetus Novum Tes-

tamentum distare videtur, quod ibi actus prohibetur, in Novo voluntas et actus. Vetus Testamentum accipit Augustinus litteram non spiritum, sicut et Apostolus ubique facit.

Cap. VII. *De dilectione proxi mi*

In istis septem præceptis dilectio proximi continetur. Unde in Levitico : *Diliges proximum tuum sicut teipsum (Levit.* xix); id est in his in quibus diligis teipsum, scilicet in habendis bonis æternis. Vel ita : sicut teipsum, id est in quibus vis te diligi, scilicet in necessariis subministrandis. Nec est intelligendum sicut teipsum, id est quantum teipsum, sicut quidam exponunt. Quæritur utrum debeamus omnes æqualiter diligere, an unum plus alio. Quidam dicunt quod par effectus charitatis omnibus impendi debeat; sed in operibus charitatis ordo servandus est. Unde Paulus : *Operemur bonum ad omnes : maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* vi). Et hoc videtur Augustinus velle ita dicens : Omnes æque diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, iis potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitate nobis magis conjuncti sunt. Quod Augustinus dicit, omnes æque diligendi sunt, ita potest exponi : Omnes, id est, natura in omnibus æqualiter est diligenda, vel salutem omnium debemus æqualiter diligere. Si enim aliquis plus diligit salutem patris vel amici quam aliorum, non est hoc ex charitate sed ex affectu carnali qui naturalis est; nec est culpabilis, sed hic non est perfectionis. Opponunt quidam : Quem Deus magis diligit et nos magis debemus diligere. Itaque bonum et justum magis debemus diligere quam alium. Ita etiam probatur quod magis alios quam nosmetipsos debeamus diligere; quandoquidem scimus eos meliores nobis et a Deo magis diligi. Ad quod dicitur quod in homine duo sunt diligenda : natura et virtus. Natura æqualiter diligenda; virtus autem magis vel minus diligenda, secundum quod major vel minor fuerit. Et ita magis debemus diligere bonum istius quam illius, quia magis est; non tamen naturam magis vel minus, vel magis salutem unius quam alterius cupere debemus.

Sed opponitur quod eadem ratione magis debeo diligere bonum alterius quam meum, quia majus est. Satis potest concedi, sed non in eo magis diligo quam in me. Ut si bona vestis alicujus magis mihi placet quam mea minus bona, non tamen magis cuperem illi esse suum quam nihi meam. Et si alterum necesse esset, mallem illum carere sua quam ego carerem mea. Ita hic dicitur quod licet bonum illius majus sit quam meum, si alterum istorum necesse esset, mallem illum carere A suo bono, quam quod ego privarer meo; nec in aliquo contra perfectionem facerem, si etiam essem adeo perfectus sicut Paulus fuit. Et in hoc etiam potest ordo charitatis considerari; quia Deum præ omnibus diligere debemus, scilicet *toto corde, tota anima, tota mente (Matth.* xxii); post ipsum nos ipsos; tertio loco alios. Unde illud : Diliges proximum tuum, etc. Nisi enim prius diligat se, quomodo alios poterit sicut se diligere ?

Cap. VIII. *De delectione Dei.*

Charitas est amor honestus qui ad eum finem dirigitur ad quem oportet. Amor est bona erga alterum propter ipsum voluntas. Unde Tullius : Amicitia est voluntas erga aliquem bonarum rerum, illius causa quem diligit. De dilectione Dei B quam ad nos habet quæritur utrum æqualiter omnes diligat. Ad quod videndum est quid sit dicere, Deus diligit istum, quod est, Deus approbat opera ejus; et sub hoc sensu potest dici quod magis unum quam alium diligit. De eodem etiam potest dici quod modo magis diligit eum quam prius, id est magis approbat ejus opera quam prius. Vel magis diligit, id est ei gratiam suam amplius infundit quam prius. Eum enim dicitur diligere quem facit diligere se et cognoscere, infundendo ei gratiam suam. Appellatur etiam dilectio Dei ipsa divina electio; odium Dei ipsa reprobatio : *Dilexi Jacob, Esau odio habui* (*Malach*, i). Et alibi : *Qui elegit nos ante mundi constitutionem in charitate* (*Ephes.* i). Et in alio C loco : *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus; et cum essemus mortui peccatis nostris conviviflcavit nos in Christo (Ephes.* ii). Et secundum hoc potest dici quod magis diligit unum alio, id est majorem coronam præparavit ei. Sed non potest dici in ista acceptione quod eumdem modo plus modo minus diligat. Ab æterno enim tantum dilexit unumquemque quantum modo diligit. Et Paulum tantum diligebat etiam cum malus erat, quantum modo diligit; non tamen malum ejus diligebat. Ei enim omnia sunt præsentia; et quod de Paulo in tempore futurum erat apud Deum præsens erat, et talem eum diligebat qualis futurus erat (quod apud eum futurum non erat) et qualem in præ- D sentia eum ab æterno elegerat. Augustinus in libro De Trinitate : Absit autem ut Deus temporaliter aliquem diligat quasi nova dilectione quæ in illo ante non erat; apud quem nec præterita transierunt, et futura jam facta sunt; qui omnes sanctos ante mundi constitutionem dilexit sicut prædestinavit. Sed dum convertuntur et veniunt ad eum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur. Et cum malis iratus, bonis placatus dicitur : mutantur illi, non ipse.

Explicitus est tractatus quartus De sacramentis in generali et præceptis divinis.

TRACTATUS QUINTUS.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CAPITULA.

Cap. I. *De baptismo.*

Post legem Moysi successit lex Evangelii, de cujus sacramentis deinceps dicendum est : et primum de baptismate, quod in sacramentis Novi Testamenti primum est. Baptismum Christi præmuntiavit Joannes suo baptismate quod sola aqua et non spiritu fiebat. Unde ipsemet dicit : *Ego baptizo in aqua in pœnitentiam (Matth.* III). Sola enim corpora abluebat, peccata vero non tollebat. Ad quid ergo utile? Ut præparet ad baptisma Christi, sicuti catechismus baptismum præcedit. Quod autem se dicit baptizare in pœnitentiam, sic potest exponi, id est docens pœnitentiam. Pœnitentes enim baptizabat. Et ita licet baptismus ille nullam conferret remissionem eis, tamen per pœnitentiam et circumcisionem quæ habebant, adhuc statim poterant salvari. Vel ita potest exponi : Baptizabat in pænitentiam, id est in signum pœnitentiæ. Signaculum enim erat pœnitentiæ baptismus Joanis, quia sicut aqua abluit corpora, ita pœnitentia mundantur animæ. Itaque baptismo Joannis Novi Testamenti sacramentum cæpit insinuari. Unde illud : *Lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Matth.* XI). Non quod in Joanne terminata sit lex, cum adhuc legalia haberent statum, sed quia ejus abolitio ibi cœpit ostendi. Si enim ante passionem legalia finem habuissent, non tunc paschalem agnum cum discipulis Christus celebrasset. Si quæritur quibus verbis Joannes traderet baptismum, non habemus de auctoritate certum. Quidam tamen dicunt quod in nomine venturi. Item si quæritur, quare non conferebat remissionem peccatorum ? quia ad hoc non erat institutum, sed ut viam præpararet baptismi Christi. Habent enim sacramenta vim et efficaciam ex institutione. Joanne baptizante venit ad eum Christus ut baptizaretur ab eo in Jordane; non quod ipse egeret qui sine peccato erat, sed ut aquas sanctificaret. Ibi enim collata est aquæ illa efficacia ut quicunque postea mergeretur in eam invocato nomine Trinitatis, consequeretur remissionem : et tunc institutum est baptisma Christi, in quo tota Trinitas operatur remissionem, cujus præsentia ibi apparuit : Spiritus in columba, Filius in homine, Pater in voce. De his qui a Joane baptizati erant, iterum quidam sunt baptizati baptismo Christi. Alii non sunt postea baptizati : sed ma- A nuum impositione facta super eos acceperunt Spiritum sanctum. Sed solet quæri quare isti iterum baptizati, et non illi. Dicunt quidam quod de baptismo Joannis præsumebant, quod illi non faciebant. Hieronymus in Epistola de unius uxoris viro dicit : Quia Spiritum sanctum nesciebant qui Joannis baptismum accceperant, iterum baptizati sunt, ne quis putaret et gentibus ac Judæis aquas sine Spiritu sancto posse sufficere.

Cap. II. *Quæ sunt consideranda in baptismo.*

In sacramento baptismatis hæc consideranda sunt : institutio, causa institutionis, forma baptismi, quod sacramentum, quid res sacramenti. Institutio, sicut diximus, facta fuit quando Christus ad batismum venit. Causa institutionis ut in B baptismo homo a peccatis resurgeret. Est enim contra peccata, tam originalia quam actualia, remedium. Sed cum per circumcisionem et alia sacrata legalia idem fieret apud antiquos quod per baptismum et cætera sacramenta apud nos, potest quæri quare illa cessant et illa succedant. Unde Apostolus communem ponit solutionem, cum dicit : *Hæc omnia in figura contingebant illis.* (*I Cor.* X). Itaque, postquam accessit veritas, figuræ cessaverunt. Ideo etiam cessare debuerunt, ut duo populi in unum jungerentur. Abhorrebant enim Gentiles Judæorum cæremonias; et ideo, ut Judæi et Gentes unus populus fierent, necesse erat removere causam inimicitiæ. Quod Apostolus manifestat, dicens : *Et medium* C *parietem solvens inimicitias, legem mandatorum decretis evacuans* (*Ephes.* II). Circumcisionis etiam sacramentum imperfectum erat, quia solis viris congruebat; sed qui legem venit adimplere, perfectum voluit sacramentum : et qui dolores nostros portavit, ab hujusmodi dolore nos voluit liberare, et suavissimum conferre sacramentum baptismi quod nullus abhorreret.

Solet quæri an circumcisio amisit statum suum ex quo baptisma fuit institututum. Ad quod potest dici quod in illis dimiserat statum quibus ista novitas sacramentorum nuntia erat, et ab eis credita et recepta; in aliis adhuc habebat statum, et conferebat eis remissionem usque ab illud tempus quo ipsa veritas per apostolos ubique prædicari et manifestari cœpit, quando scilicet dictum est eis : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*

(*Marc.* XVI); quod fuit post resurrectionem. Sic opponitur quod illa duo sacramenta, scilicet circumcisio et baptisma, cum idem conferrent, non debuerunt simul habere statum. Potest dici quod non habuerunt simul statum quantum ad eosdem.

CAP. III. *De forma baptismi.*

Formam hujus sacramenti tradidit Christus cum dixit : *Ite, docete, baptizantes eos in nomine Patris,et Filii,et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Et in ista forma debet tradi sacramentum. Legitur tamen in Actibus apostolorum baptizasse apostolos *in nomine Christi* (*Act.* XIX); in quo, sicut dicit Ambrosius, tota Trinitas intelligitur. In hoc enim nomine intelligitur qui unctus est, scilicet Filius,et a quo unctus est, scilicet Pater, et per quem, scilicet Spiritus sanctus. Ambrosius in libro De Spiritu sancto : Cum enim dicitur in nomine Domini nostri Jesu Christi,per unitatem nominis impletum est mysterium ; nec a Christi baptismate Spiritus separatur. Si enim Christum dicas, et Deum Patrem a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium,et Spiritum quo unctus est designasti. Scriptum est enim : *Hunc Jesum a Nazareth quem unxit Spiritu sancto Deus (ibid.)* Hinc volunt habere quidam quod si aliquis baptizetur in nomine Patris tantum, vel in nomine Filii tantum (si non intelligit errorem inducere) baptizatus sit, nec debeat rebaptizari. Quod nobis de auctoritate non est certum, sed ex illa auctoritate Ambrosii per simile volunt et hoc dicere.

CAP. IV *Quid sit sacramentum baptismi.*

Nunc videndum est quid sit sacramentum et quid res sacramenti in sacramento baptismi. In omni enim sacramento ista duo consideranda sunt. Hic potest appellari sacramentum ipsa aqua sanctificata. Augustinus De catechismo : Debetis scire cur virtus illius aquæ et animæ prosit et corpori. Non enim omnis aqua mundat ; sanctificatur hæc per consecrationem verbi. Tolle enim verbum, et quid est aqua nisi aqua ? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Res hujus sacramenti est interior ablutio. Et ipsa trina immersio sacramentum dicitur vel Trinitatis, vel sepulturæ triduanæ. Et alia multa sacramenta in hoc sacramento occurrunt, ut insufflatio, invocatio Trinitatis, quæ sunt partes hujus sacramenti; quorum singula non appellantur sacramentum baptismi, sed in eo continentur. Baptismus est immersio facta cum invocatione Trinitatis. Alia enim quæ præcedunt ad decorem sunt et ad reverentiam ; sed non est in eis vis ipsius sacramenti. Baptismus enim interpretatur unctio. Potest enim baptismus appellari ipsum elementum sanctificatum ; sed non ita proprie. In hoc loco dicendum est quod tertio debet fieri immersio. Augustinus : Postquam vos credere promisistis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus, qui ordo baptismi duplici mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio mersi estis, qui accepistis baptisma in nomine Trinitatis, recte enim tertio mersi estis, qui

A accepistis baptisma in nomine Jesu Christi, qui tertia die resurrexit a mortuis. Illa enim trina immersio typum Dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in baptismo. Item Gregorius Leandro episcopo De trina mersione baptismi : Nihil verius responderi potest quam quod ipsi sensistis, quod in una fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa, quia cum tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile nullatenus potest esse infantem in baptismate, vel ter vel semel tingere ; quoniam et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Ecce quod ex ista auctoritate licet semel mergere tantum, nobis tamen videtur

B quod magis sit usus Ecclesiæ sequendus. Haimo super Epistolam ad Romanos : In suo sensu abundabat Cyprianus, quoniam semel mergebat in baptismo parvulos ; quia quod intelligebat studiose implebat bonis operibus abundando, licet hoc nescius delinqueret. Sed quia bonis operibus abundabat, postea correptus a Deo abundavit altiori sensu, ter illos mergendo.

CAP. V. *De susceptione baptismi.*

Deinde restat videre quod quidam sacramentum et rem suscipiunt : alii sacramentum et non rem ; alii rem et non sacramentum. Sacramentum et rem sacramenti suscipiunt parvuli ubicunque et a quibuscunque baptizantur in nomine sanctæ Trinitatis, in quibus non requiriter pro-

C pria fides. Adulti quoque, si propria fide accedunt,et sacramentum et rem sacramenti habent. In istis propria fides requiritur, sine qua nullam remissionem consequuntur. Sacramentum et non rem illi qui ficte accedunt, vel sine fide et corde impœnitenti. Augustinus : Omnis qui jam suæ voluntatis arbiter est constitus, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi pœniteat veteris vitæ, novam inchoare non potest. Ab hac pœnitentia cum baptizantur parvuli soli immunes sunt ; nondum etiam uti possunt libero arbitrio. Petrus quoque in Actibus apostolorum sic loquitur ad Judæos, dicens : *Agite pœnitentiam, et baptizetur unus quisque vestrum* (*Act.* II). Sed supradictis opponitur illud quod dicit Ambrosius

D super locum illum : *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei* (*Rom.* XI). Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum vel planctum : et omnia gratis condonat. Sed hoc est dictum de gemitu exteriori quia, etsi desit pœnitentia exterior, non minus condonantur omnia. Sed quod Gregorius dicit pœnitentiam quadraginta dierum indicendam, ad experientiam fit, ut sciatur quo animo quærant baptizari, quandoque enim simulatorie quærunt baptizari. Item opponitur illud Augustini, ex lib. v De unico baptismo : Non impeditur baptismi gratia quominus peccata dimittat omnia, etiam si odium fraternum in ejus cui dimittuntur animo perseverat. Solvitur hesterna die et quidquid supra commissum est, solvitur etiam quod commissum ipsa hora momentanea quæ est ante baptismum et in ipso bapti-

smo. Deinceps autem continuo esse reus incipit non solum consequentium, sed et præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt. Sed hoc non secundum se dixit, cum Dominus in Evangelio dicat : *Si non remiseritis hominibus ex corde peccata eorum, nec pater vester remittet vobis peccata vestra* (*Marc.* II). Id quoque Augustinus alibi dicit : Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit. Opponitur illud Apostoli : *Quicunque in Christo baptizati estis Christum induistis* (*Gal.* III) Sed dicimus in Christo baptizari eos qui in conformitate Christi baptizantur, ut moriantur vetustati peccati, sicut in Christo per mortem vetustas peccati crucifixa fuit. Augustinus aliter solvit hoc, dicens : Induunt autem homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem ; aliquando usque ad vitæ sanctificationem, atque illud primum et bonis et malis potest esse commune. Rem et non sacramentum habent, sicut martyres, et appellatur ipsum martyrium baptismus, quia vicem baptismi complet. Opponitur de hoc quod in Evangelio legitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (*Joan.* III.) Sed consuetudo est Scripturæ determinare præcedentia per sequentia. Dicit enim alibi : *Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam* (*Matth.* X.) Item: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confit ebor eum coram Patre meo* (*ibid.*) De illis qui fidem Christi habent, sed articulo necessitatis non possunt sacramenta suscipere, quæritur utrum salventur auctoritas et ratio videntur approbare. In Evangelio dicit Dominus *Qui crediderit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet* (*Joan.* II). Et alibi : *Sic enim dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III) Sed opponitur illud : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Nisi enim per sequentia determinaretur, illud falsum esset quod martyres sine baptismo salvarentur. Augustinus De unico baptismo, libro quarto, dicit baptismi vicem aliquando complere passionem, ut in latrone illo cui non baptizato dictum est : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc* XXIII). Beatus Cyprianus non leve documentum assumpsit : Quod etiam atque etiam considerans, invenio non solum passiones pro nomine Christi id quod deerat ex baptismo posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismatis in augustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro facinoribus suis. Neque quia credidit passus est, sed dum patitur credit. Quantum igitur valet etiam sine visibili sacramento baptismus, quod ait Apostolus : *Corde creditur ad justitiam ; ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X), in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter mysterium baptismi, cum non contemptus religionis sed articulus necessitatis excludit. Sed dicunt quidam hoc retractasse Augustinum : quod falsum est. Non enim sententiam retractavit, sed exemplum quod de latrone induxerat. Augustinus in libro Retractationum : Cum diceren vicem baptismi passionem posse habere, non satis idoneum posui exemplum illius latronis ; quia utrum non fuerit baptizatus incertum est magisque baptizatum fuisse credendum est. Ambrosius de Valentiniano : Ventrem meum doleo, et prophetico utar exemplo, quia quem regeneraturus eram amisi, ille tamen gratiam quam poposcit non amisit. Istis auctoritatibus patet quod sufficit fides sine sacramento non habentibus tempus, quod et ratio probat. Sicut enim baptismus sine propria fide valet parvulis non valentibus habere fidem, ita fides non valentibus habere sacramentum debet valere. Item nullus negabit ante baptismum fidem et charitatem posse haberi ; multi enim cum fide et charitate ad baptismum accedunt. Nullus etiam negabit eos tunc posse mori ; et si tunc morirentur cum fidem et charitatem habeant, certum est eos non damnari. In charitate enim nullus damnatur. Sed dicunt non posse esse ut aliquis habeat fidem et charitatem et moriatur sine baptismo. Non enim, ut dicunt, permitteret eos mori sine baptismo. Sed, ut mihi videtur, cum ipsi non sint consiliarii Dei stultum est et temerarium eos hoc affirmare. Item qui hoc dicunt, scilicet nullum salvari sine baptismo vel martyrio, auctoritates nobis opponunt : Augustinus De fide ad Petrum : Ex illo tempore quo Salvator dixit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ; absque sacramento baptismi præter eos qui in Ecclesia catholica sine baptismate sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Item ex dictis Anselmi episcopi : Catechuminum quamvis in bonis operibus defunctum vitam habere non credimus, excepto duntaxat nisi sacramentum martyrio compleat. Sed hæc et similia de contemnonnibus dicta sunt. Si quis enim contemnit sacramentum baptismatis, cætera non sufficiunt.

Cap. VI. *Utrum parvuli sine baptismo salventur.*

Quæritur de parvulis qui sine baptismate moriuntur, non ex contemptu religionis, sed quia non potest succurri eis necessitate aliqua: utrum salventur ? Ad quod dicitur quod non salvantur, quia non habent fidem, quæ in adultis, sicut diximus, cum non sit contemptus religionis vicem baptismi supplet. Et quod non salventur in multis ostendit locis Augustinus. Tamen, ut ipse ait in Euchiridio, mitissima omnium pœna erit illis, qui præter peccatum originale nullum insuper addiderunt. Hic quæri solet si capta civitate aliqua a paganis interficerentur pueri utrum salvarentur, an non, cum pro Christo cujus pa-

tres eorum sunt cultores occiderentur? De quo nihil definitum habemus. Videtur tamen quod ejus misericordia quæ parvulos ab Herode occisos liberavit, et istos non despiceret, si ideo occiderentur; quia in Christum credituri ab illis credituri ab illis crederentur. Sed quia non habamus inde auctoritatem, divino judicio relinquamus.

Cap. VII. *De justificatione adultorum ante susceptionem baptismi.*

De adultis qui cum fide et dilectione corde contrito ad baptismum accedunt, quæritur utrum ante baptismum justificati sunt? Quod videtur illa auctoritas velle: *Peccator quacunque hora ingemuerit vita vivet* (*Ezech.* VIII). Item: *Corde creditur ad justitiam* (*Rom.* X). Et alibi: *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I). Ex quo cum habet fidem et dilectionem, spiritum habet inhabitantem. Sed scriptum est in libro Sapientiæ: *Spiritus sanctus displinæ effugiet flictum; et non habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* I). Unde videtur quod jam sit mundatus a peccatis. Sed si per fidem et cordis veram contritionem jam solutus est a peccatis, quid in baptismo ei postea remittitur? enim quod in baptismo nihil remittitur ei, cum prius sint ei remissa peccata. Ad hoc potest dici quod quamvis iste de quo loquimur jam justus sit, quia non habet voluntatem peccandi et de præteritis dolet, tamen nondum justificatus est, cum adhuc debito peccati teneatur. Cum enim vulnus per confessionem cordis jam ostensum sit medico, restat ejus recipere medicinam. Sed quis nesciat sacramenta esse medicamenta? Unde: *Qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum* (*Psal.* CXLVI). Nec sufficit medico vulnus confiteri, si contemnitur ejus medicamentum. Itaque constat quod pro peccatis suis adhuc debet medicinam sacramenti suscipere. Nondum igitur est a debito peccati solutus, quare nec a peccato plene justificatus cujus debito adhuc tenetur Sed post susceptionem sacramenti plene mundatus est; et si moreretur tunc sine dilatione iret in gloriam. Si opponitur quod nullum peccatum impunitum, dicîmus quod ipsa contritio cordis, mors quoque ipsa etiam erubescentia quam patitur dum nudus baptizatur, non relinquunt peccatum impunitum. Sed si aliquis fidem habens cum dilectione velit baptizari et non potest, articulo necessitatis interveniente, credimus eum per ineffabilem Dei misericordiam a prædicto solvi debito. Quandiu enim potest solvere, tenetur nisi solvat; sed cum jam non potest, et tamen vult, non imputat ei Deus. Non enim alligavit Deus sacramentis potentiam suam; et quamvis per sacramenta salutem dare decreverit, potest tamen et dat sine eis salutem.

Cap. VIII. *Qui possunt baptizare.*

Nunc dicendum est quibus sit concessum vel licitum baptizare. Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum, ejusque ministerium nec ab ipsis diaconibus expleri est licitum absque presbytero vel episcopo, nisi his procul absentibus languoris cogat ultima necessitas, quod laicis fi-

A delibus plerumque permittitur ex dictis Isidori episcopi. Romanus pontifex: Non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritus Dei subministrat gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat. De his qui a mulieribus baptizantur quæritur utrum rebaptizari debeant? Quidam dicunt quod rebaptizandi sint, pro ista auctoritate ex concilio Carthaginensi quarto: Mulier baptizare non præsumat. Sed non est præsumptio quod necessitas cogit. Isidorus quoque dicit: Qui a mulieribus baptizantur, rebaptizandi non sunt. De illis quoque qui ab hæreticis baptizantur quæritur utrum rebaptizari debeant. Beda: Sive hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisquam in confessione sanctæ Trinatis baptizet, non valet qui
B baptizatus est a bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio vel invocatio tanti nominis videatur annullari. Augustinus ad quæstionem Orosii: Quamvis unum baptisma sit et hæreticorum, eorum scilicet, qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizant in Ecclesia, catholica, tamen qui extra Ecclesiam baptizantur non sumunt ad salutem baptismum, sed ad perniciem, habentes formam sacramenti, virtutem ejus abnegantes. Ideo eos Ecclesia non rebaptizat, quia in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, ipsa profecto sacramenti forma. Augustinus in libro De fide ad Petrum: Si in hæresi quacunque vel schismate quisquam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptismi sacramentum accepit,
C integrum sacramentum accepit; sed salutem quæ virtus est sacramenti non habebit, si extra Ecclesiam catholicam ipsum sacramentum habuit. Item Augustinus super Joannem: Baptismus talis est qualis est ille in cujus potestate datur; non qualis est per cujus ministerium datur. Idem: Potestas baptismi in nullum transit; sed ministerium transit in bonos et malos. Non exhorreat columba ministerium malorum; sed respiciat Domini voluntatem. Quid tibi facit malus minister, ubi est bonus Dominus? *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III). Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur; sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit purum est,
D quod per illum transit liquidum est. Item: Per lapideum canalem transit aqua ad areolas. In canali lapideo nihil generat; sed hortus plurimos fructus affert. Item nos dicimus: justos esse oportet tanti Judicis ministros. Sint ministri justi si voluerint; si autem noluerint esse justi qui in cathedra sedent Moysi, securum me fecit magister meus de quo dicit ejus Spiritus: *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I). Juxta auctoritates prædictas indubitanter dicimus quod per quem cunque detur baptismus si ibi servata forma fuerit sacramenti, id est in nomine sanctæ Trinitatis traditur; non sunt rebaptizandi, quia sacramentum baptismatis habent, rem vero sacramenti non habent si errori eorum consentium. Et ideo cum ad Ecclesiam veniunt instruuntur de fide, et per manus impositionem accipiunt Spiritum

sanctum. Manus impositio aliquando unctione chrismatis fit, aliquando sine chrismate oratione dicta super hominem. De illis qui ab hæreticis baptizantur nescientes eos hæreticos esse, et in nullo eorum errori consentientes, potest dici quod sacramentum et rem sacramenti suscipiunt : et tamen cum ad Ecclesiam veniunt, manus superimponitur eis, ut ostendatur error detestari. Illi vero qui ab hæreticis baptizantur et non in nomine Trinitatis, cum ad Ecclesiam veniunt rebaptizari debent ; nec dicitur iteratio, quia prius baptisma Christi non susceperant. Cyprianus tamen et quidam alii dicunt hæreticos non posse baptismum Christi tradere ; et eos qui apud hæreticos baptizantur rebaptizandos esse. Cyprianus : Oportet sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possint baptisma sua peccata abluere. Quomodo autem aquam sanctificare potest, qui ipse immundus est, et apud quem Spiritus sanctus non est, cum Dominus dicat in libro Numeri : Quæcunque tetigerit immundus immunda erunt (*Num.* XIX). Quis autem potest dare quod ipse non habet? aut quomodo potest spiritualia agere, qui ipse amiserit Spiritum sanctum ? Et idcirco baptizandus est et innovandus. Sed Cyprianus et alii hoc dixerunt de hæreticis extra formam Ecclesiæ baptizantibus, qui vere non tradunt baptismum Christi ; vel ex ignorantia hoc dixerunt, quod videtur velle Augustinus De unico baptismo ita dicens : Martyrem gloriosissimum Cyprianum, qui apud hæreticos vel schismaticos datum Christi baptismum nolebat cognoscere, dum eos nimium detestaretur, tanta ejus merita usque ad triumphum martyrii consecuta sunt, ut et charitatis qua excellebat luce obumbratio illa fugaretur ; et ut si quid habebat purgandum passionis falce ultima tolleretur. Nec nos (quia baptismi veritatem in hæreticorum iniquitate agnoscimus) ideo Cypriano meliores sumus ; sicut nec Petro, quia gentes judaizare non cogimus.

Cap. IX. *Utrum sit baptismus cum verba corrupte proferuntur.*

Quæritur, si quis corrupte profert verba illa, utrum baptismus sit an non ? Zacharias papa Bonifacio : Retulerunt mihi nuntii tui quod fuerit sacerdos in eadem provincia qui latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret nesciens Latine loqui, infringens linguam diceret : Baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritus sancta ; et quod propter hoc consideratum rebaptizare. Sed si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Latinæ locutionis infringendo linguam quod supra fati sumus baptizatis dixisset, non possumus consentire ut denno baptizentur. Solet quæri de illo qui pro ludo vel mimice, commemoratione tamen Trinitatis immegitur, si rebaptizandus sit. Augustinus inde nihil definit, sic tamen loquens : Si totum ludicre, mimice, joculatorie agitur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum oraculum implorandum esse censerem. Sed non videtur sapientibus quod debeat baptismus dici

A ubi non est intentio baptizandi ; sicut et mulieres quando in balneum immergunt pueros invocant nomen Trinitatis : sed quia baptizare non intendunt non est baptismus. In omni enim sacramento ista duo necessaria sunt, ut forma sacramenti servetur et intentio illud celebrandi habeatur.

Cap. X. *De materia baptismi.*

Quare in aqua tantum baptismus fiat, Haimo super Epistolam ad Romanos : Quærit aliquis quare in aqua solummodo et non aliquando in vino baptismus consecretur. Cui respondit beatus Ambrosius idcirco uniformiter id fieri in aqua, ut intelligatur quod sicut aqua sordes corporis aut vestis abluit, ita baptismus maculas animæ sordesque vitiorum emundando abstergit. Augusti-
B nus reddit hanc causam ut nullum inopia excusaret, quod posset si vino vel oleo fieret ; et ut communis ordo baptizandi materia esset apud omnes. Vel ideo in aqua ; quia de Christi latere aqua manavit. Si de aliquo dubitatur utrum baptizatus sit, baptizari debet. Non enim, ut dicunt sancti, judicatur iteratum quod nescitur factum. Sed quæritur an secundo conferat ei baptismus remissionem? Quod non est concedendum; quia si illud fieret, sæpe baptizandum esset. Si a matre causa necessitatis baptizatur filius, utrum a viro debet separari, Deusdedit Romanus pontifex dicit separandam esse. Aliorum decreta negant : quibus magis credimus. Ut enim Christus in Evangelio dicit, sola causa fornicationis uxor
C dimitti debet (*Matth.* XIX).

Cap. XI. *De responsione patrinorum.*

De responsione patrinorum quæritur in cujus persona fiat. Cum enim quærat sacerdos: *Vis baptizari*, et patrinus respondeat : *Volo* ; certum est quod non in sua persona respondet. Item cum quærit: *Credis in Deum*, et patrinus respondeat: *Credo ;* si in persona pueri responderet non videtur verum cum puer nondum credat. Si autem dicatur subtali sensu : *Credo*, id est crediturus est ; temeraria videtur responsio cum non sit inde certus. Augustinus dicit quod sacramentum fidei appellatur fides : et subtali sensu verum est quod puer credit, id est sacramentum fidei suscipit. Augustinus ad Bonifacium épiscopum : Ita-
D que parvulum, et si nondum fides illa quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fideles vocantur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo,

Cum homo in baptismo liberetur ab omni peccato, solet quæri cur non et a pœna peccati. Isidorus de summo bono : Si a pœna præsenti homines liberarentur per baptismum, ipsum putarent baptismi pretium, non illud æternum. Ergo soluto reatu peccati, manet quidam temporalis pœna, ut illa vita frequentius quæratur quæ erit a pœnis omnibus aliena.

Cap. XII. *Utrum quis in utero matris baptizari posset.*

Quæri solet utrum aliquis baptizari possit cum

adhuc in utero matris sit. Isidorus: Qui in maternis uteris sunt, ideo baptizari cum matre non possunt; quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum nasci non potest. Neque dici enim regeneratio in eum potest, in quem generatio non præcessit. Augustinus ad Dardanum. Nec renasci quisquam potest antequam natus sit. Sed opponitur de Joanne et de Jeremia, qui ab utero sanctificati sunt. Legitur enim de Joanne in Evangelio Lucæ. *Et spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ* (*Luc.* I). Item: *Exsultavit infans in utero* (*ibid.*). Sed quomodo plenus Spiritu sancto nisi a peccato mundatus esset? Et ita videtur quod prius renatus quam natus; et prius secundum Christum natus quam secundum Adam nasceretur. Augustinus in Libro ad Dardanum: Si usque adeo in illo puero acceleratus est usus voluntatis et rationis ut intra viscera materna jam posset agnoscere et credere, quod in aliis parvulis ut possint ætas exspectatur; in miraculis est habendum divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum exemplum naturæ. Nam quando voluit Deus etiam jumentum locutum est. In eodem dicitur de Jeremia: *Priusquam exires de vulva, sanctificavi te* (*Jer.* I). Tamen illa sanctificatio qua efficimur templum Dei, non est nisi renatorum. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest introire in regnum cælorum* (*Joan.* III), Non enim renascitur homo nisi prius nascatur. Unde illa sanctificatio Jeremiæ potest secundum prædestinationem non inconvenienter intelligi, sicut filios appellat Evangelium nondum regeneratos. Ecce quod Augustinus dubitanter loquitur inde; et nihil inde asserit. Potuit enim esse ut ab utero a peccato originali mundarentur; sed non est de hoc in aliis regula trahenda quod in istis per miraculum est factum. Et hoc verisimilius est. Vel licet non sint mundati ab utero a peccato originali: tamen sanctificati, quia judicium sanctificationis scilicet quod prædestinati essent in eis ab utero apparuit. Dicit enim Augustinus in eodem libro: Non est dictum: Credidit infans in utero, sed exsultavit. Nec ipsa Elizabeth dixit: Exsultavit in fide; sed exsultavit in generatione. Et potuit ista significatio esse rei tantæ a majoribus cognoscendæ non a parvulo cognitæ.

Cap. XIII. *De catechismo et exorcismo.*

De illis quæ præcedunt baptismum videndum quid conferant ut exorcismus et catechismus. Exorcizare est adjurare, ut exi ab eo, spiritus immunde; et catechizare est instruere, ut de symbolo et aliis rudimentis fidei. Symbolum dicitur signum vel collatio: signum, quia eo fideles ab infidelibus discernuntur; collatio, quia in eo apostoli omnem fidei integritatem contulerunt. Discessuri enim ab invicem symbolum, id est totius fidei collationem ediderunt. Ista quæ præcedunt baptismum non conferunt remissionem. Ad quid ergo valent? Minuunt diaboli potestatem, ut de aliquo etiam videmus quod signo crucis minus potest in eum diabolus. Quidam tamen volunt ut extunc incipiat remissio, quod non videtur esse verum.

TRACTATUS SEXTUS.

DE SACRAMENTIS CONFIRMATIONIS, EUCHARISTIÆ ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

CAPITULA.

Cap. I. *De sacramento confirmationis.*

Nunc de sacramento confirmationis videndum est. Dicunt auctores quod hoc sacramentum a summis sacerdotibus tantum dari debet. Sicut in tempore apostolorum ab eis solummodo datum fuit; et si ab alio traderetur, irritum haberetur. Ex quo enim quodlibet sacramentum contra institutionem celebratur, irritum deputatur. Eusebius papa: Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est: quod ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus. Nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur esse factum, nec ab aliis quam qui eorum locum tenent, unquam perfici potest aut fieri debet. Nam, si aliter præsumptum fuerit, irritum et vacuum habebitur; nec intra ecclesiastica reputabitur sacramenta.

Quæritur quæ sit efficacia hujus sacramenti, scilicet cum in baptismo plene sit aliquis mundatus; quid conferat ei istud sacramentum? Ad quod dicitur quod in baptismo datur Spiritus ad remissionem; hic datur ad robur. Rabanus: Novissime a summe sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis quod ipse in baptismo est consecutus. Hoc sacramentum, dicit Melciades papa, majori veneratione tenendum est quam ipsum baptisma, quia majo-

ribus, id est summis pontificibus est commissum. A Non enim majus dicitur quod majorem efficaciam habeat, cum parvuli possint salvari sine isto. De adultis dicunt sancti, quod nec sine isto possunt salvari, si ex contemptu vel negligentia dimittitur.

CAP. II. *De sacramento altaris.*

Post sacramentum baptismi sequitur sacramentum altaris. Per baptismum abluimur a vitiis; per sacramentum altaris reficimur. Et hæc sunt duo principalia sacramenta quibus et a malis homo liberatur, et bonis impletur. Et quia non possunt refici corda nisi prius munda fuerint, præcedit baptismus, sequitur communicatio altaris, quæ est sacramentum sacramentorum. Unde per excellentiam dicitur eucharistia, id est *bona gratia*. In hoc enim sacramento non solum gratia, B sed ille a quo est omnis gratia sumitur. Hujus sacramenti figura in Veteri Testamento præcessit, scilicet manna, quod populo Judæorum in deserto fuit datum. Et sicut manna non fuit datum nisi post transitum maris Rubri, ubi Ægyptiis submersis liberabantur Hebræi, ita et baptizatis tantum tradi debet hoc spirituale manna Dominici corporis. Et sicut illi pane illo corporali pervenerunt ad terram promissionis, ita et nos per desertum hujus sæculi peragrantes ad terram viventium hoc cœlesti pane perducimur. Unde et viaticum appellatur. De hoc pane dicit propheta: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me* (*Psal.* XXII), Hujus etiam figura sacramenti præcessit in pane et vino a Mel- C chisedech oblatis. Unde Ambrosius : intellige anteriora esse mysteria Christianorum quam Judæorum. Hoc sacramentum Dominus noster Jesus Christus in cœna discipulis tradidit, ubi institutio hujus sacramenti primum facta fuit. Causa institutionis, ut esset remedium contra rediviva peccata. Si enim nobis necessaria fuit illa manifesta præsentia Jesu Christi qua cum hominibus conversatus fuit, ut in ea posset flagellari, mori pro nostra redemptione; ita necessaria est in tota ista præsenti vita ejus præsentia, eo modo quo posset panis vivus qui de cœlo descendit manducari. Unde ipse dicit : *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Itaque qui ex D nimia dilectione se exhibuit qui posset lancea vulnerari, ut nos suo sanguine mundaret : et modo usque ad finem sæculi talem se exhibet qui possit in sacramento manducari, ut ejus participatione membra sua uniantur capiti, et a peccatis liberentur quotidianis. Quod autem dicimus talem ac talem; humanum dicimus propter infirmitatem. Cum enim idem corpus quod in cruce pependit, in sepulcro jacuit, indubitanter fateamur esse in altari; et tantum hic quantum et ibi fuit, et modo est ad dexteram Patris, non est dubium ipsum corpus Christi in altari sua non carere forma, sed ibi visibiliter; in altari invisibiliter latens sub forma aliena.

—

CAP. III. *Quod tria sint in sacramento altaris.*

Nunc videndum est in hoc sacramento, quid sacramentum, quid res sacramenti. Tria hic considerare opportet : unum quod est sacramentum tantum, alterum quod est sacramentum et res sacramenti, tertium quod est res tantum. Sacramentum et non res, sunt species visibiles, id est panis et vini; et ea quæ ibi visibiliter celebrantur, ut fractio, depositio, elevatio. Sacramentum enim est sacræ rei signum. Signum autem est quod præter speciem quam ingerit facit aliquid in mentem venire. Hæc autem visibilia faciunt in mentem venire mortem, vel sepulturam vel ad cœlos ascensionem; et totum ordinem rei cujus sacramenta sunt. In hoc etiam species panis et vini dicuntur sacramenta corporis et sanguinis Dominici; quia sicut pane et vino præ omnibus aliis cibis sive potibus corpus reficitur, ita illo vero cibo veroque potu anima ad veram vitam nutritur. Cum Ecclesia quoque sæpissime in sacra Scriptura dicatur corpus Christi, et hujus corporis panis et vinum sacramenta esse leguntur; quia sicut panis ex multis granis efficitur unus, vinum ex multis racemis in vinum confluit; ita ex plurimis membris Ecclesia, quæ est corpus Christi, adunatur. Sacramentum et res, ipsum corpus Christi et sanguis : res quantum ad illas species quibus significatur. Hæc res iterum sacramentum est alterius, scilicet unitatis capitis et membrorum quam efficit fides corporis et sanguinis Domini; et ista res sacramenti virtus appellatur. Dicitur etiam spiritualis caro Christi. Hieronymus in Epistolam ad Ephesios : Dupliciter intelligitur caro Christi, vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse dicit : *Caro mea vere est cibus (Joan.* VI), vel caro quæ crucifixa est et sepulta. De hac spirituali carne dicit Jesus : *Qui manducat carnem meam, in me manet et ego in eo* (*ibid.*). Istam carnem manducat, qui per fidem Christo connectitur et conformatur. Augustinus : Nulli aliquatenus ambigendum, unumquemque fidelium corporis et sanguinis Dominici tunc esse participem, quando in baptismate Christi membrum efficitur; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, et si antequam illum panem comedat de hoc sæculo migraverit, in unitate corporis Christi constitutus est, sacramenti quoque illius participatione non privatur, quando in se hoc quod illud sacramentum signat invenitur. Itaque tria in hoc sacramento consideranda sunt: species visibiles, quæ sacramentum sunt et non res, et verum corpus Christi quod sub specie est panis et vini, tertium ipsa efficacia sacramenti, quæ spiritualis caro Christi et virtus sacramenti appellantur, ut diximus.

CAP. IV. *De forma sacramenti eucharistiæ.*

Forma hujus sacramenti est commemoratio illorum verborum quæ in cœna Christus dixit, quando discipulis corpus et sanguinem dedit, dicens : *Accipite, hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI), etc. Et sicut tunc panem illum et calicem in verum corpus et in verum sanguinem verbo

suo commutavit, ita indubitanter credimus verba illa a sacerdote eo ordine et ea intentione dicta panem et vinum in verum corpus Christi et in verum sanguinem commutare. Hæc autem tria ad istud sacramentum necessaria sunt. Ordo, actio, intentio. Ordo, ut sit sacerdos; actio, ut verba illa proferat; intentio, ut proferat ad istud. Quandoque enim aliquis sacerdos profert verba illa ut alium doceat quomodo hoc facturus sit; sed non habent tunc illam efficaciam, quia non ad hoc dicuntur. Quamvis autem substantia panis in corpus Christi convertatur, non tamen corpus Christi augmentatur inde. Si quis quærat quomodo fieri possit ut substantia panis in aliam substantiam transeat, videlicet in corpus quod in sepulcro jacuit, quod in cœlum ad dexteram Patris ascendit, et quomodo non augmentetur illud in quod transit, ejus voluntati et potentiæ ascribatur qui idem corpus de virgine et sine viri semine prodire fecit. Ambrosius : Præter naturæ ordinem virgo generavit; et hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Idem : Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Domini partus ex virgine? Et, quamvis non sit post consecrationem panis, neque vinum quod prius erat panis et vinum ; species tamen remanet, sapor etiam remanet. Videtur namque panis, videtur vinum. Habet etiam eumdem saporem quem prius, cum tamen non sit panis materialis neque vinum materiale; sed vera caro Christi, verus sanguis Christi. Quod fit tribus de causis ut scilicet fides comprobetur, quia de his quæ non videntur est fides ; ne etiam sumere abhorreamus, et ne ab infidelibus irrideremur si nos sanguinem sumere viderent. Quæritur in quo sit illa species et sapor ille. Non enim possumus dicere quod sint in substantia panis et vini cum non sit ibi substantia panis et vini, sed verum corpus Christi, nec audemus dicere quod sint corpori Christi. Non enim habet corpus Christi rotundam figuram in se, sed qualem in judicio visuri sumus. Sed cui creare de nihilo et formatum et formam fuit facile, mutare formatum et conservare formam non erit difficile; et ut præter substantiam subsistat efficere. Itaque ad mysterii ritum, ad gustus suffragium, remanent ista subsistentia ad corpus Domini quodammodo obtegendum, quod in forma et in natura sua sub illis vere persistit.

Cap. V. *De errore quorumdam circa sacramentum Eucharistiæ.*

Contra præfatam veritatem et olim et nunc quidam dicere præsumpserunt. Et quia clarius fit lumen comparatione tenebrarum, illorum errorem non silentio præterire nobis visum est. Occasione illorum verborum quæ Christus dixit : *Non hoc corpus* (2) *quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent ; sed sacramentum aliquod vobis commendavi ;* quidam ausi sunt dicere in altari non esse veritatem corporis Christi

A sed solum sacramentum et non rem ipsam. Et ut dicunt, appellatur corpus Christi sicut dictum est in Apostolo : *Petra autem erat Christus* (I. *Cor.* x), non re, sed significatione. Sed ipsa Veritas satis ostendit quid a nobis credendum sit, dicens : *Accipite, hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Item Ambrosius in libro De sacramentis : Antequam consecretur panis est ; ubi autem verba Christi accesserint corpus Christi est, et ante verba Christi calix est vini et aquæ ; ubi autem verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur. Idem : Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, mutare in id quod non erant? Item Eusebius Emisenus : Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substan-
B tiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat. Gregorius in Dialogi libro quarto : Est quidem etiam in peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro, verusque sanguis Christi; sed essentia non salubri efficientia. Si etiam non est alia auctoritas, sufficeret quod universalis hoc tenet Ecclesia, cui semper adest Christus ut ait : *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). In Vita etiam sancti Basilii legitur quod eo agente divina mysteria Hebræus quidam se Christianis commiscuit, muneris mysterium explorare volens, viditque infantem in manus Basilii; et communicantibus aliis, venit ipse, dataque est illi hostia vere caro facta. Unde credens ad mirabile Chris-
C tianorum mysterium in crastino baptizatus est a Basilio. Illud quod eos in illum errorem inducit, in pluribus locis sancti exponunt quomodo intelligendum sit : Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis ; id est non in hac specie cernentes sicut putatis, sed in sacramento. Alii volunt dicere quod verum corpus Christi sit in altari ; sed negant panem in ipsum commutari. Dicunt namque panis substantiam adnihilari et non in aliud transire; et ea substantia adnihilata sub illa specie remanente, corpus Christi esse. Quos supradictæ auctoritates confutant.

Cap. VI. *Quare in duabus sumatur speciebus.*

Nunc dicendum videtur quod licet in duabus sumatur speciebus; tamen in utraque integer
D Christus sumitur. Non enim corpus sine sanguine vel sanguis sine corpore esse potest; sed ideo in duabus speciebus sumitur ut significetur hujus sacramenti effectus duplex. Valet enim, ut ait Ambrosius, ad tuitionem corporis et animæ ; et quod sumitur in pane valet ad utrumque, et similiter quod in vino sumitur, quia et in pane totum et integrum, et in vino similiter totum et integrum, et in vino similiter totum et integrum sumitur. Sed si in pane tantum sumeretur, alterum tantum significaretur, scilicet quod ad tuitionem corporis valet ; et iterum si in vino, tantum sumeretur (licet hoc sufficeret ad corporis et animæ tuitionem) tamen hoc solum significaretur quod pro salute animæ sumeretur. In san-

(2) De consec. dist) 2, c. *Non hoc corpus.*

guine enim anima significatur. Itaque in duabus sumitur speciebus, quia redemptio est corporis et animæ. Animam enim a peccatis liberat, et corpus resurrectioni futuræ præparat. Unde etiam in Veteri Testamento legitur quod postem utrumque sanguine agni livierint Hebræi, quia in Ægypto liberati sunt ab angelo exterminatore (*Exod.* XII). Per utrumque postem anima et corpus significantur. Gregorius : Quid namque sanguis agni sit jam non audiendo, sed bibendo didicistis ; qui sanguis super utrumque postem ponitur quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Integer Christus sumitur in utraque specie; scilicet illa persona in qua sunt illæ naturæ, divinitas, caro et anima ; et tamen in solum corpus Christi transit ille panis materialis, sicut integer Christus in cruce et tamen sola caro vulnerata fuit. Item notandum est quod non duplex sumptio debet dici quamvis in duabus sumatur speciebus; quoniam unum sacramentum est et una benedictione consecratum. Unde non bis sed semel tantum communionem dicitur accipere qui in illis duabus sumit speciebus, nec debet dici iteratio hujus sacramenti nisi secundum eamdem speciem.

CAP. VII. *De duplici sunptione : bonorum et malorum.*

Post supradicta videndum est quod et boni et mali sacramentum corporis et sanguinis Domini sumunt : rem vero sacramenti boni tantum accipiunt. Sacramentum in hoc loco ipsum corpus et ipsum sanguinem Domini appellamus ; rem vero sacramenti ipsam efficaciam sacramenti ; quam, ut superius diximus, Hieronymus vocat spiritualem carnem Christi. Idem namque Judas accepit cum Petro. Idem dico quantum ad essentiam, scilicet verum corpus Christi ; sed non idem quantum ad efficientiam. Petrus enim ad vitam, Judas ad damnationem. Augustinus : Sacramentum aliquibus ad vitam, aliquibus ad exitium ; res vero sacramenti omni homini ad vitam, nulli ad exitium. Item : Ad quid paras dentem et ventrem ? crede et manducasti. Itaque virtutem sacramenti habent qui corde credunt sive sacramentum suscipiant, sive non. Sed qui sine fide operante per dilectionem accedunt, et si in sacramento verum corpus Christi accipiant, rem tamen sacramenti non habent. Qui nisi *pollutum* ducerent *sanguinem testamenti*, considerarent *horrendum* esse *incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* X). *Qui enim indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Indignus est ille qui in crimine est. Indignus etiam est qui irreverenter tractat. Eadem tamen patientia et istos tolerat Deus, qua ipse toleravit Judæos irridentes, et conspuentes, et crucifigentes. Itaque sicut dupliciter intelligitur caro Christi, sicut diximus, ita et sumptio corporis et sanguinis Domini duplex esse dicitur, scilicet sacramentalis et spiritualis. Sacramentalis (quæ communis est et bonis et malis) sine spirituali non prodest. Spiritualis quæ fide percipitur et sine sacramentali

A (ubi non est contemptus religionis) sufficit. De hoc sacramento ita loquitur Augustinus in libro Sententiarum Prosperi : Hoc est quod omnibus modis approbare contendimus sacrificium Ecclesiæ duobus constare, duobus confici : visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine ; sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi, sicut Christi persona constat et conficitur Deo et homine, cum ipse Christus verus sit Deus et verus homo; quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet ex quibus conficitur. Est igitur sacramentum et res sacramenti idem corpus Christi. Item caro ejus quam forma panis opertam in sacramento accipimus, et sanguis ejus quem sub
B vini specie ac sapore potamus ; caro videlicet carnis et sanguis sacramentum sanguinis, carne et sanguine utroque invisibili, intelligibili spirituali intelligitur; significatur corpus Christi visibile et palpabile, plenum gratia et divina majestate.

Quomodo sit intelligendum quod dicit Augustinus, caro sacramentum carnis ; videndum est et sciendum quod illa visibilis species appellatur caro ea consuetudine Scripturæ qua solent sacramenta earum rerum nomina sortiri quarum sunt sacramenta. Invisibilis et intelligibilis dicitur caro ; quia secundum illam speciem non videtur caro, sed intelligitur; et est sacramentum carnis visibilis, palpabilis, quæ ad dexteram Patris est ; et est sensus : Caro Christi secundum illam spe-
C ciem in qua non videtur caro, sed panis, est sacramentum sui ipsius, sucundum visibilem speciem quæ in dextera Patris potest conspici.

CAP. VIII. *De fractione apparenti.*

Quæritur de fractione illa quæ ibi videtur, cujus sit, vel in qua re sit. Cum enim non sit ibi aliud quam corpus Christi quantum ad substantiam, si in aliqua re est illa fractio in corpore illo erit ; sed ex alia parte non audemus dicere quod corruptibile sit corpus Christi quia immortale, impassibile. In hoc etiam reprehendit Christus carnalem discipulorum sensum qui putabant sicut aliam carnem in partes dividendam. Quidam dicunt : Non est ibi fractio, sed videtur tantum et non est. Quibus opponitur quod si illud est, fal-
D litur sensus noster cum dicat Ambrosius : Nihil falsum putandum esse in sacrificio veritatis, vel sicut in magnorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi ut videatur esse quod non est omnino. Sed dicunt : non fallit nos visus nec fallitur. Quod esset si crederetur sic frangi ut videtur. Nec illusio est quod ad utilitatem et non ad deceptionem fit, sicut nec illud quod Christus ostendit se duobus discipulis in forma peregrini. Alii dicunt quod sicut species, panis est ibi et non est alicujus rei quæ ibi sit, sed panis qui fuit, et non est ; ita fractio est ibi, sed non est alicujus rei quæ ibi sit, sed fractio panis cum tamen ibi non sit panis. Et hoc videtur velle Apostolus dicens : *Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est?* (*I Cor.* X). Quia est indubitanter credendum quod in unaquaque illa-

rum partium, totum et integrum corpus Christi est. Augustinus : Quando Christus manducatur, ita manducatur ne occidatur ut manducetur ; nec quando manducatur de illo partes facimus. Et quidem in sacramento sic fit. Item: Norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi, unusquisque partem suam accipit; per partes manducatur et manet integer ; totus in cœlo, totus in corde tuo. Ecce juxta sacræ Scripturæ auctoritates integrum et incorruptum manens in se corpus Christi manducatur et corpus Christi dividitur in sacramento. Magnum est et inscrutabile istud mysterium : credere jubemur, sed discutere prohibemur. Augustinus in libro Sententiarum Prosperi. Cum igitur frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, qui aliud quam Domini corporis in cruce immolatio ejusque sanquinis de latere effusio designatur ?

Cap. IX. *Quid significent partes.*

Sergius papa : Triforme est corpus Domini. Pars oblata in calicem missa, corpus Christi quod jam surrexit monstrat, pars comesta ambulantem adhuc super terram ; pars in altari usque ad finem missæ remanens corpus, jacens in sepulcro; quia usque ad finem sæculi corpora sanctorum in sepulcris erunt. Quia vero morte Domini liberati sumus, hujus rei nos esse memores in edendo carnem et potando sanguinem (quæ pro nobis oblata sunt) significatur. Per aquam quæ in calicem ponitur populus significatur ; quæ idcirco cum vino offertur, ut populus passione Christi redemptus intelligatur.

Solet quæri si oblivione vel negligentia aliqua non opponeretur aqua, utrum irritum fieret sacrificium. Sed quia de auctoritate nihil inde habemus, de nostro sensu nihil asserere de his audemus. Hoc tamen dicere possumus quod hujusmodi graviter puniendus esset.

Quod intincta non debeat dari eucharestia, ex decretis Julii papæ habetur ; quia, ut dicit, soli Judæ panem intinctum Christus dedit. Sed, ut Augustinus super Joanem dicit, non tunc Judas corpus Christi accepit, sed solum panem ; prius vero acceperat cum discipulis.

Breviter de hoc sacramento quædam exsecuti sumus ; inde tamen auctores multum obscure et ut videtur secundum verba contrarie loquuntur, quorum aliquas auctoritates ponamus. Augustinus : Donec sæculum finitur, sursum est Dominus ; sed tamen hic etiam nobiscum est veritas Domini. Corpus enim Domini in quo surrexit uno loco esse oportet ; veritas autem ejus ubique diffusa est. Quod ita intelligendum est. Corpus Domini uno loco esse oportet secondum visibilem formam, id est in ea forma in qua videri potest ; veritas ubique diffusa est, id est, divinitas vel ipsum corpus ubique celebratur. Potest enim referri quod dicitur ejus, vel ad Christum vel ad corpus ipsum. Ideo diximus, ubique celebratur, quia non est dicendum ubique esse corpus Christi : quod est solius divinitatis. Augustinus : Una persona Deus et homo ; ubique per id quod Deus est, in cœlo per id quod Deus et homo est.

Eodem modo et illud exponitur : *Pauperes semper habebitis vobiscum ; me autem non semper habebitis (Matth.* xxvi). Quod exponunt sancti secundum eam præsentiam quæ conversatus fuerat prius cum illis manducans, bibens et cætera faciens. Item Augustinus loquens alibi de corpore Domini ponit hæc verba : ipsum et non ipsum, quod sic intelligendum est : ipsum essentia non ipsum visibili forma. Hieronymus in Isaiam : comedunt cibos impietatis dom non sunt sancti corpore et spiritu ; nec comedunt carnem Jesu, nec bibunt sanguinem ejus. Augustinus De civitate Dei : Non sunt dicendi manducare corpus Christi, qui non in membris computantur Christi. Denique ipse dicit : *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (*Joan* vi). Quod intelligendum est de illa spirituali et divina, de qua supra locuti sumus. De iis qui sunt extra ecclesiam ut excommunicati et manifesti hæretici, quæritur utrum conficiant corpus Christi. Quibusdam videtur quod quamvis sit eis ad damnationem tamen conficiant; quia ordinationem non amiserunt in qua datur potestas illud conficiendi. Aliis videtur quod nec excummunicati nec manifesti hæretici conficiunt. Nullus enim in ipsa consecratione dicit offero, sed offerimus ex persona totius Ecclesiæ. Cum autem alia sacramenta extra Ecclesiam possint fieri, hæc numquam extra, et istis magis videtur assentiendum.

Cap. X *De pœnitentia.*

Sacramentum pœnitentiæ redeuntibus ad Deum semper est necessarium, « Est » enim » pœnitentia secunda tabula post naufragium ; » quia post baptismum, si quis vestem innocentiæ peccando amittit, per pœnitentiani recuperare poterit. A pœnitentia incœpit prædicatio Joannis. Dicit namqae : *Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cœlorum* (*Matth.* iii). Quod dixerat præco, illud docuit postea ipse Christus in principio suæ prædicationis, dicens : Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cœlorum. Et merito illud præmisit ut istud sequeretur ; quia ut ad regnum cœlorum perveniatur in adultis, pœnitentiam præire oportet. Pœnitentia incipit a timore qui est initium sapientiæ (*Psal* cx). Timore enim gehennalis pœnæ ad pœnitentiam homo compellitur.

In pœnentitia consideranda sunt hæc tria : compunctio, confessio, satisfactio. Compunctio est in contritione cordis : quæ nascitur ex recordatione præteritorum malorum et ex timore judicii futuri. Confessio est proprii actus cum sui accusatione exsecratio. Unde illud : *Justus in principio sermonis accusator est sui* (*Prov.* xviii). Satisfactio post confessionem fit per jejunia, orationes, et cœtera bona opera Compunctio præcipitur in propheta ubi ait : *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra* (*Joel.* ii). Confessio in Epistola Jacobi præcipitur cum dicit : *Confi-*

temini alterutrum peccata vestra (*Jacob.* VIII). A Satisfactio ubi ait Joannes *; Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III). In his qui habent tempus hæc tria sunt necessaria, nec sufficit unum sine aliis. Non enim sufficit corde confiteri nisi ore confiteatur qui tempus habet, nisi etiam fructus pœnitentiæ faciat.

Opponitur de hoc quod maximus episcopus dicit : Invenio, inquit, quod Petrus fleverit, non inveni quid dixerit : lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego ; lavat enim lacryma delictum, quod voce pudor est confiteri. Quod ita exponi potest, quod voce manifesta pudor est confiteri; occulte sacerdoti confiteri quandoque sufficit. Vel potest dici quod ista institutio in novo Testamento nondum facta erat, quando scilicet Petrus pœnitentiam de peccato egit ; et ideo sine confessione oris potuit veniam consequi.

CAP. XI. *Quando solvatur a peccato.*

Solet quæri utrum solvatur homo a peccato, ut primum habet veram cordis contritionem. Quod videtur illa auctoritas velle. *Dixi : Confitebor adversum mei injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Item : *Peccator quacunque hora ingemuerit, salvus erit* (*Ezech.* XVIII). Sed si per contritionem cordis solutus est a peccato, in confessione oris non solvitur ; ad quid ergo confessio oris est utilis ? Et si ante confessionem oris solutus est a peccato. Sed si per contritionem cordis solutus est a peccato : a quo solvit eum sacerdos ? Dicunt quidam quod illud quod sacerdos dicitur solvere, non est aliud quam solutum ostendere : similiter dicitur ligare, id est ligatum ostendere. Et hoc videtur probari istis auctoritatibus. Ait Dominus in propheta : *Ego solus deleo iniquitates et peccata populi* (*Isa.* XLIII). Item Ambrosius : Ille solus dimittit peccata populi qui solus pro peccatis nostris mortuus est. Item Hieronymus super Matthæum : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (*Matth* XVI), etc. Hunc locum quidam non intelligentes aliquid sibi sumunt de supercilio Pharisæorum, ut damnare innoxios vel solvere se putent noxios, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Unde in Levitico ostendere se sacerdotibus jubentur leprosi (*Lev.* XIII) ; quos illi non faciunt leprosos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt. Ita et hic cum pro officio suo sacerdos peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, et qui solvendus. Sed istas auctoritates ita interpretari debemus, ut non auferamus quam Deus potestatem tribuit hominibus. Dicit namque ipsa Veritas : *Quorum remiseritis peccata remittentur eis ; et quorum retinueritis retenta erunt* (*Joan.* XX). Item postquam Christus Lazarum suscitavit, ait discipulis, *Solvite eum* (*Joan.* XI), hoc non fuit solutum tantum ostendere, sed solvere. Videndum est itaque quod et Deus solvit a peccato, et quod etiam homo solvit, sed aliter homo, aliter Deus, et quod Deus dimittit peccata, et quod homo (cui Deus potestatem dedit) peccata dimittit ; sed aliter Deus aliter homo. Deus enim ex semetipso. Et per semet ipsum peccata dimittit Quando vult, homines autem non ex se, sed ex gratia in eis et per eos operante, peccata dimittunt. Et ita verum est quod solus Deus peccata dimittit. Sicut et illud : *Tu es solus qui facis mirabilia* (*Psal.* LXXI). Et tamen non negatur quin et homines miracula faciant, sed non ex se, sicuti Deus ex se : item : *Nemo bonus nisi Deus* (*Marc.* X), quia ex se bonus. Nec tamen negamus homines bonos esse, sed non eodem modo quo Deus.

Sed ut apertius videamus qualiter Deus sine homine solvat, et qualiter per hominem : prius inspiciamus quomodo ipse peccator ligatus sit. B Duobus enim peccator ligatus est : cæcitate mentis, videlicet et pro ea debito futuræ damnationis ; peccato enim et pœna peccati tenetur. Per veram cordis contritionem solvitur a cœcitate mentis ; qui enim mortuus fuerat jam vivit, et quia vivit interius illuminatus est ; sed tamen adhuc debitor est donec satisfaciat Ecclesiæ. Ecce quod jam de monumento prodiit, sed adhuc ligatus est ; quia debito futuræ pœnæ nondum solutus. Venit ad sacerdotem non ut se justum ostendat, sed peccatorem. Confitetur peccatum suum sacerdoti, qui ei justam satisfactionem injungit ; non enim ad arbitrium suum, sed juxta arbitrium sacerdotis satisfacere debet, et tunc solvit eum sacerdos à debito damnationis futuræ id est Deus C per sacerdotem. Sed si, ut ipsi dicunt, antequam ad sacerdotem veniat plene mundatus est, nec jam tenetur illo peccato ; mentitur si se injustum et peccatorem confitetur, quod dicere omnino deviat a fide Ecclesiæ. Sed opponitur quod a prædicto debito jam prius solutus erat per cordis contritionem : Quia *cor contritum et humiliatum Deus non despicies (Psal.* L). Unde in alio psalmo :Dixi : Confitebor adversus me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei, juxta quod alibi dictum : *Quoties ingemuerit homo, omnium iniquitatum ejus non recordabor* (*Ezech.* XVIII). Ex quibus inferri posse videtur debitum per cordis contritionem jam esse solutum ; quod etiam ratione confirmatur ; quia D vere contritus in via salvationis constituitur ; si enim tunc moreretur, salvus esset. Ad quod dicimus, quod vere invisibilis sacerdos eam qui vult confiteri et non potest ab hoc debito solvit : sed quandiu illud potest, nisi ore confiteatur non absolvitur. Certum namque est quod ille qui habet cor contritum vult confiteri ; sed istam bonam voluntatem deserere potest. Nihil enim vult homo dum est in hac vita, quod non possit nolle ; et si hac voluntate amissa nollet confiteri et tunc moreretur, nulli est dubium eum damnari pro illo peccato quod confiteri noluit. Nullum enim peccatum impunitum, aut enim homo punit, aut Deus. Liquet itaque eum a debito futuræ pœnæ non fuisse solutum in contritione. Hoc ideo dicimus, quia solent quidam dicere eum non pro peccato illo puniendum, sed pro comtemptu. Apparet

igitur quod solus Deus dimittit peccata vivificando interius per gratiam; et quod sacerdos dimittit, non intus vivificando, sed a debito futuræ pœnæ absolvendo per eam quam injungit satisfactionem. Quod vero dicunt : Peccator quacunque hora ingemuerit, salvus erit. De iis dictum putatur qui instante articulo necessitatis tempus satisfactionis habere non possunt; ac si diceret : Quacunque hora in hac vita vere pœnituerit. in futura vita non peribit. Vel de omnibus potest dici : Quacunque hora peccator ingemuerit salvus erit; quia tunc peccantis salus incipit. Itemque de psalmo oponitur : Dixi : Confitebor, et tu remisisti impietatem peccati mei. Impietas peccati rectissime ipsa mentis excommunicatio dicitur quæ solvitur in compunctione : nondum tamen, ut diximus, plene solutus est. Sicut enim de vulnere prius ferrum extrahitur ut post medicina superponatur, ita et prius peccati impietas, scilicet illa interna cæcitas de corde tollitur, ut post sacramenti medicina per sacerdotes superaddatur. Sunt enim sacramenta quasi emplastra.

Cap. XII. *Quid sit pœnitentia.*

Postquam de iis diximus quæ in pœnitentia consideranda sunt, dicendum est quid sit pœnitentia. Ut vero ait Gregorius : Pœnitentia est perpetrata mala plangere et plangenda non committere. Nam qui sic alia deplorat ut alia tamen committat; adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata luxuriæ quis defleat, et adhuc avaritiæ æstibus anhelet ? Hæc verba Gregorii magis quam sensum quidam attendentes, dicunt non amplius ad mortem peccare eum qui semel pœnitet, etsi amplius eum contingat ad mortem peccare, non fuit pœnitentia quam prius egit. Alias quoque inducunt auctoritates ad idem ostendendum. Isidorus de summo bono. Irrisor est enim pœnitens qui adhuc agit quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsanare superbus. Isaias peccantibus dicit : *Lavamini, mundi estote* (*Isai.* I). Lavatur et mundus est est qui et præterita plangit, et flenda iterum non committit. Lavatur et non est mundus qui plangit quæ gessit, et post lacrymas ea quæ fleverat repetit. Item : Inanis est pœnitentia quam culpa sequens coinquinat. Ambrosius, de unica pœnitentia : Reperiuntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant qui luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent in Christo pœnitentiam, iterandam non putarent. Idem : Sicut unus baptismus, ita est una pœnitentia. Sed, quoniam *non littera sed spiritus vivificat* (II *Cor.* III); sensum auctorum in supradictis inspiciamus. Pœnitentia est perpetrata mala plangere, et plangenda non committere, id est de præteritis dolere et non tunc ut iterum peccet in voluntate habere. Non enim judicat Deus hominem pro iis quæ futura sunt et non præsentia opere seu voluntate; nec nulla probabilitate sequitur (si pœnitentia est perpetrata mala plangere et plangenda non committere) et iste committit plangenda : igitur non fuit pœnitens. Sed hoc se-

A queretur : igitur non est pœnitens, quod nos bene concedemus, scilicet quod tunc non est vere pœnitens. Sed quod olim non fuerit nullatenus à Catholicis est dicendum. Illud quod Isidorus dicit : Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat; sic est intelligendum. Inanis scilicet carens fructu. Est enim fructus pœnitentiæ vitare pœnam gehnnalem et adispci gloriam. Est enim illa pœnitentia mortua, sicut et alia bona propter superveniens malum et quanquam mortua sint illa bona, non tamen audet aliquis dicere quod non fuerint bona. Ita et de pœnitentia priore dicimus, quod vera pœnitentia fuit, si habuit cor contritum; et licet modo mortua sit sicut et alia priora bona, tamen revivis-

B cere potest, si de isto quod postea commisit pœnitens fuerit. Quod iterum dicit Ambrosius : Sicut unum baptisma, ita est una pœnitentia. Dictum est de solemni pœnitentia. In eodem enim capitulo Ambrosius supponit quæ tantum publice agitur. Solemnis pœnitentia dicitur quæ fit in manifesto extra Ecclesiam, scilicet quæ de gravibus peccatis tantum injungitur, et de iis qui manifeste Ecclesiam læserunt. Et olim illa pœnitentia non iterabatur et adhuc quidem in quibusdam ecclesiis hoc servatur pro reverentia sacramenti; nec injungitur illa solemnis pœnitentia iterum criminaliter peccanti, sed datur aliquod consilium. Itaque nos non litteræ quæ occidit, sed spiritus qui vivificat sectatores; non ideo di-

C camus aliquem non pœnitere quia iterum delicturus sit; sed ideo veraciter pœnitere quia de præteritis dolet, et ut alia committat tunc non habet in voluntate. De David namque legitur quod post pœnitentiam peractam cum jam ei esset dictum : *Transtulit Dominus peccatum tuum a te* (*II Reg.* XII); commisit illud peccatum pro quo tot millia hominum perierunt, scilicet quia populum numeravit.

Cap. XIII. *Utrum peccata redeant.*

Dicunt aliqui quod ille qui habet cordis contritionem et condignam facit satisfactionem pro præteritis peccatis vere consequitur remissionem, etsi tunc moreretur non incurreret damnationem;

D sed si postea ad mortem peccat redeunt omnia, etsi tunc moreretur de omnibus puniretur. Et hoc volunt probare illa parabola. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui ? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Matth.* XVIII). Item Hyeronymus : Si non dimiserimus ex corde quod in nos delinquitur, et hoc quod per pœnitentiam dimissum erat, a nobis exigitur. Idem dicit Gregorius : Sed istis opponitur illud quod in propheta legitur : *Non consurget duplex tribulatio* (*Nahum.* I). Vel juxta aliam translationem. *Non judicabit Dominus bis in idipsum,* quod dictum est de

salvandis. Quidam dicunt nec habent pro inconvenienti, si duplex tribulatio super alios consurgat; vel, ut dictum est, quod non hic est sufficienter punitum si postea punitur non est duplex, sed una tribulatio et una punitio.

A

Sed iterum opponitur eis quod satis potest esse, ut aliquis post condignam pœnitentiam criminaliter peccet. Nec potest negari quin illa pœnitentia sufficienter peracta fuerit: quia si peracta illa pœnitentia mortuus esset, nullam pœnam inde habuisset. Ad quod ipsi dicunt quod nisi sit cum perseverentia non est sufficiens. Aliis (quibus magis videtur assentiendum) dicunt quod pro illis peccatis pro quibus Deo per pœnitentiam satisfecit non sit amplius puniendus; etiam si postea vel similia vel graviora committat: Non enim judicat Dominus bis in idipsum, sed pro ingratitudine, scilicet quia gratiæ qua ipsi condonata fuerant priora ingratus fuerat, cum vere fatendum est gravius esse puniendum.

B

Inde est etiam quod Ecclesia difficiliorem ei injungit pœnitentiam quam primo fecisset. Illud vero quod dicitur in parabola. Non exiet inde donec reddat universum debitum; sic exponendum videtur. Universum debitum vocatur non illud quod jam condonatum erat; sed potius misericordiam quam aliis impendere debuit pro eo quod a Domino misericordiam acceperat, unde dicitur: *Qua mensura mensi fueritis remetietur vobis* (*Matth.* VII). Hæc enim parabola de misericordia est, ac si diceretur si aliis non vultis misereri, sicut misertus est vobis, peccata condonando, Pater cœlestis: hoc debitum exigetur a vobis.

C

Illud quod dicunt expositores quod dimissum erat per pœnitentiam exigetur a vobis; ad terrorem dictum esse videtur. Nec tamen negamus quin Deus si districte vellet agere, posset juste pro eisdem punire quæ ipse prius dimiserat; ex quo homo suscepti beneficii ingratus existit. Sicut et qui de servo liber factus est, tam graviter potest offendere Dominum quod jure in servitutem redigatur; sed quoniam in Deo non est justitia sine misericordia, verisimilius est ut non ulterius pro dimissis puniat.

D

Solet quæri de iis qui sunt in duobus criminibus utrum possint de uno per pœnitentiam satisface dum remanent in altero. Quod videtur velle Gregorius, super Ezechielem dicens: Pluit Dominus super unam de civitatibus (*Amos.* IV), et cætera, eum ille qui proximum odit ab aliis vitiis se corrigit, una eademque civitas ex parte compluitur, et ex parte arida remanet (*ibid*). Quia sunt qui cum quædam vitia resecant, in aliis graviter perdurant. Ad quod dicitur quod etsi minus malus fiat (quod est ex parte complui) non tamen delet omnino illud delictum talis pœnitentia. Non enim potest simul vivere et mortuus esse. Et si nondum vivit nec vere pœnitet; compluitur itaque, sed non irrigatur.

—

Cap. XIV. *De duabus clavibus.*

In hoc loco dicendum videtur de clavibus quas habent sacerdotes. Dictum est Petro et in Petro aliis: *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI). Videndum quid sint et quando dentur, et qui habeant. Istæ claves sunt discretio et potestas. Prius enim est discernere qui sunt ligandi qui solvendi; et post utendum est potestate. In consecratione per ministerium episcopi, dantur hæ claves solis sacerdotibus. Sed non videtur quod vel soli vel omnes sacerdotes habeant eas; quia multi ante ordinationem habent discretionem qui sint ligandi, qui etiam solvendi, plures post consecrationem carent illa discretione; et ita non omnes sacerdotes illas duas habent. Quod satis concedunt. Sed melius videtur ut dicamus et solos, et eos omnes illas habere. Licet enim aliquis ante consecrationem habeat illam discretionem, non tamen in eo clavis est; quia non habet ex officio hoc facere nec potest claudere vel aperire. Quare non est in eo clavis. Iterum, indiscretus sacerdos, etsi careat illa discretione, tamen habet officium sic dicernendi; et ita si usum ejus non habeat eam tamen videtur habere. Et juxta hoc potest dici quod in consecratione dantur omnibus illæ duæ, id est offlcium exercendi discretionem et officium exercendi potestatem. De hujusmodi tamen ubi contra fidem nihil vel contra auctoritatem dicitur, satis potest concedi utrum libet. Gregorius tamen in Tractatu Evangeliorum sic dicit: Illi soli habent in carne positi ligandi ac solvendi potostatem, sicut sancti apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent. Iterum ex dictis Origenis: Hæc potestas soli Petro concessa est et imitatoribus Petri. Nam quicunque vestigia Petri imitantur, recte habent ligandi et solvendi potestatem. Sed aliud est non recte et digne illlud posse aliud est non posse absolute. Quod non possunt, non habetur illis auctoritatibus; sed quod recte non possint. Illud quod Petro dictum est: *Quodeunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*ibid.*). Sic est intelligendum: Quodcunque solveris secundum claves tibi commissas vel quodcunque ligaveris secundum illas claves, erit solntum et in cœlis, vel ligatum in cœlis; id est approbatur a Deo ligatum vel solutum. Si autem injuste aliquem ligant vel solvunt, non est apud Deum ligatus vel solutus nisi ipse contemptor fuerit. Nec dicimus sacerdotem injuste aliquem ligare vel solvere ex quo adhibet tantam discretionem quantam potest. Nam etsi ille injuste ligetur quantum ad se; Ecclesia tamen illud juste facit, et ipse Ecclesiæ in hoc debet obedire. Verbi gratia: Aliquis, derelicta uxore sua, transit in aliam provinciam, et ibi aliam duxit uxorem quam posteavul dimittere recognoscens se aliam habere; sed si forte datis judiciis prorsus non poterit testibus illud probare, excomminicat enim Ecclesia nisi ad secundam redeat, et juste hoc facit Ecclesia cui in hoc debet obedire.

Si opponitur quod non potest cum ista salvari cum aliam legitimam habeat uxorem, dicimus excusari per obedientiam quam defert Ecclesiæ; semper tamen quasi invitus debitum reddat. Aliqui tamen dicunt Ecclesiæ in hoc non debere obedire cum sciat Ecclesiam falli; non tamen contemnat, sed timeat et revereatur excommunicationem.

Si autem opponitur illud: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis. Dicunt ligatus est in cœlo, id est a Deo approbatur quod Ecclesia fecit; non tamen ille reus est apud Deum Vel sic: Quodcunque ligaveris, et cætera. Eorum meritis exigentibus subaudiendum esse dicunt. De iis vero qui indiscrete et non secundum claves sibi commissas solvunt vel ligant, dicitur in propheta: *Væ iis qui vivificant animas quæ non vivunt, et mortificant animas quæ non moriuntur* (*Ezech.* XIII).

CAP. XV. De sacramento olei seu extremæ unctionis.

Præter supradicta est et aliud sacramentum, scilicet unctio infirmorum, quæ fit oleo consecrato per episcopum. Hoc sacramentum institutum fuit ab ipsis apostolis, unde in Epistola Jacobi: *Si quis infirmatur in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini* (*Jacob.* V). Sicut in aliis sacramentis; ita et in isto aliud est sacramentum, aliud res sacramenti. Sacramentum ipsa inunctio, res sacramenti remissio quæ ex interiori unctione confertur. Est enim in eadem Epistola canonica; *Et si in peccatis fuerit remittentur ei* (*ibid*). Et si ex contemptu hoc sacramentum prætermit-

A titur vere periculosum est et damnabile. Hoc sacramentum in quibusdam ecclesiis solet reiterari, cum dicat Augustinus sacramentum non esse iterandum, et nulli sacramento faciendam esse injuriam.

Sed contra illud potest opponi de sacramento altaris: sæpe enim iteratur in eodem. Dicunt quidam illud dictum esse de sacramento baptismi et de sacramento ordinationis, quæ nunquam debent iterari; sed de aliis, ut dicunt, non est illud intelligendum. Sed melius est ut de omnibus generaliter dicatur. Cum enim dicitur: Sacramentum non esse iterandum; non est intelligendum de sacramento secundum partem sui; sed secundum se totum. Verbi gratia: Cum baptizatur aliquis, bene-
B dicitur aqua per invocationem Trinitatis. Si in eadem aqua iterum baptizatur alius eadem benedictio aquæ scilicet invocatio Trinitatis qua sanctificatur aqua iteratur, nec tamen dicitur iterari baptismus; quia pro parte iterata non iteratur ipsum sacramentum. Sed si illa sanctificatio aquæ iteraretur et in eadem persona hoc fieret, tunc injuria fieret sacramento. Ita et de sacramento altaris vel unctionis, licet iteratio fiat quantum ad personam quæ iterum snscipit sacramentum; tamen, quia non iterum benedicitur eadem hostia vel idem oleum, non iteratur sacramentum. Si enim pro parte iterata dicuntur hæc sacramenta iterari, eadem ratione et baptismus iteratur; cum ibi, ut diximus, partis fiat
C iteratio, scilicet illius sanctificationis quam suscipit aqua per invocationem Trinitatis.

TRACTATUS SEPTIMUS.

= WALTER OF MORTAGNE PL 176, 153-174

DE SACRAMENTO CONJUGII.

—

CAPITULA.

—

CAP. I. *De conjugii exordio.*

Conjugium quod et matrimonium appellatur ab institutione Creatoris antequam peccasent homines sumpsit exordium. Legimus enim in Genesi, facta prima muliere, virum post extasim (per os ejus loquente Domino) prophetice pronuntiasse. *Prop-*

D *ter hanc relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ* (*Gen.* II). Jam nunc demonstrandum est, arbitror, propter quas causas soleat fieri conjugium. Est ergo conjugii causa principalis, spes prolis; propter quam primi homines conjuncti sunt a Domino dicente: *Crescite et mul-*

tiplicamini (*Gen.* I). Secunda est post peccatum Adæ vitatio fornicationis, juxta Apostolum dicentem : *Unusquisque habeat propriam propter fornicationem* (*I Cor.* VII) Præterea sunt aliæ honestæ causæ de quibus nihil vel parum scriptum invenitur, velut inimicorum reconciliatio et pacis redintegratio. Sunt etiam aliæ minus honestæ, sicut viri vel mulieris pulchritudo ; quæ animos amore inflammatos frequenter impellit ad ineundum conjugium ut suum valeant explere desiderium. Quæstus quoque et amor divitiarum frequenter causa est : et quædam alia quæ per se animadvertere potest quicunque diligentiam adhibere voluerit. Nec credendum est quibusdam qui dicunt nullatenus esse conjugium quod contrahitur propter causas posteriores, id est propter pulchritudinem vel alias. Constat enim conjuges fieri quicunque ex communi consensu se invicem recipiunt, quamvis amore inflammati ad explendum desiderium conveniant Et enim hoc manifestissime liquet per exemplum patriarchæ Jacob, qui Rachel magis quam Liam sibi copulare voluit causa pulchritudinis, dicente Scriptura : *Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie et venusta aspectu, quam diligens Jacob ait* : *Serviam tibi pro Rachel filia tua septem annis* (*Gen.* XXIX). Eadem res in Deuteronomio declaratur his verbis : *Si videris in numero captivorum mulierem pulchram ei adamaveris eam, voluerisque habere eam uxorem, introduces in domum tuam* (*Deut* XXI).

Cap. II. *Quod bona res sit conjugium.*

Quia vero sunt quidam hæretici qui detestantur nuptias et judicant damnabilem viri et mulieris copulam conjugalem ; ad præsens dicendum est utrum res bona an mala conjugium. Affirmamus igitur conjugium rem esse bonam et nullo modo malam. Quod apparet non solummodo ex hoc quod conjugium Dominus primus instituisse legitur in Genesi, dicens : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I) ; sed etiam per hoc quod Christus in Cana Galilææ, vinum in aqua mutata nuptias miraculo commendavit (*Joan.* II) ; et postea inter virum et uxorem (nisi causa fornicationis) dissidium fieri prohibuit. Apostolus quoque dicit : *Virgo non peccat si nubat* (*I Cor.* VII). Constat itaque rem bonam esse conjugium. Cujus opus, id est sexuum commistio inter primos homines et eorum successores sine carnis incentivo et ardore libidinis omni tempore compleretur, si homines in obedientia sui Creatoris permansissent. Et sicut eleemosynam dare bonum est opus et remunerabile, ita coitus viri et mulieris bonus et remunerabilis esset qui tunc ageretur absque omni vitio et sola intentione generandi. Quia vero homines transgressione sua carnalem concupiscentiam incurrerunt, sine qua nequeunt vir et mulier commisceri ; idcirco factus est actus ille malus et reprehensibilis nisi excusetur per bona conjugii. Quod autem per conjugium excusetur testatur Augustinus super Genesim ad litteram de

A conjugio loquens his verbis : Quod sanis posset esse officium ægrotantis est ad remedium.

Cap. III. *Quod sine peccato fiat aliquando concubitus conjugalis.*

Jam ad præsens videtur inquirendum an toties peccent vir et mulier quoties commiscentur. Sciendum est igitur quod coitus cum extranea muliere peccatum est. Omnis autem ille coitus qui fit contra naturam cum quacunque fiat muliere criminosus et abominabilis est. Coitus etiam cum propria conjuge, si fiat solummodo pro explenda voluptate, culpabilis est : sed per conjugium venialis et per levem satisfactionem excusabilis. Unde Augustinus de bono nuptiarum : Hoc quo conjugati victi per concupiscentiam utuntur invicem ultra ne-
B cessitudinem liberos procreandi, ponam in iis pro quibus quotidie dicitur : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimitimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Non autem videtur illorum coitus culpabilis qui cum suis conjugibus causa prolis generandæ et in cultum Dei educandæ commiscentur ; vel qui suis conjugibus exigentibus reddunt carnis debitum. Hoc enim ex auctoritate Domini videtur approbari, quod post diluvium cum jam homines sine concupiscentia carnis non possent commisceri, tamen virum et mulierem ad generandum præcepit copulari, dicens : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* VIII). Quod utique Dominus non jussisset si nullo modo sine peccato fieri posset coitus conjugalis. Dominus enim
C peccata prohibet, nec propter bonum præcipit facere malnm. Illud quoque Domini præceptum Augustinus considerans conjuges causa prolis cocuntes non peccare affirmavit, sic dicens in libro De bono conjugali : Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam ; concupiscentiæ vero satiandæ (sed tamen cum conjuge) propter tori fidem venialem habet culpam. Si autem opponit aliquis dicens omnem carnis delectationem esse malam et peccatum sine qua non potest fieri coitus conjugalis, respondemus equidem quod talis delectatio mala est, quia peccati pœna est ; sed tamen non omnis carnis delectatio peccatum est. Etenim verisimile est carnem Domini nostri Jesu Christi quæ semper fuit immunis a peccato
D delectatam esse requiescendo post fatigationem, et comedendo post esuriem. Delectatio namque talis omni homini naturalis est post transgressionem priorum hominum ; et nisi sit immoderata non est peccatum. Similiter delectatio quæ sentitur in coitu naturaliter, nisi sit immoderata, non videtur esse peccatum in conjugibus qui causa prolis coeunt vel debitum reddunt. Excusatur enim penitus conjugium, nec usquam legitur pro ea conjuges aliquam pœnam sustinere, quamvis nullum peccatum remaneat impunitum, Videtur ab hac sententia beatus Gregorius dissentire et testari quod conjuges sine peccato nequeant commisceri, dicit enim : Romanorum ab antiquis temporibus semper usus fuit post admistionem conjugis, et lavacri purificationem quærere et ab ingressu Ecclesiæ paululum se tem-

perare. Nec hoc dicentes culpam deputamus esse conjugium; sed, quia ipsa licita admistio conjugum sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est; quia ipsa voluptas sine culpa nullatenus esse potest. Nos autem si priores auctoritates et rationes sequi volumus, determinemus beatum Gregorium hoc dixisse de illa voluptate, id est immoderata libidine pro qua explenda conjuges frequenter coeunt; non quia semper hoc faciunt. sed quia nulli sunt conjuges qui valeant illam semper evitare. Quia igitur talem voluptatem aliquando conjuges incurrebant, ab ingressu Ecclesiæ post suam commistionem temperabant.

Cap. IV. *Quæ sint bona conjugii.*

Nunc quæ sunt bona conjugii breviter inquiramus. Sunt igitur tria bona conjugii : fides, proles, sacramentum; de quibus sic dicit Augustinus : Bonum nuptiarum tripartitum est : fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne post vinculum conjugale cum altero vel altera concumbatur; in prole, ut amanter suscipiatur, religiose doceatur; in sacramento ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri conjungatur. Et attende quod tertium bonum ideo vocatur sacramentum, quia signum est sacræ rei, hoc est inseparabilis conjunctionis quæ est inter Christum et Ecclesiam. Præterea sunt alia conjugii bona velut vitatio fornicationis et amicitia viri et mulieris ex societate procedens conjugali; et aliquando pax inter homines sibi prius hostiliter adversantes. Sciendum est autem inter quasdam personas aliquando contrahi conjugium in quo nullum tamen de prædictis bonis potest inveniri. Contingit enim ut aliqui conjungantur non causa prolis, nec pro vitando malo fornicationis; ex quorum conjunctione nec inter ipsos nec inter alios amor aut concordia provenit.

Cap. V *De variis consuetudinibus conjugiorum*

Quia homines diversorum temporum diversas leges et consuetudines in conjugiis habuisse cognoscimus, idcirco diversos status conjugii juxta diversitates temporum breviter transcurramus. A principio temporis inter duos, id est solum virum et solam mulierem inchoatum est conjugium, per os Adæ dicente Domino: *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Et est verisimile quod inter personas duas et non plures contractum fuisset per omnem successionem temporis; si primi homines in obedientia permansissent, tunc enim homines absque carnis incentivo coeuntes filios Deo subditos generassent, et nunquam opus fuisset aliquem virum simul duabus uxoribus copulari, propter cultum Dei dilatandum, cum omnes unum Deum cognoscerent et amarent. Post conjunctionem primi viri et primæ mulieris filii et filiæ eorum matrimonio sunt conjuncti; sed unus uni tantum. Hoc autem quod eo tempore frater sorori suæ conjunctus est, constat ob hanc causam evenisse quod non inveniebantur aliæ mulieres et alii viri quibus filii et filiæ Adam conjungerentur. Primus autem omnium Lameth legitur

A simul duas sibi feminas copulasse; et hoc factum reprehenditur in Lameth, quia pro explenda voluptate carnis compertum est eum hoc egisse. Postea vero, multiplicato humano genere, cum jam fere omnes falsos deos adorarent, paucissimis in cultu unius Dei permanentibus permissum est, imo specialiter injuctum est cum duabus vel pluribus eodem tempore matrimonium contrahere. Quod idcirco factum est ne illis paucis et filiis eorum deficientibus notitia et cultus Dei oblivione deleretur. Nec illud fuit institutioni Dominicæ contrarium. Quamvis enim Dominus inter duos conjugium inchoaverit, non tamen si urgeret necessitas inter plures fieri prohibuit. Moyses autem a tempore legis interdixit fieri B conjugia cum matre propria, cum noverca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru, cum propriæ uxoris filia. Permisit autem separationem fieri ex coujugibus legitime copulatis dato libello repudii. Et arbitror quod sufficiebat illo tempore ad contrahendum conjugium alterna viri et mulieris in necessariis rebus providentia, et consensus de solvendo carnis debito; ita tamen quod mulier promittebat se fidem tori viro servaturam, vir autem poterat aliam ducere, et dato libello repudii uxorem dimittere. Superveniente autem tempore gratiæ, cum jam populus fidelis ad copiosam multitudinem excrevisset, redacta est lex matrimonii ad priorem et honestiorem institutionem ut solus C soli jungeretur, qua copulatione unius Christi et unius Ecclesiæ conjunctio honestius designatur. Prohibitum est etiam ne intra septimum cognationis gradum aliqui sibi matrimonio jungerentur. Quod factum est ut extraneos quos nullus jungebat cognationis affectus, charitas ex societate conjugali proveniens colligaret. Separatio quoque per libellum repudii est penitus interdicta.

Cap. VI. *Quid ad contrahendum matrimonium tempore gratiæ sufficiat.*

Jam nunc videamus quid ad contrahendum conjugium tempore gratiæ sufficiat. Credimus igitur sufficere duarum idonearum personarum legitimum de conjunctione consensum, juxta auctoritatem Nicolai papæ, qui dicit : Sufficiat se- D cundum leges solus eorum consensus de quorum conjuctionibus agitur. Qui consensus cum solus in nuptiis forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Unde etiam Joannes Chrysostomus dicit : Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Beatus quoque Ambrosius de eadem re sic ait : Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Jam nunc restat ut verba in prædicta diffinitione conjugii posita breviter explicemus. Ideo diximus duarum personarum; quia hoc tempore cum una muliere non simul cum pluribus initur conjugium, dicente Apostolo : *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat et unaquæque virum suum* (*I Cor.* VII). Dicendo uxorem suam et non suas indicavit quod Christiano homini non liceat habere simul plures. Ideo autem

idonearum personarum diximus; quia multæ sunt maneries hominum quibus non licet inter se vel etiam cum aliquibus aliis personis facere conjugium, de quibus latius postea disseremus. Ideo diximus legitimum de conjunctione consensum; quia eos qui conjunguntur sic opportet consentire ut invicem spontanee, se recipiant, quod judicatur fieri si in desponsatione minime contradicant. Consentit enim qui minime contradicit, juxta illud Pandectarum: Intelligitur filia semper patri consentire, nisi evidenter dissentiat. Et alibi: Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Quando autem consentiendo se invicem recipiunt, in illo consensu continetur quod dum uterque vixerit sibi in necessariis providebunt; nec carnis debitum nisi ex communi consensu sibi substrahent, et quod fidem custodient. Debent autem ad hos consentire ex voluntate, non ex coactione. Coactus enim consensus (qui nec consensus appellari debet) minime conjugium facit. Sicut testatur Urbanus Sanctio regi Aragonum scribens in hæc verba. De neptis tuæ conjugio quam te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione firmasti, hoc discernimus ut si illa virum illum omnino (ut dicitur renuit) nequaquam eam invitam et renitentem ejusdem viri cogas conjugio sociari. Quorum enim unum corpus est, unus debet esse et animus. Ex hac auctoritate intelligitur conjugium fieri inter consentientes et spontaneos, et non inter renuentes et invitos. Verumtamen si contigerit eos qui inviti et coacti conjuncti sunt per aliquod temporis spatium cohabitantes familiariter et amicabiliter conversari, et diu in suo consortio remanere cum habeant opportunitatem discedendi, profecto videtur quod consensus sequens suppleat illud quod præcedens coactio minuerat. Consensum prædicto modo diffinitum sufficere credimus ad contrahendum conjugium, licet dos defuerit et sacerdotalis benedictio et alia nuptiarum solemnia, vel etiam ipsa sexuum commistio sine qua conjuges vere appellari possunt, sicut ex conjugio virginis Mariæ et Joseph evidenter est declaratum. Illud autem quod Evaristus papa dicit: Aliter legitimum non fit conjugium nisi dotetur uxor et a sacerdote benedicatur ac solemniter accipiatur; non ideo dictum est quin solus consensus faciendo conjugio satisfaciat; sed, quia non adeo honeste et legitime conjunguntur quando clam et furtive copulantur illis prætermissis, quæ ad honestatem sacramenti leges fieri præcipiunt. Leo quoque non negat fieri ex consensu solo conjugium quamvis sic dicat. Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit ut præter sexuum conjunctionem etiam haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium, etc. Nam hoc dicit de concubinis quæ cum ad tempus a viris assumptæ sint absque consensu permanendi et permissione fide conjugalis et celebratione mysterii nuptialis

A non sunt conjuges appellandæ; non quia celebratio nuptiarum defuerit, sed quia consensus conjugalis non adfuit.

Cap. VII. *Quod juramentum de futuro non faciat in præsenti conjugium.*

Quæri potest an sufficiat conjugio ad præsens contrahendo juramentum de futuro, quando scilicet in superadulta ætate vir jurat mulieri quod eam accipiet in futuro, et mulier idem jurat viro: nec ad præsens se recipiunt nec adhuc fidem tori servaturos se promittunt. Est enim verisimile quod juramentum pertinens ad futurum non facit conjugium. Hoc enim quod Augustinus et Isidorus dicunt: ex prima dispensationis fide conjuges appellari et quod leges dicunt: il-

B lam esse legitimam uxorem (quamvis minime dotata sit) cui vir, tactis sacris Scripturis, vel in oratorio juraverit se illam uxorem habiturum; de juramento et desponsatione illa intelligendum est quando vir et mulier se invicem recipientes jurant se fidem tori et alia jura conjugii ad præsens et deinceps servaturos. Tale enim juramentum facit conjugium, non illud quod pertinet simpliciter ad futurum. Cum enim non fiant conjuges nisi illi qui se ex consensu ad præsens recipiunt; quomodo conjuges appellari possunt qui nondum hoc fecerunt, sed in futuro se facturos jurando promittunt? Iterum si ex juramento ad futurum pertinente se invicem ad præsens recipiunt et efficiuntur conjuges, cur jurant in futuro

C se facturos quod ad præsens efficiunt? Stultum vel etiam falsum est jurare aliquid in futuro esse faciendum quod in præsenti sit effectum. Iterum si ex quo juraverunt tam cito efficiuntur absque dilatione conjuges, tunc verum est quod non possunt jurare hanc rem se facturos antequam eamdem efficiant. Sed quæ res est quam non possint homines promittere vel jurare antequam ipsam perficiant?

Cap. VIII. *Quod inter fidelem et infidelem non contrahatur conjugium.*

Nunc de personis quæ non sunt idoneæ conjugio prosequamur. Christianus cum Judæo vel gentili non potest facere conjugium. Nam etiam in Veteri Testamento prohibitum est fideles viros

D ducere uxores infideles, Domino dicente: *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis; ne fornicari faciant filios tuos in deos suos* (*Exod.* XXXIV). Juxta quod Domini præceptum Judæorum conjugia cum gentilibus merito Esdras separavit. Sicut autem constituit Dominus in Veteri Testamento ita observatur in Novo. Unde Augustinus ad Pollentium: Illud de his conjugibus agitur qui sibi primitus copulantur ne nubat femina nisi suæ religionis viro, vel ne vir talem ducat uxorem. Idem enim jubet Dominus, docet Apostolus, utrumque præcipit Testamentum. Quæri solet an hoc tempore Judæi inter se et alii infideles contrahant conjugium. Unde Augustinus in libro primo De adulterinis conjugiis: Cum cœpisset Evangelium gentibus prædicari, jam conjunctos gentiles gentilibus comperi con-

juges. Et paulo post : Non contra jussionem Domini gentiles ambo fuerant conjuncti. Idem in libro De bono conjugali. Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est et in fide castitatis, quod autem ad populum Dei pertinet in fide sacramenti. Innocentius de eodem : Sola peccata in baptismo dimittuntur nec uxorum numerus aboletur. Nam si a Deo præparatur viro uxor, et *quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX),quomodo inter peccata ista credamus posse dimitti? Ex his auctoritatibus apparet inter infideles esse conjugia quod etiam auctoritate Apostoli maxime confirmatur qui permittit hominem ad fidem venientem cum infideli conjuge remanere (*I Cor.* VII), quod utique non faceret nisi copulam conjugalem inter eos esse cognosceret. Notandum est tamen quod quorumdam verba auctorum videntur hanc sententiam infirmare, velut quædam auctoritates quibus dicitur quod inter infideles non sit vera pudicitia. Sed nil obest cum etiam idem veraciter dici possit de Christianis conjugibus qui perverse operantur ; in quibus nulla virtus perfecta est. Illud etiam quod dicit Ambrosius: Non debere matrimonium imputari quod extra Dei decretum est quia Deo fit conjugium ; non idcirco dictum est quia non sit conjujium, sed quia non est firmum, imo solubile est ut monstrat Apostolus.

Cap. IX. *Quod fidelibus conjugibus uno vivente nequeat alter alii copulari.*

Si vir fidelem habet conjugem, neuter eorum altero vivente potest alii se legitime copulare. Unde Clemens ex dictis Petri : Prima species adulterii est virum propria uxore solummodo non esse contentum, et nulierem non proprio tantum se servare viro. Cum autem frequenter contingat quasdam mulieres quarum viri in bello vel in captivitate vel in longinqua peregrinatione creduntur esse mortui viris aliis copulari; merito quæri potest an secunda copulatio sit conjugium adhuc viventibus viris prioribus, cum inde non habeatur manifesta auctoritas. Hoc tamen certum est quod reddi debent viris prioribus si ipsi redierint et ipsas habere voluerint. Unde Leo Niceto episcopo : Si viri post longam captivitatem reversi ita in dilectione suarum conjugum perseverant ut eas cupiant redire in suum consortium, omittendum est et inculpabile judicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit. Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum vivorum amore sint captæ ut malint eis cohærere quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandæ, ita ut ecclesiastica communione priventur. Hæc auctoritas videtur illas mulieres propter ignorantiam excusare, et tamen conjunctionem primam solam appellare conjugalem et legitimam. Itaque verisimile est quod secunda conjunctio non sit legitima et conjugalis; sed propter ignorantiam venialis. Si enim cum secundis viris fierent tales conjunctiones legitimæ, jam una mulier duos viros legitimos haberet eodem tempore; unum quem vivere sciret,

A alterum quem vivere ignoraret. Quiddam simile dici potest de viro qui, uxore sua relicta, peregrinatus et aliquot annis in longinqua regione commoratus sua adhuc vivente ducit alteram, quæ ignorat eum alteram habere uxorem. Etenim non videtur inter eos esse conjugium; sed culpa venialis est quantum ad ignorantem, et criminalis quantum ad scientem. Si enim inter eos esset conjunctio legitima, jam essent eodem tempore unius viri duæ uxores legitimæ; quod a tempore gratiæ contingere non potuit.

Cap. X. *Quæ personæ devotæ videantur posse facere conjugium et quæ non.*

Virgines devotæ postquam ab episcopo sunt consecratæ, et viduæ velatæ, nullo modo possunt B facere conjugium. Hoc enim de velatis viduis insinuat verum esse Paulus ad Timotheum scribens his verbis : *Adolescentiores viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt; habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* V.) Juxta quam auctoritatem beatus Gregorius de eisdem velatis viduis ad Bonifacium scribens ait : Viduas descendentes a proposito viduitatis credo noscere a sancto Paulo, nisi convertantur, olim esse damnatas, quas et nos auctoritate apostolica damnandas et a communione fidelium atque a liminibus Ecclesiæ arcendas fore censemus, quousque ad bonum quod cœperunt invitæ aut voluntariæ revertantur. Et paulo post : Viduæ quæ se velare promiserunt et C demum apostataverunt atque ad priorem vomitum sunt reversæ, a liminibus Ecclesiæ et a cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ et carceribus tradendæ. Beatus vero Innocentius de virginibus velatis sic decrevit : Quæ ergo spiritualiter nubunt et a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is qui se junxerant de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur ut quæcunque vivente viro alteri nupserit habeatur adultera; nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur nisi unus ex his fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat et postea ad humanas nuptias trans-D migravit ? Videtur autem aliquantulum insistendum esse his dictis Innocentii : Non enim videntur solummodo conjugium negare velatis virginibus; sed etiam locum pœnitentiæ quandiu corruptores earum vixerint. Sed potius intelligendum est non eis interdictam esse pœnitentiam nisi quandiu ipsæ et earum corruptores simul in suo consortio et in voluntate peccati vixerint. Hoc enim declarat sequens similitudo de muliere proprium habente conjugem et cum alio fornicante; cui non potest negari pœnitentia quamvis corruptor ejus vivat si ab ejus consortio et a crimine recesserit. Virginibus autem non velatis, quamvis voto se ad continentiam astrinxerint, videtur Innocentius concedere in conjugio post votum inito remanere. Qui de hujusmodi virginibus sic decrevit. Hæc quæ nondum sacro velamine sunt tectæ tamen in

proposito virginali semper se humiliaverunt permanere, licet velatæ non fuerint si forte nupserint, his agenda aliquo tempore pœnitentia est; quia sponsio earum a Domino tenebatur. De viduis autem non velatis non habemus certam auctoritatem quæ illas in conjugio post votum inito remanere prohibeat vel permittat. De viris autem qui voverunt continentiam, sic est observandum, ut si effecti sint eremitæ sive monachi sive clerici, nullo modo liceat eis post votum inire conjugium. De laicis autem qui votum faciunt nec assumunt religionis habitum, dubitatur an possint facere conjugium; cum tamen illis potius quam omnibus aliis personis post votum continentiæ, potentiam contrahendi conjugium auferre videatur hæc auctoritas Hieronymi. Voventibus castitatem non solum nubere, sed etiam nubere velle damnabile est. Hoc loco prætermittendum esse non arbitror quod Beda in expositione super Lucam videtur affirmare : Beatam Mariam virginem antequam inisset cum Joseph conjugium, decrevisse quod vitam duceret virginalem. Quod equidem a veritate videtur discordare : cum beata virgo esset prudentissima et novisset quæcunque pie promittuntur Domino esse fideliter persolvenda. Verisimile est igitur quod ab adolescentia se Deo totam commiserat parata sive ab nubendum sive ad continendum, quemadmodum Deum velle cognosceret. Quod testatur Augustinus in libro De nuptiis et concupiscentia his verbis : Istud credendum est quod beata virgo mente duntaxat, id est, consensu mentis fuerit conjux Joseph ; et quod proposuisset permanere in virginitate si Deo placeret, et aliter si ipse vellet. Ex hac auctoritate et ex hoc quod ipsa renuit non desponsari, manifeste apparet eam (antequam desponsaretur) continentiam non vovisse; quod tamen certum est eam et virum ejus postea promisisse, ex quo utrique mysterium Dominicæ incarnationis angelo revelante innotuit.

Cap. XI. *Quod cognati non debent nisi post gradum septimum copulari.*

Cognati in septimo gradu vel infra non possunt copulari. Unde Gregorius progeniem suam unumquemque ad septimam observare decrevimus generationem; et quandiu se agnoscunt affinitate propinquos ad conjugalem copulam accedere denegamus; quod si fecerint, separentur. Ex concilio Lugdunensi : Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant. Sciendum est quod primus cognationis gradus est frater et soror, quos etiam truncum appellat Isidorus; secundus autem gradus, est nepos et neptis; tertius pronepos et proneptis; quartus abnepos et abneptis; quintus adnepos et adneptis; sextus trinepos et trineptis; septimus trinepotis nepos et trinepotis neptis. Et est notandum quod Isidorus qui in cognatione non plures gradus quam sex enumerat prætermittit primum gradum, id est fratrem et sororem et nepotem et neptem primum gradum appellat. Præmissis est adjungendum quod cognati sibi scienter copulati non faciunt conjugium; sed debent separari et pro incestu pœnitentiæ supponi. Qui vero ignoranter copulantur de crimine per ignorantiam excusantur; nec tamen asserendum est inter eos esse conjugium nisi ex permissione Ecclesiæ propter utilitatem aliquam dispensative sit confirmatum; exemplo beati Gregorii qui anglos post susceptionem fidei in quarto gradu permisit copulari. Sicut autem non licet eis qui inter se cognati sunt conjungi usque in septimum gradum; ita etiam si de duobus legitime copulatis unus moritur, non licet alteri conjugem accipere de cognatione prioris conjugis usque in septimam generationem. Hoc loco non est transeundum quiddam quod Gregorius Venerio episcopo scribens videtur affirmare. Dicit enim de viro et muliere cum in commistione una caro sint effecti : cognationem unius ad alterum pertinere. Ideoque si vir obierit et uxor ejus alium duxerit, filios a secundo viro genitos prohibet uxores ducere de cognatione prioris viri, affirmans quod filii sua matre mediante ad cognationem prioris viri pertineant, cum quo mater eorum una caro exstiterat. Hoc autem decretum Gregorii non servat Ecclesia. Jam enim sequeretur quod nulli de duabus diversis cognationibus præter duas personas solas possent copulari. Unde contingeret quod fere nullus conjugem sibi congruam inveniret.

Cap. XII. *Quod in spirituali cognatione non possit fieri conjugium.*

Sicut autem non licet fieri conjugium in carnali cognatione, ita nec in spirituali. Est autem spiritualis cognatio inter compatrem et commatrem, et inter eos quorum unus alterum de sacro fonte levavit; vel in catechizatione aut in confirmatione tenuit. Est etiam spiritualis cognatio inter filios ejusdem hominis carnales et spirituales. Spirituales autem filii sunt qui de sacro fonte levantur, vel in catechizatione vel in confirmatione tenentur. Quod autem compater et commater inter se jungi nequant, nec pater spiritualis suæ filiolæ, nec mater spiritualis suo filiolo : monstratur ex concilio Maguntiensi his verbis : Si filiola aut commatrem suam spiritualem aliquis in conjugio duxerit, separandos esse judicamus et gravi pœnitentia plectendos. Quod autem filius vel filia spiritualis nulli carnali filio vel filiæ ejusdem hominis copulari valeant : monstrat Nicolaus papa ad Bulgaros scribens in hæc verba : Est inter fratres et filios spirituales, grata et sancta communio; quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Unde quidem inter eos arbitramur fieri non posse conjugale connubium; quoniam quidem nec inter eos qui natura et eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. Est etiam attendendum quod idem papa Salomoni episcopo scribens affirmat, eidem viro non licere duas habere commatres, unam post alteram, quam institutionem non multum observat Ecclesia.

—

Cap. XIII. *Utrum sibi conjungi valeant qui se prius adulterio cognoverunt.*

Qui se prius adulterio maculaverunt prohibentur a canonibus ne postea sibi invicem conjugio copulentur. Unde Leo : Non potest esse matrimonium cum qua fuit adulterium. De eadem re ex concilio Tiburiensi : Relatum est auribus sanctorum sacerdotum quemdam alterius uxorem stupro violasse, et insuper juramentum dedisse ut post legitimi mariti mortem si superveniret, eam duceret uxorem : quod et factum est. Tale igitur connubium prohibemus et anathematizamus. His auctoritatibus vetantur inter se facere conjugium qui se prius adulterio polluerunt. Sed tamen inter tales posse contrahi matrimonium testatur Augustinus ita dicens in lib. De nuptiis et concupiscentia : Denique mortuo viro cum verum connubium fuit, fieri connubium potest cum quo prius adulterium fuit. Cum igitur hæc posterior auctoritas hoc permittat quod priores prohibent, attendere licet quod præteritis temporibus tales personæ poterant licite copulari, sicut de David et Bethsabee legitur. Sed postea ad terrorem est interdictum. Unde si qui tales his temporibus conjunguntur et in ecclesiis prædicta institutio suscepta sit et confirmata, non fit inter eos conjugium, nisi per dispensationem ab Ecclesia sit permissum.

Cap. XIV. *Utrum inter servum et liberam possit contrahi matrimonium.*

Inter servum et liberam, et liberum et ancillam, juxta Romanas leges prohibetur fieri conjugium. Unde in constitutionibus Novellarum : Si quis per errorem mulierem ancillam duxerit liberam putans esse, vel contrario, si libera mulier servo per errorem juncta sit : dicendum est omnino nuptias non constituisse. Inter liberum et ancillam servum et liberam nuptiæ contrahi non possunt. Eadem res affirmari videtur ex concilio apud Tertineriam celebrato, in quo factum est decretum hujusmodi: Si quis ingenuus ancillam alterius uxorem acceperit et existimat quod ingenua sit, si ipsa femina postea fuerit in servitutem redacta, si eam a servitute redimere potest, faciat; si non potest, si voluerit aliam accipiat. Si eam autem servam sciebat et collaudaverat; postea eam ut legitimam habeat. Similiter et mulier ingenua de serva alterius facere debet. Itaque ex his auctoritatibus datur intelligi quod inter servam personam et liberam non fiat conjugium, in quibuscunque Ecclesiis illud est prohibitum et communiter confirmatum, sed in illis ecclesiis quæ nondum illam institutionem susceperunt, bene fit inter tales personas conjugium, sicut in multis ecclesiis Gallicanis fit frequenter libero retinente libertatem et servo servitutem. Quod videtur affirmare Augustinus sic dicens : Si femina ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum; quia omnes unum Patrem habemus in cœlo, una lex erit viro et feminæ. Leges quoque videntur affirmare quoddam mirabile, hoc scilicet quod inter liberum et ancillam non possit fieri matrimonium, quamvis etiam eorum Domini permittant et ex voluntate consentiant. Nos autem inter servas personas saltem dominis consentientibus credimus fieri conjugia : exemplo Hebræorum qui, quamvis servi essent in Ægypto, tamen nuptias legitime celebrabant. Hoc etiam confirmatur ex concilio Maguntiensi in quo de conjugio servi et ancillæ taliter est decretum. Si servum et ancillam Dominus amborum in matrimonium conjunxerit; et postea liberato servo ancilla non potest redimi quæ in servitio est, ideo matrimonia non solvantur. De qua re etiam decretum est in concilio Cabilonensi. Dictum est quod nobis quidam matrimonia legitima potestativa quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud Evangelicum : *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX). Unde visum est nobis ut conjugia servorum non dirimantur, etiam si diversos dominos habeant ; sed in uno conjugio permanentes dominis serviant suis. Et hoc in illis servandum est ubi legalis conjunctio fuit et per voluntatem dominorum. Et attende quod in fine hujus capituli videtur affirmari quod inter servum et ancillam absque permissione dominorum nequeat fieri copula conjugalis, videtur tamen rationabiliter quod inter eos possit fieri conjugium si ex communi consensu copulentur, quamvis eorum domini ignoraverint. Si enim contingeret juvenem et puellam quorum uterque Christianus esset et liber a Saracenis captivari et in servitutem redigi, quæ ratio vetaret, pro vitanda fornicatione ex communi consensu populari ?

Cap. XV. *Qua ætate possit fieri conjugium.*

Juvenes ante quatuordecim annos, et puellæ ante duodecim juxta leges matrimonium inire nequeunt. Quod si ante prædicta tempora copulationem inierunt; separari possunt, quamvis voluntarie et assensu parentum juncti sint. Qui vero in pueritia copulati post annos pubertatis se nolunt relinquere, sed in conjunctione permanere ; jam eo hoc efficiuntur conjuges, et deinceps nequeunt separari.

Cap. XVI. *Quod a furiosis non possit contrahi conjugium.*

Furiosi dum sunt in furore non possunt facere conjugium, juxta hoc decretum canonicum : Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum sit non separentur.

Cap. XVII. *Quod frigidi non possunt facere conjugium.*

Si vir frigidæ naturæ est vel si mulier naturaliter carens instrumento ad coeundum idoneo, ut nullo modo possint commisceri, tales personæ nec inter se nec cum aliis possunt facere conjugium.

Cap. XVIII. *De stabilitate conjugii.*

Postquam ostensum est, a quibus personis inter se vel cum aliis non potest contrahi conjugium deinceps de stabilitate conjugii est tractandum Dominus insinuans non temere et passim dissolvendum esse conjugium Judæis quærentibus si licet dare libellum repudii sic ait : *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX). Quod Domini præceptum sequens Paulus apostolus sic prohibuit, ne uxor virum, aut vir uxorem dimit-

teret. Postquam igitur legitime sunt copulati vir A et mulier, semper conjugalem societatem custodire debent dum vixerint, nec alter alteri poscenti debitum carnis debet subtrahere, dicente Apostolo: *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* (*I Cor.* VII.) At si utrique placet ex communi consensu, possunt continere ad tempus; et postea debent remeare ad torum. Unde Apostolus : *Nolite fraudare invicem, nisi ex communi consensu ad tempus ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII). Manifestum est igitur quod neuter potest facere votum continentiæ nisi idem placeat utrique, et idem uterque voveat; cum sint una caro, et alter habeat corpus alterius in sua potestate. Unde Gregorius Theotistæ patriciæ B scribens ait : Cum boni conjuges aut meritum augere desiderant aut anteactæ vitæ culpas delere, ut se ad continentiam astringant et meliorem vitam appetant, licet. Si vero continentiam quam vir appetit mulier recusat, dividi conjugium non licet. De eodem Nicolaus Carolo regi scribens, ait; Scripsit nobis Theoberta regina se velle dignitate seu copula exui et sola vita privata se esse contentam desiderare; cui nos scripsimus non hoc aliter fieri posse, nisi eamdem vitam conjux ejus Lotharius eligeret. Hi auctores affirmant licere utrumque votum simul facere : sed uni sine altero non licere. Unde manifestum est quod si unus absque consensu alterius se ad religionem convertit et alter reclamaverit, conversum esse C cogendum ut ad torum et ad sæculum redeat, quamvis tonsuram monachi et vestem acceperit. Si vero uterque votum facit, necesse est ut in continentia permaneant. Unde scriptum est in Registro ad Adrianum notarium : Agothosalatrix præsentium litterarum conquesta est maritum suum contra voluntatem suam in monasterio urbici esse conversum. Quod ad ejusdem abbatis culpam dubium non est pertinere; unde peritiæ tuæ præcipimus ut diligenti inquisitione discutiat si forte cum ejus voluntate conversus, vel si ipsa se mutare promiserat, et si hoc repererit, ut illum in monasterio permanere provideat, et hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est nec quoddam fornicationis crimen (propter D quod licet viro relinquere uxorem) prædictam mulierem commisisse cognoveris, volumus ut maritum suum illi etiam si tonsuratus est reddat omni occasione cessante. Hic est attendendum quod quando homines causa Dei se voto astringunt vel continent, non solvant contra Domini præceptum conjugium. Sed cum Deus (pro cujus amore continent) eos separet ab amplexu ; jam de carnali, sanctum et spirituale fit conjugium. Et licet vir efficiatur abbas et mulier abbatissa, tamen dum vivunt semper sunt conjuges; nec tamen ideo aliquis putare debet inter monachum et monacham posse contrahi conjugium, cum ipsi de reddendo carnis debito non valeant facere consensum legitimum.

Cap. XIX. *De causis divortii conjugalis.*

De causis illis agendum est quæ faciunt divortium inter conjuges. Dominus noster insinuavit posse dimitti uxorem a viro causa fornicationis ubi ait : *Quicunque dimiserit uxorem, nisi causa fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit mœchatur* (*Matth.* IX.) Manifestum est autem quod propter eamdem causam dimittere virum uxori permittitur. Nam cum sint una caro et corpus unius sit in potestate alterius, eamdem legem permanendi vel se dimittendi sortiti sunt. Cum autem fornicationis causa faciat divortium, non ille qui dimittit, sed ille qui pro culpa sua dimittitur, separat conjugium. Est autem fornicatio duplex : corporalis et spiritualis. Fit autem corporaliter quando vir, vivente uxore, aut mulier vivente viro, ex conscientia se alteri conjungit aut clam aut manifeste. Ideo ex conscientia apposui : quia si contingeret ut mulierem aliam ignorante viro uxor in lecto collocaret et se illi vir deceptus commisceret de fornicatione virum ignorantia excusaret. Cum autem unus de conjugibus fornicationem incurrit, non licet alteri fornicantem dimittere, nisi ipse expers fornicationis exstiterit. Unde Augustinus tractans de sermone in Monte, sic dicit : Nihil iniquius est quam fornicationis causa dimittere uxorem suam, si ipse convincitur fornicari, Quapropter quisquis fornicationis causa abjicere uxorem suam, prior debet esse a fornicatione purgatus. Augustinus : Cum autem pro tali fornicatione conjugium separatur, dimittenti vel dimisso non licet ad aliam transire copulam, Apostolo dicente : *Iis qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere ; quod si discesserit, manere innuptam aut viro reconciliari* (*I Cor.* VII).

Ex qua auctoritate intelligitur non solum hoc quod facto pro fornicatione dissidio tantum inter se conjuges remaneant, cum in aliam nequeant copulam transire; sed etiam istud quod possint reconciliari et cohabitare sicut prius, si dimissum ad se alteri revocare placuerit. Cui tamen videtur, contradicere Salomon dicens : *Qui tenet adulteram, stultus est et insipiens* (*Prov.* XVIII). Hieronymus quoque reconciliationem talium videtur prohibere; qui de quadam muliere quæ vivente viro alii nupserat ad Amandum scribens presbyterum sic dicit : Rem novam loquor, imo non novam sed veterem; quæ Veteris Testamenti auctoritate confirmatur. Si mulier reliquerit secundum virum et reconciliari voluerit priori, non potest. Nos autem magis credimus Apostolo qui, sicut prædictum est, permittit viro reconciliari mulierem quæ, dimisso viro fornicatore, non vult innupta permanere. In quo Augustinus sequens Apostolum sic dicit in secundo libro De adulterinis conjugiis : Non erit turpis neque difficilis etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ubi per claves regni cœlorum non dubitatur remissio peccatorum fieri. De eadem re dicit Hermes in libro Pastorum : Ego dixit pastori :

Domine, si quis mulierem fidelem habuerit in domo et hanc invenerit in adulterio, nunquid peccat vir si convivit cum illa? Et dixit mihi : Quandiu nescit peccatum ejus, sine crimine vivit cum illa; si autem sciverit vir uxorem deliquisse et non egerit pœnitentiam mulier, et permaneat in fornicatione sua et convivit vir cum illa, peccati reus erit, et particeps mœchationis ejus. Quid igitur si permanet in vitio suo mulier? Et dixit : Dimittat illam uxorem, et vir per se maneat. Quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit et voluerit ad virum suum reverti, num recipietur a viro suo? Et dixit : Imo, et si non receperit eum vir suus peccat, et magnum peccatum admittit sibi. Ergo debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe. Ex prædictis itaque auctoritatibus liquet quod mulierem a fornicatione discedere volentem non debet vir abjicere; sed de fornicatione pœnitentem et reconciliari volentem debet et potest causa Dei suscipere. Non est hoc loco prætermittendum quando aliquis cognatam uxoris propriæ incestu maculavit, si illud occultum est, nec probari potest; judicat Ecclesia illum peccatorem suscepta pœnitentia cum uxore sua remanere nec incestum facere cum uxore legitima. Si vero manifestum est, judicare solet Ecclesia ab uxoris consortio esse separandum. Potest tamen indulgentia fieri si uxor ejus et illa quam polluit in remotioribus gradibus cognatæ sint.

Cap. XX. *De spirituali fornicatione*

Spiritualis autem fornicatio est vel generalis de qua dictum est : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te (Psal.* LXXII); vel est spiritualis sicut idololatria et alia infidelitas Christianæ fidei contraria, velut judaismus. Et hac spirituali fornicatione permittitur homini fideli dimittere conjugem infidelem. Quod ex verbis apostoli percipitur, qui cum vetuisset ex auctoritate Domini ne fidelem conjugem fidelis amitteret; postea de fideli viro et uxore infideli loquens, sic ait : *Nam cæteris ego dico non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam ; et si qua mulier virum habet infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non relinquet eum* (*I Cor.* VII) Ex his verbis apparet quod fideli liceat infidelem relinquere, quamvis sit perfectum propter infidelem lucrandum Deo, remanere cum infideli si ipse consenserit. Nisi enim liceret infidelem, dimittere, ita ex auctoritate Domini inter istorum utrumque vetaret fieri divortium, sicut inter utrumque fidelem vetuerat. Videtur etiam Apostolus permittere quod dimisso infideli alium sibi fidelem possit copulare. Dicit enim. *Si infidelis discedit, discedat* : *non enim frater aut soror subjecta est servituti in hujusmodi* (*ibid*). Hæc equidem dicendo nec addendo ut infideli dimisso fidelis innupta permaneat, sicut agendum de utroque fideli præceperat ; aperte dat intelligere quod dimisso infideli postea fidelis valeat alii fideli se conjungere. Nec istud contrarium est Apostolo dicenti : *Præcipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit manere innuptam* (*ibid.*) Hoc enim dictum est de illis quorum uterque fidelis est; quando autem alter infidelis est, licet fideli infidelem retinere vel abjicere sicut per Eutitianum papam monstratur qui ait : Si quis gentilis gentilem duxerit uxorem ante baptisma ; post baptismum in sua potestate erit eam habere vel dimittere. Dignum videtur inquisitione utrum liceat viro uxorem dimittere pro qualibet fornicatione, id est pro avaritia vel aliis criminibus ad quæ uxor scelerata credens atque confitens fidem catholicam virum conatur applicare. In quo animadvertendum est quod si uxor non patitur secum habitare virum nisi vir sceleribus ejus communicet, prius debet vir ab ejus separari consortio quam ejus sceleribus inquinetur ; juxta illud præceptum Domini : *Si oculus tuus dexter scandalizaverit te, erue eum et projice eum abs te (Matth.* V). Si vero uxor confitens fidem catholicam patitur virum cohabitare, quantumcunque sit scelerata non debet ab ea vir discedere. Si post legitimam viri et mulieris desponsationem alterum eorum contingeret incidere in lepram vel in aliam infirmitatem quantumcunque gravissimam ; non propter hoc sanus potest infirmum dimittere, sed debet eum sustentare et etiam carnis debitum si infirmus poposcerit exsolvere. Unde Augustinus in lib. De sermone Domini in Monte : Si uxorem quisquam habeat sive sterilem sive deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud, sive morbis vel doloribus laboribusque confectam, et quidquid, excepta causa fornicationis, excogitari potest, vehementer horribilem eam pro societate et fide sustineat. De iis qui, legitime juncti, postea nequeunt carnaliter misceri, si alter eorum vel quod uterque reclamaverit, ideo quod nequeant sibi carnis debitum reddere : gallicana judicat Ecclesia (juxta tenorem legum et quorundam decretorum) ut inde suscepta fide et legitima probatione discedant, et aliis si velint se conjungant. Unde in libro sexto Codicis : Si maritus uxori ab initio matrimonii usque ad duos annos continuos computando misceri minime propter naturalem imbecilitatem valeat, mulier potest vel ejus parentes sine periculo dotis amittendæ repudium marito dare. Si qua mulier se proclamaverit quod vir suus nunquam coiisset cum ea, exeant inde ad crucem, et si verum fuerit separentur, et illa quid vult faciat. Beatus vero Gregorius eos qui noscuntur cum aliis coisse personis non permittit postquam conjuncti sunt a se discedere, quamvis nequeant opus complere nuptiarum. Si autem vir frigidæ naturæ fuerit, tunc facta ejus probatione illum et mulierem a se permittit discedere, dicens ita : De his requisitus, qui ob causam frigidæ naturæ dicuntur non posse invicem opera carnis dantes commisceri, dissidium concedimus. Iste vero si non potest uti ea, pro uxore habeat quasi sororem. Quod si mulier causa-

tur Volo mater esse, uterque septima manu dicat A ut nunquam per commistionem carnis conjoncti una caro effecti fuissent, tunc videtur mulier posse secundas contrahere nuptias. Quod si et ille aliam copulam acceperit, tunc peracta pœnitentia priora cogantur recipere connubia. Hæc auctoritas Magni Gregorii aperte prohibet separari conjuges legitime conjunctos qui possunt cum aliis coire, quamvis nequeant inter se commisceri. Et in hoc concordat Domino prohibenti ne vir dimittat uxorem nisi causa fornicationis (*Matth*. XIX). Si vero post legitimam conjunctionem ex aliqua causa hoc incurrerit ut vir filium uxoris suæ vel mulier filium viri sui de sacro fonte levaverit, vel in catechizatione sive in confirmatione tenuerit; propter hanc causam non debent separari. Unde Nicolaus B Salomoni episcopo scribens ait: Nosse desideras utrum mulier quæ viri sui filium de sacro fonte levavit possit cum eodem viro copulari. Quos sic posse conjungi decernimus; quia secundum sacros canones nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet conjux dimiitere conjugem, cum præcipiat Apostolus: *Nolite*, inquiens, *fraudare invicem nisi ex consensu ut vacetis orationi* (I *Cor*. VII). De eadem re Joannes papa Anselmo Leguniginæ episcopo Ecclesiæ isto modo scribit: Ad limina Apostolorum præsens homo Stephanus nomine veniens nostro prælatui innotuit quod filium suum in extremo vitæ positum necdum baptismi unda lotum necessitate cogente baptisasset, eumque propriis manibus suscepisset; at- C que hujus rei negotio notitiæ tuæ patefacto reverentia tua zelo Dei flagrans præfatum hominem a sua judicaverit conjuge esse separandum. Quod fieri nullatenus debet scriptura dicente: *Quod Deus conjunxit homo non separet*, (*Matth*. XIX). De eodem in concilio Cabilonensi: *Dictum est quasdam feminas fraudulenter ut a viris suis separarentur proprios coram episcopis filios tenuisse ad confirmandum. Unde nos dignum duximus ut si qua mulier filium suum coram episcopo tenuerit ad éonfirmandum quandiu vivat pœnitentiam agat; a viro tamen suo non separetur*. His auctoritatibus confirmatur quod conjuges separari non debeant si, postquam legitime conjuncti sunt, alter levat filium alte- D rius de sacro fonte vel tenet ad confirmandum. Sed Deusdedit papa videtur contrarium affirmare sic dicens: Pervenit ad nos diaconus sanctitatis vestræ epistolam deferens quod quidam viri et mulieres præterito Sabbato pro magno populorum incursu nescientes filios suos sumpsisse de lavacro sancto; sed beatæ memoriæ sancti Patres Innocentius et Cœlestinus coepiscorum plurimorum consensu in apostolorum principis Ecclesia prohibentes talia scripserunt et confirmaverunt ut nullomodo se in conjugio reciperent mulieres et viri qui quacunque ratione susceperint natos; sed separarent se, ne suadente diabolo, tale vitium inolescat per mundum. Hæc papa Deusdedit: Sed non est ei in hoc accedendum, cum prohibeat Dominus virum dimittere uxorem nisi causa fornicationis (*Ibid*.) Et etiam Innocentius et alii auctores quos ipse induxit ad suam sententiam corroborandam de illis tantum agere videntur qui ante compatres et commatres fuerunt quam conjuges essent, quos jure prohibuerunt ne se conjugio reciperent. Sicut superius dictum est fornicationem sive corporalem sive spiritualem sufficere ad separationem conjugii, ita verum est omnes causas quas superius diximus impedire personas aliquas ne possint facere conjugium, procul dubio sufficere ad earumdem personarum separationem si forte tales personæ conjunctæ sint. Cum enim votum continentiæ ante conjunctionem contractum impediat monachum et monacham ne possint facere matrimonium, propter idem separari debent si forte post illud conjuncti sunt. Similiter de cognatione et de aliis judicandum est ut quæcunque causæ obsistunt aliquibus personis ne conjuges fieri valeant eædem ad separationem earum si forte conjunctæ sint valeant. De cognatione tamen est hoc attendendum si inter virum et uxorem propriam reperitur in gradibus remotioribus, potest eis indulgentia fieri; quod si non fiat debent separari. Separatio autem cognatorum sic fieri debet, ut duo vel tres de parentela jurent cognationem; aut si eorum parentela tota defecerit, tunc a vicinis antiquioribus et veracioribus fiat probationis juramentum.

CAP. XXI. *De Secundis nuptiis*

Superioribus adjungendum est quod de viro et de muliere copulatis legitime, si alter moritur et alter supervivit licet superstiti sine offensione secundas inire nuptias, juxta Apostolum dicentem: *Mulier alligata est viro quanto tempore vivit vir ejus; quod si dormierit vir ejus liberata est a lege viri, cui vult nubat tantum in Domino* (*I Cor*. VII). Nec solæ primæ vel secundæ nuptiæ sunt licitæ; sed etiam tertiæ et quartæ et aliæ, juxta Augustinum qui dicit: De tertiis et quartis et ultra de plurimis nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde breviter respondeo, nec me ullas nuptias audere damnare nec verecundiam numerositatis auferre. Idem testatur Hieronymus dicens: Ego nunc libera voce exclamo non damnari in Ecclesia bigamiam imo nec trigamiam; et ita licere quinto et sexto, quoniam et secundo marito nubere. Itaque apparet ex supradictis auctoritatibus quod liceat post mortem conjugum nuptias multoties celebrare. Potest tamen aliquibus videri quod peccatum sit bigamia cum Apostolus describens hominem honore episcopali dignum dicat eum *esse virum unius uxoris* (*I Tim*. III), ab honore bigamos excludens quasi transgressores. Sed sciendum est illud fieri non culpa bigamiæ, sed pro sacramenti honestate. Honestius enim vicem Christi gerit episcopus qui junctus est soli mulieri, sicut uni Ecclesiæ junctus est Christus. Videtur tamen affirmare quod bigamia sit peccatum illud Cæsariensis decretum concilii. Presbyterum nuptiis bigami prandere non convenit; quia cum pœni-

tentia bigamus egeat, quis erit presbyter qui talibus nuptiis possit præbere consensum? Sed non dicimus bigamum ideo egere pœnitentia quod sit peccatum secundas nuptias facere; sed quia forsitan cum sit nimis incontinens (ut contingere solet) ultra modum in uxorem propriam exerceat libidi nem. Nec presbyter talibus nuptiis debet consentire, eo quod eas frequentando homines exhortetur ad nuptias frequenter iterandas.

DE SACRAMENTIS CHRISTIANÆ FIDEI.

PRÆFATIUNCULA.

Librum de sacramentis Christianæ fidei studio quorumdam scribere compulsus sum; in quo nonnulla quæ antea sparsim dictaveram propterea quod'iterato eadem stylo exprimere molestum vel superfluum videbatur inserui. In quibus, si forte sermo simplicior colorem dictaminis servare non potuerit, non multum interesse putavi. eadem veritate constanté. Hoc autem magis ne movet quod cum hæc eadem prius negligentius dictassem (utpote nondum adhuc futuri operis propositum habens), passim transcribenda exposui: sufficere tunc arbitratus ejusmodi minima vel adnotata in notitiam venire. Sed, quia postmodum eum eadem hujus operis textui insererem, quædam in ipsis mutare,quædam vero adjicere vel detrahere ratio postulabat. Lectorem admonitum esse volo, ut sicubi ea extra operis hujus seriem aliud aut aliter aliquid habentia invenerit, hanc diversitatis causam esse sciat, et si quid forte in eis emendandum fuerit, ad hujus operis formam componat. Sane hoc opus in duos libros distinxi; quatenus in tanta rerum multitudine et prolixitate incisio narrationis legentibus tædium tolleret et simul utrumque scribere non valentibus aut divisim habere volentibus commodiorem formam exhiberet.

HOC OPERE CONTENTA

Prologus et libri duo.

Primus liber a principio mundi usque ad Incarnationem Verbi narrationis seriem deducit.

Secundus liber ab Incarnatione Verbi usque ad finem et consummationem omnium ordine procedit.

Item primus liber duodecim clausulas sive partes complectitur.

Prima pars tractat de creatione et constitutione hujus sensibilis mundi.

Secunda de causa creationis humanæ et de primordialibus causis rerum omnium.

Tertia de cognitione Dei, qualiter ab initio manifestatus est et unus et trinus.

Quarta de voluntate Dei, et de diversis modis, quibus sacra Scriptura de voluntate Dei loqui consuevit.

Quinta de creatione angelorum, et confirmatione et lapsu, et de cæteris quæ ad ipsos pertinent.

Sexta de creatione hominis, et de statu ejus ante peccatum.

Septima de lapsu.

Octava de reparatione.

Nona de institutione sacramentorum.

Decima de fide.

Undecima de sacramentis naturalis legis.

Duodecima de sacramentis scriptæ legis.

Hujus libri capitula per singulas partes subter ordinavinus in hunc modum:

TABULA PROLOGI.

In distinctione prologi capitula sunt hæc.

TABULA PRIORIS LIBRI.

CAPITULA PRIMÆ PARTIS

CAPITULA SECUNDÆ PARTIS.

CAPITULA TERTIÆ PARTIS.

CAPITULA SEXTÆ PARTIS.

CAPITULA SEPTIMÆ PARTIS

CAPITULA OCTAVÆ PARTIS

CAPITULA NONÆ PARTIS.

CAPITULA DECIMÆ PARTIS.

CAPITULA UNDECIMÆ PARTIS.

CAPITULA DUODECIMÆ PARTIS.

Secundi libri partes, et partium capita ante ipsum ponentur.

LIBRI PRIORIS DE SACRAMENTIS

PROLOGUS

Quare lectionem mutaverit.

Cum igitur de prima eruditione sacri eloquii quæ in Historica constat lectione, compendiosum volumen prius dictassem, hoc nunc ad secundam eruditionem (quæ in allegoria est) introducendis præparavi; in quo, si fundamento quodam cognitionis fidei animum stabiliant, ut cætera quæ vel legendo vel audiendo superædificare potuerint, inconcussa permaneant. Hanc enim quasi brevem quamdam summam omnium in unam seriem compegi, ut animus aliquid certum haberet, cui intentionem affigere et conformare valeret, ne per varia Scripturarum volumina et lectionum divortia sine ordine et directione raperetur.

Cap. I. *Quæ sint discenda a principio.*

Quisquis ad divinarum Scripturarum lectionem erudiendus accedit, primum considerare debet quæ sit materia, circa quam versatur earum tractatio; quia, si rerum illarum de quibus scriptura facta est notitiam habuerit, facilius post modum dictorum ejus veritatem sive profunditatem perspiciet.

Cap. II. *Quæ sit materia divinarum Scripturarum.*

Materia divinarum Scripturarum omnium, sunt opera restaurationis humanæ. Duo enim sunt opera in quibus universa continentur quæ facta sunt. Primum est opus conditionis. Secundum est opus restaurationis. Opus conditionis est quo factum est, ut essent quæ non erant. Opus restaurationis est quo factum est ut melius essent quæ perierant. Ergo opus conditionis est creatio mundi cum omnibus elementis suis. Opus restaurationis est incarnatio Verbi cum omnibus sacramentis suis; sive iis quæ præcesserunt ab initio sæculi, sive iis quæ subsequuntur usque ad finem mundi. Verbum enim incarnatum rex noster est, qui in hunc mundum venit cum diabolo pugnaturus; et omnes sancti qui ante ejus adventum fuerunt, quasi milites sunt ante faciem regis præcedentes; et qui postea venerunt et venient usque ad finem mundi milites sunt regem suum subsequentes. Et ipse rex medius est in exercitu suo; hinc inde vallatus incedens et stipatus agminibus suis. Et licet hac in tanta multitudine diversæ armorum species in sacramentis et observationibus præcedentium et subsequentium populorum appareant, omnes tamen uni regi militare et unum vexillum sequi probantur, et hostem unum persequi et una victoria coronari. In his omnibus opera restaurationis considerantur; in quibus divinarum Scripturarum tota vertatur intentio. Mundanæ sive sæculares scripturæ materiam habent opera conditionis. Divina Scriptura materiam habet opera restaurationis. Propterea tanto excellentior omnibus scripturis jure creditur, quanto dignior est et sublimior materia in qua ejus consideratio tractatioque versatur. Nam opera restaurationis multo digniora sunt operibus conditionis; quia illa ad servitutem facta sunt, ut stanti homini subessent; hæc ad salutem, ut lapsum erigerent. Propterea illa quasi modicum aliquid sex diebus perfecta sunt; hæc vero non nisi ætatibus sex compleri possunt. Tamen sex contra sex e diverso ponuntur, ut idem reparator qui creator demonstretur.

Cap. III. *Quomodo divina Scriptura per opera conditionis descendit ad narranda opera restaurationis.*

Quamvis autem principalis materia divinæ Scripturæ sint opera restaurationis: tamen, ut competentius ad ea tractanda accedat, primum in ipso capite narrationis suæ breviter secundum fidem rerum gestarum exordium et constitutionem narrat operum conditionis. Non enim convenienter ostendere posset qualiter homo reparatus sit, nisi prius demonstraret qualiter sit lapsus; neque vero lapsum ejus convenienter ostendere, nisi prius qualiter a Deo institutus fuerit explicaret. Ad ostendendam autem primam institutionem hominis oportuit, ut totius mundi conditio ac creatio panderetur; quia propter hominem factus est mundus. Spiritus quidem propter Deum, corpus propter spiritum; mundus propter corpus humanum, ut spiritus Deo subjiceretur, spiritui corpus et corpori mundus. Hoc igitur ordine Scriptura sacra primum creationem mundi describit, qui propter hominem factus est; deinde commemorat qualiter homo factus in via justitiæ et disciplinæ dispositus est: postea, qualiter homo lapsus est; novissime quemadmodum est reparatus. Primum ergo describit materiam in eo quod factus est et dispositus; deinde miseriam in culpa et pœna; deinde reparationem et misericordiam in cognitione veritatis et amore virtutis; demum patriam et gaudium beatitudinis.

Cap. IV. *Quod tripliciter tractat de materia sua eloquium sacrum.*

De hac autem materia tractat divina Scriptura secundum triplicem intelligentiam: hoc est historiam, allegoriam, tropologiam. Historia est rerum gestarum narratio, quæ in prima significatione litteræ continetur; allegoria est cum per id quod

factum dicitur, aliquid aliud factum sive in præterito sive in præsenti, sive in futuro significatur; tropologia est cum per id quod factum dicitur, aliquid faciendum esse significatur.

CAP. V. *Quod in sacro eloquio non solæ voces sed et res significare habent.*

Unde apparet quantum divina Scriptura cæteris omnibus scripturis non solum in materia sua, sed etiam in modo tractandi, subtilitate et profunditate præcellat; cum in cæteris quidem scripturis solæ voces significare inveniantur; in hac autem non solum voces, sed etiam res significativæ sint. Sicut igitur in eo sensu qui inter voces et res versatur necessaria est cognitio vocum, sic in illo qui inter res et facta vel facienda mystica constat, necessaria est cognitio rerum. Cognitio autem vocum in duobus consideratur; in pronuntiatione videlicet et significatione. Ad solam pronuntiationem pertinet grammatica, ad solam significationem pertinet dialectica; ad pronuntiationem simul et significationem pertinet rhetorica. Cognitio rerum circa duo versatur, id est formam et naturam. Forma est in exteriori dispositione; natura in interiori qualitate. Forma rerum aut in numero consideratur ad quem pertinet arithmetica; aut in proportione ad quam pertinet musica; aut in dimensione ad quam pertinet geometria; aut in motu ad quem pertinet astronomia. Ad interiorem vero rerum naturam physica spectat.

CAP. VI. *Quomodo omnes artes subserviunt divinæ sapientiæ.*

Ex quo constat quod omnes artes naturales divinæ scientiæ famulantur; et inferior sapientia recte ordinata ad superiorem conducit. Sub eo igitur sensu qui est in significatione vocum ad res, continetur historia; cui famulantur tres scientiæ sicut dictum est, id est grammatica, dialectica, rhetorica. Sub eo autem sensu qui est in significatione rerum ad facta mystica, continetur allegoria. Et sub eo sensu qui est in significatione rerum ad facienda mystica, continetur tropologia; et his duobus famulantur arithmetica, musica, geometria, astronomia et physica. Super hæc ante omnia divinum illud est ad quod ducit divina Scriptura sive in allegoria, sive in tropologia: quorum alterum (quod in allegoria est) rectam fidem, alterum (quod in tropologia est) informat bonam operationem: in quibus constat cognitio veritatis et amor virtutis: et hæc est vera reparatio hominis.

CAP. VII. *De numero librorum sacri eloquii.*

Postquam demonstravimus quæ sit materia divinarum Scripturarum et qualiter de subjecta sibi materia tractent in triplici sensu, historiæ, allegoriæ, tropologiæ, nunc ostendere convenit in quibus libris ea quæ jure divinitatis nomine censetur, scriptura consistat. Duo sunt Testamenta quæ omne divinarum Scripturarum corpus concludunt: Vetus scilicet et Novum. Utrumque tri-

A bus ordinibus distinguitur. Vetus Testamentum continet legem, prophetas, hagiographos, quod interpretatum sonat sanctos scriptores vel sancta scribentes. In lege continentur quinque volumina; scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Genesis autem a generatione dicitur; Exodus ab exitu; Leviticus a levitis. Liber numeri, quia in eo numerantur filii Israel. Deuteronomium secunda lex, Hebraice autem אלה הדברים, ברשית, ואלה שמות, ונקרא, במדבר, *bresith, helles moth, vagetra, vegedaber, adabarim:* In ordine prophetarum octo sunt volumina. Primus liber Josue, qui et Jesu Nave, et Josue Bennun, id est filius Nun; secundus liber Judicum, qui dicitur Sopthim; tertius liber Samuelis, qui est primus
B et secundus Regum; quartus Malachim quod interpretatur *regum*, qui est tertius et quartus Regum; quintus Isaias; sextus Jeremias; septimus Ezechiel; octavus liber duodecim prophetarum qui dicitur תרי עשר *thareasra*. Hi prophetici dicuntur eo quod prophetarum sunt, etiamsi non omnes prophetiæ sint. Propheta autem tribus modis dicitur, officio, gratia, missione. Vulgo autem usitato vocabulo magis prophetæ vocantur, qui vel officio vel aperta missione prophetæ sunt, sicut in hoc loco. Secundum quam acceptionem David et Daniel et cæteri complures, prophetæ non dicuntur, sed hagiographi. In ordine hagiographorum novem volumina continentur. Primum Job; secundum liber Psalmorum; tertium Prover-
C bia Salomonis quæ Græce parabolæ, Hebraice משלי *masloth*, dicuntur; quartum Ecclesiastes, qui Hebraice קלורת *coeleth*, Latine *concionator* interpretatur; quintum שיר השירים *syra syrim*, id est Cantica canticorum; sextum Daniel; septimum Paralipomenon, quod Latine sonat *verba dierum*, Hebraice דברי הימים *dabreniamin*, dicitur; octavum Esdras; nonum Esther. Qui omnes, id est quinque octo novem: similiter faciunt viginti duos quot litteras etiam alphabetum continet Hebraicum, ut totidem libris erudiatur vita justorum ad salutem, quot litteris lingua discentium ad eloquentiam instruitur. Sunt præterea in Veteri Testamento alii quidam libri qui leguntur quidem, sed in corpore textus vel in canone aucto-
D ritatis non scribuntur. Ut est liber Tobiæ et Judith, et Machabæorum et qui inscribitur liber Sapientiæ Salamonis et Ecclesiasticus. Novum Testamentum continet Evangelia, apostolos, Patres. Evangelia quator sunt: Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Apostolica volumina similiter; quatuor: Actus apostolorum; Epistolæ Pauli; Canonicæ Epistolæ, Apocalypsis: qui juncti cum superioribus viginti duobus Veteris Testamenti, triginta complent, in quibus corpus divinæ paginæ consummatur. Scriptura Patrum in corpore textus non computantur; quia non aliud adjiciunt, sed idipsum quod in supradictis continetur explanando et latius manifestiusque tractando extendunt.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

PARS PRIMA.

HEXAMERON IN OPERA CONDITIONIS.

Arduum profecto opus et laboriosum crebra vestra præcatione flexus aggredior; universam divinarum Scripturarum seriem non solum restringendo ad compendium redigere, sed exponendo quoque profunditatis ejus arcana in lucem evocare. Cujus quidem operis inchoationem prompta devotione offero, spe consummationem promitto.

CAP. I. *Unum esse principium a quo facta sunt omnia de nihilo.*

In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I). Quod creatum est de nihilo factum est. Nam quod de aliquo factum est, factum quidem est sed creatum non est; quia de nihilo factum non est. Fecit ergo Deus cœlum et terram; nec solum fecit sed creavit, hoc est de nihilo fecit. Philosophi gentilium tria quædam rerum principia sine principio posuerunt: opificem, materiam et formam; profitentes ea quæ facta sunt omnia ex materia quidem in formam per opificem esse producta. Sed isti factorem solum non creatorem Deum professi sunt. Fides autem vera unum solummodum primum principium confitetur quod semper erat; et per ipsum solum factum est ut esset quod aliquando non erat. Cujus ineffabilis omnipotentiæ virtus, sicut non potuit aliud præter se habere coæternum, quo in faciendo juvaretur; ita ipsi cum voluit suberat, ut quod voluit et quando et quantum voluit de nihilo crearetur. Omnia ergo quæ facta sunt, Deus non solum ex materia fecit, sed materiam omnium ipse de nihilo creavit.

CAP. II. *An prius facta est materia quam forma.*

Sed non parva quæstio est utrum ea quæ facta sunt, simul in materia et forma adesse prodierint, an prius per materiam quidem essentialiter condita sint, postmodum formata. Scio quosdam sanctorum Patrum qui ante vos verbi Dei arcana excellenter scrutati sunt, quasi adversa quædam super hac inquisitione scripta reliquisse, Aliis quidem asserentibus omnia simul in materia et forma creata fuisse; aliis autem hoc magis probantibus, ut corporea quidem omnia quæ facta sunt, prius simul et semel materialiter condita: postmodum vero per intervalla sex dierum in formam disposita fuisse credantur. Ego puto viros sapientiæ in rebus tam obscuris et dubiis atque a sensu nostro remotis, nec temere asseruisse quod nescierint; neque in his quæ asseruerunt præsertim tanta diligentia prolatis, errare potuisse. Illud magis crediderim, sub assertionis forma inquisitionis studium aliquando fuisse. Qui sic dicta sanctorum pie interpretari voluerint, nec falsa credendo in errorem incidunt, nec vera reprehendendo elationem. Nos ergo in neutram partem præcipiti assertione declinantes, id cui noster sensus interim magis accedit (quantum capere possumus) aperimus. Qui Deum omnia simul in materia et forma fecisse contendunt, propterea fortassis suam assertionem justam esse arbitrantur, quod omnipotentiæ Creatoris indignum videatur (ad humanæ imbecillitatis similitudinem) suum opus per intervalla temporum ad perfectionem promovere, quodque etiam quædam Scripturarum loca, quodammodo idem asserentia inveniuntur. Ut est illud: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII). Ipsa quoque Geneseos scriptura (unde prima ad nos hujus rei manavit agnitio) sic ambigue de operatione sex dierum loquitur, ut sæpenumero omnia potius simul facta fuisse probare videatur. Propter has igitur et hujusmodi rationes aiunt credendum esse mysticam illam in Genesi sed dierum distributionem, rei autem veritate omnem creaturam ab ipso temporis exordio quo esse cœpit, talem cœpisse talique forma, qualem nunc videtur habere, quantum id ad universitatis dispositionem pertinet.

CAP. III. *Ratio quare voluit Deus per temporum intervalla opera sua ad completionem perducere; et prius esse facere quam pulchrum esse.*

Nobis autem videtur (excepto eo quod nihil in hac re temere diffinire volumus) omnipotentiæ Creatoris in nullo derogari, si per intervella temperis opus suum ad consommationem perduxisse dicitur; ita ut tamen indubitanter etiam aliter facere potuisse (si ratio omnipotentis voluntatis ejus expotulasset) credatur. Omnipotens etenim Deus (cujus voluntas sua bonitate nunquam privari potest) sicut propter rationalem creaturam cætera omnia fecit, ita etiam in eis omnibus faciendis illum præcipue modum servare debuit, qui ipsius rationalis creaturæ commoditati ac causæ magis congruus fuit. Hic autem ille erat in quo eidem creaturæ rationali, scilicet non solum obsequium, sed etiam exemplum pararetur, id est in quo illa acciperet non solum id quo ad obsequium indiguit, sed per illud etiam quod accipit agnosceret id quod fuit. Propterea in cæteris rebus prius informis materies facta est ac deinde formata, ut eo ipso demonstraretur quod ab illo prius non existentia accepissent essentiam, sine quo modo formam et ordinem non poterant habere confusa. Eodem modo ipsa rationalis creatura per id quod foris fiebat, in se cognosceret, et

ab illo esse quod erat, atque ab illo expetendum A esse quod futura erat, quatenus et pro eo quod acceperat in gratiarum actionem exsurgeret et in id quod acceptura erat obtinendum in ipsum affectum dilectionis dilataret. Nam et ipsa rationalis creatura quodam suo modo prius informis facta est, postmodum per conversionem ad Creatorem suum formanda ; et idcirco foris prius ei demonstrata est informis materia, postea formata, ut quanta foret inter esse et pulchrum esse distantia discerneret. Ac per hoc admonita est ne contenta esset eo quod per conditionem a Creatore esse acceperat, donec et pulchrum esse atque beatum esse adipisceretur, quod per amoris conversionem a Creatore acceptura erat. Quod si quis quærat quæ rationalis creatura jam tunc in ipso B mundi primordio exstiterit cui hoc exemplum proponi debuisset, facile respondetur jam tunc creatos fuisse angelos qui hoc facto admonerentur seipsos agnoscere, et usque in finem homines futuros, quod licet hoc quando factum est non viderint, tamen per Scripturas edocti, factum esse omnino jam nescire non possint. Si cui hæc quam proposuimus ratio minus sufficiens videbitur ad comprobandam nostram existimationem de rerum creatione, concedimus salva pace, ut vel aliam ad idem evidentius comprobandum meliorem atque subtiliorem exquirat ; aut si hujus partis assertio illi non placet, alteram prout libet assumat. Nos autem secundum propositum cœpti nostri rem ordine prosequemur. C

CAP. IV. *Utrum potuit aliquando esse materia sine forma.*

Restat enim ut si prius materiam rerum informem creatam fuisse asserimus, utrum ne aliquid sine forma existere potuerit, qualemve essentiam ante formam inditam habuisse credendum sit, ostendamus. Et ut breviter quod super hoc sentiendum mihi videtur aperiam, certe non puto primam illam rerum omnium materiam taliter informem fuisse, ut nullam omnino formam habuerit ; quia nec aliquid tale existere posse, omnino quod aliquid esse habeat et non aliquam formam crediderim. Ita tamen non absurde informem eam appellari posse, quod in confusione et permistione quadam subsistens, nondum hanc D in qua nunc cernitur, pulchram aptamque dispositionem et formam cœperit. Ergo ante formam fracta est materia, tamen in forma. In forma confusionis, ante formam dispositionis. In prima forma confusionis prius materialiter omnia corporalia simul et semel creata sunt ; in secunda forma dispositionis postmodum per sex dierum intervalla ordinata.

CAP. V. *Simul creata fuisse omnia, id est visibilia et invisibilia.*

Sed nec illud, quantum opinor, absurdum erit, si credimus unum et idem prorsus momentum temporis fuisse quo in principio simul creata sit et rerum visibilium corporaliumque materia, et invisibilium in angelica natura essentia ; et hoc esse quod Scriptura refert omnia simul creata fuisse sicut supra diximus : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccle.* XVIII), quia eodem momento simul et visibilium materia essentialiter creata est et invisibilium natura ; nihilque postea factum cujus in ipso primordio aut materia ut in corporibus aut similitudo ut in spiritibus non præcesserit. Nam etsi novæ adhuc quotidie creantur animæ, nova tamen creatura non fit ; quia in angelicis spiritibus jam tunc quando creabantur ejus similitudo præcessit. Duo autem nunc nobis discutienda occurunt : primum, illa primæ conditionis forma informis qualis fuerit ; secundum, qualiter ex illa informitate ad hanc quam nunc habet formam producta sit.

CAP. VI *De prima informitate rerum omnium qualis fuit, et quandiu mundus in illa permansit.*

Quantum conjicere potui ex iis quæ in Scripturis de hac re sive manifeste sive obscure reperi secundum rei gestæ veritatem expressa, prima illa rerum omnium moles quando creata est, ibidem tunc adesse prodiit, ubi nunc formata subsistit. Eratque terrenum hoc elementum medio eodemque imo loco subsidens (cæteris in una confusione permistis) forma meliore præditum ; sed iisdem circumquaque in modum cujusdam nebulæ oppansis ita involutum ut apparere non posset quod fuit. Illa vero tria in una, sicut dictum est, adhuc confusione permista sive potius in una permistione confusa, circumquaque suspensa, eousque in altum porrigebantur quousque nunc summum corporeæ creaturæ pertingit. Totumque hoc spatium quod a superficie terræ medio jacentis loco usque ad extremum supremumque ambitus cœli limitem patet, illa nebula et caligine replebatur. Et quod nunc sunt alvei sive trachones aquarum, jam tunc in ipso nascentis mundi exordio in terræ corpore futura aquis receptacula parata erant. In quibus etiam magna illa abyssus (de qua omnium fluenta aquarum producenda sive derivanda fuerant) patulo adhuc hiatu vacuoque horrendum in præceps inane preferebat. Cui quidem desuper tenebrosæ illius caliginis qua tota tunc terræ superficies obvoluta erat nebula tendebatur ; quas, ut ergo arbitror, tenebras, Scriptura cum cœlum et terra crearentur super faciem abyssi fuisse testatur. Talis mundi facies in principio priusquam formam reciperet aut dispositionem, per Scripturam significatur cum dicitur : *In principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua* (*Gen.* I) ; sive, ut alia translatio habet, « *incomposita,* » *et tenebræ erant super faciem abyssi* (*ibid.*). Per cœlum namque et terram, materiam illam omnium cœlestium terrestriumque, hoc loco significari puto, de qua postea succedenter in forma facta sunt quæ in ipsa prius per essentiam simul creata fuerunt. Ibi namque terra erat ipsum terræ elementum, et cœlum mobile erat illa et levis confusio reliquorum trium quæ in circuiti medio jacentis terræ suspensæ ferebatur ; et his duobus omnium corporum cœlestium sive terrestrium formandorum materia contine-

batur. Deinde sequitur Scriptura et dicit : Et tenebræ erant super faciem abyssi. Duo superius proposuerat ; videlicet cœlum et terram. Modo quædam alia duo subjungit scilicet tenebras et abyssum : alterum, id est abyssum in terra, alterum, id est tenebras in eo quod cœlum vocaverat, significans intelligendum. Propterea namque super faciem abyssi tenebræ erant ; quia abyssus subtus erat, et desuper caligo tenebrosa erat. Neque abyssus tenebræ erat, quia lumen futura non erat ; sed desuper faciem abyssi tenebrarum locus fuit in eo scilicet elemento unde lumen postea venire debuit. Neque enim nisi in lucis loco, tenebræ esse potuerunt ; propterea tenebræ erant super faciem abyssi. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas* (*Gen.* I). Subito aquas nominat, cum prius in rerum creatione de sola terra et cœlo mentionem fecisset. Sed non propterea aquas increatas esse credendum est, quia in creatione rerum aquarum nomen positum non est ; quia ipsum cœlum ipsæ sunt tenebræ, ipsæ et aquæ. Cœlum propter levitatem ; tenebræ propter lucis privationem ; aquæ propter motum et fluctuationem. Nam si abyssus in terra erat et tenebræ erant super faciem abyssi ; ergo tenebræ erant super terram . Sed quid erat super terram ? Duo in principio posita sunt cœlum et terra. Quid horum putas subtus, aut quod supra fuisse dicemus ? Aut terra supra et cœlum subtus ; aut terra subtus et cœlum supra ? Sed nunquid credendum est prima illa conditione rerum cœlum subter creatum fuisse ; et postea in formatione supra dispositum ? Fortassis quia prius Scriptura nominavit cœlum quam terram, propterea cœlum quasi fundamentum subtus creatum fuisse quis dicat. Ego aut non ordinis sed dignitatis causa sic positum reor ; et quia etiam sermo sequens de elemento terræ quasi de proximo (et ob hoc posterius nominato) habendus fuit, ideo et prius cœlum et postea terra nominari debuit. Sed neque ipsa conditorum natura alium positionis aut locationis ordinem pateretur, quam ut ponderosa deorsum, et sursum levia disponerentur. Ergo terra deorsum erat et cœlum sursum, et quod supra terram erat cœlum erat. Ergo cœlum supra terram erat. Et aquæ ubi erant ? sub cœlo an supra cœlum ? Neque sub cœlo, neque supra cœlum aquæ erant ; sed in cœlo aquæ erant, quia ipsum cœlum aquæ erant. Totum aquæ et totum cœlum ; quia idem aquæ et cœlum. Secunda die factum est firmamentum et vocatum est cœlum ; et positum est ut divideret inter aquas et aquas, et quæ prius aquæ erant factæ sunt aquæ, aquæ quæ sub cœlo et aquæ quæ super cœlum. Et factum est cœlum, cœlum et cœlum ; cœlum supra cœlum et sub cœlo cœlum. Usque hodie etiam cœlum est supra cœlum et sub cœlo cœlum, et totum ex uno cœlo et unum cœlum. Sed antequam fieret de illo cœlo hoc cœlum quod est vocatum firmamentum, non erat illud cœlum cœlum et cœlum, sed tantum cœlum. Nec illæ aquæ aquæ et aquæ ; sed tantum aquæ. Et

A aquæ et cœlum unum cœlum ; et illud cœlum et aquæ illæ, nec supra cœlum erant nec sub cœlo ; sed supra terram ; nihilque erat inter cœlum et terram ; quia nihil erat præter cœlum et terram. Et tamen aquæ erant, et tenebræ erant, et abyssus erat. Abyssus in terra ; tenebræ et aquæ in cœlo. Et tenebræ erant super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas. Ergo super omnia erat spiritus Dei ; quia omnia in potestate erant Dei, et in omnibus non arctabatur potestas Dei. Fortassis jam satis est (quantum ad propositum brevitatis pertinet) de his hactenus disputasse, si hoc solum adjecerimus quanto tempore mundus in hac confusione priusquam ejus dispositio inchoaretur perstiterit. Nam quod B illa prima rerum omnium materia, in principio temporis, vel potius cum ipso tempore exorta sit, constat ex eo quod dictum est : In principio creavit Deus cœlum et terram. Quamdiu autem in hac informitate sive confusione permanserit, Scriptura manifeste non ostendit. Mihi autem videtur (quantum ego conjicere valeo) inter creationem et dispositionem rerum, ordinem quidem temporis sed nullam fuisse moram interjectam ; ita ut vere quidem dici possit, hoc post illud factum fuisse ; sed inter hoc factum et illud nullam omnino dilationem intervenisse. Et ut breviter quidquid mihi inde sentiendum videtur absolvam ego arbitror in primo principio temporis, vel potius cum ipso principio temporis, hoc est quando C ipsum tempus cœpit, simul cœpisse et rerum visibilium omnium materiam, eodemque prorsus momento invisibilium in angelica natura essentiam ; utramque quodammodo in forma, et utramque quodammodo sine forma. Nam quemadmodum illa formandorum corporum materia quando primum creata est, et quamdam formam habuit in qua subsistere cœpit, et tamen informis erat, quia necdum disposita et ordinata fuit ; ita prorsus illa rationalis natura quando primum in spriritibus angelicis creata est, mox quidem per sapientiam et discretionem formata est ; sed quia illi summo et vero bono (in quo beatificanda erat) nondum se per conversionem amoris impresserat, quodammodo adhuc informis permanebat. Utraque ergo natura et corporea scilicet D per materiam, et incorporea per essentiam simul ad esse prodiit ; quia et in illa unde facta est et in ista quæ facta est uno eodemque momento temporis, in tempore pariter, et cum tempore esse cœpit. Nam spiritualis natura (cum simplex sit eique idem sit omnino esse quod est) materialiter prius quam personaliter fieri non habet, sicut corporea natura ; et propterea illa dum crearetur prius quidem per materiam ex qua facta est ad esse prodiit : hæc vero statim in ipsa qua subsistit vita simplici et essentia immortali indissolubilique primum accepit. Utraque tamen simul facta est ; altera, id est corporea in eo ex quo ipsa est ; altera vero, id est incorporea in eo quod ipsa est. Utraque formata, et utraque informis, sicut, dictum est.

Cap. VII. *De distinctione formationis.*

Et de illo quidem primæ conditionis statu priusquam in formam natura dispositionemque veniret, hæc dicta sufficere volumus. Deinde sequitur ut dispositionem ipsam qualiter perfecta sit ordine prosequamur. Sex diebus disposuit et ordinavit atque in formam redegit Deus cuncta quæ fecerat : Perfecitque opus suum die sexta. *Et* sic demum *die septima requievit* (*Gen.* II), id est cessavit ab opere. Prima die facta est lux ; secunda die,factum est firmamentum ; tertia die, congregatæ sunt aquæ ; quarta die, facta sunt luminaria ; quinta die, pisces et volucoes ; sexta die, bestiæ, jumenta, reptilia ; novissime (eadem tamen die) homo. Hoc primum in hoc loco lectorem admonere volumus, ut quoties in his operibus, videlicet sex dierum aliquid, fieri audierit, ut verbi gratia, cum dicitur, prima die facta est lux : secunda die, factum est firmamentum ; tertia die,congregatæ sunt aquæ;quarta die, facta sunt luminaria, non modo primum cum facta dicuntur, hæc de nihilo creata fuisse existimet ; sed potius de ipsa (quæ prius creata erat de nihilo) materia formata intelligat. Etiam si aliquando verbum creationis positum reperit, ut est ibi : *Creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem* (*Gen.* I); non ad materiam qua esse cœperunt, sed ad formam qua hoc quod sunt esse cœperunt, referendum esse sciat.

Cap. VIII. *De mysterio lucis ; quare primum facta est.*

Incipiens ergo Deus opera sua ut perficeret,primum fecit lucem,ut cætera omnia postmodum faceret in luce. Significavit enim nobis se non amare opera quæ in tenebris fiunt,quoniam mala sunt. *Quia omnis qui male agit odit lucem ; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, quia mala sunt. Qui autem facit veritatem venit ad lucem ; ut manifestentur opera sua, quia in Deo facta sunt (Joan.* III). Ipse ergo qui veritatem facturus fuit, in tenebris operari noluit ; sed venit ad lucem,et fecit lucem,ut se manifestaret per lucem. Non enim ideo fecit lucem ut ipse videret per lucem, sed ut opera sua manifestaret per lucem, quia in Deo facta sunt. *Et* ideo *vidit Deus cuncta quæ fecerat et erant valde bona (Gen.* I). Hoc mihi dicendum interim fuit pro reddenda ratione cur Deus primum lucem fecit.

Cap. IX. *Qualis eadem facta est lux, et ubi.*

Sed nunc superest ut rei gestæ veritatem diligentius prosequamur. Principium ergo divinorum operum fuit creatio lucis, quando ipsa lux non materialiter de nihilo creata est ; sed de præjacenti illa universitatis materia formaliter facta est ut lux esset, et vim ac proprietatem lucendi haberet. Hoc opus prima die factum est ; sed hujus operis materia ante primam diem creata est. Moxque cum ipsa luce dies cœpit; quia ante lucem nec nox fuit nec dies, etiamsi tempus fuit. Si autem quæritur qualis hæc lux fuit, corporea an A incorporea, et si corporea cujusmodi corpus habuit, et utrum uno loco circumscripta an ubique diffusa, utrum in motu an immobilis ; quantum ego arbitror rectissime respondetur, corporalibus rebus et visibilibus illuminandis, non nisi lucem corpoream congruere potuisse. Omne autem corpus quamtumlibet subtile et spirituali naturæ approximans, loco circumscribi necesse est. Rursumque nisi mobilis fuisset lux illa, nequaquam alterna vicissitudine diem ac noctem distinguere, nec temporis spatium ullatenus sine motu peragere valuisset. Secundum hanc itaque considerationem,convenientius puto ut credamus lucem illam in principio factam ad illuminanda corporea sine dubio cor- B poream fuisse, quale fortasse esse potuisset corpus aliquod lucidum, cujus præsentia cuncta illustrarentur, quemadmodum nunc in sole videri potest, ipsamque vice et loco solis factam, ut interim motu suo circumagitaretur,et noctem diemque discerneret.Cum qua (quia dies prima exorta est) ego crediderim magis illam quando facta est, ibidem primum apparuisse ubi sol quotidiano cursu circumvectus oriens emergit, ut eodem tramite circumcurrens, ac primo ad occasum descendens vesperam faceret, et deinde revocata ad ortum auroram, hoc est mane ante ortum sequentis diei illustraret. Et propterea quia primus dies auroram præcedentem non habuit, quoniam antequam lux crearetur plenæ tenebræ C fuerunt, mox autem luce apparente super terram plenus dies, propterea quod a perfecto opus Dei inchoari debuisset, ideo dixisse Scripturam : *Factum est vespere et mane dies unus* (*Gen.* I) Non enim dixit Factum est mane et vespere;sed: Factum est, inquit, vespere et mane dies unus. Quia, sicut diximus, primus dies mane præcedens non habuit, quoniam a luce plena atque perfecta initium sumpsit ; propterea omnis aurora præcedentis diei est, et dies ab ortu solis initium sumit. Estque dies naturalis illud spatium temporis quod ab ortu solis usque ad ortum pertransiens noctem in se diemque concludit ; in qua (quoniam naturaliter dies noctem præcedit) et finem diei vesperam dicimus, finem D noctis auroram, constat indubitanter quod aurora semper ad præcedentem diem referenda sit. Ergo illud primum momentum temporis quando creata est omnium visibilium invisibiliumque natura, nec nox fuit nec dies ; et tamen tempus fuit, quia mutabilitas fuit. Postea vero continuo luce facta divisæ sunt tenebræ et lux ; et tempus jam per diem et noctem distingui cœpit.

Cap. X. *Quod simul facta est lux visibilis et invisibilis ; et pariter divisa a tenebris.*

Et ut mihi videtur eodem prorsus temporis momento quo visibiliter et corporaliter divisa est lux a tenebris ; invisibiliter quoque boni angeli discreti sunt a malis illis in tenebras peccati cadentibus : et istis ad lucem justitiæ conversis illuminatisque a luce, ut lux essent et non tenebræ. Sic enim consonare debuerunt exemplaria

operum Dei, ut quæ visibilia erant opera sapientiæ, invisibilium proventus sequerentur, secundum quod ipsa quæ utrobique operabatur sapientia, ibi judicium exercuit, hic formavit exemplum. Divisa est lux ergo a tenebris ; et erat lux visibilis et visibiles tenebræ erant ; similiter et lux invisibilis erat, et tenebræ invisibiles erant ; et utrorumque divisio facta est ; et simul facta est divisio tenebrarum et lucis. Et vocata est lux dies et tenebræ nox. Utrumque quidem Deus divisit, et utrumque nominavit ; sed et utrumque non fecit. Deus enim auctor tenebrarum non est sed lucis ; quia peccatum est tenebræ et peccatum nihil est : *Et sine ipso nihil factum est* (*Joan.* III). Lux ab ipso facta est ; quia justitia et veritas lux est, et de luce audivimus quod dixit Deus : *Fiat lux* ; *et* statim *lux facta est* (*Gen.* I). Nusquam dixit Deus : Fiant tenebræ. Sed de luce dixit : *Fiat lux* : *et divisit lucem a tenebris* ; *et vocavit lucem diem, et tenebras noctem* (*ibid*). Ergo non fecit utrumque ; tamen utrumque divisit, et utrumque nominavit. Divisit per judicium ; et per meritum nominavit, judicavit et disposuit. Quia nec hoc apud eum judicantem inordinatum esse potuit, quod apud delinquentes inordinatum fuit, vocavit lucem diem, et tenebras noctem.

CAP. XI. *Quod tres dies lux illuminavit, et quare ante solem facta est.*

Ergo nemo dicat quomodo ante factum solem dies esse potuit ; quia antequam sol fieret lux erat : *Et vidit Deus lucem quod esset bonum et vocavit lucem diem, et tenebras noctem* (*Gen.* I) Et ipsa lux tres illos primos dies faciebat antequam sol fieret et illuminaret mundum. Sed quid significat quod non statim factus est sol ex quo lucem fieri oportuit, sed ut quasi lux esset priusquam clara lux ? Et fortassis confusio plena luce digna non erat ; aliquam tamen lucem accepit, ut videret exire ad ordinem et dispositionem.

CAP. XII. *Sacramentum divinorum operum*

Ego puto magnum hic aliquod sacramentum commendari ; quia omnis anima quandiu in peccato est, quasi in tenebris est quibusdam et confusione. Sed non potest evadere confusionem suam et ad ordinem justitiæ formamque disponi, nisi illuminetur primum videre mala sua, et discernere lucem a tenebris, hoc est virtutes a vitiis, ut se disponat ad ordinem et conformet veritati. Hoc igitur anima in confusione jacens sine luce facere non potest ; et propterea necesse est primum ut lux fiat, ut videat semetipsam, et agnoscat horrorem et turpitudinem confusionis suæ, et explicet se atque coaptet ad illam rationabilem dispositionem et ordinem veritatis. Postquam autem ordinata fuerint omnia ejus, et secundum exemplar rationis formamque sapientiæ disposita, tunc statim incipiet ei lucere sol justitiæ; quia sic in repromissione dictum est : *Beati mundo corde ; quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Prius ergo in rationali illo mundo cordis humani creatur lux, et illuminatur confusio ut in ordinem redigatur. Post hæc cum fuerint purificata interiora ejus, venit lumen solis clarum et illustrat eam. Non enim digna est contemplari lumen æternitatis, donec munda et purificata fuerit ; habent quodammodo et per materiam speciem, et per justitiam dispositionem.

Sic lex præcessit gratiam, sermo spiritum ; sic præcursor Joannes Christum ; lux lucem ; lucerna solem ; et ipse Christus humanitatem suam prius demonstravit, ut post manifestaret divinitatem, et ubique lux lucem præcedit. Lux quæ peccatores ad justitiam illuminat, illam lucem quæ justificatos ab beatitudinem illustrat. Ergo facta est lux priusquam solis claritas manifestaretur ; et dies erat ; et tres dies erant quando lux erat et sol non erat. Quarta die illuxit sol, et illa dies clara erat ; quia lumen verum habuit, et tenebræ non erant ullæ. Sic nulla anima meretur lumen solis accipere et summæ veritatis claritatem contemplari, nisi tres dies isti in ea præcedant. Prima quidem die fit lux, et dividuntur lux et tenebræ ; vocatur fitque lux dies, et tenebræ nox. Secunda die firmamentum, collocaturque inter aquas superiores et aquas inferiores ; et vocatur firmamentum cœlum. Tertia die congregantur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum ; jubeturque manifestari arida et vestiri graminibus suis. Omnia autem hæc spiritualia præferunt documenta. Primum in corde peccatoris creatur lux ; quando semetipsum agnoscere incipit, ut dividat inter lucem et tenebras, et appellare incipiat lucem diem et tenebras noctem ; et non sit jam de quibus dicitur : *Væ qui dicunt bonum malum, et malum bonum ; ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem* (*Isa.* V). Post hæc autem cum cœperit inter lucem et tenebras dividere, et lucem diem, tenebras quoque appellare noctem, id est cum mala sua veraciter per judicium rationis improbare, et quæ sunt bona et laudabilia lucis opera eligere cœperit, restat ut fiat in eo firmamentum, hoc est in bono proposito corroboretur : dividere inter aquas superiores et aquas inferiores, id est desideria carnis et spiritus, ut medius et mediator duo sibi adversantia nec permisceri sinat nec transponi ; nec simul sit quod dividi debeat, aut supra quod subter, aut subter quod supra collocandum est. Novissime sequitur in dispositionis ordine opus tertiæ diei, ut congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, ne carnis desideria fluxa sint, et ultra metam se necessitatis expandant, ut totus homo ad statum naturæ revocatus, et secundum ordinem rationis dispositus, in locum unum omne desiderium colligat, quatenus et caro spiritui, et spiritus subjectus sit Creatori. Quisquis sic ordinatus est dignus est lumine solis, ut mente sursum erecta et desiderio in superna defixo, lumen summæ veritatis contemplanti irradiet, et jam non *per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII), sed in seipsa ut est veritatem agnoscat et sapiat. Sed et illud non negligenter transeundum est, quod dicitur : *Vidit Deus lucem*

quod esset bonum, et divisit lucem a tenebris; et vocavit lucem diem, ac tenebras noctem (*Gen.* I). Fecit enim et vidit; deinde divisit et vocavit. Quare vidit? Noluit prius dividere quam vidisset, prius vidit an esset bonum; et tunc demum divisit lucem a tenebris; et vocavit lucem diem, et tenebras noctem. Adducet enim omne opus suum in judicium; et non solum opera alia quæ in luce fecit, vidit Deus quod esset bonum, sed ipsam quoque lucem vidit quod esset bonum et divisit lucem et tenebras. Nam ipse angelus malus transfigurat se aliquando in angelum lucis, et ingerit se ad decipiendam mentem quasi lux vera. Sed hæc lux non est dividenda a tenebris, nec vocanda est dies sed nox; quia speciem quidem lucis habet, sed tenebras veras. Propterea prius vidit Deus lucem an esset bona ut non statim *credamus omni spiritui; sed probemus spiritus si ex Deo sint* (*Joan.* IV); et cum viderimus lucem quia bona est, tunc demum dividamus lucem a tenebris, et vocemus lucem diem et tenebras noctem. Ergo non solum studendum est ut lux præcedat in operibus nostris, et ut in luce fiant opera nostra; sed ipsa quoque lux prius videnda est et consideranda diligenter; et sic postremo cum viderimus lucem quia bona est, dividamus lucem a tenebris, et vocemus lucem diem, et tenebras noctem.

CAP. XIII. *Quare dicit Scriptura: « Vidit Deus lucem. »*

Sed occurit fortassis quomodo *vidit Deus lucem quod esset bona et divisit lucem a tenebris et vocavit lucem diem, et tenebras noctem* (*Gen.* I). Nam si cætera opera sua in luce vidit quod essent bona, in qua luce vidit lucem quod esset bona et divisit lucem a tenebris vocavitque lucem diem et tenebras noctem? Nihil enim videri potest sine luce; sed nec tenebræ sine luce videntur, quanto magis lux non videtur sine luce? Quæ fuit ergo illa lux per quam Deus vidit lucem quod esset bona, et divisit lucem a tenebris? An per ipsam eam vidit quod esset bona, an per aliam lucem vidit quod esset bona? Sed quomodo per ipsam videre potuisset quod esset bona, si aliam lucem non habuisset per quam et in qua ipsam lucem vidisset quod esset bona? Nam, si vidit quod esset bona lux ista et vere vidit, in aliquo vidit de cujus bonitate dubitari non potuit. Ergo, alia lux increata, in qua ista lux creata videbatur quod esset bona; quia illam imitabatur quæ semper est bona. In illa enim luce cum ipsa solum sit bona, videntur et mala et bona; et non solum mala et bona in ea videntur, sed mala etiam esse mala, bona esse bona in ea videntur: propterea quod ipsa vere et summe est bona. Quod enim ab ipsa discordare videtur, malum esse videtur; et quod ei simile esse videtur, bonum esse videtur, et utrumque non nisi in ipsa et per ipsam videtur. Per lucem ergo probavit lucem: quia in luce incommutabili vidit quod lux ista commutabilis suo modo et ordine bona esset. Et divisit lucem a tenebris, vocavitque lucem diem, et tenebras noctem;

A et in ea luce in qua vidit lucem quod esset bona, etiam cætera opera sua quæ operatus est vidit quod essent bona, et nihil sine illa luce vidit, vel bonum vel malum; sive ex iis quæ ipse bona fecit, sive ex iis quæ nos fecimus mala, quæ omnia ipse non male sed bene vidit. Et ibi vidit ubi nullum malum vidit: hæc ipsa lux est qua et nos videre oportet omnem lucem an bona est; nec poterimus judicare vero de luce an bona est, donec ista luce illuminati fuerimus, quæ vere bona est: *Spiritualis enim dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II). Et si Spiritus Dei vere in nobis habitat, non nos poterunt decipere spiritus erroris, etiamsi in luce veniant ad nos; quia habebimus lucem in nobis, in qua nobis manifestum erit de
B omni luce utrum bona est; et sic fiducialiter dividemus lucem a tenebris, et judicabimus non solum inter tenebras et lucem, sed etiam inter lucem et lucem judicabimus; non solum inter noctem et diem, sed etiam inter diem et diem judicabimus, et judicabimus omnem diem. Parum est enim ad perfectum inter diem et noctem judicare, parum est lucem et tenebras dividere: hoc est virtutes a vitiis sequestrare, nisi sciamus etiam inter diem et diem judicare, et sciamus omnem diem judicare, ut sapiamus qui sint illi motus qui sub virtutum specie quasi luce aliena ad nos veniunt, et qui sursum illi sint, qui veram virtutis claritatem prætendunt; et in ipsis quoque virtutibus non solum quæ bona sint, sed etiam quæ sint potiora
C probemus. Spritualis enim judicabat omnia, et ipse a nemine judicatur; quia *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (*ibid.*); *et unctio ejus docet nos de omnibus* (*I Joan.* II).

CAP. XIV. *Quæ sit cautela boni operis hic significata.*

Hic tibi attende quanta sit cautela bono operi adhibenda. In principio omnium operum tuorum vide ut lucem habeas in te, ut omnia opera tua lucis sint et non tenebrarum. Postea considerata diligenter utrumne lux tua pura sit et non fuscata; et cum inveneris quia bona est, tunc demum divide eam a tenebris, et voca lucem diem, et tenebras noctem. Deinde reliqua opera tua quæ in luce feceris, vide si etiam ipsa bona sunt; et nullum omnino opus sine judicio pertranseat, donec agnoscas
D cuncta quæ fecisti. Ita geminum est judicium: primum in quo lux judicatur et videtur si bona est ut dividatur a tenebris, secundum est judicium quando opera ipsa quæ in luce facta sunt ad judicium vocantur, et videtur quia ipsa quoque bona sunt, et demunt requiescit Deus. Aliquæ quædam lucis mysteria interim pro tempore transcurrentes perstrinximus, nunc iterum ad propositi nostri seriem texendam revertamur.

CAP. XV. *Quid factum est de luce illa primaria post creatum solem; et an de seipsa sol substantialiter factus est.*

Igitur Deus prius lucem facere voluit ad illuminandum mundum antequam solem crearet ope vicaria præcurrentem, donec veniret quod perfectum est. Et sunt qui quærant quid de illa luce factum sit, propterea quod jam nulla ejus vestigia

reperiri possunt ex quo solis claritas illuxit. Alii dicunt dispersam per ampla aeris spatia vim lucendi et illuminandi amisisse; superesse tamen adhuc quasdam tenues reliquias quæ in ambitu firmamenti intrinsecus huc illucque sparsim diligentius intuentibus nocte demonstrentur; die vero eas majori ne videri valeant solis claritate abscondi. Sic quique suas opiniones prout possibile est confingunt. Sed quis scit utrum ipsa eadem lux postea in solis substantiam translata sit, et ampliata claritate formam meliorem acceperit, quemadmodum in nuptiis Jesus de aquis vinum fecit, ut reformationis statum in melius et restaurationis sacramentum demonstraret? Nam erat lux antequam sol factus est; hoc erat aqua priusquam in vinum mutata est, ut non aliud fieret quod potius exhibitum est; sed de eo ipso quod ante villius habebatur. Ita de rebus dubiis nemo est qui possit certum aliquid definire.

Cap. XVI. *Utrum Deus per sex dies sine intervallo operatus est, sive alio quolibet modo.*

Solum adhuc illud de operatione primæ diei inquirendum restat : si Deus lucem in primo exortu ejusdem diei, id est primæ creavit. Cum nihil eadem die aliud fecisse legatur quam lucem, utrumne usque ad ortum sequentis diei quando firmamentum fecit ab opere cessasse credendus sit, cum scriptura septima eum die demum requievisse testetur? Cui quæstioni gemina responsione obviabimus; aut enim dicemus Deum in illis sex diebus operationem suam ita continua perseverantia produxisse, ut nullo temporis intervallo ab operando desierit Aut ita sex diebus operatum, ut nullum quidem diem in operando intermiserit: non quod nullo temporis spatio operari cessaverit. Quia, siquidem illam assertionem probare volumus, quod continua fuerit ejus operatio dicere poterimus, quod prima die lucem in exortu ipsius diei fecit; deinde ut cursu suo diem noctemque distingueret; primum de oriente ad occasum, et rursum de occidente ad ortum direxit. Nec solummodo opus ejus fuisse quod lux facta est, sed quod directa, ipso gubernante et dirigente, cursum explevit. Eodem modo de secunda die dicetur, quando firmamentum factum est, et circumactionis perpetuæ præceptum simul et legem accedit. Hoc etiam de tertia, quarta, quinta, vel sexta die, prout ratio dictaverit exquiret, quisquis hujus partis assertionem elegerit. Si cui autem ista interpretatio nimis obscura videbitur, maxime quod de motu firmamenti necdum rata sit assertio, ad illam alteram quam proposuimus recurrat expositionem quæ facilior est et se promptius ad intelligendum commodat rationi. Dicet igitur Deum sex diebus operatum et septima deinde die requievisse ab opere; quia nullus de sex invenitur diebus in quo opus non fecerit Deus, donec septima dies veniret quando deinde ab omni opere requievit. Et hæc quidem de operatione primæ diei dicta sint.

A Cap. XVII. *De opere secundæ diei quando factum est firmamentum.*

Et vidit Deus quod esset bonum; et ait : Fiat firmamentum in medio aquarum (*Gen.* I). Noluit igitur Deus ad sequens opus transire, donec dijudicaset primum. Cum ergo vidisset de luce quod esse bonum, tunc ait : Fiat firmamentum. Quantum ad litteram pertinere videtur, factum est firmamentum die secunda; prius quidem in illa universitatis materia de nihilo creatum, et nunc ex illa ipsa ad talem formam erutum et factum firmamentum ut ambitu suo medium quodam modo interveniens magnam illam aquarum immensamque congeriem ab invicem separaret atque devideret, et de aquis faceret aquas et aquas; hoc
B est aquas quas ambitu suo intrinsecus complecteretur et subtus se contineret et aquas quas extrinsecus et supra gyrum limitis sui relinqueret.

Cap. XVIII. *De qua materia factum sit firmamentum, et quale factum sit.*

Multa quidem sunt quæ de firmamenti natura animum quæstione pulsare posset, si hæc humana investigatio relinquenda potius quam discutienda non videret. Nam utrum ex puro igne factum sit, sive ex aere; aut etiam ex aqua; vel postremo ex duobus aut tribus horum commistis, et an substantiam solidam naturaque palpabilem habeat, quantave credenda spissitudo ejus, et utrum ipsum calidum an frigidum; aut cujus alterius qualitatis existat merito quæreretur : si inde aliquid certum
C sciri potuisset. Nunc autem in quæstionibus harum rerum non mihi multum laborandum videtur, quas nec ratio ulla comprehendit nec auctoritas (cui fides adhibenda sit) probat. Solum hoc quod legimus credere sine dubitatione debemus, quod factum est firmamentum ut divideret aquas ab aquis; hoc est ut partem aquarum intra ambitum suum concluderet, partemque extrinsecus segregaret.

Cap. XIX. *Sacramentum supradictorum.*

Quare autem factum sit ut firmamentum aquas a se divideret, partimque supra atque infra, partim earumdem aquarum natura consisteret, non quærat extra se, qui hæc propter se facta credit. Nam est illo qui interius fabricatus est mundo, quiddam
D hujus operis formam et exemplar habens, ubi terra quædam deorsum posita consistit sensualis natura hominis; cœlum autem sursum puritas intelligentiæ, et quasi quodam immortalis vitæ motu vegetata ratio. Duas vero istas tam dissimiles in uno homine naturas, magna quædam desideriorum moles hinc inde fluctuantium, et in contraria sæpe motu alterno tendentium oberrat; quia et aliud est quod subtus caro ex infirmitate pressa appetit, et aliud quod spiritus sursum per contemplationem veritatis elevatus intendit. Sed fit aliquoties ut contrarii motus confusionem gignant; nisi ratio media interveniens dividat ab invicem, et discernat voluntates et appetitus, desideriaque dijudicet. Quid sit videlicet quod ex carne deorsum trahit; quid quod ex spiritu in superna inhiat, summum illud et immortale bonum ambiens.

Nam, cum ipsa ratio fortiter judicii censura quasi A firmamentum quoddam in medio sese collocat, atque hinc supercœlestes aquas, illinc autem eas quæ sub cœlo sunt disponit separatim, non potest inferior corruptela inferiorem animæ puritatem inficere; neque ipsa quæ sursum est sinceritas, ad ea quæ subter sunt abjecta et vilia sinitur sese inclinare.

CAP. XX. *Quare non dicitur Deus vidisse opus secundæ diei, quod bonum esset.*

Sed mirum est quare non vidit Deus opus secundæ diei quod esset bonum, sicut in cæteris omnibus diebus vidisse legitur et vidit Deus quod esset bonum. Aut enim opus ejus non fuit et bonum non fuit, aut si opus ejus fuit, bonum fuit. Si autem bonum fuit et opus ejus fuit, vidit utique B quod bonum fuit qui non potuit ignorare quod fuit, sive bonum sive malum fuit. Quare ergo hic non dictomest : Vidit Deus quod esset bonum, sicut alibi ubique dictum est : *Vidit Deus quod esset bonum* (*Gen* I). Nam si ideo alibi dictum est quia factum est, cur etiam hic dici non debuit si factum fuit? Fortassis quia binarius signum divisionis est, qui primus ab unitate discedit : sacramentum aliquod hic commendatur. Et non sunt laudata opera secunda, non quia bona non essent, sed quia malorum signum essent. Prima enim opera fecit Deus et illa *omnia bona valde erant* (*ibid.*); quibus neque inerat corruptio, neque deerat perfectio. Sed venit deinde diabolus et homo, et fecerunt ipsi opera sua; et hæc erant C opera secunda post prima, mala post bona; et noluit Deus videre opera ista quia mala erant, sed quæ per sapientiam vidit, per judicium improbavit.

CAP. XXI. *Quomodo congregatæ sunt aquæ in unum locum, ut arida appareret.*

Et dixit Deus : Congregentur aquæquæ sub cœlo sunt in locum unum (Gen. I). Quantum ad litteram spectat, locus unus, in quo congregatæ sunt aquæ quæ sub cœlo erant, abyssus magna creditur, quæ ab ipso mundi exordio in terræ corpore tantæ capacitatis facta fuisse putatur, ut omnium receptaculum aquarum esse potuisset. Nam aquarum natura in principio tenuis admodum levisque, et in modum nebulæ cujusdam dispersa; postquam divina virtute et jussione in D unam, ut ita dixerim, massam compingi quodammodo atque densari cœpit, ipso suo pondere deorsum vergens in ima collapsa a terra excepta est, spatiumque illud quod desuper usque ad ipsum firmamentum occupaverat, serenum purumque dereliquit. Ipsa quoque terræ superficies (aquis omnibus inter alveos suos conclusis) apparere cœpit. Primo quidem lutulenta et lubrica nudaque, velut quæ germina necdum ulla protulisset, quibus vestiri et superduci potuisset.

CAP. XXII. *Quomodo terra germina produxit.*

Dixit ergo Deus ut produceret terra herbam viventem et facientem semen, lignumque pomiferum faciens fructum in genere suo, cujus semen in semetipso esset super terram : et factum est ita (Gen. I). Deinde ad irrigandam universam terram ab illa magna abysso quasi a fonte quodam aquæ interius quidem intra viscera telluris per trachones occultos que meatus, desuper vero in superficie per alveos suos in omnes partes deductæ sunt, itu et reditu mirabili et indefesso, lege perpetua, ad unum locum.

CAP. XXIII. *Quare aquæ illæ quæ supra cœlum sunt non dicit Scriptura quod sint congregatæ in unum locum.*

De illis aquis quæ supra cœlum sunt non dixit Scriptura quod congregatæ sunt in locum unum; quemadmodum de illis quæ erant sub cœlo. Magna sunt in his omnibus sacramenta, nec explicabilia præsenti abbreviatione, quod aquæ quæ sub cœlo sunt congregantur in unum locum, quod apparet arida et germina producit, simulque ipsa aeris spatia contracta tandem caligine serenantur, et aquarum tractus ad irrigandam atque infundendam terram per corpus illius quacunque sparguntur; et nihil sine causa factum est. Hoc mirum videtur, quod aquæ quæ sub cœlo sunt congregantur in locum unum, et illæ quæ sunt supra cœlum non congregantur neque eis locus unus tribuitur, sed relinquuntur diffusæ atque expansæ, quasi aquæ coarctari nolint vel colligi. Quid putas hoc sibi vult nisi quod *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis?* (*Rom.* V). Et istæ sunt super cœlestes aquæ; quia *adhuc excellentiorem*, inquit Apostolus, *viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII). *Si lingua hominum loquar et angelorum; si habuero omnem prophetiam; si novero mysteria omnia,* quid est? *nihil prodest si charitatem non habeam* (*I Cor.* XIII). *Pax*, ait, *Dei quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras* (*Philipp.* IV). Jam quodammodo videmus quare aquæ illæ quæ supra cœlum sunt non debuerunt colligi et in unum coarctari, quoniam charitas amplificanda semper est et dilatanda; et quanto latius panditur tanto celsius sublimatur. Quæ autem sub cœlo sunt aquæ, congregandæ sunt et constringendæ in locum unum, ut inde per certos tramites et exitus ordinatos, quacunque deducantur. Quoniam affectus animæ inferior nisi certa lege constringatur, non potest apparere arida, nec germina producere, sicut Apostolus : Castigat *corpus* suum *et in servi utem* religit, *ne forte cum aliis* prædicaverit, *ipse reprobus* fiat *(I Cor.* IX).

CAP. XXIV. *Quod iis tribus diebus facta est rerum dispositio.*

Ecce ista sunt trium dierum opera, antequam sol vel cætera luminaria facta fuissent. In his primis tribus diebus disposita est universitatis hujus machina et partibus suis distributa firmamento desuper expanso. Deinde terra revelata atque in imo residente et suo pondere librata, collectisque aquarum molibus intra receptacula sua aere serenato : quatuor mundi elemenda locis suis distincta et ordinata sunt.

—

Cap. XXV. *Quomodo tribus diebus sequentibus ornatus est mundus.*

Deinde sequebatur ornatus eorum, et hoc tribus sequentibus item diebus factum est. Quarto (qui fuit primus in tribus) ornatum est firmamentum sole et luna et stellis. Quinto die (qui fuit secundus in tribus) aer in volatilibus, et aquæ in piscibus ornamenta acceperunt. Sexto die (qui fuit tertius in tribus) accepit terra bestias et jumenta et reptilia cæteraque animantia quæ moventur in terra. Homo autem novissimo die factus est de terra et in terra, non tamen ad terram, neque propter terram, sed ad cœlum; et propter eum qui fecit terram et cœlum (*Gen.* I). Ergo factus est homo non quasi ornatus terræ, sed dominus et possessor, ut non ad terram referatur conditio B ejus propter quem facta est terra.

Cap. XXVI. *Utrum de ipsis elementis facta sunt quæ ad ornatum illorum facta sunt.*

De ornatibus elementorum si interroget quis, utrumnam credendum sit ex ipsis ea quæque elementis esse condita ad quorum decorem vel pulchritudinem facta probantur, ut verbi gratia : quæ ad ornatum terræ facta sunt, non nisi de terra sumi potuerunt; hoc et si in aliis verum concedimus, non tamen in elemento aeris ullo modo probare valemus, cum manifeste volatilia legamus accepisse et ab aquis originem et in aere mansionem. Quod quare factum sit ut non (ad similitudinem aliorum quæ ad ornatum elementorum mundi creata sunt) ex ipso elemento materiam sumerent in quo locum sortiri debuerunt, forte quis ab ipsius elementi materiam referat : quod quasi tantam aer corpulentiam non habuerit, ut animantium corpora quæ soidam materiam requirunt ex eo conderentur. Aquarum autem naturam magis terræ affinem plusque corpulentiæ habentem, ac per hoc formandis corporibus aptiorem. Sed altior in his rebus sacramenti virtus objecta est.

Cap. XXVII. *Sacramentum quare pisces et aves de una materia facti sunt ; et in una sede dispositi non sunt.*

Duo sunt genera animantium quæ ex una origine prodeunt; sed non unam mansionem sortiuntur. Pisces in originali sede permanent. Volatilia D sursum tolluntur, et fiunt quasi supra id quod facta sunt. Sic de una massa corruptibilis naturæ, et sua mutabilitate defluentis universa generis humani propago trahitur, sed aliis deorsum in ea qua nati sunt corruptione juste derelictis; aliis sursum dono gratiæ ad sortem cœlestis patriæ elevatis, judicii servatur æquitas.

Cap. XXVIII. *Quare opera conditionis prius commemorantur; deinde opera restaurationis.*

Perquam multa sunt alia quæ de his diebus mystica dici potuerunt. Sed nos quasi extra materiam nostram cursim ista perstrinximus, ut ad eamdem materiam tractandam quasi ex præcedenti accessum convenientiorem haberemus. Nos siquidem propositum habemus de sacramento re- A demptionis humanæ (quod a principio in operibus restaurationis formatum est) quantum Dominus dederit in hoc opere tractare. Sed quia opera conditionis tempore priora fuerunt, ab his exordium sermonis sumpsimus, ut inde ad reliqua quæ sequuntur suo ordine viam faceremus. Dicimus namque opera conditionis creationem universorum, quando facta sunt ut essent quæ non erant; opera vero restaurationis quibus impletum est vel figuratum est sacramentum redemptionis quo reparata sunt quæ perierant. Ergo opera conditionis sunt quæ in principio mundi sex diebus facta sunt ; opera vero restaurationis quæ a principio mundi propter reparationem hominis sex ætatibus fiunt ; quæ ut brevi definitione stringamus, opera restaurationis esse dicimus incarnationem Verbi, et quæ in carne et per carnem gessit Verbum cum omnibus sacramentis suis; sive iis quæ ab initio mundi ad ipsam incarnationem figurandam præcesserunt, sive iis quæ usque in finem sæculi ad ipsam annuntiandam et prædicandam subsequuntur. De his loquitur omnis divina Scriptura, et de his et pro his facta est omnis divina Scriptura ; quia, quemadmodum libri gentilium opera conditionis investigant, et tractant, sic divina eloquia ad opera restaurationis tractanda et commendanda maxime operamdant.

Cap. XXIX. *Quod in operibus restaurationis maxime versatur tractatio.*

Ergo in operibus restaurationis a principio re- C demptionis mysterium investigandum est; et si hoc diligenter in his omnibus secundum seriem temporum et successiones generationum ac dispositionem præceptorum inquirinus, summan totam divinarum Scripturarum fidenter nos attigisse pronuntiamus. Hoc autem incipiendum est a conditione primi parentis ; et cernendum paulatim progredientibus nobis semper ad ea quæ ordine subsequuntur. Sed breviter in clausula ipsa supradicta colligimus, ad intelligentiam dicendorum comparandam. Opera ergo conditionis, id est mundus iste sensibilis cum omnibus elementis suis in materia quidem ante omnem diem in tempore pariter et cum tempore facta sunt; postea sex diebus in formam disposita : tribus primis diebus ordinata, et sequentibus tribus ornata. Novissime sexta die factus est homo Adam et Eva, propter quem facta sunt cætera omnia ; et ipse in paradiso collocatus est : primo mansurus ibi et operaturus ut post opus consummatum et obedientiam impletam exinde illuc proveheretur ubi erat semper mansurus. Sed, quia sequentis operis seriem, a conditione primi hominis deducere instituimus, justum est ut in ipsius exordio libri, primum causam conditionis humanæ investigemus, ut simul demonstretur et primum rationabiliter a Deo conditus, et postmodum misericorditer reparatus. Ibi quoquedum conderetur gratuito factum opus rationabile; et hic dum redimeretur rationabiliter impletum opus gratiæ.

—

Cap. XXX. *Quatuor esse per quæ sermo subsequens decurrit.*

Quatuor igitur sunt per quæ sermo subsequens ordine decurrere debet, id est, primum quare A creatus sit homo; deinde qualis creatus sit; deinde qualiter lapsus sit; postremo autem qualiter sit reparatus.

PARS SECUNDA.

DE CAUSA CREATIONIS HOMINIS, ET DE CAUSIS PRIMORDIALIBUS RERUM OMNIUM.

[Cap. I] In principio operis, quod vestra instantia B magis quam alacritate propria aggressus sum, mundi hujus sensibilis originem et dispositionem, quam brevissimo potui sermone et qui maxime, ut propositum nobis fuerat introducendis conveniat, explicui; nunc vero consequens est ut creationem hominis (propter quem mundus ipse factus est) sermone prosequamur eo sane ordine loquendo incedentes quem Creator ipse rerum demonstravit operando. Prius siquidem opifex Deus mundum fecit: ac deinde hominem possessorem et dominum mundi, ut cæteris omnibus jure conditionis dominaretur homo, ipsi a quo factus fuerat soli voluntaria libertate subjectus. Unde constat creationem hominis, rerum omnium visibilium conditione posteriorem quidem tempore, C sed causa priorem fuisse: quia qui factus est post omnia, propter eum omnia facta sunt. Causa ergo conditionis humanæ ante omnia est: et ipsam investigare oportet supra omnia et ante omnia quæ tempore orta sunt, et ante tempora ordinata sunt. Si enim omnia Deus fecit propter hominem, causa omnium homo est; et causaliter homo prior omnibus est, ipsum vero propter quod homo factus est prius homine est; et multo ante omnia quibus homo causaliter prior est. Id autem propter quod factus est homo, quid aliud erit nisi ipse a quo factus est homo? Si ergo causa mundi homo est, quia propter hominem factus est mundus et causa hominis Deus est, quia propter Deum factus est homo; ergo Deus erat et D mundus non erat, neque homo erat; et factus est propter Deum homo qui non erat et mundus propter hominem qui necdum erat; et quasi eadem causa videbatur quod factus est homo propter Deum et quod propter hominem mundus factus est. Nam et homo factus est ut Deo serviret ‹homini› propter quem factus est; et mundus factus est ut serviret homini propter quem factus est. Et quasi idem erat et idem non erat; quia idem non erat propter quos erat. Deus perfectus erat et plenus bono consummato; neque opus habuit aliunde juvari, quoniam nec minui potuit æternus, nec immensus augeri. Homo vero natura egens erat alieni auxilii, quo vel conservaret quod mutabile acceperat, vel augeret quod non consummatum habebat. Ita positus est in medio homo, ut et ei serviretur et ipse serviret, et acciperet utrinque ipse, et totum sibi vindicaret; et reflueret totum ad bonum hominis, et quod accepit obsequium et quod impendit. Voluit enim Deus ut ab homine sibi serviretur: sic tamen ut ea servitute non Deus sed homo ipse serviens juvaretur, et voluit ut mundus serviret homini[1], et exinde similiter juvaretur homo, et totum hominis esset, bonum, quia propter hominem totum hoc factum est. Ergo totum bonum hominis erat: videlicet et quod factum est propter ipsum, et propter quod factus est ipse. Sed aliud bonum deorsum erat et de subtus sumebatur ad necessitatem, aliud bonum sursum erat, et desuper sumebatur ad felicitatem. Bonum quippe illud quod in creatura positum erat, bonum erat necessitatis: quod vero in Creatore erat bonum, bonum erat felicitatis. Et utrumque ad hominem ferebatur quia utrumque homini debebatur; quia propter alterum factus est homo ut illud possideret et frueretur; alterum propter hominem factum est ut illud acciperet et juvaretur. In tantum ergo rationalis creturæ conditio cæteris omnibus quæ propter ipsam facta sunt excellentior esse probatur, quod omnium causa ipsa est. Causa vero ejus alia nulla est, nisi ipse a quo ipsa est. Sicut enim ab ipsa est, ut aliquid esset; sic propter ipsum est, ut beate esset; alterum sumens ab ipso, hoc est quod esset; alterum in ipso, hoc est quod beate esset. Sed dicet aliquis: Quare Deus creaturam fecit si juvari ipse non potuit per creaturam? qui alteri fecit quod sibi non fecit quando alter nemo erat nisi ipse qui fecit. Quasi enim pro nihilo factum esse videtur et causam non habuisse, ut fieret quod ita factum est: ut inde nec juvaretur ille qui fecit quia perfectus non eguit; nec alter inde juvaretur, quia præter ipsum qui juvari posset alter non fuit. Et hoc fortassis diligentius consideratum aliquem movere possit: propterea causam conditionis rationalium quam in solo rerum auctore constituimus, non solum pro hominibus de quibus sermo propositus erat, verum etiam pro angelis; quoniam et ipsi sicut ejusdem naturæ participes sunt, ita quoque ab eodem fonte originis causam trahunt: generali quadam consideratione investigare oportet; quoniam in ipsa principium consistit universorum quæ facta sunt.

Cap. II. *De causis primordialibus et effectibus earum.*

Rerum omnium ordo dispositioque a summo D usque ad imum, in universitatis hujus compage ita sese causis quibusdam rationumque genituris prosequitur, ut omnium quæ sunt, nihil inconnexum aut separabile natura externumque inveniatur. Quæcunque enim sunt rerum omnium, aut causæ inveniuntur subsequentium effectuum

esse, aut effectus præcedentium causarum. Et rerum quidem aliæ causæ tantum sunt, non etiam effectus : sicut prima omnium causa. Aliæ effectus tantum, non etiam causæ ; sicut ultima et postrema universorum. Aliæ autem et causæ sunt ad posteriora quæ generant ; et ad priora a quibus generantur effectus ; et sicut his quæ ultima sunt et effectus tantum priorum nihil posterius cernitur ; sic quidem iis quæ prima sunt et causæ tantum subsequentium, nihil prius invenitur. De mediis autem quæcunque priora sunt, magis causæ nominantur, et minus effectus. Quæcunque vero posteriora sunt, magis sunt effectus ; et minus causæ, et prima causalissima. Et quæ prima sunt post prima, primi sunt effectus ; et quæ ultima sunt ante ultima, causæ ultimæ, et ultima generata, et prima generantia. Primæ autem causæ aliæ creatæ sunt et quæ sunt in suo genere primæ, aliæ increatæ et quæ universaliter primæ sunt. Quæ enim in suo genere primæ sunt, ad aliquid primæ sunt ; sed universaliter primæ non sunt ; quoniam etsi præcedunt quæ subsequntur omnia, habent tamen et ipsæ aliquid quo posteriores inveniantur, quoniam non præcedunt omnia. In hac enim universitate rerum omnium, ita cunctis causaliter cohærentibus aliquid primum invenitur, ut ex his omnibus nihil prius esse possit, quoniam ipsum ex omnibus primum est omnium ; et tamen ipso aliquid prius esse necesse est, quoniam ex omnibus est quibus universaliter aliquid prius est. His vero causis quæ universaliter primæ sunt, nihil prius est ; quoniam ipsæ primæ sunt omnium, nec habent alias causas ipsæ priores ; quoniam omnium causæ ipsæ sunt.

Cap. III. *De generatione causarum primordialum.*

Hæc autem sine motu efficiunt et generant sine traductione ; quoniam æternitas nec in suo statu deseruit tempora ordinans neque ex suo substantiam ministravit corruptibilia creans sed manens quod erat, fecit quod non erat, in se continens potestatem faciendi, non sumens ex se materiam facti. Neque enim degeneravit inferiora condens ut natura in ipsa descenderet, quibus dedit initium ; quoniam et hoc ipsum omnipotentiæ ejus natura continebat sine natura naturam creare, qua initium sumerent quæ non erant, quoniam opus et factor natura idem esse non poterunt. Sicut ergo in faciendis se non minuit æternitas ; sic in factis se non auxit immensitas. Sed ante facta sine defectu plena consistit ; et post facta sine motu indeficiens permansit. Nihil novum assumens , nihil antiquum amittens ; totum dans et nihil abjiciens. Hæc prima causa rerum omnium secundum se et propter se operata est opus suum ; secundum se, quoniam extrinsecus operis sui formam non accepit ; propter se, quoniam aliunde causam operandi non habuit. Fecit enim ad similitudinem suam, quod disponebat ad participationem sui, ut ex ipsa eadem formam traheret, quod cum ipsa idem bonum possidere debuisset.

A Cap. IV. *Quæ sit prima causa conditionis rationalium.*

Hinc ergo primam causam sumpsit creaturæ rationalis conditio, quod voluit Deus æterna bonitate suæ beatitudinis participes fieri quam vidit et communicari posse, et minui omnino non posse. Illud itaque bonum quod ipse erat et quo ipse beatus erat, bonitate sola non necessitate trahebatur ad communicandum. Quoniam et optimi erat prodesse velle, et potentissimi noceri non posse.

Cap. V. *Quod divinæ voluntati et bonitas adfuit et potestas.*

Divina enim voluntas sola bonitate perfecta non fuisset, nisi pariter adfuisset potestas ; quoniam id quod bonitate præeunte voluit, potestate subsequente adimplevit. In prædestinatione itaque (B) creandorum operata est bonitas : in creatione autem prædestinatorum operata est potestas, in beatificatione vero creatorum potestas simul et bonitas.

Cap. VI. *De tribus perfectis et perficientibus omnia.*

Erant enim tria quædam, et hæc tria erant unum : et æterna erant tria hæc ; et nihil perfectum esse poterat sine his tribus, et cum his nihil diminutum. Constabat enim ut si adessent tria hæc, nihil perfectum deesset ; et si deesset de his tribus unum, aliquid consummatum esse non posset. Et hæc tria erant potentia, sapientia, voluntas : et ad omnem effectum concurrunt tria hæc, nec aliquid absolvitur nisi ista adfuerint. Voluntas movet, scientia disponit, potestas operatur. (C) Et si horum discretionem proponas non est posse illud quod scire neque scire illud quod velle ; et tamen Deo unum sunt posse, scire et velle. Et discernit illa ratio, et natura non dividit ; et venit nobis Trinitas indivisa quæ totum continet ; et sine ipsa totum est nihil. Quidquid de Deo vere dicitur, aut pie credi potest in Deo, hæc tria continent ; potestas, sapientia et bonitas. Et plena sunt hæc tria pariter.

Si immensum nominas, si incorruptum dicis, si æternum, si incommutabilem, et quæcunque horum similia : totum hoc potestatis est. Si scientem appellas, si providum, si inspectorem, si scrutantem et considerantem, et discernentem : totum hoc sapientiæ est. Si mitem, si mansuetum, si (D) compatientem et benignum, vel quæcunque hujusmodi similia sunt vocas : totum hoc bonitatis est. Et nihil est quod in istis non est ; et quod in istis est, plenum est et consummatum totum. Propterea tria hæc specialiter discreta sunt ; et suscepit fides catholica Trinitatem, quam nec numero augeri voluit, ne extra tria aliquid confiteri videretur ; nec natura confundere, ne trium aliquid negare convinceretur. Et invenit in Deo tria esse ; et in Deo tria esse. Nec propterea tria non esse, quia unum erant. Neque unum non esse, propterea quod tria erant : et tribus admonita, dixit tres personas tria ; quia naturaliter Deus erant, et una substantia, et ideo unus Deus ; et assignavit potestatem Patri, sapientiam Filio, bonitatem Spiritui sancto ; et confessa est Trinitatem Patrem et Filium et Spiritum sanctum.

Cap. VII. *Quod tria hæc de Deo secundum substantiam dicuntur.*

Et videbatur Filius quasi non de suo potens. Quia potentia Patris erat, neque Pater de suo sapiens, quia sapientia Filii erat; neque Pater vel Filius de suo bonus, quia Spiritus sancti bonitas erat; et si hoc diceretur scandalum patiebatur veritas, et unitas scissionem; nec poterat in tribus perfectus dici unus, cui proprium deesset aliquid, quod alter singulare haberet. Propterea potentia Patris erat, et Filii erat, et Spiritu santi erat; et substantialiter erat, et æqualiter erat. Et sapientia Filii erat, et Patris erat, et Spiritus sancti erat; et substantialiter erat, et æqualiter. Et bonitas Spiritus sancti erat, et Patris erat, et Filii erat; et substantialiter erat, et æqualiter erat, et tamen causa erat, ut personaliter distingueretur quod substantialiter idem erat.

Cap. VIII. *Quare hæc tria cum secundum substantiam dicuntur quasi propria in quibusdam locis personis attributa inveniuntur.*

Neque his tribus secundum proprietatem fides personas significavit, quia secundum substantiam erant; sed hæc tria secundum necessariam notionem personis assignavit ut assereret quod secundum communionem naturæ erant. Nominandus erat in Trinitate Pater et Filius; et sumpta sunt vocabula ipsa ab usu humano, cui primo data sunt. Et quod secundum aliquid tantum simile erat, in toto similiter dicendum erat. Et cavit prudentia eloquii sacri ne plena similitudo crederetur inter disparia, si in deitate Pater prior aut Filius posterior diceretur. Sic enim se in hominibus natura habet ut Pater esse non possit, qui non Filio fuerit prior; neque Filius qui Patre posterior non sit; ideo Patri potentia assignata est, et sapientia Filio; non quia magis erat, sed quia minus esse credi poterat. Dixerat enim Scriptura sancta quod Deus Pater est; et audivit hoc homo, qui hominem Patrem viderat, Deum Patrem non viderat; et cogitare cœpit secundum hominem quem viderat ævum quoddam prolixum et multitudinem annorum præteritorum et senectutis defectum; et occurit Scriptura et dixit Patrem potentem ne crederes impotentem aut minus potentem; nec solum potentem, sed etiam omnipotentem. Non ergo quia solus hoc est Pater, solus hoc esse dicebatur; sed quia minus hoc esse solus Pater putabatur. Rursum cum diceret Scriptura Filium Deum, ne putaret homo qui humana noverat, divina non noverat, minorationem quamdam sensus et intelligentiæ esse in Filio, quasi adhuc infra perfectionem ætatis consummatæ, addidit sapientem; non quia singulariter hoc ipse erat quod esse commune omnibus erat; sed quia singulariter ipse erat de quo magis an hoc esset dubitari poterat. Vocatus est etiam Spiritus Deus et dictus est Spiritum habere Deus; et videbatur hoc quasi nomen inflationis et tumoris; et consternebatur conscientia humana ad Deum pro rigore et crudelitate; et subsecuta est Scriptura, et temperavit dictum suum

A Spiritum benignum nominans, ne crudelis putaretur qui mitis erat; et distincta sunt personaliter quæ substantialiter communia erant, ut humana mens divinorum veritatem non secundum humana æstimare diceret, cum contra consuetudinem humanam quædam de Deo dici audiret. Deus ergo Trinitas trina hac virtute omnia opera sua consummavit, ut perfectum perfecta sequerentur, et æmularentur auctorem suum cuncta quæ fecerat. Quidquid enim in tempore apparuit, ante tempora in æternitate dispositum fuit; et ipsa dispositio æterna, coæternam habuit causam omnium rerum voluntatem Creatoris, qua factum est ut fieret quidquid factum est, et ipsa facta non est.

B Cap. IX. *Quod sapientia Dei cum et una sit in se, secundum nos diversa nomina sortitur.*

Divina autem sapientia et scientia vocatur, et præscientia, et dispositio, et prædestinatio, et providentia. Scientia existentium, præscientia futurorum, dispositio faciendorum, prædestinatio salvandorum, providentia subjectorum. Et totum hoc una erat sapientia, et una dispositio, et ipsa æterna erat; et cum ipsa coæterna voluntas erat, et secundum voluntatem ipsa dispositio erat et tamen voluntate posterior non erat.

Cap. X. *Quod voluntas Dei æterna fuit de opere temporali.*

Secundum voluntatem quippe disposuit quod voluntate facturus fuit; et voluntas æterna C fuit, et opus voluntatis æternum non fuit. Semper enim voluit ut faceret, et non voluit ut semper faceret; sed ut aliquando faceret, quod semper voluit ut aliquando faceret. Sic voluntas æterna fuit de opere temporali; quoniam et ipsum tempus in æterna voluntate fuit, quando fieret quod futurum fuit. Duo itaque hæc in Creatore pariter erant bonitas et sapientia, et hæc æterna erant; et aderat simul potestas coæterna, et bonitate voluit, sapientia disposuit, potestate fecit. Et videtur quasi quædam esse distinctio et successio temporalis; et demonstrat se considerationi prima bonitas, quia per eam voluit Deus, deinde sapientia, quia per eam disposuit, novissima potestas quia per eam fecit; quoniam ordo D videtur esse, et fuisse voluntas prima, et post eam dispositio, et novissime operatio subsecuta. Nisi enim voluisset non disposuisset, et si non disposuisset, non fecisset. Et occurit magna ratio, quia semper in hominibus præcedit voluntas consilium, et consilium opus subsequitur. Sed quid facimus? Nunquid audebimus inducere tempora in æternitatem? Nam si hæc in Deo sunt quemadmodum in hominibus, aliquid in eo prius fuit, aliquid posterius; et non totus Deus Deus æternus est. Sed hoc nefas est confideri.

Cap. XI. *Quod tria in Deo coæterna fuerunt.*

Itaque æterna bonitate semper voluit, et æterna sapientia semper disposuit, quod coæterna potestate aliquando facit. Et erant simul semper bonitas, sapientia, et potestas; nec dividi vel separari ab invicem tempore poterant quæ subs-

tantialiter idem erant, et ab his formam dedit A operi suo artifex Deus, quibus consummata sunt omnia ab ævo inchoationis, et æternitatis principio ordinata.

Cap. XII. *Quod tria visibilia mundi, tria invisibilia Dei demonstrant.*

Et inventa est in tribus his Trinitas ineffabilis quæ in Creatore quidem unum sunt, sed per creaturæ speciem divisim se ad cognitionem effundunt. Suscepit enim formam potestatis rerum immensitas; sapientiæ pulchritudo, bonitatis utilitas. Et videbantur hæc foris et concurrebant cum alio simulacro quod intus perfectius erat.

Cap. XIII. *Quod similitudo Dei in rationali creatura perfectior est quam foris.*

Rationalis enim creatura venit habens in se B perfectiorem horum similitudinem in voluntate et consilio et potentia; et comparavit quæ foris invenit cum his quæ habuit intus, et conjunxit duo hæc, ut per visibilia invisibilia videret. Et vidit Creatoris potentiam et sapientiam et bonitatem a semet-ipsa, per ea quæ foris apparuerunt in agnitionem excitata. Et hæc erant quasi admonitio et recordatio prima trinum esse Deum; sed nondum perfecta consummatio agnitionis, quoniam ad substantiam erant; nec poterant singulariter dividi quæ unum erant. Non enim singulariter personæ Patris potentia erat quæ Filii erat et Spiritus sancti erat; neque singulariter sapientia personæ Filii erat, quæ Patris erat, et Spiritus sancti erat: neque singula- C riter personæ Spiritus sancti bonitas erat, quæ Patris erat, et Filii erat; sed prædicabatur Trinitas ex istis, non significabatur in istis; et tamen hæc tria æterna erant, et causa omnium erant et per hæc facta sunt omnia, et ipsa non sunt facta; et assignavimus bonitati voluntatem, et sapientiæ dispositionem: et potestati operationem. Et oboritur conquisitio gravis et investigatio profunda de voluntate Dei, et de præscientia illius, et providentia, et dispositione, et potestate. Hæc enim omnia in causis rerum consistunt, et objiciunt que quæstionem investigationi propositæ.

Cap. XIV. *De scientia et præscientia Dei; et quod ex ea in rebus necessitas provenire videtur.*

Videtur enim in Deum necessitas cadere rerum faciendarum, quasi Creator esse non posset nisi creatura esset. Deinde ex ipsa præscientia et providentia Dei alia necessitas in rebus factis vel faciendis provenire, quasi fieri non possit ut non eveniat quod prævisum est vel præscitum a Deo: quod utrumque pari inconvenientia animum pulsat et considerationem perturbat. Primum ergo considerandum est qua ratione rerum faciendarum necessitas in Deum cadere videatur ex præscientia et providentia ex dispositione et prædestinatione eorum quæ facienda fuerant ab ipso. Omnis enim scientia, et præscientia, et providentia, et dispositio vel prædestinatio ad aliquid esse videtur, et alicujus esse videtur. Omnis quippe scientia sicut alicujus est quia in aliquo est: ita alicujus est quia de aliquo est. Omnis enim qui scit, aliquid scit; et non qui scit aliquid, nihil scit. Scientia quippe de nullo est; et ipsa nulla est. Omnis ergo scientia de aliquo est; quia si nihil esset de quo scientia esset, scientia nulla esset. Non ergo in Deo æterna scientia vel præscientia esset nisi futurum esset aliquid de quo esset. Si ergo creatum nihil vel creandum fuisset, nihil in Creatore scitum vel præscitum fuisset. Ac per hoc scientia nulla vel præscientia fuisset. Si autem scientia nulla in Creatore fuisset, manifeste consequitur, quoniam nec ipse Creator fuisset; qui utique sine scientia esse non potuisset, cui idem est esse quod scire. Ut ergo scientia vel præscientia in Creatore esse potuisset, necesse erat aliquid esse vel futurum esse de quo esse potuisset: cum sicut dictum est si de nihilo esset nulla esset. Omnis enim scientia alicujus est scientia, et de aliquo est. Si ergo ex creaturix pendet præscientia Creatoris causaliter, prius esse videbitur quod creatum est, ipso qui creavit illud.

Cap. XV. *Quomodo omnia in Deo ab æterno erant priusquam in semetipsis subsisterent; et eorum illic non præscientia, sed scientia erat.*

An dicemus quod omnia in Creatore ab æterno increata fuerunt quæ ab ipso temporaliter creata sunt, et illic sciebantur ubi habebantur; et eo modo sciebantur quomodo habebantur; et non cognovit aliquid extra se Deus qui omnia habebat in se? Nec ideo ibi fuerunt, quia hic fuerunt; nec causa illorum fuisse credatur ex istis, neque ideo huc venerunt quia ibi fuerunt, quasi esse non potuissent illa sine istis. Nam et illa fuissent etiam si ista ex illis futura non fuissent; tantum istorum causa non fuissent, si ista futura non fuissent.

Cap. XVI. *Si res futuræ non fuissent sapientia Dei scientia esset, sed præscientia non diceretur.*

Et fuisset quidem scientia eorum quæ essent; præscientia autem non fuisset eorum quæ futura non essent. Noc idcirco minus aliquid in Creatore fuisset si præscientia eorum quæ non essent futura non fuisset; quia ipsa quæ præscientia est scientia fuisset, etiam si præscientia non fuisset, D quoniam futurum aliquid non fuisset.

Cap. XVII. *Quomodo utrumque æternum est, et præscitum esse et futurum esse.*

Nunc autem quod ab æterno præscitum est ab æterno futurum est; et non est æternum ipsum quod futurum est. Quia si æternum esset, futurum non esset sed præsens. Et non prius præscitum fuit quam futurum fuit sed prius præscitum fuit, et prius futurum fuit quam fuit. Et antequam fuit, quando adhuc futurum fuit, potuit esse secundum contingens ut non fieret; et hoc semper potuit esse, quandiu futurum fuit ut non fieret, sicut semper futurum fuit ut fieret. Quod futurum fuit ad hoc spectabat quod futurum fuit; quod esse potuit, ad hoc spectabat quod esse potuit et futurum non fuit. Et currebant simul ab æterno duo hæc

quod futurum fuit; et quod esse potuit quod futurum non fuit.

CAP. XVIII. *Quomodo si rerum ventus mutarentur, præscientia tamen non mutaretur.*

Et si factum fuisset quod esse potuit, et tamen futurum non fuit, futurum fuisset et præscitum quod futurum non fuit, nec præscientia hujus futuri mutata fuisset; sed nunquam habita, quia futurum non fuisset. Quod autem prædestinavit Deus facturum se disposuit; nec prædestinavit nisi quod facturus fuit. Præscivit autem quædam qui facturus non fuit: quia præscivit omnem quod futurum fuit, in quo quædam futura fuerunt quæ facturus fuit; quædam quæ permissurus, propter hoc aliquid amplius prædestinatio habere videtur quam præscientia, quia præscientia etiam de alieno est; autem prædestinatio nisi de proprio esse non potest.

CAP. XIX. *De providentia Dei, et quod duplex est providentia Dei, in suis et alienis.*

Si autem quæras de providentia Dei, nos recte dicimus quod providentia est cura eorum quæ exhibenda sunt subjectis, et quæ commissis convenit impertiri. Scriptum est, quoniam ipsi *cura est de omnibus* (*Sap.* XII.) Hæc est ergo providentia illa qua Deus curat de omnibus quæ fecit; nihil derelinquit ex omnibus quæ pertinent ad ipsum, et quæ subjecta sunt ipsi, sed providet singulis ut habeat unumquodque quod sibi debetur et convenit. Secundum hanc itaque universalem providentiam cunctorum non solum suis quæ bona fecit, sed alienis quoque quæ ipse mala non fecit sed permisit; quod debitum est, dispensat, ut nihil in regno suo justam ordinationem evadat. Nam et ipsa iniquitas ex hac providentia stipem habet, et non potuit vel ipsa malitia in oblivionem venire apud provisorem omnium. Vis scire quæ sunt iniquitatis et peccati stipendia? Scriptum est: *Stipendia autem peccati mors; gratia autem Dei vita æterna* (*Rom* VI). Stipendia peccati mors; stipendia justitiæ vita. Peccato datur mors, justitiæ vita; culpæ pœna, virtuti gloria. Unumquodque quod suum est accipit. Hæc est providentia: utrinque operatur in suo et in alieno. In suo quod fecit, in alieno quod permisit. Cuncta Illi subjecta sunt, et providet omnibus, præsidens omnibus: creaturæ gubernationem, justitiæ glorificationem, malitiæ damnationem.

CAP. XX. *De dispositione devina.*

Simili modo dispositio divina dupliciter consideratur. Bona quippe dispositionem desuper habent: et ut sint quia Bona sunt, et ut sic sint quia ordinata sunt. Mala vero ex dispositione superna non habent quæ sunt quia mala sunt: et tamen habent quod sic sunt, quia ordinata sunt. Deus enim malum non facit; sea cum factum est, inordinatum esse non permittit; quia malorum auctor non est, sed ordinator.

CAP. XXI. *De prædestinatione divina.*

Prædestinatio est gratiæ præparatio. Propositum ergo Dei in quo gratiam electis suis dare disposuit ipsum est prædestinatio, quæ idcirco præ- A destinatio vocatur; quoniam in ea quod faciendum fuit, dispositum est priusquam fuit. Potest autem prædestinatio generaliter aliquando intelligi ipsa faciendorum dispositio; ut dicatur Deus quidquid sic facturus fuit ab æterno prædestinasse. Quod autem facturus non fuit sed permissurus non prædestinasse, sed præcisse solum.

CAP. XXII. *De potestate Dei et quod potestas dupliciter consideratur in Deo esse: et utroque modo Deum omnipotentem esse.*

Sicut de sapientia Dei quædam secundum tempus diximus, ita et de potestate ejus aliqua ad eruditionem legentium commemorare oportet. Potestas duplex est: altera ad aliquid faciendum, altera ad nihil patiendum. Secundum utramque B Deus omnipotens verissime affirmatur. Quia nec aliquid est quod ei ad patiendum corruptionem possit infere, nec aliquid quod ad faciendum impedimentum afferre. Omnia quippe facere potest, præter id solum quod sine ejus læsione fieri non potest: in quo tamen non minus omnipotens est, quia, si id posset, omnipotens non esset. Dico ergo quod Deus omnia potest; et tamen se ipsum destruere non potest. Hoc enim posse posse non esset, sed non posse. Itaque omnia potest Deus, quæ posse potentia est. Et ideo vere omnipotens est, quia impotens esse non potest. Eant ergo nunc et de suo sensu glorientur qui opera divina ratione se putant discutere, et ejus ponitentiam submensura coarctare. Cum enim dicunt: Hucusque C potest et non amplius; quid hoc est aliud quam ejus potentiam quæ infinita est concludere et restringere ad mensuram? aiunt enim: Non potest Deus aliud facere quam facit, nec melius facere quam facit. Si enim aliud potest facere quam facit, potest facere quod non prævidit; et si potest facere quod non prævidit, potest sine providentia operari Deus; quia omne quod prævidit se facturum, facit, nec facit aliquid quod non prævidit. Si ergo non potest providentia ejus aut mutari ut aliud fiat quam prævisum est; aut cassari, ut non fiat quod provisum est, necesse est totum fieri quod provisum est, et nihil fieri quod provisum non est. Porro quidquid fit provisum esse constat; et quidquid provisum est, fieri D dubium non est. Quod si præter providentiam fieri aliquid impossibile est (omne autem quod provisum est esse, fieri necesse est) aliud fieri quam fit nulla ratione possibile est. Amplius quidquid facit Deus, si melius potest facere quam facit, in hoc ipso non bene facit, quod optime quidem non facit quod facit. Melius enim faceret si quod facit melius faceret. Facere quippe et nolle melius facere, etiam bonum facientis male est facere. Sec hoc pia mens in Deum dici non sustinet; et ob hoc proximum videtur et consequens, quod melius facere non potest quam facit qui sic facit ut non faciat male in eo quod sic facit. Ejusmodi causis atque rationibus quidam inducuntur ut dicant Deum suorum operum mensura ac lege ita astrictum atque alligatum, ut præter quam facit, quidquam nec aliud facere possit nec melius.

Ac per hoc plane infinitam illam atque immensam A divinitatis potentiam sub termino ac mensura alligare convincuntur, qui usque ad aliquid quod vere finem ipsum habet eam extendunt et ultra negant procedere. Certum est enim quod omne quod factum est *in numero pondere, et mensura* (*Sap.* XI) legitimum terminum et finem suum habet. Et ideirco, si ad operis mensuram modumque Creatoris potentia componitur, ipsa procul dubio et fine et mensura terminari declaratur. Quapropter, ne vel his quæ videntur rationes sine causa assensum negare videamur, vel omnino creduli sine consideratione falsum pro vero recipere, oportet pro compendio præsenti brevitur ad ea quæ dicta sunt respondere. Primum considerum est utrum Deus ulla ratione neque muta- B ta neque cassata sua providentia aliud facere possit quam facit. Constat enim quod omne quod fit ab æterno prævisum est futurum esse ; qui ab æterno futurum est, quod ipsum tamen ab æterno non est. Et dicimus quod possibile est non fieri quod futurum est. Et si non fieret quod fiet, et non fieri possibile est, nunquam futurum fuisset nec prævisum. Quod quia fiet, et futurum semper est et prævisum est. Nulla ergo mutatio hic, aut cassatie providentiæ apparet ; quia, sicut prævisum est, et fiet : sic si prævisum non esset, non fieret. Sed jam, inquiunt, prævisum est. Bene. Prævisum est, quod futurum est Si autem impediretur eventus rei Et dicunt : Sed providentia mutari non potest nec cassari : eventus autem impediri po- C test ut non fiat quia futurum est. (Quod fieri potest) mutaretur, vel cassaretur providentia, quod fieri omnino non potest. Sed nos ad hoc respondemus, quod si mutaretur eventus quod fieri potest, nec mutaretur nec cassaretur providentia ; quia hoc omnino fieri non potest. Sed potius nunquam fuisset prævisum quod nunquam fuerat futurum; et constaret providentia in eo ut non fieret; sicut modo in eo consisti ut fieret non mutata ut post aliam alia esset ; sed ut nunquam alia esset. Ergo Deus aliud potest facere quam facit, ui tamen ipse aliud faciendo alius non sit. Sed sive idem sive aliud faciat ; ipse tamen semper sit idem. Nunc illud restat ut discutiamus an ne melius aliquid facere possit quam facit Deus. Hic illi nostri scrutato- D res qui defecerunt scrutantes scrutationes, novum aliquid et vere novum, nec tam verum quam noafferre se dicunt. Et dicunt singulas quidem creaturas per se consideratas a perfecto minus habere. Universitatem autem rerum omnium in tanta consummatione boni expressam, ut non possit esse melior quam est. Ubi mihi primum responderi expostulo, cum dicunt universitatem rerum non posse meliorem esse quam est ; qualiter id accipiendum sit quod dicunt meliorem eam esse non posse. Sive ideo non potest melior esse quia summe bona est ita ut nulla omnino boni perfectio ei desit, sive ideo non potest esse melior quia majus bonum quod ei deest capere ipsa non potest. Sed, si ita summe bona dicitur ut nulla ei boni perfectio desit, jam opus suum plane Creatori æquaretur ; et vel extra metam extenditur quod intra est, vel infra immensitatem coarctatur quod summum est, quod utrumque pari inconvenientia impossibile est. Si vero ideo non potest melior esse, quia bonum amplius quod ei deest capere ipsa non potest, jam hoc ipsum non posse defectionis est non consummationis : et potes melior esse si fiat capax majoris boni, quia et hoc ipse qui facit potest. Ergo in se non potest, in Deo potest ; quia ipsa non potest, sed Deus potest et quantum ipse potest dici non potest. Ergo ipse melior esse non potest. Sed quod fecit omne melius esse potest, si tamen ipse voluerit qui potest. Et ipse quod fecit melius facere potest ; non tamen corrigens male factum, sed bene factum promovens in melius ; non ut ipse quantum ad se melius faciat, sed ut quod foeit ipso identidem operante et in eodem perseverante melius fiat. Ergo summe potens est qui potest omne quod possibile est ; nec ideo minus potest, quia impossibilia non potest, impossibilia posse non esset posse sed non posse. Itaque omnia potest Deus quæ posse potentia est ; et ideo vere omnipotens est, quia impotens esse non potet. Cum sint ergo tria in Deo : sapientia, potentia, voluntas ; primordiales causæ a voluntate quidem divina quasi pronciscuntur, per sapientiam diriguntur, per potentiam producuntur. Voluntas enim movet, sapientia disponit, potentia explicat. Hæc sunt æterna fundamenta causarum omnium et principium primum quæ ineffabilia et incomprehensibilia sunt omni creaturæ. Sicut enim æternitatem Dei non æquat tempus nec immensitatem locus ; sic nec sapientiam ejus sensus, nec bonitatem virtus, nec potentiam opus. De voluntate Dei et providentia multa quærenda restant. Primum utrum vim facit rebus præscientia et providentia Dei. De quo jam multa dicta sunt. Postea de voluntate Dei de qua quædam dicenda sunt. Ita tamen ut prius ad ipsum fidei oculis contemplandum respiciamus quantum possibile et humanæ fragilitati.

PARS TERTIA.

DE COGNITIONE DIVINITATIS.

Cap. I. *Qualiter ab initio Deus agnitus est, et quod unus, et quod trinus.*

Scriptura dicit : *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I) ; tamen fides quod non videt credit. Et ex hoc meritum fidei constat non vidisse et credere. Unde pulchrum illud dictum est : Nam « si vides, non est fides. » Credit ergo fides quod non vidit ; et non vidit quidem quod credit. Et vidit tamen aliquid per quod admonita est et excitata credere quod non vidit. Deus enim sic ab initio notitiam sui ab homine temperavit, ut sicut nunquam quid esset totum poterat comprehendi, sic quia esset nunquam prorsus posset ignorari.

Cap. II. *Quare Deus nec totus sciri, nec totus ignorari potest.*

Propterea quippe Deus a principio nec totus conscientiæ humanæ manifestus esse voluit, nec totus absconditus ; ne si totus manifestus esset, meritum fides non haberet, nec infidelitas locum. Infidelitas enim de manifesto convinceretur ; et fides de occulto non exerceretur. Si vero absconditus totus esset, fides quidem ad scientiam non adjuvaretur, et infidelitas de ignorantia excusaretur. Quocirca oportuit ut proderet se occultum Deus ne totus celaretur et prorsus nesciretur ; et rursum ad aliquid proditum se et agnitum occultaret ne totus manifestaretur, ut aliquid esset quod cor hominis enutriret cognitum, et rursus aliquid quod abscontidum provocaret.

Cap. III. *Quibus modis cognitio Dei ad hominem venit.*

Et illud nunc primum considerandum est quomodo primum Deus occultus et absconditus et latens interim a corde humano deprensus est, ut sciri potuisset quia Deus est, vel quod erat credi. Modi sunt duo et viæ duæ, et manifestationes duæ quibus a principio cordi humano latens proditus est et judicatus occultus Deus ; partim scilicet ratione humana, partim revelatione divina. Et ratio quidem humana duplici investigatione Deum deprehendit ; partim videlicet in se, partim in iis quæ erant extra se. Similiter et revelatio divina duplici insinuatione eum qui nesciebatur vel dubie credebatur et non cognitum indicavit, et partim creditum asseruit. Nam humanam ignorantiam nunc intus per aspirationem illuminans edocuit, tunc vero foris vel per doctrinæ eridutionem instruxit, vel per miraculorum ostentionem confirmavit. Utrumque manifestationis divinæ modum quo vel ratione humana Deus ab homine cognitus est, vel revelatione divina homini manifestatus, exponit Apostolus dicens : *Quod notum Dei erat, manifestum est in illis ; Deus enim illis revelavit* (*Rom.* I). Et deinde subjungit : *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Ibid.*).

A Cum enim dicit : Quod notum Dei erat, id est noscibile de Deo, ostendit nec totum absconditum, nec totum manifestum. Cum vero dicit : manifestum est in illis, et non dicit, manifestum est illis, ostendit plane quoniam non solum revelatione divina quæ facta illis fuerat, sed etiam ratione humana in illis quæ erat, notum illis factum erat. Cum autem subjungit : Deus autem illis revelavit, ostendit quia ratio humana ad hæc sublimia et alta investiganda et intelligenda infirma et insufficiens omnino fuisset, nisi divina revelatio illi in adjutorium et firmamentum cognoscendæ veritatis adjuncta fuisset. Postea ostenso eo qui intus erat investigationis vel revelationis modo, statim de illo qui foris sit utroque, sententiam simul B subjungit, dicens : Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiscientur. Invisibilia enim Dei quæ intus erant et abscondita erant, per ea quæ foris erant et nota erant visibilia sunt visa vel in conditione rerum a ratione humana, vel in gubernatione et administratione visibilia facta sunt revelatione divina.

Cap. IV. *Quod Deus trinus et unus ; et quid in unitate et quid in trinitate.*

Ita ergo ab initio proditus est Deus conscientiæ humanæ et adjuta fides indiciis veritatis confessa est Deum essa, et ipsum unum. Deinde etiam trinum esse. Et in unitate quidem confessa est æternitatem et immensitatem; in æteruitate autem incommutabilitatem ; in immensitate autem sim- C plicitatem, hoc est æternitatem sine tempore, et immensitatem sine quantitate. In Trinitate vero confessa est communionem unitatis, æqualitatem immensitatis, coævitatem æternitatis. Et communionem quidem unitatis sine divisione ; æqualitatem immensitatis sine diminutione ; coævitatem æternitatis sine ordine vel successione. Hoc est singulis in unitate totum, in immensitate plenum, in æternitate perfectum.

Cap. V. *Explicatio propositarum discretionom.*

Nunc oportet per singula quæ proposita sunt currentem considerare, qualiter mens humana quæ tam longe a Deo est, tanta de Deo potuerit comprehendere, vel ratione propria directa, vel revelatione divinina adjuta. Et primum usquequo D ipsa humana ratio ex insito sibi lumine veritatis convaluerit, dignum est consideratione ; ne si vel totum homini detur negare convincamur gratiam, aut si tollatur totum ignorantiam excusare. Itaque utrumque modum humanæ investigationis ordine prosequamur, quo ratio hominis vel per se directa vel ab iis quæ extra se naturalia erant visibilia admonita, ad verum cognoscendum enisa est.

Cap. VI. *De illo cognitionis genere quo mens rationalis in se Deum videre potest.*

Et primum quod in ea erat (quoniam et hoc illi erat primum et principale speculum veritatis contemplandæ) inspiciamus. In eo igitur primum et principaliter invisibilis Deus (quantum ad manifestationem expositum est) videri poterat quod illius imagini et similitudini proximum et cognatum magis factum erat. Hoc autem ipsa ratio erat et mens ratione utens quo ad primam similitudinem Dei facta erat, ut per se invenire posset eum a quo facta erat.

Cap. VII. *Quod se ipsam esse videt mens rationalis.*

Non enim (ut id loquamur quod primum occurrit) et scientibus nihil minus esse potest, seipsam esse aliquid ignorare potest, cum ex his omnibus quæ in se (hoc est in corpore suo) visibilia videt nihil se esse vel esse posse videt. Secernit ergo et dividit se per se ab eo toto quod visibile videt in se; et invisibilem omnino se esse videt; in eo quod se videt, et tamen videri se non posse videt. Videt ergo invisibilia esse; quæ tamen visibiliter non videt, quia se invisibilem esse videt et tamen visibiliter non videt.

Cap. VIII. *Et quod se cœpisse intelligit.*

Cum ergo de se dubitare non possit quoniam est (quia se ignorare non potest) cogitur ex se et hoc credere quod aliquando se cœpisse meminit; quoniam non semper est, quia se nescire non potest cum est. Cum ergo per se et in se cœpisse et initium habuisse videat, nec hoc ignorare potest. Quoniam cum non fuit, sibi ipsi ut esset initium et subsistentiam dare omnino non potuit.

Cap. IX. *Quod Deus est et quod sine principio est.*

Ut ergo inciperet quod non erat ab alio factum est qui erat. Quem idcirco ipsum esse ab alio non cœpisse necesse est; quoniam qui ab alio esse accepit primus omnibus existendi auctor esse non potuit. Non ergo ab alio accipere esse potuit qui omnibus esse dedit, quem propterea semper fuisse et nunquam cœpisse fateri oportet; quoniam omne quod aliquando esse incœpit auctorem habuit per quem cœpit. Constat ergo nec dubitari ullo modo potest quod ille per quem cœpit quod non semper fuit nunquam cœpit, sed semper fuit. Illum autem rerum auctorem et primum principium hoc modo ratio investigat; et inventum pietas veneratur, et adorandum fides prædicat Deum.

Cap. X. *Ejusdem rei argumentum foris in creaturis.*

Hoc autem ratio inventum in se probat, et in his quæ videt extra se; quia ortum et occasum habentia cuncta, sine auctore nec originem habere possent nec reparationem. Quæ in toto aliquando cœpisse idcirco dubium esse non potest; quia et in partibus suis sine cessatione quotidie et oriri videtur quod non est et præterire quod est. Omne autem quod mutabile est, aliquando non fuisse necesse est; quia quod stare non potuit cum præsens fuit, indicat se aliquando non fuisse priusquam fuit. Sic respondent qui foris sunt iis quæ intus videntur ad veritatem comprobandam et auctorem suum natura clamat quæ se ab illo factam ostendit.

Cap XI. *Quod Deus est trinus et unus.*

Itaque ratio per rationem Deum esse invenit; et venit alia ratio quæ non solum esse Deum, sed unum esse et trinum comprobaret; at primum per se deinde per ea quæ erant extra se facta secundum se. Una pietas, una devotio, una cultura, Dominum unum et Deum unum. Sic dixit ratio et comprobavit in se, ne schisma mentium fieret in plura principia: et non esset certa salus. Et melius esse et consonum magis veritati et consentaneum naturæ principium unum et finem unum in quem habere possent conversionem quæ ab illo existerent omnia. Alioqui dissipationem esse universitatis sine capite et principio et moderatore. Et clamavit illi natura foris, et contestata est ad eamdem veritatem; et dixit opus unum et auctorem unum; et concordia una consilium unum, et una administratio providentiam unam. Et manifestatus est Deus unus, creator unus, moderator unus et rector; quia totum unum et unum totum.

Cap. XII. *Quod Deus vere et summe unus.*

Approbavit hæc ratio et acquievit, et dixit quod unus, nec collectione diversorum ne turbam faceret; nec compositione partium, ne massam formaret; nec similitudine multorum, ne pluralitas superflua vel singularitas imperfecta appareret. Omnis enim unitas in similitudine sola consistens plurimorum, aut imperfectionem ostendit in parte si minus habent singula, aut superfluam geminationem in toto, si perfecta sunt universa. Et non est in his omnibus unitas vera, sed æmulantur solum hæc unitatem, quia quodammodo appropinquant ei; sed non contingunt ad illam, quoniam unum non est; et quod sunt vere unum non sunt, sed uniuntur tantum et accedunt ad se. Et fit illis simul esse et convenire in unum, unum esse. Nec tamen unum vere sunt; quoniam essentialiter non sunt, nec est unum totum quod sunt. Deum autem unum oportet esse, et essentialiter unum esse, et immutabiliter unum esse, et summe unum esse. Quod enim essentialiter unum est, vere unum est: quod immutabiliter unum est, summe unum est. Quod autem in utroque bonum est, melius est utrumque quam alterum tantum. Et bonum est essentialiter unum esse; et immutabiliter unum esse; et utrumque esse melius est. Deus autem summum bonum est, et non potest deesse summo bono bonum quod melius est. Et suadet ratio optimo dare, quod melius est bonum. Et idcirco fatetur Deum suum et auctorem suum, et principium suum unum esse; quoniam hoc melius est, et vere unum esse; quoniam substantialiter est, et summe unum esse; quoniam invariabiliter est.

Cap XIII. *Quod immutabilis est Deus.*

Et ascendit et transit ut probat quoniam ita est, et quoniam variari et mutari non potest Deus omnino. Non enim augeri potest qui immensus est; nec minui qui unus est. Nec loco mutari qui ubique est; nec tempore qui æternus est. Nec cogni-

tione qui sapientissimus est; nec affectu qui optimus est.

Cap. XIV. *Quod rationem creatura recte considerata adjuvat ad cognoscendum Deum.*

Clamat creatura foris et probat ipsa rationem hanc, et commendat quoniam ita est. Et demonstrat summa pulchritudo operis perfectam esse sapientiam conditoris. Et apponit se perseverantia decoris ipsius. Et quod non minuitur quod institutum est primum bonum. Et dicit quod æterna est sapientia ejus et minui omnino non potest, nec decrescit aliquando plenitudo sensus illius a consummatione. Et exit ratione cum attestatione alia; et videt quoniam voluntas Dei æterna est; et ita sentire bonum est. Et quoniam hoc probat opus ejus quod non mutatur; et ordo universitatis idem perseverans. Et adjicit ipsa rationem, quoniam nihil novum Deo est ut illud tunc vel nunc amare incipiat quod prius non noverit; aut oblivisci sicut homo dilectionis antiquæ, ut in memoriam non veniat quod prius cognitum fuerat; aut errare bonum existimans quod malum est, ut diligat illud quod non oportet; et postea, quasi pœnitens et mutans cor et affectum varians cum cœperit agnoscere errorem suum. Quia hæc digna Deo non sunt, nec probat ratio ut ita sentiamus de illo qui sapiens est et bonus et perfectus; et non invenitur mutabilitas in eo ulla, cum omnia genera mutabilitatis fuerint in consideratione adducta; sive quæ in corporibus inveniuntur, sive quæ spirituum naturam contingunt.

Cap. XV. *Quibus modis corpora mutantur.*

Omne enim corpus aut loco mutatur, aut forma, aut tempore. Et quæ forma mutantur: aut augmentum suscipiunt, ad diminutionem, aut alterationem. Et quæ alterationem quidem suscipiunt non illis accedere quidquam videtur quod non erat, aut quod erat recedere probatur; sed quod erat tantum alteratur, et aliter habetur. Et non fit sine loco hoc quoniam partes locum transmutant in eodem consistente toto; et non fit tamen nisi secundum locum; nec tamen dicitur secundum locum propter totum quod locum mutat, sed apparet tantum forma alia in toto propter partes quæ locum mutaverunt. Et ideo hæc mutatio secundum formam dicitur; quoniam hæc in toto manifeste videtur. Et non dicitur secundum locum (cum tamen in partibus secundum locum sit) quoniam hæc manifeste non videtur. Et non est forma aliquid omnino nisi dispositio partium in toto; et cum hæc mutatur (quia partes locum mutant) mutatur forma in toto, quia dispositio partium mutatur quæ est forma totius. Et ita mutatio formæ in toto fieri non potest sine mutatione loci in partibus. Sed non dicitur mutatio loci nisi cum totum locum mutat consistentibus partibus in toto. Sic mutatio temporis sequitur mutationem loci et formæ; et non est unquam sine ipsis in corpore. Quoniam secundum has solum ordo inest; et successio quæ tempus vocatur. Item considerandum est quoniam ex his tribus A mutationibus duæ extrinsecus fiunt: quoniam non mutant esse rei, sed circa rem aliquid; hoc est mutatio loci et temporis. Iterum prima mutatio secundam et tertiam infert, quoniam causa illarum est. Secunda autem tertiam, quoniam causa illius est. Tertia vero tantum infertur et non infert, quoniam effectus solum est. Sola autem mutatio formæ intrinseca vocatur; quoniam non circa rem, sed in ipsa re mutat aliquid: et ipsa tamen non fit sine mutatione loci et temporis.

Cap. XVI. *Quibus modis spiritus mutantur.*

Post has mutationes corporum (quibus subjacent quæ corporaliter mutantur omnia) transimus ad spiritualem creaturam, mutabilitatem ipsius considerantes; si quarum mutationum illi B conveniat, et si qua alia mutatio quæ extra corporum naturam sit, in illam cadat. Et videmus quod spiritus omnino nec augmento partium crescere potest quoniam corpus non est, nec decrescere diminutione, quoniam simplex natura est; et tamen affectu et cognitione mutatur spiritus. Et transit de hoc in illud; et variatur et vicissitudinem suscipit gaudii, doloris et pœnitudinis et voluntatis; et crescit scientia et oblivio in eum cadit; et variat cogitationes et succedenter intelligit; et est quasi formæ mutatio ista in eo mutatio scientiæ et affectus. Et sequitur istam temporalis mutatio; et subjacet tempori propter ista quæ variantur in eo. Nec ambiguum hoc ulli est de spiritu creato, quoniam tempore va- C riatur secundum hæc quæ eadem non permanét in ipso. De mutatione vero loci magna inter conquirentes ambiguitas generatur; quoniam sunt qui dicunt nullum spiritum mutari loco posse: quoniam locus proprie corporis sedes sit et capacitas corporis quæ determinatur secundum corpus; aliquando quod in illa est, aliquando in quo est ipsa. Et non est corpus locus; quoniam locus non est aliquid, nec ponit aliquid locus; sed quasi inane et vacuum ubi corpus est vel esse potest, et non est corpus ipse. Nec tamen vocatur locus nisi determinatus per corpus; vel quod in ipso est secundum finem dimensionis ubi desinit corpus et ultra non est; sive secundum corpus quod locum continet, sive secundum ipsius corporis cir- D cumscriptionem; quoniam intra ipsam corpus non est. Ita nihil posse esse in loco nisi quod dimensionem habet corporalem et circumscriptionem; quoniam locus secundum dimensionem corporis constat et circumscriptionem; et non posse ullo modo hoc spiritui convenire qui corporalis quantitatis expers est. Propterea corpori soli in loco esse et loco mutari et tempore. Spiritui autem creato in loco non esse; quoniam corpus non est, nec loco mutari sed tempore. Spiritum autem creatorem nec in loco esse nec loco mutari, quoniam corpus non est, nec tempore mutari, quoniam invariabilis omnino est. Propterea soli corpori recte assignari; et hoc aliquid esse quoniam definitum est, et hic alicubi esse quoniam circumscriptum est; et nunc aliquanda esse quoniam variabile est. Spiritui vero creato

convenire; et hoc aliquid esse quoniam definitus A est, et nunc aliquando esse quoniam variabilis est: sed non hic alicubi esse quoniam circumscriptus non est, qui dimensionis capax non est. Creatorem vero spiritum: nec hoc aliquid esse quod definitus non est, nec hic alicubi esse quod circumscriptus non est, nec nunc aliquando esse quoniam invariabilis est: præsentem tamen veraciter et essentialiter omni quod hoc aliquid est, et omni quod hic alicubi est, et omni quod nunc aliquando est; quoniam in omnibus est, et ubique est et semper est. Semper sine tempore, ubique sine loco, in omnibus sine termino et definitione. Et nos quidem horum considerationem sublimem nequaquam falsitatis arguimus; verba tamen supra capacitatem et possibilitatem minorum, et simplicium intelligentiæ fortia nimis judicamus. B

Cap. XVII. *Quod Deus essentialiter est, et vere est; et in omni creatura sive natura, sine sui definitione; et in omni loco, sine circumscriptione; et in omni tempore, sine vicissitudine vel mutatione.*

Censemus autem et omnino ita oportere approbamus multo sanius et commodius veraciter affirmandum quod Deus substantialiter sive essentialiter et proprie et vere: et in omni re sive natura, sive essentia est sine sui definitione; et in omni loco sine circumscriptione; et in omni tempore sine mutabilitate. Nam id quod quidam insipientes, imo solam carnem sapientes et quæ carnis sunt solum considerantes existimant quasi corporalium sordium et pollutionum inquinationes Deum contingere possint si rebus omnibus essentialiter vel substantialiter inesse dicatur; tam frivolum est ut nec responsione sit dignum cum et ipse Spiritus creatus corporeis sordibus inquinari non possit. Si enim spiritus sordes corporæ contingunt, dicant ipsi quomodo anima humana in carne posita immaculata esse possit, cum carnis humanæ sordibus nulla inquinatio vel pollutio major inveniri possit? Dicant de carne leprosi (cujus etiam contactum homo sine horrore sustinere non potest) quomodo animam sanctam et justam non inquinet, quæ in tantum in ea sine pollutione vivit, ut ex ea etiam a pollutione emundetur? Postremo respondeant utrum potius concedendum de Deo existimant, quod nusquam sit Deus, an quod ubique sit. Quod si ab urdum est omnino confiteri quod Deus nusquam est, cogantur necesse est, ipsi suo judicio id quod ad dictum etiam commodius et pulchrius suscipitur, confiteri quod alicubi est. Qui enim vocibus servire elegerunt potius quam veritati, et id solum respuendum putant quod aures vulgaritatis obhorrent, justum est ut in hoc quoque a sententia sua non declinent. Dicant ergo si hoc auribus efferrre præsumant quod Deus nusquam est; et non statim ex eo consequi arbitrentur, quoniam quod nusquam est ipsum omnino nihil est. Si ergo convenienter dici non potest quod Deus nusquam est, quem esse et verius omnibus quæ sunt esse necesse est credi, dicant ubi est. Si enim alicubi est, et ubique non est, est ubi est, et et est ubi non est: et jam localis fit Deus; et termino et fine concluditur quod omnino impossibile est. Fatendum est itaque et sine dubitatione confitendum quod divina natura quæ pro immensitate sui nusquam deesse potest in omni loco veraciter et essentialiter est; nec tamen loco comprehenditur ullo, quoniam omnino incircumscriptibilis est. Est ergo ubi est totum quæ continet totum et penetrat totum; nec sine ea esse potest aliquid ex omnibus quæ facta sunt ab ea, quæ nec pro sui simplicitate dividi, nec pro sui puritate maculari, nec pro sui immensitate ullo modo comprehendi potest.

Cap. XVIII. *Quomodo spiritus creati locales sint; et quomodo corpora,*

Sane de spiritu creato hoc commodius dictu et ad intelligentiam hoc accomodatius esse fatemur, ut non solum in loco esse, sed localem esse pronuntiemus sine dubitatione. In loco quidem quoniam hic alicubi præsens cernitur; localem vero quoniam cum sit alicubi non ubique invenitur. Omne enim quod definitum est, secundum aliquid locale est; quoniam in eo ipso quod finem et terminum habet locum habet, et determinat locum sicut determinatum est in loco. Sed corpus dimensionem habens loco circumscribitur; quoniam ei secundum locum principium medium et finis assignantur. Spiritus vero quoniam dimensionem non capit (sed definitione sola terminatur) C circumscriptionem quidem non recipit loci; et tamen loco quodammodo concluditur, quoniam cum hic alicubi præsens sit totus, alibi non invenitur. Itaque corpus locale est, quoniam loco circumscribitur; spiritus autem quoniam in loco per præsentiam naturæ et operationis concluditur, localis et ipse jure nominantur. Spiritus autem increatus, quoniam omni loco præsens est, nec tamen ullo in loco concludi aut circumscribi potest, veraciter in omni loco esse dicitur; nec tamen localis aliquando ratione ulla appellatur. Non ignoro tamen quosdam ab omni spiritu locum universaliter removere voluisse; quoniam secundum dimensionem solum et circumscriptionem corporalem locum constare probaverunt. Sed horum ut D supra diximus, consideratio nimis a communi existimatione et possibilitate recessit. Magis autem ea ponenda in usum loquendi quæ se sponte accomodant; et nihil a latere ingerant alienum a veritate.

Cap. XIX. *Ratio qualiter Deus non solum unus sed trinus sit.*

Nunc diximus quomodo ratio vera probat quod Deus unus est, et quæ ad unitatem deitatis spectant vera esse considerat. Deinde etiam arguit et commendat quod non solum unus, sed et trinus est Deus. Et habet hujus quoque investigationis et considerationis bonæ a Deo exemplaria vera. Deus enim qui in se videri non potuit, in suo opere manifestatus est; et vidit eum ratio humana non in se; quia invisibilis fuit; sed in simili-

tudine sua quoniam ad hoc facta est ut videatur in ea Deus. A

Cap. XX. *De verbo extrinseco et intrinseco.*

Nam sicut sapientia hominis non videtur nisi ab ipso homine donec exeat et manifestetur per verbum, ita sapientia Dei invisibilis fuit et non potuit cognosci nisi ab ipso solo cujus erat, donec manifestata est per opus suum. Et erat ipsa sapientia verbum. Sed quasi verbum intrinsecum et absconditum quod omnino sciri non posset nisi per verbum extrinsecum manifestaretur; quemadmodum cogitatio hominis quasi intrinsecum verbum illius est quod latet et absconditum est donec reveletur per prolatianem oris; et est ipsa prolatio vocis verbum similiter ut verbum est cogitatio cordis. Sed verbum quod manifestum est prodit B
et revelat verbum quod occultum est. Sic et in Deo verbum intrinsecum et occultum et invisibile verbum fuit cordis ejus; et sapientia erat hoc verbum et invisibile, donec manifestatum est per verbum extrinsecum quod visibile factum est, quod erat opus ejus. Sicut per verbum oris manifestatum est verbum cordis; sic loquitur omnis natura ad auctorem suum, et indicat quod factum est opificem intelligendi sensum habentibus.

Cap. XXI. *Quod imago Dei in rationali creatura expressior est, et vestigium Trinitatis invenitur in ipsa.*

Et sunt in his simulacra quædam quasi de longe significantia et habentia similitudinem pro parte. Quædam vero expressa imagine, et perfecta C
æmulatione consignata, claram demonstrationem efficiunt. In his ergo citius quod invisibile Dei est agnoscitur in quibus evidentius manifesta declaratione demonstratur. Ea namque perfectius auctorem suum manifestant; quæ illius similitudini vicinius appropinquant. Hoc autem est ipsa rationalis creatura, quæ excellenter et proprie ad illius similitudinem facta est; quæ tunc citius creatorem suum (quem non videt) agnoscit, cum seipsam ad illius imaginem factam intelligit. In hoc ergo primum Trinitatis vestigium inventum est cum agnoscere cœpit ipsa quod erat in se, ei ex eo consideravit quod erat supra se. Vidit enim quod ex ipsa nascitur sapientia quæ est in ipsa; et diligit ipsa sapientiam suam, et procedit amor ex ipsa; et sapientia sua quo amat eam genitam de se, et D
in se manentem non dividit a se. Et apparent tria quædam in uno: mens, sapientia et amor: et est mens et sapientia de mente; et de mente et sapientia amor; et surgit Trinitas quædam, et unitas non recedit, et sunt simul Trinitas et unitas secundum potestatem et imaginis virtutem. Et conscendit mens ab istis per hæc illuminata, et considerat creatorem suum sapientem esse et sapientiam habere, et ex ipso esse sapientiam suam; nec fuisse unquam sine sapientia, quoniam semper sapiens fuit. Et quod semper sapientiam suam ipse dilexit et semper amorem habuit ad sapientiam suam, et erat coæternus amor æterno et coæternæ sapientiæ illius.

Cap. XXII. *Quomodo tres personæ sint essentia sive substantia una.*

Rursum considerat quod non potest in Deo esse aliquid diversum ab ipso, et quod unum est totum quod est; et propterea vero est Trinitas, et unitas manet. Quia enim ibi est qui a nullo est, et est ibi qui ab illo est, et pariter cum utroque qui ab utroque est, Trinitas est. Neque enim qui a nullo est, esse potest ille qui ab alio est; et qui ab utroque est, vel ille qui a nullo est, vel qui ab illo tantum est, esse potest. Itaque Trinitas est vera, et unitas manet perfecta, quoniam in Deo nihil esse potest quod Deus non est. Natura siquidem indivisa et unitas vera scissionem prohibet; discretio vero et proprietas Trinitatem docet.

Cap. XXIII. *De discretione nominum in Trinitate.*

Posuitque nomina fides quibus significaretur quod creditur; et dictus est Pater in Trinitate, quia ab ipso Filius erat, qui de ipsius substantia erat. Qui enim gignit et de sua substantia gignit; id quod ipse est, gignit. Et propterea a quo erat qui cum ipso erat idem quod ipse erat. Pater dictus est; quia ab ipso erat Filius. Qui autem ab utroque erat, utriusque Filius non erat, ne duo essent patres unius Filii; et Pater qui Filius diceretur, et confunderetur Trinitatis discretio; sed Spiritus sanctus Patris et Filii, procedens a Patre et Filio. Et professa est fides catholica Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Et est Pater qui Filium habet; et Filius qui Patrem: Spiritus sanctus qui a Patre est et Filio. Et est quidem Pater Spiritus, quoniam Deus est. Et est Pater similiter sanctus, quoniam Deus est. Sed voluit fides unam in Trinitate personam distinguere, cum diceret Spiritum sanctum. Ipse enim est qui ad sanctificationem datur, cum inspiratur sanctificandis. Et non tantum venit sine Patre et Filio, quoniam Trinitas est indivisa.

Cap. XXIV. *Quomodo Spiritus sanctus a Patre et Filio mittitur æterna processione ab illis, et temporali adventu ad nos.*

Sed inspirari a Patre et Filio: hoc est illi venientem esse a Patre et Filio. Quod æternum illi est ne nomen sit perfunctionis qui datur ex tempore et accipitur; quia temporale non est illi esse a Patre et Filio, sed æternum. Pro quo dari dicitur: cum venit a Patre et Filio; quia est a Patre et Filio quod æternum est, et non temporale illi. Sicut Spiritus sanctus donum Dei est; quia donum est Patris et Filii. Et cum datur ex tempore datur et datur a Patre et Filio; et dari a Patre et Filio, non aliud illi est quam cum datur esse a Patre et Filio; ex eo quod æternum illi est a Patre et Filio. Et est in Trinitate Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Pater a seipso; Filius, a solo Patre; Spiritus sanctus a Patre et Filio. Et quia una natura et una substantia; una trinitas est in una natura et una substantia. Et cum mens una quæ discreta sunt et propria in trinitate considerat, tria invenit, et tres confitetur. Cum vero quod idem est tribus attendere cœpit unum ostenditur.

Cap. XXV. *Quare tria illa ineffabilia in deitati personæ tres dicuntur, et tria in humanitate non dicuntur.*

Et surgit rursus ex adverso alia dubietas, et pulsat mentem profundo rerum caligantium: et exit quæstio et interrogat seipsam ratio: quare tria illa quæ in Deitate reperta sunt personæ dicantur: cum in trinitate illa quam in semetipsa primum mens reperit tria similiter inventa sint, nec tamen tres personas in se mentem rationalem continere, aut tribus personis constare animam rationalis consideratio patiatur. Et diligenter conquirat ratio quare ita sit, cum nec ita esse dubitare liceat, nec quomodo sit facile scire possit. Et tamen videt aliquid ex eo quod totum non videt, nec ignorare permittitur quod non sinitur apprehendere. Videt enim quoniam quæ in mente sunt non vere idem sunt quod est ipsa mens. Separantur enim a mente hæc aliquando: et cum adfuerint recedunt, et redeunt iterum cum abierint et variantur circa ipsam, nec vere sunt idem cum ipsa, sed quasi affectiones quædam et formæ ipsius, quibus non sit hoc aliquid esse, sed ad esse tantum ei quod est hoc aliquid. Itaque cum sit homo ipse persona, hæc autem tantum affectiones quædam adhærentes personæ et circa ipsam existentes inveniantur; non est omnino eis proprium esse persona, sed personæ inesse tantum. Cum autem quæ in Deo sunt aliud ab ipso esse non possunt, quasi nec accidentia aut affectiones ex tempore mutabiles sive separabiles natura incommutabili essentiæ, et cui idem sit totum esse quod est: Convenire tria in eo veraciter prædicantur, et tribus unum esse; et proprium idem esse æternum et perfectum asseritur. Et dicuntur tria tres personæ, non tres essentiæ: quia natura in tribus est perfecta singulis, et tribus indivisa. Et ideo dicuntur personæ, quia Deus sunt et unus Deus tres, quia una deitas in tribus.

Cap. XXVI. *Quare potentia Patri attribuitur, sapientia Filio, bonitas sive benignitas Spiritui sancto.*

Attribuitur Patri potentia, et Filio sapientia, et Spiritui sancto bonitas sive benignitas. Et discernuntur quæ communia sunt. In quibus non dicitur quidem quod non est; tamen quod est tacetur, ne credatur quod non est. Dicitur enim Pater potens: et est Pater potens; et non solus Pater, quia potens est Pater et Filius et Spiritus sanctus; et non tres potentes, sed unus potens. Quia potentia una in natura una, et substantia una. Et est Filius sapiens, sed non solus, quia sapiens est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; et non tres sapientes, sed unus sapiens. Quia sapientia una in natura una et substantia una. Et dicitur Spiritus sanctus benignus et bonus; et est quidem benignus et bonus Spiritus sanctus; sed non solus Spiritus benignus et bonus est, sed bonus est et benignus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Nec tamen tres benigni et tres boni, sed unus benignus et unus bonus; quia benignitas una, et bonitas una in natura una, et substantia una. Sed cavit Scriptura conscientiæ humanæ ne erraret in Deo suo similia hominibus quæ non erant in ipso arbitrans, quoniam ab omnibus sumpta erant vocabula quædam, non ad omnem similitudinem sed ad significanda quæ Dei erant supra homines; et erat aliquid simile ibi ne imitatio aliena esset, sed non totum, ne idem crederetur quod in tantum differebat; et dictus in deitate Pater, quoniam ibi erat a quo erat qui de sua substantia erat. Sicut qui gignit de sua substantia gignit, et non est qui gignit ipse quem gignit, sed alter ab altero. Et non altera natura gignentis et geniti. Et erat in hoc similitudo inter divina et humana; et propterea ex hoc dictus est Pater et Filius, quia genuit ille, et iste genitus est. Et non est qui genuit Pater, iste qui genitus est Filius: et tamen quia natura una est gignentis et geniti; et substantia una non alius est gignens a genito, quia Deus est; et Deus unus, gignens et genitus, quia deitas una gignentis et geniti. Propterea unum inventi sunt in illo quod Deus erant; quia unum erant totum quod erant; sed non unus in uno, quia Pater erat qui a nullo erat; et Filius qui a Patre erat; et Spiritus sanctus, qui ab utroque erat, qui Filius non erat; quoniam ab utroque erat et æqualiter erat, et dictæ sunt tres personæ tria hæc; quia unumquodque trium totum hoc erat; et persona erat; nec tamen una persona, quia unum hoc totum; sed tres personæ, quia tria in hoc uno, et hoc unum totum: et hæc tria tres personæ, et hoc unum unus Deus; et hæc tria hoc unum, et tres personæ unus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Dictus est ergo Pater quia de sua substantia Filium genuit, et erat in hoc similitudo. Sed ne putaretur prior Pater Filio sicut semper in hominibus est; et nunquam aliter esse potest nisi Pater Filium antecedat: propterea potens dictus est Pater non quod solus erat, quia potens erat et Filius et Spiritus sanctus; sed solus dicendus erat potens, quia de ipso solo magis dubitari poterat quasi de priore et antiquo et annorum numerositate defecto. Et dictus est Filius sapiens, non quod solus erat, sed quia de ipsa solo magis dubitari poterat quasi de posteriore et ætate adhuc immaturo et sensu imperfecto. Idcirco dictus est pater potens, ne putetur prior Filio; et Filius sapiens, ne credatur Patre posterior; et Spiritus sanctus bonus sive benignus, ne crudelis existimaretur Deus et consternaretur ad eum conscientia humana, si Spiritum habere diceretur Deus, et non additum fuisset sanctus vel benignus. Quoniam spiritus per se rigorem quemdam significare videtur, et crudelem denotare.

Cap. XXVII. *Alia ratio quare illa quæ secundum substantiam dicuntur et communia sunt: personaliter sunt discreta.*

Præterea propter simulacrum suum quo est inventa Trinitas summa et ipsum similiter trinitatem præferebat quasi vestigium quoddam et imaginem ineffabilis Trinitatis. Et in ipso hoc ita erat; quoniam in mente rationali quasi potentia quædam

et vis quædam erat ex qua esse posset quod nondum erat. Et ex ea natus est intellectus qui solum sapientia ejus erat; et sine ipso mens sapientia non erat: et processit novissime amor sive gaudium mentis ad sapientiam suam; et ipse solum dilectio erat, quia sine ipso in mente et sapientia dilectio non erat. Et posita sunt hæc nomina ad proprietatem, quia unumquodque per se erat; et distincta sunt tria hæc: primum potentia a qua sapientia erat; deinde ipsa sapientia, quæ de potentia nata fuerat; novissime amor qui de potentia simul et sapientia processerat. Et distinguebantur hæc, quia prorsus hæc idem non erant qui separabantur ad invicem, et non constabant in uno. Propterea in mente rationali aliud potentia erat quia prior erat sine sapientia et adhuc sapientia non erat. Et vennit postea sapientia, et cum potentia esse cœpit, quasi aliud in alio. Et erant jam duo, potentia et sapientia: et additum est tertium. Et tria esse cœperunt, potentia, et sapientia, et amor. Et non erat potentia de aliquo, et de ipsa sapientia erat; amor autem de potentia, et sapientia præcesserat. Et non erat potentia sapientia, quia potentia, ante sapientiam erat et de ipsa sapientia exierat. Neque rursum amor potentia vel sapientia dici poterat; quia processerat tantum ab ipsis, et ipsa aliquando sine ipso extiterant. Et erant tria hæc discreta in anima; et in his tribus Trinitas animæ inventa est. Et ascendit anima ab his ad summam Trinitatem, et invenit ibi Patrem qui ad nullo erat, sicut in se potentia; et filium qui a Patre erat, sicut in se sapientia; et Spiritum sanctum qui a Patre et Filio erat, sicut in se dilectio a potentia et sapientia processerat. Et ideo potentiam Patri tribuit, quia in se similitudo fuerat illius; et sapientiam Filio, quoniam hæc in se imago illius erat, quæ a potentia orta erat; et dilectionem Spiritui sancto attribuit, quoniam in se a potentia et sapientia processit, sicut Spiritus sanctus a Patre et Filio, quæ dilectio est Patris et Filii. Et sic quidem distinxit veritatem ad imaginem per quam invenerat veritatem, ut quod hic proprium inventum est ad significationem, illic quasi singulare diceretur ad proprietatem. Et tamen quia Deo totum quod est, esse unum est; et non potest diversum inveniri quod in simplici natura idem est, neque unius esse potest quod alterius non est, ubi idem est unus est quod alter est. Cum enim potentia Patris aliud non sit quam essentia ejus, neque sapientia Filii aliud quam essentia ejus, neque amor Spiritus sancti aliud quam essentia ejus, necesse omnino est ubi una est essentia unam esse potentiam, unam sapientiam, et unam dilectionem; et communem esse, et totam esse, et proprie esse, et æqualiter esse. Itaque potentia Patris est, et Filii est, et Spiritus sancti est, et proprie est, et æqualiter est. Et sapientia Filii est, et Patris est, et Spiritus sancti est, et proprie est, et æqualiter est; et amor sive bonitas Spiritus sancti est, et Patris est, et Filii est, et proprie est, et æqualiter est. Et quia Deo habere idem est quod esse, et omne quod in Deo est aliud quam Deus esse non potest, Pater potentia est et Filius potentia est, et Spiritus sanctus potentia est; et una potentia quia una essentia. Similiter Pater sapientia est, et Filius sapientia, et Spiritus sanctus sapientia: et una sapientia, quia essentia una. Et Pater est dilectio, et Filius dilectio, et Spiritus sanctus dilectio: et dilectio una, quia essentia una. Sed Pater potentia est, et potentia nullius est, quia a nullo est; similiter et sapientia est Pater et nullius sapientia est, quia a nullo est. Dilectio est Pater et nullius est dilectio, quia a nullo est. Filius autem potentia est et Patris potentia est, quia a Patre est. Sapientia Filius est, et sapientia Patris est, quia a Patre est. Spiritus sanctus est dilectio Patris et Filii, quia a Patre et Filio est. Ubi diligenter cavendum ne communione confundatur quod distinguendum est, neque singularitate distinguatur, quod proprium est: hoc est cum personas in Trinitate distinguere volumus, non attribuamus uni quod alteri commune est, neque cum substantiæ unitatem demonstrare assignemus alteri, quod uni proprium est.

CAP. XXVIII. *Quod vest igium Trinitatis non solum in rationali creatura sed, etiam in corporea reperitur.*

Ecce demonstravimus vestigium aliquod Trinitatis summæ quantum valet ratio humana de modico quod suum est, et datum est illi et est in illa, et modicum est ad perfectum totum. Tria enim invenit in se et ex his Trinitatem deprehendit quæ erat supra se. Et contestata est illi natura foris, sicut de unitate deitatis. Et apparuerunt tria foris signa Trinitatis, sed non imago ut illa quæ intus erant: et hæc ipsa imperfecta similitudine erant. Erat enim potentia intus, et sapientia, et amor. Et tria hæc imago erant potentiæ Creatoris; et sapientiæ, et amoris, quia hic erant et ibi erant. Sed hic in imagine erant, ibi in veritate; tamen utrobique erant, et idem erant, quia hoc hic erat quod ibi erat. Sed quod hic erat imago erat, quod ibi erat veritas erat. Foris autem potentia non erat, sed signum tantum; neque sapientia sed signum tantum; neque amor vel bonitas, sed signum tantum; nec et ipsa signa, neque potentia erant neque sapientia neque amor sicut intus, sed signa tantum potentiæ, sapientiæ et amoris. Potentiæ. enim signum fuit rerum immensitas; sapientiæ pulchritudo; bonitatis utilitas. Et non erant ipsa signa potentia vel sapientia, vel bonitas; sed tantum signa eorum attestantia, his quæ intus erant propria. Et probata est Trinitas vera in operibus suis; nec potuit ratio his adjicere quidquam quæ perfecta erant, neque tollere aliquid quæ constabant discreta. Sunt enim tria hæc quæ omne rationale perficiunt, nec sine his perfectum est aliquid. Similiter ad omnem effectum concurrunt tria hæc, quorum siquid defuerit, nihil absolvitur; et si adsint pariter omnia consummantur. Hæc sunt potentia, scientia et voluntas; ex quibus si tollas unum aliquod, per-

fectionem imminuis; si cuncta pariter constituas, nihil deesse confiteris. His ergo et ipse rerum conditor opera sua perfecit, et constat ipse perfectus, quoniam in ipso perfecta sunt quæ neque in parte augeri possunt, quia plena sunt; neque in toto consummari, quia perfecta sunt; neque in unitate dividi, quia unum sunt.

Cap. XXIX. *Quod in his tribus omnia.*

Et quæcunque de Deo dicuntur, et creduntur veraciter in Deo: ad hæc tria referuntur et constat in his tribus in ipso, quibus, ut dictum est, si quid tollas perfectum non est quod relinquitur; si quid adjicere coneris, majus non est quod explicatur. Si enim fortem dicis et incorruptum et incommutabilem et invincibilem et cætera quæ similia sunt, hic totum hoc potentiæ est; si providum, si inspectorem, si scrutantem occulta, et intelligentem, hoc totum sapientiæ est; si pium, si mansuetum, si misericordem, si patientem, totum hoc bonitatis est. Et non potest his adjicere veritas quidquam, quia totum in his continetur quod perfectum est et verum: ideo tria hæc veritatem monstraverunt in simulacro perfecto et persuaserunt nihil adjiciendum tribus; quia hoc perfectum est, et nihil tollendum quoniam sic constat consummatum: et tria hæc in Deo erant unum; et Deo unum erant, sed distincta inventa sunt hic ubi non erant unum; et propterea Trinitatis imago facta sunt. Et secuta est consideratio proprietatem inventam hic usque ad ineffabilem Trinitatem; et distinxit ibi proprium quod proprium hic erat tentum, et differens inventum est; ibi autem in uno erat totum et unum totum.

Cap. XXX. *Recapitulatio supradictorum.*

Nunc ergo diximus quomodo ratio humana primum et in se Deum esse reperit et extra se approbavit et quomodo adjudicavit; quod unus est Deus, et simplex natura; et immensus et æternus. Magnus et non quantitate; simplex, et non parvitate. Et quod trinus est sine divisione unitatis; et unus sine confusione Trinitatis. Et quomodo Trinitas summa inventa est per eam quæ erat imago illius in nobis; et quomodo arguit non esse personas, tria in nobis; et in Deo tria esse personas, quia Deus sunt. Et quomodo tribus nihil adjici potest quia perfecta sunt; nec demi aliquid, quia discreta sunt. Et quomodo distincta sunt quæ in Deo sunt et secundum ea quæ discreta sunt in nobis; quoniam imago sunt ad illa et demonstraverunt Trinitatem; et hæc quidem secundum rationis judicium conjecimus in unum, quoniam ita veritatem approbavit. Siquidem additum est ex his quæ supereminent rationi et non contigit ad ea sufficere, quoniam secundum rationem formantur. Alia enim sunt ex ratione, alia secundum rationem, alia supra rationem: et præter hæc quæ sunt contra rationem. Ex ratione sunt necessaria, secundum rationem sunt probabilia, supra rationem mirabilia, contra rationem incredibilia. Et duo quidem extrema omnino fidem non capiunt. Quæ enim sunt ex ratione omnino nota sunt et credi non possunt, quoniam sciuntur. Quæ vero contra rationem sunt nulla similiter ratione credi possunt, quoniam non suscipiunt ullam rationem, nec acquiescit his ratio aliquando. Ergo, quæ secundum rationem sunt et quæ sunt supra rationem, tantummodo suscipiunt fidem. Et in primo quidem genere, fides ratione adjuvatur et ratio fide perficitur, quoniam secundum rationem sunt quæ creduntur. Quorum veritatem si ratio non comprehendit, fidei tamen illorum non contradicit. In iis quæ supra rationem sunt, non adjuvatur fides ratione ulla; quoniam non capit ea ratio quæ fides credit, et tamen est aliquid quo ratio admonetur venerari fidem quam non comprehendit. Quæ dicta sunt ergo, et secundum rationem, fuerunt probabilia rationi, et sponte acquievit eis. Quæ vero supra rationem fuerunt ex divina revelatione prodita sunt; et non operata est in eis ratio, sed castigata tamen ne ad illa contenderet. Nunc ergo sequitur demonstrare quantum his quæ in ratiocinando proposita sunt, et conducta probabiliter revelatio divina adjecerit, et quæ per inspirationem manifestata, et quæ per doctrinam asserta sunt; et quæ per miracula approbata, ex his quantum videbitur et possibile erit.

Cap. XXXI. *Brevis summa eorum quæ supradicta sunt cum adjectione quorumdam.*

Ante omnem creaturam Creator erat solus quidem, sed tamen non solitarius, quia cum ipso erat sapientia sua in qua omnia ab æterno per providentiam fuerunt quæ ab ipso in tempore per essentiam facta sunt. Solus fuit quando nihil præter ipsum fuit; et tamen solitarius non fuit, quia aliena societate non eguit qui sibi sufficiens fuit; cui nihil defuit, quia, sicut dictum est, totum in ipso per providentiam fuit, quod ab ipso per essentiam faciendum fuit. Hæc ergo duo diligenter et inter se distinguenda sunt et in se consideranda; Creator scilicet et creatura; ne vel creatura æterna credatur, vel Creator temporalis. In his enim duobus omnis cognitio constat veritatis. Primum ergo considerare oportet quæ de Creatore dicenda sunt vel credenda.

Creatorem igitur omnium rerum unum confitemur et trinum, unum in essentia, trinum in personis; quia essentia deitatis una est, et in essentia deitatis una est, et in essentia una tres personæ: Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Pater a nullo est, Filius a Patre solo est, Spiritus sanctus a Patre et Filio est: Quemadmodum in una anima mens et intellectus et gaudium; et mens quidem a se est; intellectus vero de sola mente est; de mente autem et intellectu gaudium: et hæc tria ad substantiam quidem una sunt anima. Ita in corpore uno, et figura est, et forma et pulchritudo tria hæc. Et videtur figura prima esse ad substantiam, deinde forma, et ex utroque pulchritudo: et hæc tria in uno corpore et unum corpus, ut in utraque natura imago Creatoris eluceat. In prima quidem ad similitudinem; in secunda autem ad similitudinis imita-

tionem. Si ergo Deum confitemur ibi essentia unum, et in personis trinum ; et in unitate quidem agnoscimus æternitatem et immensitatem. In æternitate autem incommutabilitatem ; in immensitate vero simplicitatem : hoc est æternitatem sine tempore ; immensitatem sine quantitate. In Trinitate confitemur communionem unitatis, æqualitatem immensitatis, coævitatem æternitatis. Et communionem quidem unitatis sine divisione, æqualitatem immensitatis sine diminutione, coævitatem æternitatis sine ordine vel successione. Et hoc est singulis unitate totum, immensitate plenum, æternitate perfectum. Tres autem personas nihil aliud esse quam essentiam unam, quia tribus esse unum est et una essentia est. Quapropter tres unum sunt, sed tres unus non sunt ; quia, si tres unum non esssent una essentia trium non esset, et si tres unus essent non tres essent. Idcirco tres unus non sunt, ne substantia dividatur ; et tres unum non sunt, ne personæ confundantur. Quod ergo Pater est, Filius est ; quia una est natura Patris et Filii. Sed non qui Pater est, Filius est ; quia alia est persona Patris et Filii. Item quæ de Deo secundum substantiam dicuntur, æqualiter dicuntur de Patre et Filio et Spiritu sancto. Quoniam substantia Patris, et Fili, et Spiritus sancti una est et æqualiter est. Deus nomen est substantiæ, et hoc Deo esse est quod substantiam esse. Ideo Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est. et non tres dii, sed unus Deus ; quoniam una substantia. Et similiter alia quæ de Deo secundum substantiam dicuntur, æqualiter dicuntur. Et de singulis singulariter et æqualiter dicuntur, et de omnibus simul ; non pluraliter, sed singulariter dicuntur et æqualiter. Et cum de singulis singulariter dicuntur non minus dicitur ; et cum de omnibus communiter dicuntur, non amplius pronuntiatur. Cum enim dicitur : Pater est Deus, non minus dicitur quam cum dicitur : Pater, et Filius, et Spiritus sanctus est Deus. Tota enim deitas in Patre, et tota in filio, et tota in Spiritu sancto, nec minor in Patre solo, quam simul in Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Similiter et de Filio et de

A Spiritu sancto intelligendum est. Unum nomen solum est quod de singulis singulariter dicitur ; in summa tamen non singulariter, sed pluraliter pronuntiatur, cum tamen ad substantiam dicatur. Dicitur namque : Pater est persona, et Filius est persona, et Spiritus sanctus est persona ; et tamen simul dici non potest, Pater et Filius et Spiritus sanctus est persona ; sed, tres personæ. Hoc enim solum ex his quæ ad substantiam dicuntur de singulis singulariter dicitur. In summa tamen non singulariter, sed pluraliter pronuntiatur. Quæ autem secundum relationem dicuntur, ad se dicuntur ; et de singulis singulariter dicuntur, in summa tamen nec singulariter nec pluraliter pronuntiantur ; quoniam ad se dicta sunt, et ideo ad invicem dici non possunt. B Item quod est Patrem esse, a seipso est esse : quod est Filium esse a Patre est esse ; quod est Spiritum sanctum esse ab utroque est esse : Filius habet nasci, Spiritus sanctus procedere ; et solius Filii est nasci, non Spiritus sancti. Quod enim nasci est, de alio est esse, non tamen in aliud. Quod autem procedere est, de aliquo est esse, et aliquoties in aliud. Quod enim spiratur ab aliquo spiratur, et spiratur in aliquo. Ideo sumpta sunt vocabula ad significandum id quod dicendum erat de Deo, ut intelligi aliquatenus posset quod comprehendi non poterat. Item sic ab initio suam notitiam Deus temperavit ab homine, ut nec totus manifestus esset nec totus abC sconditus. Si enim totus manifestus esset, fides non exerceretur et infidelitas convinceretur. Si vero totus esset absconditus, fides non juvaretur et infidelitas excusaretur. Item quatuor modis invisibilis Deus ad notitiam hominis egreditur : duobus intus, duobus foris. Intus per rationem et aspirationem ; foris per creaturam et doctrinam. Ex his duo ad naturam pertinent, duo ad gratiam : ratio et creatura ad naturam pertinent ; aspiratio et doctrina ad gratiam. Propterea post hæc in doctrina aspicienda sunt quæ auctoritas probat, quia ratio humana nisi verbo Dei fuerit illuminata viam veritatis videre non potest.

PARS QUARTA.

DE VOLUNTATE DEI QUÆ ÆTERNA EST ET UNA

ET DE SIGNIS VOLUNTATIS EJUS

Quæ quidem temporalia sunt et secundum figuram voluntatis dicuntur, qui signa sunt voluntatis.

CAP. I. *De voluntate igitur Dei, quod justa est.*

Prima rerum omnium causa est voluntas Creatoris quam nulla præcedens causa movit quia æterna est ; nec subsequens aliqua confirmat, quoniam, ex semetipsa justa est. Neque enim idcirco juste voluit, quia futurum justum fuit quod voD luit sed quod voluit, idcirco justum fuit, quia ipse voluit. Suum enim ac proprium voluntatis ejus est esse justum quod est, et ex eo quod in ea justum est quod ex ea justum est. Quoniam secundum eam justum est quod justum est quod utique justum non esset, si secundum eam non

A esset. Cum ergo quæritur quare justum est quod justum est, convenientissime respondetur : quoniam secundum voluntatem Dei est, quæ justa est. Cum vero quæritur quare voluntas Dei justa est, hoc sanius respondetur : quoniam primæ causæ causa nulla est cui ex se est esse quod est. Hæc autem sola est unde ortum est quidquid est ; et ipsa non est orta, sed æterna.

CAP. II *Quod modis Scriptura voluntatem Dei accipiat.*

Hic non prætereundum nobis est, quod sacra Scriptura de voluntate Dei diversis quibusdam modis loqui consuevit: et non est voluntas diversa, sed locutio diversa est de voluntate quæ non est diversa. Nam voluntas Dei in sacro eloquio aliquando accipitur illa quæ vere est in ipso, et idem cum ipso, et coæterna ipsi. Aliquando vero secundum quamdam dicendi figuram voluntas ejus vocatur quæ secundum proprietatem non est voluntas ejus, sed signum voluntatis ejus. Et dicitur ipsum signum voluntatis voluntas, cum voluntas non sit sed signum tantum. Quemadmodum et signa iræ ira dicuntur, et dilectionis signa dilectio appellantur. Et dicitur iratus Deus et non est ira aliqua in eo. Sed signa tantum, quæ foris sunt quibus iratus ostenditur, ira ipsius nominantur. Et est figura dicendi secundum quam non est falsum quod dicitur sed quod dicitur similitudinis respectu obumbratur. Et secundum istos modos figurarum quasi diversæ voluntates Deo attribuuntur, quia diversa sunt illa quæ per figuram dicuntur voluntas ejus, cum ea quæ secundum proprietatem dicitur una sit voluntas ipsius.

CAP. III *Prima volontas Dei beneplacitum dicitur.*

Igitur quæ et primum et principaliter voluntas Dei dicitur, est illa quæ vere est voluntas ejus. Et hæc est una nec multiplicitatem recipit, nec mutabilitatem.

CAP. IV. *Secunda operatio; tertia permissio.*

Deinde sequuntur duæ voluntates, et duo quæ dicuntur voluntates. Et hæc duo de Deo dicuntur, et Dei voluntates dicuntur, quia signa sunt voluntatis ejus. Harum voluntatem una permittens vocatur, altera faciens, hoc est permissio et operatio : quia permissio ejus dicitur voluntas ejus, et operatio ejus dicitur voluntas ejus, quoniam secundum voluntatem ejus fiunt et signa sunt voluntatis ejus. Et sunt duo ista quasi consequentia voluntatis summæ, et quasi explicatio ejus et effectus illius et paria illi, non tamen coæterna. Quidquid enim in illa semper est in istis aliquando et quidquid in istis aliquando non est in illa nunquam est. Omne enim quod est in illa semper est, et omne quod est in istis aliquando est ; quia, nec aliquid est præter ejus voluntatem, nec aliquid fieri potest extra operationem ipsius sive permissionem. Et sequuntur duo unam et una in ambobus invenitur, quoniam nec nolens operatur, nec permittit nisi volens. Et cum fit aliquid, dicitur hoc voluntas Dei, quia voluntate Dei factum est, ut hoc fieret vel permissum. Et voluntate fecit quod fecit et bene fecit et bonum fecit quod fecit. Et voluntarie permisit : etiam si illud bonum non fuit quod permisit.

CAP. V. *Quod Deus bona fecit mala permisit.*

Bona enim fecit et benefecit, et mala permisit et non fecit. Et bene fecit, quoniam utrumque bonum fuit. Et idcirco utrumque voluit, quia utrumque bonum fuit. Et fuerunt bona bona, et mala mala, nec bona fuerunt mala, nec mala bona; sed bonum fuit esse et bona et mala. Et voluit utrumque esse Deus, quia utrumque bonum esse fuit ; et non utrumque bonum fuit, quia malum bonum non fuit. Et idcirco non voluit Deus malum, cum voluit ut esset et malum. Quod tamen non fecit in eo quod fecit bonum, sed permisit ut esset, quia bonum fuit quod voluit. Neque id bonum malum fuit, sed ex B malo bonum fuit; neque malum bonum fecit, sed ex malo bonum fecit. Qui malis et bonis uti novit ad bonum.

CAP. VI. *Quare Deus mala permisit.*

Fuitque majus bonum esse bonum ex bono et malo quam ex solo bono ; pro quo voluit summum bonum ut esset hic bonum, et quod voluit fuit bonum. Sicut ergo æternæ sapientiæ illius ignotum esse non potuit omne quod futurum fuit, sic coæternæ voluntati ejus displicere non potuit omne quod fuit. Et vidit totum quod futurum fuit, et bonum esse hoc totum ut esset totum, et voluit ut esset totum, quia bonum fuit ut esset totum. Et vidit mala quæ erant procul futura cum bonis priusquam erant et consideravit, quod his malis adjunc- C tis bona commendarentur, et pulchriora fierent comparatione malorum, et bona essent mala inter bona quæ non erant bona. Quoniam ex eis ornarentur bona et commendarentur, et amplius bonum acciperent ad decorem et pulchritudinem universorum. Et respexit cuncta in ordine suo : et vidit bona ibi, et quæ bona sibi bona fuerunt, et voluit sic esse omnia ut bonum fuit, quia ita bonum fuit ut vidit et voluit quod futurum fuit. Et pensavit æquo judicio universa, quæ vidit in complacito uno quo bonum fuit et justum totum esse, et nihil aliud esse ; et voluit totum esse et aliud non esse. Et hac voluntate postea fecit ut bona essent quæ esse bonum erat, sicut viderat et voluerat. Et permisit ut mala essent quæ esse bonum erat, quæ D cum bonis futura esse præviderat, et ut essent cum bonis voluerat quia bonum erat. Et erat quidem voluntas ejus æterna et de bonis et de malis quæ voluit ut essent; sed non erat notum hominibus donec complerentur et fierent, de quibus bonis et malis voluntas ejus erat ut essent.

CAP. VII. *Quare operatio Dei et permissio voluntas ejus dicuntur.*

Cum autem fecit bonum et permisit malum, apparuit nobis voluntas ejus de illo, quoniam esse vult quod facit vel permittit ut sit ; et non incipit tunc cum illo quod fit voluntas ejus quæ æterna est, sed ostenditur ex illo quanto fit quæ occulta est. Et ideo ipsum quod fit dicitur voluntas ejus, quia signum est voluntatis ejus. Et apparet quasi alia et alia voluntas, quia signa sunt alia et alia unius voluntatis.

CAP. VIII. *Quod duplex sit discretio voluntatis Dei in beneplacito ejus et in signo beneplaciti ejus.*

Et exit inde nobis discretio cognoscendæ voluntatis divinæ in beneplacito ejus et in signo beneplaciti ipsius, et dicimus quod beneplacitum ejus est voluntas ejus. Et signum beneplaciti ejus vocamus voluntatem ejus. Et verum est utrumque et utrumque vere dicitur; sed beneplacitum ejus æternum est, nec potest non esse quidquid in illo est, et quidquid in illo non est, esse non potest. Nec contra ipsum, nec extra ipsum, nec sine ipso aliquid est, in omni quod est. Et constat ipsum et ratum est; nec cassari potest aliquando quod in ipso est, *Omnia quæcunque voluit fecit (Psal* CXIII), in hoc probatum est, quia non cassatur voluntas ejus. *Et volunti ejus quis resistit? (Rom.* IX). In hoc probatum est quod non impeditur beneplacitum ipsius. Ita consonat rerum effectibus beneplacitum ipsius : et ipsi effectus rerum non discordant ab illo. Fit enim omne quod vult, et omne quod non vult non fit, et omne quod vult semper vult ut fiat, quod non semper est aliquando quod vult. Et hoc beneplacitum universale quod æternum est, et omnia quæ fiunt temporibus suis pariter simplici nutu justitiæ suæ approbat ut ad effectum procedant et fiant; perficitur et consummatur, et manifestatur duobus his quæ subsequuntur in tempore permissione et operatione divina, quæ et ipsa rerum omnium quæ effectum capiunt vel subsistunt universitatem complectuntur, et respondent illi quod unum est in utroque, et indissimile ad dissimilia omnia beneplacitum Creatoris. Et propterea etiam ipsa duo voluntates dicuntur. Et est voluntas Dei beneplacitum ejus, et voluntas ejus operatio ejus, et voluntas ejus permissio ejus.

CAP. IX. *Quarta est in præceptione; quinta in prohibitione.*

Et sequitur adhuc præceptum ejus et prohibitio ejus, et dicitur utrumque voluntas ejus. Quia cum quid fieri præcipit monstrat se velle ut fiat; et cum quid fieri prohibet monstrat se velle ut non fiat. Et idcirco dicuntur hæc similiter voluntas ejus; quia signa quædam sunt voluntatis ejus, sicut operatio ejus et permissio ejus. Sed dissimiiter et alio quodammodo significantia voluntatem ejus et signa ex parte.

CAP. X. *Quod non sunt similia signa æterni beneplaciti præceptio et prohibitio, sicut operatio et permissio.*

Non enim sicut operatio ejus et permissio ejus, per omnia tenduntur, quia sine illis non fit aliquid, sic et præceptum ejus et prohibitio ejus. Sed ad rationalem creaturam diriguntur hic duo tantum, quæ sola capax est præcepti et prohibitionis cauta secundum insitam rationem ad utrumque. Itaque signa sunt ex parte hæc quæ non pertinent ad omnia neque universaliter summam voluntatem et quæ in ea sunt omnia educunt ad manifestationem, sicut operatio et permissio; sed ea tantum quæ ad ipsos spectant quibus fiunt hæc, hoc est præceptum et prohibitio significant, quoniam hæc sunt in summa voluntate et beneplacito æterno. Neque similia signa sunt hæc, quemadmodum operatio et permissio ejus certa sunt et vera signa beneplaciti æterni. Hæc autem, videlicet præceptum et prohibitio, non omnino certum faciunt quid sit in beneplacito æterno, donec operatione vel permissione probetur cum factum fuerit. Tunc enim certum est cum hoc fecerit Deus, sive permiserit ut fiat, et factum fuerit : quod in beneplacito æterno ita fuit ut esset ut factum est, secundum quod voluntarie fecit sive permisit ut fieret quod factum est ; quoniam bonum ita est esse, ut est. Cum autem præceptum fuerit vel prohibitum aliquid, nondum constat adhuc quid de ipso definitum sit in beneplacito, æterno, donec illud rerum effectus educat in evidentiam sive operatione, sive permisionne, ut bonum est esse et beneplacitum quod futurum est antequam est. Præceptum autem et prohibitio innuunt tantum quod ita est in voluntate jubentis ut fiat, sive non fiat. Et demonstrationem faciunt quod justum est et pium non aliud credere illum cui fit etiam si aliud est in illo a quo fit. Et præcipitur sæpe ut fiat quod futurum non est, nec fiet. Et prohibetur ut non fiat quod futurum est, et fiet, et non est in beneplacito nisi hoc solum ut sit quod fiet; quoniam bonum est ita esse et non aliud quam fiet sive operatione Dei quod bonum est, sive permissione quod malum est; quod totum esse, bonum est. Et non respondet præceptum ejus et prohibitio ejus beneplacito ejus, sicut operatio ejus et permissio ejus; sed procedunt ex adverso et dissimiliter ordinantur, et non consentiunt aliquoties secundum id quod futurum est, et fiet.

CAP. XI. *Quomodo fallere videtur Deus præceptione vel prohibitione aliud innuens quam sit in beneplacito suo.*

Videntur autem præcepta Dei fallaciæ obnoxia, et mentiri de veritate, cum aliud significant de voluntate ejus, et affirmant nobis aliena quædam et extranea ; et quæ conducta non sunt neque constant secundum beneplacitum illius quod ratum est de his omnibus quæ fient. Et graviter colluctatur conscientia humana in duobus adversantibus quæ non conveniunt, vel quare præcepit Deus quod noluit, vel quare factum non est quod voluit. Si enim veritas est in præcepte, videtur omnino voluisse quod jussit; et si omnipotentia est in beneplacito, videtur factum esse quod voluit. Non est autem factum quod jussit, et factum est quod prohibuit. Quid ergo consequitur ad hæc nisi vel noluisse id quod præcepit, vel non potuisse quod voluit? Quod enim factum est ab eo factum est, et si factum non est tamen permissum est, et si factum est voluntarie factum est, et si permissum est voluntarie permissum est; quia neque ad faciendum contra voluntatem suam compelli potuit, neque ad permittendum sine voluntate cogi. Igitur quod factum est voluntate ejus factum est, etiam si propter voluntatem ejus factum non

est; quoniam alia factum est voluntate, quæ voluntati ejus amica non est. Tamen omnino voluit quod factum est quoniam bonum est sic esse factum ut factum est; et sic esse, ut est. Quare ergo præcepit ut aliter esset et prohibuit ne sic esset, cum bonum sit ita esse, et ita futurum fuit priusquam fuit et beneplacitum, quia bonum fuit ita esse, et aliter non esse.

CAP. XII. *Utrumque durum sonare vel quod Deus præcipiat quæ fieri nolit, vel quod quæ nolit fieri permittat.*

Tali quæstione coarctamur et ducimur in ambiguum, ut non facile audeamus hoc vel hoc aliquid affirmare, vel quod Deus fieri præcepit quod noluit, vel quod quæ noluit, fieri permisit. Et tamen e duobus unum facilius approbamus, quod voluit quod præcepit bonum, quam malum quod permisit, cum tamen quod præcipit factum non sit bonum, sed malum quod permisit. Leve enim est et sine conscientiæ scrupulo dicitur : Deus vult bonum, et cum dicitur, bene sonat : Deus vult bonum. Si vero dicitur : Deus vult malum, grave est auditu et non facile recipit hoc pia mens de bono quod malum vult. Videtur enim hoc solum dici cum dicitur Deus vult malum, quia bonus malum diligit et approbat quod pravum est, et amicam sibi reputat iniquitatem, et gaudet quasi de consimili et bonum putat quod malum est; et ideo refutat hoc mens pia; non quia quod dicitur non bene dicitur, sed quia quod bene dicitur non bene intelligitur.

CAP. XIII. *Quod Deus non vult mala, quamvis velit ut mala sint, quia hoc bonum est.*

Non enim hoc solum dicitur sed in eo quod dicitur aliquid intelligitur quod non dicitur, quoniam malum esse vult et malum non vult. Quod si hoc solum intelligendum est, in eo quod dicitur, vult Deus malum dicendum omnino non est, quoniam non approbat illud prorsus, neque existimat bonum; sed contrarium judicat sibi bono malum, et a suo alienum, et non desiderat illud quasi conveniens, et concordiam habens cum eo quod ipse est, et cum eo quod ab ipso est, et cum eo quod simile sibi est; sed extraneum et longinquum et in omni dissimilitudine constitutum. Et tamen vult esse malum, et in eo non nisi bonum vult, quia bonum est malum esse; et non vult ipsum malum, quia bonum non est ipsum malum. Sed vult bonum tantum; et diligit et delectatur in eo, quasi in suo cognato et amico et proximo. Et propter hoc bene sonat et libenter accipitur cum dicitur Deus vult bonum, quia illud tantum diligit et non malum cum quo sibi participatio nulla est, neque similitudo, sine his quæ sunt ab ipso et quæ habent similitudinem cum ipso. Itaque vult Deus bonum, et non vult Deus malum; et vult omne bonum, et omne malum non vult. Et hoc totum suscipimus et approbamus et dicimus : quod verum est hoc totum, quoniam diligit quod suum est totum : et non diligit nisi quod suum est, neque odit nisi quod suum non est; et totum

A suum diligit, et odit totum non suum. Et ideo voluit bonum quod præcepit, et non voluit malum quod permisit, quia suum sui bonum et de suo, et amicum sibi et de suo, et dilexit suum et approbavit, et concupivit ad se et amavit in se desiderio æterno. Et malum quod suum non fuit in se non dilexit, neque ad se concupivit; sed reprobavit et renuit animo dilectionis : et non suscepit in se consensu charitatis, ut locum ei daret in beneplacitis suis.

CAP. XIV. *Quod semper impletur voluntas Dei.*

Sed dicis mihi : Ergo si bonum voluit imo quia voluit bonum quod præcepit, et malum quod permisit non voluit, factum est quod noluit et quod voluit factum non est; quoniam factum non est
B quod præcepit, sed quod prohibuit factum est, quod permisit. Itaque factum non est quod voluit, sed quod noluit factum est. Imo factum est quod voluit et non factum est nisi quod voluit, quia sic voluit, fieri, et sic esse ut factum est, quia bonum erat sic fieri et sic esse ut factum est, et non aliter esse. Et sic esse bonum erat etiam in eo quod bonum non erat. Et ipsum quod bonum non erat non voluit, sed esse ipsum voluit quoniam id bonum erat. Et cum factum est, id factum est quod voluit; quoniam bonum erat, et hoc voluit. Tamen dicis : minus habuit voluntas ejus et minus adepta est et minus impleta, et imperfecta remansit; quia factum non est bonum quod voluit : et quod noluit malum factum est. Non ergo consideras
C quod sicut malum non habet quod factum est quod noluit; ita neque bono caret, quod factum non est quod voluit. Quod enim vult et diligit habet; et quod non vult et odit non habet. Et quod vult esse adipiscitur quia fit; et quod vult non esse similiter, quia non fit. Et nunquam cassa est voluntas ejus ut non fiat quod vult, neque infirma aliquando ut fiat quod non vult.

CAP. XV. *Quomodo mali excusabiles non sint quamvis per eos voluntas Dei impleatur.*

Sed fortassis iterum mali excusabiles videantur cum mala faciunt, quoniam voluntas Dei impletur etiam in malis quæ faciunt. Sed voluntate sua mali judicantur, quia Dei voluntati contrarii
D sunt. Non quidem voluntati ejus resistendo ut fiat quod non vult quia non possunt; sed resistere volendo quia mali sunt. Et ipsa mala voluntas culpa est qua aliud volunt; facultas autem justa qua aliud non possunt. Et cum volunt quod Deus vult, non ideo boni sunt, quia non propter hoc volunt quia Deus vult. Et quod volunt ipsum Deus non vult, quoniam malum volunt et malum Deus non vult. Approbant enim et diligunt quod Deus odit; ac per hoc Deo contrarii sunt et mali, et peccatores, et rei. Non quidem faciendo quod Deus juste fieri noluit, sed amando et approbando quod Deus non diligit. Non igitur in eo quia fit quod fit voluntatem Dei impediunt; sed in ipso quod fit a dilectione Dei recedunt. Et mali sunt non efficiendo contrarium ipsius voluntati, sed amando contrarium ipsius dilectioni. Et sic qui-

dem voluntas Dei semper impletur, et non excusantur mali propterea quoniam in eis et per eos voluntas Dei impletur. Quoniam non sua voluntate ad implendam Dei voluntatem diriguntur, sed occulta ipsius dispositione qua aliud non possunt ad implendam voluntatem ejus conducuntur. Sed dicis iterum : Si Deus voluit ita esse totum ut factum est quoniam bonum est ita esse totum, et non aliter esse quam factum est; cur ergo præcepit quod factum non est et prohibuit quod factum est, cum bonum sit utrumque, et factum non esse quod factum non est, et factum esse quod factum est? Quare non potius præcepit ut hoc fieret solum quod esse bonum erat; et ut hoc solum non fieret quod non esse bonum erat similiter?

Cap. XVI. *Quare præcipit Deus omne quod præcipit.*

Sed hic altius modum et causam præcepti considerare oportet et prohibitionis, secundum eumdem modum. Omne enim præceptum vel prohibitio aut propter ipsum fit cui fit; aut propter ipsum a quo fit; aut propter alium pro quo fit. Tota autem præcepti utilitas et bonum sive in eo quod faciendum præcipitur sive in eo quod cavendum mandatur, ad eum solum refertur pro quo fit : sive idem sit ille, sive alius abeo cui fit, vel ab eo a quo fit. Finis autem mandati fructus est et utilitas et causa et bonum quod consequitur post consummationem præcepti. Et hoc bonum ad eum tantum refertur pro quo fit præceptum ; et illius bonum debet esse impletio præcepti.

Cap. XVII. *Omne quod bonum dicitur vel secundum se, vel ad aliquid bonum est.*

Iterum considerandum est, quod omne quod bonum dicitur, aut secundum se bonum dicitur, aut ad aliquid. Quod secundum se bonum dicitur substantialiter bonum dicitur, quia ipsum bonum est. Quod vero ad aliquid et non secundum se bonum dicitur, non substantialiter bonum dicitur quia ipsum bonum non est, sed accidentaliter et denominative, quoniam ex ipso bonum est. Quoddam ergo bonum, bonum est, quoniam ipsum bonum est. Aliud autem bonum est, quia alicui bonum est, et ipsum bonum non est. Quod ergo bonum est et sibi bonum est et alii bonum est in toto bonum est. Quod autem bonum est et sibi bonum est et alteri bonum non est, ex parte bonum est, sicut quod bonum est et alteri bonum est et sibi bonum non est, ex parte bonum est.

Cap. XVIII. *Quod secundum se bonum dicitur et universaliter dicitur vere et summe bonum esse.*

Est adhuc aliud bonum et excelsius bonis aliis quod et vere bonum est, quia in se bonum est, et universaliter bonum est, quia ad omnia bonum est, et omnium bonum est. Quod enim in se bonum est vere bonum est, et quod omnium bonum est universale bonum est. Et omne bonum ipsum est, quoniam omnium bonum ipsum est, nec extra ipsum bonum est. Quod autem ad se bonum non est non vere bonum est nec verum bonum est, sed

A bonum tantum dicitur, non quia ipsum bonum est, sed quia ex ipso bonum est et prodest.

Cap. XIX. *De tribus generibus boni.*

Bonum ergo summum est quod ipsum bonum est, et ad omne bonum, bonum est. Medium vero bonum est quod ipsum bonum est, et ad aliquid bonum est. Bonum autem infimum et quari extrarum et denominative solum et conductum et non proprium bonum; quod ad aliquid bonum est, et ipsum bonum non est. Quod enim ipsum est bonum non est, sed quod ex ipso est bonum est. Et idcirco secundum aliquem modum et ipsum bonum est, quoniam ex ipso bonum est et prodest. Et ex ipso bonum est esse etiam quod ipsum bonum non est, quia nisi esset ipsum quod bonum
B non est, esset quod ex ipso bonum est. Neque idcirco præstant mala quoniam et ipsis bonum est; sed servint præstanti et largienti, quia per ipsa non ex ipsis est.

Cap. XX. *Majus bonum esse illud quo majus bonum est.*

Cum autem concurrunt duo ad unum quod est bonum et alicui non est bonum, et quod bonum non est et alicui bonum est et utrumque esse non potest, sed e duobus alterum solum esse necesse est; majus bonum est hoc esse quod bonum est alicui etiam si ipsum bonum non est, quam quod est bonum solum et alicui bonum non est. Ex eo enim quod bonum non est et alicui bonum est,
C illud etiam sequi necesse est quod bonum est et alicui bonum est : quod majus omnino bonum est quam quod solum bonum est et alicui non bonum est. Non enim bonum esset quod bonum non est et alicui bonum est, nisi ex eo esset quod bonum est et alicui bonum est. Itaque quod bonum est, quoniam ipsum bonum est, bonum non est, quoniam alicui quoniam ex ipso bonum non est; et quod bonum non est, quoniam ipsum bonum non est, bonum est alicui quoniam ex ipso bonum est. Et contingit hoc aliquando, et in fine suo omnia judicantur sive bona sint sive mala. Quoniam Scriptura manifeste ostendit quod bonum unum et bonum ipsum *aliis* est *odor vitæ in vitam ; aliis odot mortis in mortem* (*II Cor.* II); quoniam ex bono malum
D et ex malo bonum, et bonum malis ad malum, et malum bonis ad bonum. Et quod bonum in toto est majus est quam quod in parte est solum : et hoc probatur in hunc modum. Omne enim universale bonum, majus est quam id quod in parte constat; et quod conducit magis et expedit, majus ipsum merito nominatur. Nunc autem congregemus in unum colligamus quæ dicta sunt, quoniam impletio omnis mandati bonum illi est propter quem factum est ipsum mandatum. Et quoniam omne bonum aut per se bonum est aut ad aliquid; et quod per se bonum non est et alicui bonum est, majus est bonum quam quod per se solum est et alicui bonum non est; et quod magis conducit et expedit, jure semper majus æstimatur bonum; quoniam in fructu suo est omne bonum, et est tantum omne quantum est bonum.

CAP. XXI. *Quod Deus propter se, id est pro utilitate sua vel commodo, nihil præcipit.*

Nunc ergo videamus omne quod præcipit Deus, utrum propter se præcipit, an propter illum cui præcipit. Si propter se præcipit ad bonum ejus est quod præcipit, et bonum illi est præcepti sui impletio. Sed quomodo præcipit propter se qui profectu non indiget in se, neque bono alieno adjuvari potest, qui melior esse non potest? Clamat hoc Scriptura, et perfector mandati in Scriptura: *Deus meus es tu, quoniam bonorum morum non eges* (*Psal.* XV). Ergo propter se non præcipit Deus quod præcipit: sed propter illum cui præcipit, quoniam bonum est illi quod præcipitur cui bonum præcipitur.

CAP. XXII. *Quod Deus hoc unicuique præcipere habet, quod bonum est ipsi cui præcipit; etiam si bonum omnium non est.*

Quoniam ergo propter illum mandatum fit cui fit, ipsum mandatum; bonum ipsius esse debet cui mandatur mandatum. Neque aliud mandari debet nisi quod bonum illi est cui mandatur mandatum. Frustra enim mandatum fieret, si illi propter quem fieret bonum non esset; maxime cum a bono mandatum esset qui nihil præter bonum mandare deberet. Neque enim Creaturæ suæ Deus auctor mali esse debet, neque causationem illius assumere sibi quasi docendo corruperit quod creaverat incorruptum. Non itaque habet aliud illi præcipere nisi solum quod bonum est illi; a quo habet illa totum quod bonum habet, et quod malum habet nihil. Quoniam igitur Creator nulli creaturæ suæ auctor mali esse potest: hoc solum illi præcipere habet quod bonum est illi, ut sincera sit ejus instructio, quemadmodum conditio incorrupta fuit.

CAP. XXIII. *Quod bonum universitatis Deus impedire non habet etiam si illud alicui bonum non est.*

Contingit autem quod bonum est alicujus, bonum esse illius, et non esse bonum ad omnia; et iterum quod malum est alicujus malum esse illius; et bonum omnium esse, quoniam ex eo bonum est omnium. Et quod bonum est et alicui bonum est, minus esse bonum quam quod malum est et alicui malum est; quoniam ex eo ipso majus bonum est: ex quo omnium bonum est. Et majus bonum est esse illud a quo majus bonum est, etiam cum illud alicui bonum non est; quoniam in toto bonum est. Non debet autem in compensatione minoris boni impediri quod majus est bonum ab illo qui optimus est. Et diximus quod majus bonum est esse bonum ex malo et bono, quam ex solo bono. Permitti itaque mala debuerunt ut essent, quoniam ut essent id bonum erat ex quibus bonum futurum erat. Præcepit itaque Deus quod bonum erat singulis et permisit quod bonum erat universis. Quoniam et majus erat bonum universitatis quod impedire non debuit, et non bonum erat quod malum erat alicui, cujus auctor esse non potuit. Et ideo præcepit unicuique quod bonum erat, et quod illi bonum

A erat: et præcipiendo illud significavit se velle illud; et sunt signa voluntatis ejus præcepta ejus et vocantur voluntas ejus, quia signa sunt voluntatis ejus. Quoniam vult et approbat et diligit et amica sibi judicat bona quæ præcipit, et mala quæ prohibet odit et detestatur; et non invenit concordiam et amicitiam in illis, et vult tamen ipsa esse mala quæ non vult, propter majus bonum quod ex illis est, quod magis vult. Sed non pertinet ad nos neque exigitur a nobis nisi quod nostrum est et quod bonum nostrum est, tantum ut faciamus et approbemus et diligamus in nobis, sicut et Deus diligit et approbat bonum nostrum in nobis; ut ei similes simus diligendo et faciendo bona, sicut et ipse bona tantum diligit et facit. Et cum præcipitur
B nobis quod bonum nostrum est, significantur nobis quod Deus hoc vult; et pertinet ad nos ita sentire et ita credere quod Deus hoc vult quod præcipit nobis ut faciamus. Et non fit tamen nisi tantum quod ipse vult fieri, sive faciamus sive non faciamus quod præcepit nobis. Et si facimus bonum, voluit hoc Deus; et voluit quia factum est hic, et approbat quod factum est et quod factum est; vult quod factum est et bonum est. Et si facimus malum vult quod non facimus bonum; et approbat illud quoniam bonum est, et non approbat illud quoniam bonum est, et non approbat malum quod facimus quoniam malum est; et tamen vult quod factum est quia factum est, quoniam id bonum est quod factum est, et vult ipse
C quod bonum est. Et constat omnipotens voluntas ejus certa et firma in beneplacito suo, approbans bona et permittens mala propter bona, quæ nec potest impediri ut non fiat quod in ipsa est, neque infirmari aliquando ut fiat quod in ipsa non est.

CAP. XXIV. *Quod operatio et permissio Dei signa sunt quid esse bonum sit, etiam si illud bonum non sit; præceptio et prohibitio signa sunt quid bonum sit, etiam si illud esse bonum non sit.*

Et sequuntur post ipsam signa ejus, permissio ejus et operatio ejus; et ostendunt quod in illa est, quoniam in ipsis idem est. Et adduntur præcepta et prohibitiones, et sunt ipsa quoque signa et demonstrationes voluntatis summæ et complaciti æterni per approbationem et dilectionem; et non
D similia quidem signa prioribus, sed demonstrationes tantum et significationes approbationis et complaciti in eo quod bonum sit; et non in eo quid esse bonum sit, sive bonum ipsum sive malum sit. Et ideo significant ipsa non hoc quidem quod in summa sit voluntate, ut fiat, sed quid in complacito et approbatione sit si fiat; et tamen utrumque voluntatis esse et hoc bonum esse etiam si non fiat: illud autem sic bonum esse ut fiat.

CAP. XXV. *Beneplacitum Dei esse aliquando ad rem; aliquando ad actum rei.*

Quicunque ergo distinctionem facere voluerit, loquens de voluntate Dei, hoc dicere potest. Diligenter considerandum est quomodo quidem Deus in alio hoc vult quod ipsum est; in alio autem solum hoc, quia ipsum est. Et in eo quidem quod

vult ipsum quod est rem approbat; in eo vero quo A vult ipsum, quia est actum rei. In eo autem quo approbat rem et non actum rei, vult aliquid et nondum adhuc esse vult quod vult. In eo vero quod approbat actum rei et non ipsam rem aliquid esse vult, et nondum tamen ipsum vult quod esse vult. Neque enim bonum est esse omne quod ipsum bonum est; quemadmodum aliquando quod malum est esse ipsum malum non est. Et non vult Deus nisi quod bonum est, etiam cum ipsum esse bonum non est. Et non vult esse nisi quod esse bonum est, etiam cum ipsum bonum non est. Et cum vult aliquid quia bonum est, et ipsum esse non vult quia bonum non est, perficitur voluntas ejus et non remanet sine effectu, etiam cum res non perficitur, quia sic vult et bonum est quod vult. B Et cum non vult aliquid, quia malum est; et ipsum esse vult, quia bonum est: perficitur voluntas cum res perficitur, quia sic vult et bonum est quod vult. Et simper impletur voluntas ejus; et nunquam cassum est beneplacitum illius, quia bonum est simper quod vult et est semper ut vult. Et hæc sunt quinque proposita, beneplacitum, et permissio, operatio, et præceptio et prohibitio. Et distinguitur beneplacitum in eo quo res approbatur, et in eo quo approbatur actus rei. Et distinguitur operatio in eo quod operatur, et in eo quod cooperatur; quia alia facit Deus operando quæ solus facit, alia cooperando quæ solus non facit. Et distinguitur præceptio in eam quæ fit extrinsecus per sermonem, et in eam quæ fit in- C trinsecus per inspirationem. Et constat in his omnibus quod de voluntate Dei dicendum fuerat, quod est beneplacitum ejus et signum beneplaciti ipsius. Propter quod et multæ dicuntur voluntates ejus cum sit una voluntas ipsius, quia sunt multa signa voluntatis ipsius. Sicut scriptum est: *Magna sunt opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus (Psal.* CX); propter ea quæ ex ipsa et secundum ipsa sunt multa. Hic de voluntate Dei diximus, quoniam ipsa est prima causa rerum omnium sicut nobis propositum fuerat, et secundum intelligentiam prosecuti sumus. Et sunt alia multa fortassis quæ comprehendi non possunt et fugiunt ab intelligentia et sermone nostro.

CAP. XXVI. *De rerum ordine in primis et secundis et tertiis.*

Sic igitur constat rerum ordo, ut post prima posteriora sequantur. Prima omnium rerum est voluntas Creatoris, quoniam ex ipsa sunt omnia. Post ipsam sequuntur quæ sunt ex ipsa. Prima sunt quæ sunt in ea; secunda sunt quæ ex ea sunt. Quæ in ea sunt æterna sunt, nec gradum habent nec successionem, quoniam in unitate consistunt et in æternitate non transeunt. Quæ ex ea sunt creata sunt per eam, quæ causam sumpserunt ex ipsa non substantiam in ipsa; quia divina natura substantialiter ex se non genuit quæ causaliter creavit; quia non potest naturaliter idem esse qui fecit et quod factum est. Quæ igitur facta sunt unum non sunt, et in his quædam prima sunt, quædam secunda; non prima ad prima sed ad secunda prima. Quæ enim ad prima ante se secunda sunt ad secunda, a se sunt prima; et secunda ab ipsis; tertia sunt ad prima. Quæ in voluntate Dei æterna et invisibilia sunt, prima omnium sunt. Quæ ex voluntate Dei temporalia et invisibilia sunt secunda sunt post prima, quæ temporalia et visibilia tertia post secunda. Et in ipsis visibilibus quæ rationalia sunt propinquiora sunt invisibilibus, quia in ipso invisibilia sunt quæ rationalia sunt. Ponuntur ergo primo loco causæ primordiales et invisibiles et increatæ creandorum omnium in mente divina. Secundo loco angelica natura invisibilis quidem sed creata. Tertio loco humana visibilis et creata, secundum aliquid invisibilis et secundum aliquid visibilis. Quarto loco creatura corporea in toto visibilis et in toto temporalis. Post primas ergo causas increatas et invisibiles exibit consideratio, et procedet ad angelicam naturam rationalem et invisibilem. Deinde ad humanam visibilem et rationalem, de qua propositum primum fuit ut consummetur. Nam de visibilibus quidem quæ postrema sunt idcirco primam propositionem fecimus, ut de his quæ patent ad latentium cognitionem humanam mentem commodius duceremus.

PARS QUINTA.

DE CREATIONE ANGELORUM ET NATURA, ET CONFIRMATIONE ET LAPSU, ET CÆTERIS QUÆ AD IPSOS PERTINENT.

CAP. I. *Quæ de angelis sint inquirenda.*

De natura angelorum post alia quæ dicta sunt de mundi exordio, et idcirco præmissa sunt ut de visibilibus ad invisibilia conscendamus, quæstionem proponitis, quando creati sunt angeli et quales facti sunt dum conderentur primum; deinde quales effecti sunt dum dividerentur aversione et conversione, et quomodo dispositi sunt dum judicarentur damnatione et glorificatione. Et de numero et de ordinibus, et de excellentia, et de hominibus, et de differentia donorum, et de officiis et de moderatione, et gubernatione Dei in

illis; et multa alia quæ consequuntur ad illa et quæ continentur in illis. Propterea nos oportet de multitudine rerum latentium secundum nostram possibilitatem, doctrinam formare; et non promittere quod consequi non possumus.

Cap. II. *Quod in principio creati sunt angeli.*

Scriptura dicit quod *primo omnium creata est sapientia* (*Eccli.* I); et intelligimus sapientiam creatam rationalem creaturam dici; quoniam et ipsa sapientia est sicut lumen lucens ex lumine, non lumen illuminans. Nam illa sapientia quæ sapit, sapientia ista creata non est, nec creatura est, nec aliunde esse habet sicut aliunde sapere non habet. Ista autem quæ de semetipsa sapere non habet neque esse habet a semetipsa et ipsa creata est, et initium habet. Et dicit Scriptura quando facta est sapientia ista, quoniam primo omnium facta est sapientia. Et rursum alia Scriptura dicit: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). Et videntur quædam contraria oriri assertionibus istis. Nam si primo omnium creata est sapientia, omnia post ipsam facta sunt. Et facta sunt post ipsam cœlum et terra, et ipsa facta est ante cœlum et terram. Iterum si in principio creavit Deus cœlum et terram, nihil factum est ante cœlum et terram nec facta est ipsa sapientia ante cœlum et terram, quod simul stare non potest. Propter hoc ne divinarum Scripturarum testimonia contraria esse videantur, quod sentire fas omnino non est, requirimus intelligentiam veritatis quoniam in veritate non repugnat quod verum est.

Cap. III. *Quod rationalis creatura prima omnium facta est dignitate; quoniam ad ipsam refertur conditio reliquorum sicut ipsius conditio ad Deum refertur; quoniam ad similitudinem Dei facta est sola.*

Dicimus quod creatura rationalis prior facta est, et post eam facta est corporea creatura; non tamen tempore, sed causa solum et respectu et dignitate. Nam ipsius creaturæ corporeæ conditio ad ipsam refertur creaturam rationalem, et secundum ipsam perfecta est, sicut ipsius conditio ad solum creatorem refertur; quoniam secundum ipsum facta est sola. Sola quippe rationalis creatura ad similitudinem Dei facta legitur; et non dicitur quod creatura aliqua præter solam rationalem ad similitudinem Dei facta sit, licet omnis creatura in ratione divina et in providentia æterna ipsius causam et similitudinem habuerit ex qua et secundum quam perfecta sit in sua subsistentia. Sed magna differentia est et distantia magna similitudinem in Deo habere, et ipsum Deum similitudinem habere. Quamvis enim in Deo nihil esse possit quasi minus aut diversum aut aliud a Deo, longe tamen aliud est factum esse aliquid ad similitudinem ipsius quod in Deo est; et in ratione ejus et in providentia ipsius, et factum esse ad similitudinem Dei et Deo simile esse. Nam in Deo quidem omnia erant antequam essent in se secundum rationem et causam et providentiam ex qua futura erant; sed quasi minus erant singula per- A fecto et unumquodque hoc aliquid et non totum secundum rationem et discretionem uniuscujusque quæ ratio omnia continebat; et major erat in toto et quasi superabundabat singulis. Et ideo non erant singula hoc totum, sed in toto erant singula, quoniam totum ad totum et singula ad singula. Et tamen Deo in parte nihil minus erat quam in toto, quia pars et totum unum erat; sed ratione et providentia una discreta sunt quæ futura erant in parte et toto, et minus futura erant in parte quam in toto. Ideo et ipsa in ratione minus habuerunt, quoniam ex ratione minus futura fuerunt. Tamen Deus minus non habuit, qui in toto totus fuit et perfectus et unus. Propter hoc ergo rationali creaturæ non unum aliquid aut hoc aut illud B in ratione divina pro exemplari sufficere potuit, ad cujus similitudinem formaretur; sed quasi totum assumpsit Deum ut ejus ipsius imago fieret, et expressa est ad totum æmulans perfectionem. Ut sicut Deus spiritus erat, et unus erat, et in ipso totum erat secundum rationem et providentiam et præscentiam et causam, sic ipsa spiritualis esset capax in uno præscientiæ et providentiæ et rationis et providentiæ omnium. Et eluxit perfecta imago imitans auctorem suum, et apparuit quasi ipsum in altero, et idem unum. Et inventa sunt in secundo quoque quæ et in primo secundum æmulationem et imitationem, et imaginem et similitudinem rationes et causæ et similitudines et formæ, dispositiones et providentiæ futurorum C quæ facienda fuerant. Et cum facta sunt illa quæ facta sunt ad similitudinem horum facta sunt quæ erant in secundo facta; sicut facta sunt ad similitudinem illorum quæ in primo erant non facta. Secundum hujusmodi rationem et considerationem corporea creatura post secundam tertio loco est creaturam rationalem, quoniam ad eam est facta, sicut rationalis ipsa ad primam facta est increatam naturam.

Cap. IV. *Quod in principio primo simul facta sunt et corporea omnia in materia, et incorporea in angelica natura.*

Quantum vero pertinet ad momenta temporum et intervalla et spatia, hoc interim commodius et veritati vicinius profitemur, quod simul in tem- D pore uno et in principio temporis quando tempora ipsa cœperunt, facta est sive creata pariter rerum omnium visibilium materia, et invisibilium in creatura angelica et spirituali natura. Nec fuisse in tempore nec cœpisse alteram sine altera, nec prius unam quam alteram, sed utramque simul in tempore et cum tempore; et tamen priorem fuisse ad quam facta est altera in qua fuerunt exemplaria sapientiæ quorum effectus sunt et expressiones quæ visibilia condita sunt, ex hoc modo primo omnium creata est sapientia. Qui autem dicunt ante cœlum et terram angelos creatos, et substitisse ante omnia quæ mutabilia facta sunt, et computant spatia et annos et sæcula quibus ante mundi constitutionem Deo servierunt, asserunt quod cum mundo tempus cœpit, et non fuit tempus ante mundum, quoniam mutabilitas non fuit; et

tamen fuisse angelos immutabiliter et intemporaliter priusquam mundus factus est; et cum mundus cœpit tunc primum cœpisse tempus, quoniam mutabilitas cœpit; et factum mundum in principio temporis. Sed nos interim magis approbamus quod dictum est pro captu intelligentiæ nostræ salva reverentia secretorum in quibus nihil temere asserendum putamus. Et ad hunc modum interim definivimus, quod *simul facta sunt omnia visibilia et invisibilia* (*Gen.* II); sicut Scriptura dicit: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII).

CAP. V. *Quod corporea et incorporea natura et secundum aliquid informis facta est; et secundum aliquid formata.*

Omnia quippe simul condita sunt quoniam uno et eodem tempore pariter cœpisse credimus et visibilium omnium materiam et invisibilium naturam utramque informem secundum aliquid et utramque secundum aliquid formatam. Sicut enim visibilium et corporalium omnium materia in exordio illo conditionis primariæ et formam confusionis habuit et non habuit formam dispositionis donec postea formaretur et ordinem concederet ac dispositionem; ita spiritualis et angelica natura in sui conditione per sapientiam et discretionem secundum habitum naturæ formata fuit; et tamen illam quam postea per amorem et conversionem ad creatorem suum acceptura erat formam non habuit, sed erat informis sine illa formanda ab illa.

CAP. VI. *Quales fuerunt angeli quando primo facti sunt.*

Amplius adhuc pro eo quales facti sunt angeli diligentius investigatam rationem proponimus. Nam diximus quando facti sunt, quod facti sunt in principio; et prima creatura antequam nihil factum est, secundum quam factum est, et quod factum est cum ipsa. Unde et secundum aliquid ante omnia facta est ipsa, quæ forma est omnium et causa. Deinde autem oportet ostendere quales facti sunt angeli tunc in ipso primordio et prima subsistentia et initio conditionis suæ; in eo quod primum esse cœperunt, et quale illud fuit, quod primum fuit in eis conditum esse.

CAP. VII. *Quod non sunt facti de materia præjacente sicut corporea.*

Non enim in materia præjacente creata est spiritualis natura, quemadmodum corpoream diximus conditam fuisse; quoniam non ita est, neque simul ipsa cujus substantiæ simplicis non aliud esse potest id quod est, et id de quo est. Quia unum et simplex et individuum et immateriale est totum quod est; sed facta est in sua natura et esse quantum ad substantiam spiritualem perfecta; non ut massa aut confusa materia ut rudis moles, aut acervus, aut congregatio cumulata, aut ex his aliquid quod illam non contingit, sed personaliter distincta et expressa et consignata numero spiritualis et intelligibilis discretionis et multitudo rationalis et intelligibiles spiritus subsistentes, habentes ingenitam rationem et formam sapientiæ concreatæ et qualitatem spiritualem intelligentiæ capacis secundum modum et mensuram conditionis profectus sublimioris et illustrationis superventuræ in ipsos. Liberum quoque arbitrium mox exordio insitum innatum pariter possidentes quo poterant sine violentia ad utrumlibet propria voluntate deflecti; in altero adjuti sine coactione, in altero derelicti sine oppressione.

CAP. VIII. *De quator proprietatibus naturæ angelicæ.*

Si quis igitur quærat qualis in exordio suo facta sit vel condita spiritualis natura, quatuor sunt ista quæ proposuimus et diximus angelis in conditione sua attributa; hoc est primum substantiam simplicem et immaterialem; secundum, discretionem personalem; et tertium formam sapientiæ et intelligentiæ rationalem; quartum vero sive ad bonum sive ad malum liberam inclinandæ voluntatis et electionis propriæ potestatem. Et sequitur post hoc consideratio magna necessaria ad intelligentiam veritatis et de spirituali substantiam eorum, et de sapientia ipsorum, et de libertate arbitrii, et de cæteris quæ circa ista consistunt, utrum omnibus æqualia erant quæ æqualiter omnibus inerant. Æqualiter enim omnibus inerant quæ communia omnibus erant, de quibus nihil excipiebatur quod non erat in omnibus. Sed nondum constat an æquale erat quod æqualiter inerat. Et hic quærendum est primum de subtantia, postea de forma, ac deinde de potestate. In personis enim subtantia est, in sapientia forma, in arbitrio potestas. Ad substantiam quidem pertinet naturæ subtilitas; ad formam autem intelligentiæ claritas. Ad potestatem vero motus intelligibilis et appetitus et voluntatis rationalis habilitas.

CAP. IX. *De differentia substantiæ spiritualis.*

Hoc ergo quæritur utrum essentiæ illæ rationales quæ spiritus erant; et natura simplices, et vita immortales, unius subtilitatis vel puritatis sive vigoris ejusdem vel quolibet alio nomine significandum sit quælibet essentia bona, sive alia melior aut decentior forma jure appellatur, creatæ sunt. Sic enim corporum natura se demonstrat; et sunt quædam corpora solida magis et firma, et alia puriora apparent et extersa magis et munda et clara et quasi meliorem et digniorem substantiam vel essentiam vel formam habentia; et alia levia et coaptata et prompta et integra et incorrupta magis; et alia fragilia et incorruptioni proxima et infirma et feculenta et vilia et ponderosa et incongrua. Et est pulchra tamen in universitatis compage et ordine ista diversitas, in qua minus bonum malum non est, et differens bonum majus bonum est. Ad hunc ergo modum rationabile est illas quoque spirituales naturas quæ universaliter bene conditæ sunt, convenientes puritati suæ et excellentiæ; non indignas et in essentia et in forma differentias et gradus in ipso mox exordio cognitionis suæ accepisse, quibus alii superiores, alii inferiores possent constitui secundum moderamen sapientiæ cuncta bona creantis et bene ordinantis Dei.

—

Cap. X. *De differentia cognitionis.*

Qui enim subtiles natura magis et sapientia amplius perspicaces creati sunt, ii merito dignitate superiores sunt constituti. Qui vero et natura minus subtiles et sapientia minus perspicaces conditi sunt, merito dignitate inferiores sunt ordinati, ita tamen ut ii qui excellentiores constituti sunt sine superbia prælati essent, et qui inferiores positi sunt, sine miseria subjecti.

Cap. XI. *De differentia liberi arbitrii.*

Sed et ipsam arbitrii libertatem secundum differentem naturæ virtutem et sapientiæ et cognitionis et intelligentiæ vim; si quis differentem assignare voluerit non est qui ex ratione occurrat. Quia sicut differens vigor et subtilitas naturæ infirmitatem non adducit, minorque cognitio sapientiæ ignorantiam non ingerit; sic libertas inferior nullam arbitrio voluntatis necessitatem imponit.

Cap. XII. *In quo similes conditi sunt et in quo dissimiles.*

Quod ergo spiritus erant, quod vita erant, quod indissolubiles vel immortales erant: æquales omnibus erant. Quod autem natura potentes erant, quod essentia subtiles erant, quod intelligentia sapientes erant, et libertate voluntatis prompti ad utrumlibet et habiles: non æquale omnibus erat, et tamen sufficienter erat. Istas discretiones invisibiles invisibilium et intelligibilium natura solus ponderare potuit et uniuscujusque mensuram et modum et terminum sapientia sua comprehendere, cujus potentia conditum erat totum, et providentia ordinatum. Nos vero caligante intelligentia timide incedimus ad illa, et palpamus sensu cognitionis infirmæ quæ virtute non comprehendimus. Quæ igitur vis et quanta potentia fuerit invisibilium essentiarum; quæve sapientia, qualisque libertas, et quantum in his commune omnibus, et quid singulis proprium vel singulare ac differens datum sit; valde ineffabile est et a sensu humano remotum. Sola enim divina potestas et sapientia divina nec termino nec mensura concluditur; et arbitrii libertas æterni, atque incommutabilis voluntatis complacitum nulla unquam minoratione sive necessitatis augustia coarctatur; sed absolutum est et dominans et superexcellens et efficax et nutus sui libertate singulariter perfectum, ac propria potestate plenum. Omne autem quod creatum est ex parte est, et ex parte potens et sapiens et liberum ex parte; quia nec omnis effectus potestati creaturæ subjicitur, nec omne occultum sapientiæ manifestatur, nec omnis eventus electionem sequitur, aut voluntati famulatur; sed secundum aliquid tantum possunt et sapiunt, secundum aliquid et liberi sunt. Et propterea determinanda est potestas eorum et determinanda est sapientia, et determinanda est libertas. Postestas autem ad operationem pertinet, sapientia ad cognitionem, libertas ad voluntatem.

—

A Cap. XIII. *De triplici potestate illorum.*

Et erat primum triplex discretio potestatis illorum, quoniam alia pars potestas quam acceperant ad se, alia quam acceperant ad invicem inter se, alia autem quam acceperant ad ea quæ conditione ordinata fuerant sub se. Prima potestas virtutis erat, secunda dominationis, tertia administrationis. In ea potestate quam acceperant in se, omnes differentes erant; in ea vero quam acceperant inter se quidem excellentes; in ea autem quam sub se acceperant differentes et excellentes. In ea potestate quam in semetipsis singuli acceperant, unicuique ad effectum famulabatur natura propria. In ea vero quam ad se invicem habebant; quibusdam subjecta erat obedientia aliena. In ea
B autem quam ad inferioria possidebant potestate, unicuique secundum virtutem naturæ et dignitatem officii ministerium exibebat subjecta creatura. Hæc de potentia prima rationalis naturæ dicta, futuræ investigationi primam occasionem exponunt.

Cap. XIV. *De triplici cognitione angelorum.*

De sapientia quoque illorum in prima consideratione triplex nobis discretio occurrit. Quoniam illuminabantur tripliciter, vel ad tria simpliciter; et erat trina cognitio in eis ut agnoscerent quod facti erant similiter et a quo facti erant, et cum quo facti erant. In eo quod facti erant, mali et boni cognitionem acceperant, ut intelligerent quid appetendum sibi foret vel quid respuendum secundum potentiam virtutis in se et libertatem vo-
C luntatis. Sed et ipsius a quo facti erant cognitionem acceperant, ut intelligerent et scirent principium et finem suum a quo conditione processerant, et ad ipsum debuerant intentione converti. Illius vero cum quo facti erant cognitionem acceperant, ut scirent quid vel sibi invicem pro divina dispensatione et ordinatione deberent, vel quantum in his quæ conditione sibi subjecta fuerant pro concessa potestate sibi divinitus sine præsumptione valerent. Et in hunc modum sapientes conditæ sunt et discernentes et intelligentes spirituales illæ substantiæ; et tantum in his omnibus sapientes quantum incipienti naturæ congruum fuit, vel pro merito virtutis adipiscendo necessarium.

D Cap. XV. *Utrum perfecti facti sint angeli an imperfecti.*

Multi enim nesciunt et ignorant existimantes superfluentem quamdam sapientiam eorum quæ ad rem non pertinet cognitionem et providentiam et præscentiam futurorum, et eorum quæ circa ipsos ventura erant fuisse in illis; et aliter imperfectos, et ignorantes, et non sicut oportuit consummatos et plenos; qualia facere omnipotentem non decuit et perfectum et bonum. Sed non discernunt quod ad perfectionem aliquid facere ut perficiatur quod est imperfectum; et ideo imperfectum, ut sit primo imperfectum; deinde autem perfectum, ut ab eo perficiatur a quo imperfectum factum est, ut perficiatur; non est imperfectio facientis neque turpitudo facti, quoniam et aliter facere potuit qui fecit, et non aliter fieri debuit quod fac-

tum est. Sed et hic dicendum quod perfectum est secundum aliquid habens totum quod habere debet,et si non habeat quod habiturum est totum.

Cap. XVI. *Quod tribus modis perfectum dicitur: secundum tempus, secundum naturam, et universaliter.*

Nam tribus modis his perfectio constat, et nominatur convenienter perfectum. Est enim secundum tempus perfectum, et secundum naturam perfectum, et universaliter perfectum. Primum perfectum est quasi initium perfectionis faciens secundum tempus perfectum ; et sequitur quod majus est secundum naturam perfectum ; et tertium est maximum et superexcellens universaliter perfectum. Secundum tempus perfectnm est quod habet quidquid tempus requirit, et convenit secundum tempus haberi. Secundum naturam perfectum est quod habet omne quod vel datum est naturæ suæ, vel debitum est. Universaliter perfectum est cui nihil deest. Prima perfectio est naturæ conditæ ; secunda perfectio est naturæ glorificatæ ; tertia perfectio et vera est increatuæ naturæ.

Cap. XVII. *Quod angeli perfecti sunt secundum primam perfectionem.*

Et ad hunc modum non mirabile est neque in quæstionem addusendum quare non fuerunt perfecti angeli conditi ; quia in prima perfectione creati sunt, et ad secundam sub tertia venturi. Quoniam sicut non possunt ad tertiam pertingere, sic nec a secunda incipere debuerunt. Alioqui proficienti locum aditumque invenire non valuissent eundi in melius, nisi reliquum fuisset post prima dona naturæ quo crescere potuissent vel deficere.

Cap. XVIII. *Utrum angeli præscii fuerunt futuri eventus sui.*

Hic quæritur utrum angeli præscii fuerunt futuri eventus sui, et in sapientia data agnoverunt quid futurum esset super eos. Videtur enim utrinque aliquid inconvenientis occurere Si enim qui futurit erant mali, lapsum suum præscierunt, pœnamque cognoverunt quæ ruinam sequi debuerat, et finiri non debuerat, tanta sibi mala imminere prævidentes aut vitare voluerunt sed non potuerunt,et miseri erant;aut potuerunt et noluerunt et stuli erant, et maligni. Si autem nesciverunt cæci erant, neque agnoverunt quo pergerent ; et in contingens ac fortuitum miserunt pedem ut ultra procederent quo nesciebant. Et videtur quasi aliquid absurditatis afferre si hoc dicatur, et melius sedere et aptum esse magis, ut scientes dicantur eorum quæ futura fuerant. Et repugnat iterum alia ratio quam contra posuimus, et potest facile mentibus infirmis scandalum nasci in alterutrum nisi conveniat. Propter hoc dicimus quod non erant præscii eventus sui; neque eis data est cognitio eorum quæ futura fuerant super eos. Quoniam non opertuit ut ita liberam haberent electionem voluntatis suæ sine terrore et spe in utroque. Propterea monstratum est eis quid faciendum esset non quid esset futurum, ut nulla necessitate providentiæ impelli viderentur, sed ratione dirigi et propria deffecti voluntate in ambobus.

Et ita bonum fuit et conveniens ; et non est sic reprehensione dignum opus Dei, quia ita fecit ut bonum fuit.

Cap. XIX. *Quales conditi sunt angeli. boni an mali, justi an injusti, beati an miseri.*

Sed et multa alia quæruntur de illa natura spirituali, quibus curiositas humanæ mentis quieta esse non sinitur. Interrogant utrum boni fuerunt an mali creati angeli, justi an injusti, beati an miseri ; et fortassis alia quædam his similia. Et, quia multa sunt alia quæ in quæstione coacervantur, non possumus nos ad omnia prolixa responsione occurrere ; sed breviter definimus quia tunc in illo principio primo et exordio inchoationis quod humana consideratio ita breve et momentaneum simplicisque instantis sine mora et intervallo primæ substentiæ de nihilo in aliquid apparentis accipiat, ut id quod primum omnium illis erat intelligat : hoc solum invenitur in conditis quod natura contulit conditionis. Quod enim ceperunt totum acceperunt. Et non poterat in illis ex illis esse quidquam, quoniam omne quod ex illis est posterius est illis. Itaque omne quod facti sunt non fecerunt ipsi ; sed tantum facti sunt et quod facti sunt boni facti sunt totum. Si enim quod facti sunt, mali facti sunt culpa est facientis non facti;quia aliud esse non potuerunt neque facere ipsi cum facti sunt tunc ut aliud essent quam facti sunt. Itaque ex faciente erant quando primum erant totum quod erant, et acciperant totum quod erant, et a se nihil habebant qui et hoc quod erant, ex nihilo, et a Creatore acceperant quod erant. Non potuit autem Creator optimus, auctor mali esse ; et ideo totum bonum erat, quod ex ipso illis erat ; et totum bonum erat, quoniam ex ipso totum erat. Hoc modo probamus quod boni erant angeli quando primum facti sunt, et quod boni facti sunt omnes,quoniam a bono facti sunt qui malum facere non potest. Sic itaque boni erant et non mali ; et quemadmodum boni erant, ita et justi erant et beati erant.Sed ea bonitate et justitia et beatitudine quam natura incipiens acceperat, non quam facerat ipsa vel meruerat faciendo. Si enim boni dicuntur boni erant, quemadmodum bonum erat quod bonus facerat totum. Et si meliores erant (sicut erant) meliores erant pro eo quod facti erant, non pro eo quod fecerant ipsi vel faciebant. Similiter et quod justi dicuntur, solum hoc illis erat injustos non fuisse ; et quod beati, non miseros ex stitisse. Verumtamen neque justi ad meritum, neque injusti ad culpam, quemadmodum neque ad glorificationem vel consummationem beati, vel ad tormentum vel pœnam miseri verissime affirmantur. Et forte expressius et ad intelligentiam evidentiu sit, nec bonos nec malos, nec injustos nec conversos, nec aversos, nec beatos, nec misero conditos, asserenti. Nam qui bonos dicit, significat virtutem ; qui justos, meritum ; qui conversos, dilectionem ; qui beatos, glorificatianem.

Cap. XX. *De libero arbitrio illorum in primo conditionis principio, quando subsistere cœperunt.* A

In illis autem quod erat primum incipere, velle non erat aut facere, qui ad volendum et faciendum tantum facti erant non volentes aut facientes. Velle enim aut facere motum habet, et de hoc in illud, et successum et moram; quod incipientis principii esse non potest, quod incipit tantum amplius non est adhuc, sed primum est et non deinceps. Velle autem voluntate est velle, cum movetur voluntas et operatur jam aliquid; et est ibi hoc et illud; et de hoc in illud quod præcessit voluntas ex qua velle erat cum adhuc velle non erat; sed voluntas erat tantum ut ex ea velle esset quod incipientis non erat aut facere. Non B ergo sic intelligendum est simplex principium et prima origo nascentis naturæ. Sed unum ipsum et hoc tantum et non amplius sine spatio et motu et mora. quæ omnia subsequentur postea, in quibus velleconstat et facere,et processus motuum et actionum post primum principium. Ex quo autem voluntas movebatur velle erat; et a voluntate erat, quæ libere movebatur, quia per se movebatur et non impulsu alieno. Et hoc ipsum meritum erat et vocabatur bonum vel malum,quia liberum erat et ex se erat. Et extunc mereri cœperunt. ex quo voluntate moveri cœperunt. Et hoc post primum principium erat; et a primo principio erat; et non in ipso, quoniam ab ipso, tantum erat. Ex quo autem voluntas erat, liber- C tas erat. quia voluntatis est libertas; quoniam potens erat per se moveri ut ultra iret hunc vel illuc sine coactione vel adjuta vel derelicta; quoniam libertas est voluntatis ex quo est voluntas ipsa in ipso primo principio. Propter hoc erat arbitrium liberum in illis, quoniam in illis erat voluntas potens moveri et ferri suo appetitu in utrumque.

Cap. XXI. *Quid sit liberum arbitrim.*

Quoniam spontaneus motus vel voluntarius appetitus liberum arbitrium est :liberum quidem in eo quod est voluntarius; arbitrium vero in eo quod appetitus. Sed et ipsa potestas et habilitas voluntatis est libertas qua movetur ad utrumque, et liberum arbitrium dicitur voluntatis. Voluntarie D autem moveri et ferri et spontaneo appetitu, hoc est potestate eligere et libertate judicare, in quo constat liberum arbitrium. Et propter hoc facti sunt liberi arbitrii. ut voluntario appetitu moverentur: sed secundum electionem voluntatis et inclinationem desidereri sui sine coactione. Verum tamen quod primum erat in illis, incipere moveri non erat; neque eligere, neque concupiscere, quoniam simplex erat et principium primum; et tamen liberum arbitrium jam tunc erat, quoniam voluntas erat cui inerat hoc et ex qua hoc subsequebatur; quoniam ex hoc mota est statim et spontaneo appetitu ducta in electionem propriam.

Cap. XXII. *Quod semper liberum arbitrium non ad præsens spectat, sed ad futurum: nec ad omne, sed ad contingens tantum.*

Sed et hoc sciendum quod liberum arbitrium quod diximus primi principii esse propter voluntatem quæ erat in primo principio, hoc ipsum ad primum principium non erat; quoniam liberum arbitrium ad præseens tempus non refertur, sed ad ea quæ futura sunt postea in contingenti. Omne enim quod est determinatum nec potest aliud esse, quam est dum ipsum est; et si aliud potest esse potest esse aliud postea; et non aliud esse tunc quando est hoc quod est, sed postea ut desinat hoc esse quod est, et incipiat aliud esse quod non est. Quod enim potest in præsenti quidem potest, sed de præsenti non potest; et si de præsenti potest, non tamen nisi ad futurum potest. Quod igitur primum facti sunt ipsi, non esse non potuerunt, quia facti sunt hoc totum; et non fecerunt ipsi et non potuerunt non esse hoc cum primum erant, quoniam tunc ipsum erant, et esse cœperunt solummodo. Et si potestas illis erat, ut aliud essent, quia liberum arbitrium erat, non erat tamen potestas illis ut tunc aliud essent; quia hoc erant, sed ut hoc esse desinerent quod tunc erant et aliud esse inciperent quod non erant. Non enim esse poterant quod non erant nisi prius esse desinerent quod erant, et tunc deinde esse inciperent quod non erant. Quoniam liberum arbitrium de præsenti esse non potest, tametsi ipsum in præsenti est; sed spectat semper ad futuros eventus, et solum qui in contingenti consistunt. Futura quippe quæ ex necessitate futura sunt, liberum arbitrium non sequuntur; sed constant immobiliter ad unum tantum, nec recipiunt utrumlibet contingentis. Sic igitur liberum arbitrium erat tunc in illis, non quidem ut tunc aliud essent quam erant, sed potestate quam habebant in eo quod erant ut hoc esse desinerent, et aliud esse inciperent quod non erant. Et sic quidem studiosius inquirentibus ratio occurrit de statu primo engelorum, de primordio existentiæ illorum, quales facti sunt primum et de natura, et de sapientia et de arbitrii libertate proposita.

Cap. XXIII *De aversione et lapsu malorum; et de conversione et confirmatione bonorum.*

Post hoc consideratio adducit inquirere quales effecti sunt dum dividerentur aversione et conversione. Quod enim primum erant secundum aliquid unum erant, quia omnes boni erant; et quod boni non facientes, sed facti erant. In hoc igitur unum erant quod boni facti erant et nondum ad aliud erant quam facti erant; quia tunc primum facti erant, et non ante quidquam fecerant. Cœperunt autem dividi ab eo quod facti erant, ut aliud jam essent, vel proficientes supra illud et boni essent; vel sub illo deficientes ut mali essent. Hæc est convertio et aversio qua divisi sunt qui unum erant et boni natura ut sint alii supra illud boni per justitiam: alii sub illo mali per culpam. Conversio enim justos fecit et aversio injustos. Utraque enim voluntatis fuit, et voluntas utrin-

que libertatis. Et propterea utroque, merito imputatur et utraque merits judicatur sive pro bono merito judicatur, sive pro bono merito ad gloriam sive malo pro merito ad pœnam.

Cap. XXIV. *Quomodo in labentibus culpa gratiam avertit; et in stantibus gratia meritum adjuvit.*

Qui autem ad bonum convertebatur voluntarie movebantur gratia cooperante sine coactione. Qui autem a bono avertebantur sponte præcipitabantur gratia deserente sine oppressione. Et qui convertebantur, idcirco bene movebantur quia gratiam cooperantem habuerunt. Sed qui avertebantur non idcirco præcipitabantur quia gratiam cooperantem non habuerunt; sed idcirco a gratia deserebantur quia avertebantur et præcipitabantur. Et qui avertebantur non prius avertebantur et postea deserebantur, quia cum gratia non ceciderunt; et qui convertebantur non prius convertebantur et postea assumebantur, quia sine gratia non profecerunt; sed qui avertebantur in eo ipso deserebantur, et qui convertebantur in eo ipso assumebantur, pro aversione deserti et ad conversionem assumpti.

Cap. XXV. *Quod in sola voluntate et justitia est et injustitia.*

Quoniam vero in motu voluntatis rationalis justitia pariter et culpa inventa est, quia motu voluntatis factum est ut mali fierent aversi a bono in quo erant; et similiter motu voluntatis factum est ut boni essent conversi a bono in quo erant ad bonum in quo nondum erant, propterea in motu rationis voluntatis omne meritum constabat quo vel boni vel mali erant. Illic ergo et malum bonum quærendum est ubi justitia et culpa est, quoniam justitia bonum et culpa malum est. Et ipsa culpa nec voluntas erat, quoniam voluntas malum non erat quoniam a Deo data erat; nec motus voluntatis malum erat quoniam ex voluntate erat, et voluntatis erat, et moveri vo-voluntas a Deo acceperat; nec id ad quod motus luntatis erat, malum erat, quoniam aliquid erat, et omne quod aliquid erat a Deo erat, et bonum erat.

Cap. XXVI. *Quod peccatum nec substantia est, nec de substantia, sed privatio boni.*

Quid ergo illic malum erat nisi quia motus voluntatis non erat ad quod esse debuerat? et ideo non erat quia ad aliud erat ad quod esse non debuerat, nec tamen ad hoc esse sed ad illud non esse peccatum erat, quia si illud non esset etiam si hoc esset, peccatum non esset. Mens itaque rationalis sicut voluntatem acceperat, et moveri voluntate acceperat; sic et ad quæ licite voluntate moveri posset acceperat, et ad illa moveri secundum mensuram erat moveri, et moveri secundum mensuram erat moveri secundum justitiam. Et si ad illa tantum mota fuisset secundum justitiam mota fuisset, et fuisset justa voluntas, quoniam secundum justitiam mota fuisset. Quando autem ad ea mota est quæ concessa non fuerant, extra mensuram mota est, et in eo secundum mensuram mota non est. Et ibi malum illi erat secun- A dum mensuram non moveri. Neque illi malum erat moveri ad quod mota est; sed secundum mensuram non moveri ad quod mota non est, quia si secundum mensuram mota fuisset etiam ad hoc mota peccatum non fuisset. Extra mensurum autem moveri voluntate erat appetere quod concessum non erat; in quo secundum mensuram non moveri erat, et id malum erat; ipsum autem occasio mali. Quia enim extra mensuram voluntas mota est, secundum mensuram non est. Nec tamen illi malum erat moveri ad quod mota est, sed secundum mensuram non moveri secundum quod mota non est. Et hoc si non fuisset, malum nullum fuisset. Hoc itaque malum factum est voluntati avertenti se et transgrediendi mensuram, quod turpis facta B est et prava et inordinata, effluens et non tenens modum et legem pulchritudinis suæ. Quæ autem recte movebatur et secundum Creatoris voluntatem conformabatur, convertebatur ad eum a quo regebatur; et illi bonum erat extra illius voluntatem non moveri a quo erat.

Cap. XXVII. *Quomodo Deus omnem voluntatem et potestatem angelorum ad suæ voluntatis ordinem et dispositionem intorquet.*

Considerandum est etiam hoc quomodo invisibiles illas et spirituales naturas moderatur Deus. Si enim liberi arbitrii sunt, faciunt quod volunt; et si faciunt quod volunt, quomodo ex sententia Dei pendet quod faciunt? Nam si dicimus quo- C niam idcirco hoc faciunt quod vult Deus, quia non aliud volunt aut velle possunt quam quod vult Deus, qui et ipsum velle tribuit sicut posse concedit, hoc tametsi de bonis aliquando conceditur, de malis nulla ratione approbatur. Malis siquidem Deus potestatem tribuit solam non voluntatem; quia licet ex ipsius permissione sit quod malum possunt, ex inspiratione, tamen ejus non est quod malum volunt. Malarum enim voluntatum ordinator est Deus, non Creator. Quomodo ergo non faciunt nisi quod Deus vult, qui nunquam volunt nisi quod Deus non vult; quia semper malum volunt quod Deus nunquam vult? Si enim faciunt quod volunt, et volunt quod Deus non vult, quomodo faciunt, quod Deus vult? Rursum si Deus D non vult quod faciunt quare permittit ut faciant quod non vult, cum fieri non possit nisi eo permittente, nec permitti nisi eo volente? Hinc coarctamur diligentius investigare quomodo rationalem naturam peæcipue illam quæ voluntate injusta a divina voluntate discordat; justa Dei moderatio gubernat. Hinc consideramus quatuor generales modos gubernationis divinæ in ipsis quibus disponuntur et ordinantur in omnibus quæ agunt, ut et ipsa mala quæ contra Dei voluntatem sunt quod sunt (quia non approbantur a Deo quod mala sunt) extra ejus dispositionem non effluant, in quibus bonum est et placet quod ordinata sunt. Et moderatur ergo Deus et regis secundum voluntatem suam eos qui prava et injusta voluntate contra suam nituntur voluntatem, ut conducantur et disponantur secundum ipsam qui surgunt contra ip-

sam ad perficiendum quod illi fieri placet voluntate quæ illi displicet.

CAP. XXVIII. *Quod quatuor modis Deus coercet voluntatem et potestatem malorum angelorum.*

Hoc autem moderamen, ut diximus, quatuor perficitur modis. Aut termino naturaliter collatæ potestatis, aut miraculo temporaliter illatæ impossibilitatis, aut obstaculo extrinsecus adhibitæ difficultatis, aut judicio intrinsecus operantis dispositionis. Terminus naturaliter collatæ potestatis est quantum naturaliter posse conceditur. Miraculum temporaliter illatæ impossibilitatis est quando id ipsum naturale posse subita et occulta virtute divinæ præsentiæ sine exteriori impedimento comprimitur. Obstaculum extrinsecus adhibitæ difficultatis est quando nutu divino per alias potestates extrinsecus obvientes aliarum voluntates ne ad effectum venire possint impediuntur. Judicium intrinsecus operantis dispositionis est quando ipsa vis divina, quæ intus omni creaturæ præsidet; illas etiam voluntates quæ contra suam voluntatem ortæ sunt, ad perficiendam suam voluntatem intorquet. His ergo quatuor modis pravas voluntates angelorum et hominum Deus ad imperium suæ voluntatis disponit, ut in eo etiam in quo displicet id quod est quia malum est placeat quia est quod ordinatum est.

CAP. XXIX. *De occulta dispositione Dei qua malas etiam voluntates ad suam voluntatem intorquet, et disponit secundum suam voluntatem.*

De illo autem modo divinæ moderationis, quo malas etiam voluntates præsidens occulta et invisibili operatione ad suum arbitrium temperat et inclinat, hoc sentiendum est, credatur Deus malis voluntatibus non dare corruptionem sed ordinem. Omnis enim voluntas prius est quam velle; et velle quidem semper ad aliquid est, quia omnis qui vult aliquid vult. Voluntas autem non semper ad aliquid est donec velle est, quia non omnis qui voluntatem habet, sed aliquid habet, donec ipsa voluntate velle incipit et aliquid velle, sicut non omnis qui visionem habet statim ad aliquid habet, donec ipsa visione videre incipit et aliquid videre. Visionem vero habere aliquis et in tenebris potest quando non videt; videre autem non potest nisi in luce quando aliquid videt. Sic et voluntatem potest habere aliquis, et nondum ad aliquid; velle autem non potest nisi ad aliquid. Omnis ergo voluntas est alicujus, sed non semper ad aliquid est, donec velle incipiat. Velle autem omne et alicujus est quia in aliquo est; et ad aliquid est quia de aliquo est. Omnis autem voluntas aut bona est si vel ex natura est vel secundum justitiam: aut mala et si præter naturam est vel contra justitiam. Voluntati ergo malæ vitium est ex ipsa quo mala est; ordo autem ex Deo est, quo per velle sive ac hoc sive ad illud est. In voluntate ergo vitium est, et ipsum malum est, et ex ipso voluntas mala est. In velle autem et vitium est, in quantum velle ex voluntate mala; et ordo est in quantum ad hoc vel ad hoc ex disponente est. A Et cum ipsum velle ad hoc aliquid est, malum est quod ad hoc est; quia mala voluntate est. Quod autem potius ad hoc quam ad illud est, bonum est; quia ordo est, et ex bene disponente est. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, et resolvi per proprium vitium, quod ei aliunde non datur; sed non potest per velle extra se præcipitari nisi qua ei via aperitur. Et qui præcipiti qua vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat; non impellendo sed permittendo et non tenendo, nec auctor illi est ruendi, sed incedendi ordinator. *Dominus*, inquit David, *præcepit illi ut maledicat* (*II Reg.* XVI), *et ego*, ait vocavi servum meum Nabuchodonosor ut disperdat terram (*Jerem.* XXV); *et in die illa sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo uumine Ægypti; et* B *api quæ est in terra Assur; et venient et requiescent omnes in torrentibus vallium et cavernis petrarum* (*Isa.* VII). In quibus omnibus manifeste ostenditur Deus ad judicia sua justs complenda, malas voluntates hominum sive dæmonum quibus ipse vult modi et occasionibus sive intus sive foris et excitare ad volendum, et dirigere ad perficiendum, et ordinare ad subsistendum; in quibus quod sint malæ Dei non est, sed quod sint ordinatæ. Hæc autem dispositio interna invisibiter præsidentis, tam occulta est ut etiam ipsas voluntates malas in quibus sit lateat, quæ putant suo solum arbitrio dirigi; quia se sentiunt præter coactionem proprio appetitu moveri. Quia enim C non impelluntur, nequaquam intelligunt quod diriguntur, et nesciunt se habere coram præcedentem ut ordinentur, quia non sentiunt retorsum impellentem ut præcipitentur. De aliis modis divinæ gubernationis non multa hic disputare volumus, quia per se magis patent, nec tantam quæstionem adducunt.

CAP. XXX. *De ordinibus angelorum quot in principio a Deo conditi sunt.*

De ordinibus angelorum hoc auctoritas promulgravit, novem in principio conditos a Deo ordines angelorum, id est angelos, archangelos, principatu s potestates, virtutes, dominationes, thronos, cherubim, et seraphim, ut addito homine denarius consummaretur perfectionis cœlestis. Non enim D ut quidam putant conditio hominis ita ad restaurationem angelorum provisa est, quasi homo non fuisset factus, nisi angelus cecidisset; sed idcirco ad restaurandum et supplendum lapsorum angelorum numerum factus homo dicitur; quia cum homo postmodum creatus illuc unde illi ceciderunt ductus est, illius societatis numerus qui in cadentibus diminutus fuerat, per hominem reparatur. Novem enim ordines angelorum ab initio conditi sunt, et ex illis qui ceciderunt (quia in una simul omnes malitia consenserunt) quasi unum ex se perversæ societatis ordinem effecerunt. Habet autem traditio ex singulis ordinibus aliquos cecidisse. Unde et apostolus Paulus cum de malignorum spirituum tyrannide mentionem faceret, *principatus et potestates tenebrarum* (*Ephes.* VI), nominavit. Ut videlicet ostenderet quod idem

nunc quisque in malo ministerium ex perversitate excercet, quod ad bonum perficiendum ex conditione accepit. Nusquam tamen in Scriptura nequam spiritus seraphim appellatos invenio; quia licet cætera dona post ruinam adhuc in malo possideant, charitatem tamen in dilectione Dei nequaquam potuerunt habere.

CAP. XXXI. *Utrum plures remanserunt, quam ceciderunt.*

De numero autem lapsorum certa auctoritas nulla reperitur. Omnino tamen probabile videtur plures remansisse quam cecidisse. Propheta enim cum demonstraret currus igneos, consolans ait: *Plures sunt qui nobiscum sunt quam qui cum illis* (*IV Reg.* VI). Hinc conjicimus plures esse electos angelos quam reprobos. Sunt qui dicunt tot electos ex hominibus ad numerum angelorum ascensuros, quot ibi constat remansisse electos angelos, propter Scripturam quæ ait: *Statuit terminos populorum, juxta numerum angelorum Dei* (3). Quod si verum est cum multo plures sint in hominibus reprobi quam electi, plures invenientur homines reprobi quam electi angeli. Si autem homines reprobi plures sint quam angeli electi (cum electi angeli plures sint quam reprobi angeli), plures erunt homines reprobi quam reprobi angeli. Quomodo ergo verum est quod dicitur unusquisque hominum duos angelos habere deputatos sibi, unum malum ad impugnationem et unum bonum ad defensionem, cum numerus hominum transcendat humerum angelorum? Si enim in hominibus mali plures sunt quam boni et in angelis boni plures quam mali, cum positum sit tot electos electos futuros homines quot sunt angeli boni; constat sine ulla dubitatione plures esse homines bonos quam sint angeli mali, multoque plures hominos malos quam angelos malos, quia plures sunt homines mali quam boni, cum plures sint homines boni quam mali angeli. Nisi forte dicatur idcirco quia simul non subsistit genus hominum; sed per temporum successionem alii post alios sequuntur, posse eos qui in hominibus simul subsistunt angelis comparari numero, licet universitate præcedant. Quod tamen quia certum esse non potest, melius inter occulta deputatur, ubi ignorantia non culpatur, præsumptio arguitur.

CAP. XXXII. *De discreta cognominatione angelorum*

De cognominatione spirituum hoc his præcipue commemorandum putamus, quia nomina illis non propter se sed propter nos data sunt. Qui enim sibi noti sunt contemplatione, nobis innotescunt cognominatione. Illa ergo dona gratiarum in singulis denotantur ex nomine; non quæ singulariter sed quæ excellenter data sunt in participatione. In illa enim cœlesti patria ubi plenitudo boni est, licet quædam data sint excellenter, nihil possidetur singulariter. Omnia enim in omnibus sunt non quidem æqualiter (quia alii aliis A quædam sublimius possident), sed communiter, quia omnes omnia habent. Item sciendum quod omnia dona gratiarum superiores ordines sublimius et perfectius perceperunt, et tamen ex præcipuis tantummodo nomina sortiendo cætera sequentibus post se ordinibus ad cognominationem relinquunt. Ut verbi gratia Seraphin (qui ordo excellentissimus omnium existimatur) tam dilectionem quam cognitionem divinitatis, et cætera virtutum dona cæteris omnibus sublimius percipit, tamen ab excellentiori dono, id est charitate vocabulum trahens, cætera sequentibus post se ordinibus ad denominationem reliquit. Proximus post hunc ordo a proximo dono, id est cognitione veritatis cherubim appellatus est, quod B *plenitudo scientiæ* similiter interpretatur, sicut seraphim propter ignem dilectionis *ardens* vel *succendens* dicitur. Ad hunc modum etiam de sequentibus intelligendum est ordinibus.

CAP. XXXIII. *Utrum omnes spiritus cœlestes mittantur.*

Quæritur et hoc, utrum omnes illi spiritus cœlestes ad exteriora nuntianda mittantur. Quidam putat alios esse in illa multitudine qui foras pro officio ad exteriora nuntianda exeunt, alios qui intus assistunt, sicut scriptum est: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII.) Apostolus autem excellentiam Filii commendans pro angelis *omnes administratorios spiritus esse in* C *ministerium missos, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I) confirmat. Hinc quæstio nascitur quomodo omnes mittuntur si quidam semper assistunt, et si omnes nuntii sunt, quomodo quidam semper assistere dicuntur. Si omnes nuntii sunt, omnes angeli sunt; et si omnes angeli sunt, quomodo unus tantum inter novem ordines ordo hoc nomine censetur? Quidam putant in illa cœlesti curia, omnes quidem mitti, sed alios ex officio qui proprie angeli sive archangeli nominantur; alios ex tempore et causa extra communem dispensationem oborta. Qui et ipsi quoque cum angelorum ministerium ex tempore suscipiunt, nomen in ministerio assumunt. Sicut scriptum est: *Qui facit angelos suos spiritus* (*Psal.* D CIII). Quia videlicet qui semper natura spiritus sunt, pro tempore et officio aliquando angeli, id est nuntii fiunt. Alii dicunt tres ordines supremos, id est seraphim et cherubim, et thronos ad sola divina et interiora conversionem habere, semperque Creatori assistere. Inferiores autem tres ad exteriora agenda et nuntianda mitti. Tres autem medios non solum dignitate vel loco, sed officio etiam inter utrosque consistere; qui præceptum Domini a superioribus accipiunt et deferunt ad inferiores. Ac per hoc cum supremi mediis, medii imis atque hi nobis præceptum divinum nuntient omnes merito angeli nominantur.

(3) Sumptum ex cantico Moysi, Deut. XXXII ubi sic habetur: *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

Cap. XXXIV. *De ministeriis angelicis.*

Ministerium angelorum et officia quidam ita interpretantur, ut totum mundum, id est, non solum vitam humanam sed omnia quæ ad humanam vitam pertinent secundum Dei dispensationem ab A angelis ministrari putent, sub Deo et secundum Deum. Malos autem ex officio potestatem non habere, sed aliquando ex permissione potestatem accipere.

PARS SEXTA.

DE CREATIONE HOMINIS ET STATU EJUS ANTE PECCATU.

Cap. I. *Quare Deus hominem ex anima et corpore fecit.*

Quæ in prima parte hujus operis de conditione hominis prosequenda dixtinximus, ordine nunc suscipimus explananda. Quatuor enim erant a principio proposita. Primum quare creatus sit homo, secundum qualis creatus, et qualiter institutus; tertium qualiter lapsus sit; quartum qualiter sit reparatus. Horum quidem quod primum positum est, id est, causa creationis humanæ superius jam secundum possibilitatem nostram tractavimus. Et idcirco nunc superest ut ad secundam partem in qua propositum est qualis creatus sit homo, et qualiter dispositus: discutiendam transeamus. Deus omnipotens cujus beatitudo nec augeri potest omnino, quoniam perfecta est, nec minui, quoniam æterna est, sola charitate, nulla sui necessitate, rationalem Spiritum creavit, ut eum illius boni quod ipse erat, et quo ipse beatus erat, participem faceret. Verum quia hoc ad felicitatis illius augmentum pertinuit ut gratiam conditoris sui per quem glorificandus erat agnosceret, voluit ipse conditor prius ei in sua conditione ostendere quod postmodum in ipso facturus erat ex dignatione. Creaturam ergo rationalem quam fecerat, jussit partim in sua puritate persistere; partim eam corporeis indumentis et terrenis mansionibus copulans, luteam materiam fecit ad vitæ sensum vegetare. Hoc siquidem pro exemplo futuræ societatis quæ inter ipsum et Spiritum rationalem in glorificationem ejusdem perficienda fuerat proposito ut videlicet ostenderetur quia quod tunc erat in conditione corpus spiritui: hoc secundum aliquid postmodum futurus erat ex dignatione assumptus spiritus sibi. Comprobavit ergo Deus potentiam suam, et gratiam ostendit. Primo fingendo hominem, quam postea exhibiturus erat hominem glorificando. Ut sciret homo quod si potuit Deus tam disparem naturam corporis et animæ ad unam fœderationem atque amicitiam conjungere, nequaquam ei impossibile futurum, rationalis creaturæ humilitatem (licet longe inferiorem) ad suæ gloriæ participationem sublimare. Rursus si tantum gaudium est et tanta jucunditas vita ista mortalis quæ constat ex præsentia spiritus in corpore corruptibili, quanta jucunditas foret et quantum gaudium, vita illa immortalis ex præsentia Divinitatis in spiritu rationali? Quia ergo in parte pro exemplo universitatis humiliatus est rationalis Spiritus usque ad consortium ter- B reni corporis, ne forte hoc ipsum ad depressionem ejus pertinere videretur, adjunxit providentia Dei ut postmodum cum eodem corpore glorificato ad consortium illorum qui in sua puritate perstiterant sublimaretur, ut quod minus ex dispensatione creatoris sui acceperat conditus, per gratiam ejusdem postmodum acciperet glorificandus. Sic ergo conditor Deus rationales spiritus quos fecerat, varia forte pro arbitrio omnipotentis voluntatis suæ disposuit; illis quos in sua puritate reliquerat, sursum in cœlo mansionem constituens; illos vero quos corporibus terrenis sociaverat deorsum in terrena habitatione disponens. Utrisque regulam proponens obedientiæ, quatenus et illi ab eo ubi erant non caderent, et isti ab eo ubi erant ad C id ubi non erant ascenderent, ut cum isti pervenissent et illi non cecidissent, supra id quod facti erant ad id ad quod facti erant pertingerent, ut cum eo essent a quo facti erant. Fecit itaque Deus hominem ex duplici substantia: corpus secundum materiam de terra sumens; animam vero sine materia de nihilo fingens.

Cap. II. *Qualiter homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est.*

Factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei, quia in anima (quæ potior pars est hominis, vel potius ipse homo erat) fuit imago et similitudo Dei. Imago secundum rationem, similitudo secundum dilectionem; imago secundum cognitionem veritatis, similitudo secundum amorem vir- D tutis. Vel imago secundum scientiam, similitudo secundum substantiam. Imago, quia omnia in ipsa secundum sapientiam; similitudo, quia una et simplex ipsa secundum essentiam. Imago quia rationalis, similitudo quia spiritualis. Imago pertinet ad figuram, similitudo ad naturam. Hæc autem in anima sola facta sunt, quia corporea natura similitudinem capere non potuit Divinitatis, quæ ab ejus excellentia et similitudine in hoc ipso longe fuit quod corporea fuit.

Cap. III. *De creatione et origine animæ.*

Quæruntur autem quam plurima de origine animæ, quando creata fuit, et unde creata fuit, et qualis creata fuit, nos vero in præsenti abbreviatione tam multiplices opiniones prosequi supervacuum et infructuosum existimamus; et hoc so-

lum nobis sufficere putamus si ea tantum quæ sentienda et asserenda sunt proponimus. In his ergo fides catholica hoc potius elegit et veritati magis consentaneum judicavit, ut credamus animam primi hominis quando facta est non de præjacenti aliqua materia factam; sed de nihilo creatam, neque factam a principio quando angeli facti sunt, sed postea (cum corpus ipsum cui infundenda fuerat formatum est) ab ipso creatore simul et factam et corpori sociatam. Utrum vero in corpore an extra corpus creata sit, quanto difficilius est scire, tanto minus est periculosum ignorare. Neque vero in hoc ingenium hominis approbandum existimetur, si in iis quæ difficilia sunt pertinaciter insistit; sed potius si ea quæ scienda sunt prudenter discernit. Æqualis enim est stultitiæ præsumere in iisquæ non possunt sciri, et deficere in iis quæ non, debent ignorari. Propterea quantum sanæ fidei satis est, quæramus agnoscere, et ea quæ curiositas sola scrutari suadet, desistamus investigare. Creavit Deus animam primi hominis de nihilo, et inspiravit eam corpori de terra per materiam sumpto et formato, dans ei sensum et discretionem boni et mali; ut corpus ipsum sibi sociatum per sensum vivificaret, per rationem regeret, et in ipso homine sensus esset subjectus rationi; ratio creatori, ut secundum rationem corpus moveretur per sensum; ratio autem libero arbitrio moveretur secundum Deum.

CAP. IV. *De libero arbitrio.*

Porro tres sunt motus in homine, motus mentis, motus corporis, motus sensualitatis. Motus mentis in voluntate est, motus corporis in opere, motus sensualitatis medius in delectatione. In motu mentis solo, liberum arbitrium est; in motu corporis et sensualitatis, illa sunt quæ sequuntur liberum arbitrium. Sic enim prima fuit dispositio naturæ; nam motus mentis voluntarius est appetitus, in voluntario liberum, in appetitu arbitrium. Mens igitur per se movetur, et est primus voluntatis motus. Motum voluntatis sequitur motus corporis. Mens itaque sicut dixi per se moveri habet; sed secundum se moveri non debet, imo secundum voluntatem creatoris sui quæ forma illi est, et exemplar, et proposita regula quam sequatur. Et propter hoc si secundum Deum movetur, hoc est justitia; si præter Deum movetur, vel contra Deum, hoc est injustitia. Ergo motus mentit justitia semper est injustitia; motus autem corporis semper est obedientia. Quod enim mens movetur, libertate movetur, quia voluntarie movetur, et per se movetur; et ejus est quod movetur, vel ad meritum si bene, vel ad culpam si male. Quod autem corpus movetur necessitate movetur, qui ab alio movetur hoc est a mente. Nec suum est quod movetur; sed illius a quo movetur, sive ad meritum si bene, sive ad culpam si male. Ita motus mentis dominatur motui corporis lege naturæ subjecto; et quando abutitur illo, vitium est imperantis, debitum obedientis. Nec culpatur qui ducitur quia necessitate ducitur; sed culpatur qui ducit, quia in subjectum abutitur libertate. Porro voluntas

A si justitiam tenuisset, haberet non solum motum corporis obedientem, sed motum sensualitatis consentientem. Nunc vero quoniam rectitudinem suam ipsa non tenuit, habet quidem adhuc ex indulgentia Creatoris motum corporis obedientem; ex vindicta autem motum sensualitatis contradicentem. Cujus violentiam aliquanto infirmata sequitur; aliquando autem corroborata coercet et moderatur. Si autem motus sensualitatis dominatur motui mentis, dominatur et motui corporis, qui subjectus est illi, et tunc peccatum regnare incipit in nostro mortali corpore. Si autem non dominatur, utitur mens servitio corporis sui; et exhibet membra sua arma justitiæ, et sunt simul motus mentis et motus corporis, seorsum motus

B sensualitatis, et perficitur justitia, et iniquitas cohibetur.

CAP. V. *De duplici sensu animæ.*

Anima autem rationalis idcirco duplici sensu instructa est, ut visibilia fortis caperet per carnem et invisibilia intus per rationem quatenus et visibilia et invisibilia ad laudem Creatoris illam excitarent. Neque enim in omnibus operibus suis Deus a rationali creatura laudaretur, si non opera Dei omnia a rationali creatura cognoscerentur. Ut ergo perfecta esset laus Dei, monstrata sunt rationali creaturæ opera Dei, ut eum intus et foris miraretur, et per admirationem proficeret ad dilectionem. Facta est creatura una cujus sensus intus totus et creatura altera facta est cujus sensus

C totus foris erat. Sensus angelorum intus erat, et sensus brutorum animalium foris erat. Angeli quorum sensus intus erat, contemplabantur quæ intus erant. et per ea quæ foris erant. Bruta animalia quorum sensus foris erat contingebant visibilia quæ foris erant, sed non per ea similiter invisibilia quæ intus erant, quoniam qui invisibilia vident, in ipsis visibilia vident; quoniam visibilia invisibilibus cognoscuntur, sed non æque qui visibilia vident invisibilia in eis vident, quia sensus quo invisibilia percipiuntur in summis infima comprehendit, sed sensus quo visibilia continguntur in infimis summu non capit. Sic itaque una creatura erat cujus sensus totus intus erat, et alia creatura erat cujus sensus totus foris erat.

D Et positus est in medio homo ut intus et foris sensum haberet. Intus ad invisibilia, foris ad visibilia. Intus per sensum rationis, foris per sensum carnis, ut ingrederetur et contemplaretur; et egrederetur et contemplaretur, intus sapientiam, foris opera sapientiæ, ut utrumque contemplaretur, et utrinque reficeretur; videret et gauderet, amaret et laudaret. Sapientia, pascua intus erat; opus sapientiæ, pascua foris erat. Et admissus est sensus hominis ut ad utrumque iret, et in utroque refectionem inveniret. Iret per cognitionem, reficeretur per dilectionem. Sapientia liber erat scriptus intus, opus sapientiæ liber erat scriptus foris. Voluit autem postea adhuc, aliter scribi foris sapientia ut manifestius videretur et perfectius cognosceretur, ut oculus hominis illuminaretur ad scripturam secundam, quoniam caligave-

rat ad primam. Fecit ergo secundum opus post primum et illud evidentius erat, quoniam non solum demonstravit sed illuminavit. Assumpsit carnem non amittens divinitatem, et positus est liber scriptus intus et foris : in humanitate foris intus in divinitate, ut foris legeretur per imitationem, intus per contemplationem ; foris ad sanitatem, intus ad felicitatem ; foris ad meritum, intus ad gaudium. Intus : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I) ; foris, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*ibid.*). Liber ergo unus erat semel intus scriptus, et bis foris. Foris primo per visibilium conditionem, secundo foris per carnis assumptionem. Primo ad jucunditatem, secundo ad sanitatem ; primo ad naturam, secundo contra culpam ; primo ut natura foveretur, secundo ut vitium sanaretur, et natura beatificaretur.

Cap. VI. *De duobus bonis ipsius hominis.*

Quia vero homo ex duplici natura compactus fuerat, ut totus beatificaretur, duo ejus illi bona ; conditor a principio præparabat unum visibile, alterum invisibile. Unum corporale, alterum spirituale. Unum transitorium, alterum æternum. Utrumque plenum et utrumque in suo genere perfectum. Unum carni, alterum spiritui, ut in uno sensus carnis ad jucunditatem foveretur, in altero sensus mentis ad felicitatem repleretur. Carni visibilia, spiritui invisibilia ; carni ad solatium, spiritui ad gaudium. Ex his bonis unum dedit, alterum promisit. Unum ut gratis possideretur, alterum ut per meritum quæretur. Quod visibile bonum erat, gratis dedit, quod invisibile erat merito quærendum proposuit, ut ex dono gratuito probaretur et excellentia promissionis, et fides promittentis. Si enim tale et tantum est quod gratis dedit, quale et quantum esse putandum est illud pro quo servitium quærit ? Rursum si bonitas tanta illi inerat ut nihil meritis tam multa daret, quomodo malitia ei inesse poterit ut servientes non remuneraret ? Ad hoc spectabat quod visibilia omnia gratis data sunt homini ; et continuo creatus, dominus rerum constitutus est. Post ea vero obedientia injuncta est illi, et præceptum datum, ut primum mereretur, deinde remuneraretur. Non remuneraretur in his quæ jam data fuerant in dono, sed in iis quæ proposita fuerant in præmio. Neque vero idcirco servitium ab homine quæsitum est, quod omnipotens conditor hominis a se facti servitio indigeret, sed ut ipse homo vera bona merito acquisita gloriosius possideret. Et quia plus erat summæ bonitati et meritum dare et præmium, quam sine merito solum præmium : pro temporalibus autem et transitoriis homo servire non debuit ne dignitas humanæ conditionis ad utilitatem deduceretur, si pro his quæ subjecta illi fuerant, servire cogeretur. Propter hoc invisibilia quasi vera bene servienti post meritum promittuntur ; ista autem quasi modica et transitoria gratis inter merendum adjiciuntur. Ista interim ad solatium, illa postea ad gaudium ; ista ad sustentationem, illa ad glorificationem. Sine illis non potest homo beatificari in patria, sine istis non potest sustentari in via. Propter quod talis factus est homo ut interim nunc ad tempus istis indigeret, quatenus per ista indigentiam suam in illis agnosceret, et ut intelligeret ipsa quia quod erat bonum sibi sufficiens, non erat nisi illud quoque habere mereretur bonum a quo erat. Hoc autem bonum illi fuit, quod ipse sibi sufficiens non fuit. Magna quippe dignitas humanæ conditionis, quod talis facta est, ut nullum ei bonum præter summum sufficeret. Et rursum magna libertas, quod interim arbitrio suo dimissa est ut ad ipsum bonum summum cogi non possit, quatenus sola voluntate ad illud iret, quod sola dilectione possidere deberet. Ut ergo interioris vitæ bonum quærere addisceret ; exterior vita ejus talis est facta ut ad tempus per se stare non sufficiens alio præter se et extra se bono sustentante indigeret.

Cap. VII. *De duobus præceptis naturæ et disciplinæ.*

Bonum homini a Deo vel datum vel promissum nihil profuisset, nisi et ad illud quod datum fuerat apponeretur custodia ne amitteretur, et ad illud quod promissum fuerat aperiretur via ut quæreretur et inveniretur. Propterea ad bonum datum posita est custodia, præceptum naturæ, et ad bonum promissum aperta est via, præceptum disciplinæ. Duo ista præcepta data sunt homini : præceptum naturæ et præceptum disciplinæ. Præceptum naturæ fuit quod intus aspiratum est per naturam ; præceptum vero disciplinæ quod foris appositum est ad disciplinam : intus per sensum, foris per verbum. In his duobus mandatis totum continetur quidquid bonum vel faciendum vel cavendum, præcipitur. In præcepto naturæ tria sunt : præceptio, prohibitio, concessio. Præceptum autem naturæ nos nihil aliud intelligimus, quam ipsam discretionem naturalem quæ intrinsecus inspirata est ut per eam homo erudiretur de his quæ sibi vel appetenda vel fugienda fuerunt. Quasi enim quoddam præceptum dare erat, discretionem et intelligentiam agendi, cordi hominis aspirare. Quid ergo cognitio faciendorum fuit, nisi quædam ad cor hominis facta præceptio ? et quid rursus cognitio vitandorum fuit nisi quædam prohibitio ? quid vero cognitio eorum quæ media fuerunt existimanda est, nisi quædam concessio ? ut illic homo suo libero arbitrio relinqueretur ubi quamcunque partem elegisset non læderetur Deo igitur præcipere, erat docere hominem quæ sibi necessaria forent. Prohibere autem demonstrare noxia. Concedere vero insinuare ad utrumlibet se habentia.

Cap. VIII. *De tribus generibus rerum.*

In rebus enim visibilibus quæ per inferiorem vitam conditæ sunt, tria rerum genera creata inveniuntur. Quædam scilicet ad usum ipsius vitæ necessaria in tantum ut lædatur si non eis utatur. Quædam vero noxia quibus si utitur læditur. Alia autem media sunt, quibus uti et non uti sine læsione potest. Nam quia vita ista inferior superioris vitæ imago est, congruum erat ut in illis

quæ ad hanc vitam facta sunt, eorum quæ ad superiorem vitam spectant documentum homini proponeretur. Sunt autem quæ per ista foris demonstrare debuerunt, quædam intus noxia vitæ spirituali, quibus ipsa similiter uti sine læsione non potest, ut sunt vitia omnia quæ animæ corruptionem adducunt. Sunt item intus quædam salubria et necessaria, quibus sine læsione carere non potest, qualis est cognitio Dei et cognitio sui, et virtutes omnes quæ ad sanitatem animæ operantur, et nutrimentum præstant. Sunt item alia quæ adesse et abesse sine læsione possunt, et hæc ad utrumlibet se habent, quia salutem non impediunt quasi noxia, nec velut necessaria operantur, qualis est cognitio rerum extrinsecarum et alia quædam hujusmodi. Ad necessaria ergo et salubria pertinet præceptio; ad noxia prohibitio; ad media concessio.

Cap. IX. *De gemina custodia vitæ inferioris.*

Data est homini ratio et providentia per quam hanc vitam suam inferiorem custodiret; eadem providentia naturali fugiendo noxia, salubria expetendo, mediis ad utrumlibet utens. Hac ergo custodia munitus negligentiam vitare potuit, violentiam repellere non potuit. In providentia enim hominis erat omnem negligentiam cavere, sed non æque in potestate hominis erat omnem violentiam repellere. Propterea rationi humanæ adjuncta est providentia divina, quatenus ratio humana in parte una vigilaret contra negligentiam, providentia divina in parte altera staret contra violentiam. Hac itaque gemina custodia munita civitas vitæ humanæ, nullis adversis læderetur, quia si ratio humana non tepuisset adversus negligentiam, providentia divina nunquam in homine violentiæ locum dedisset. Quia vero ratio primum per negligentiam locum suum deseruit, divina postmodum providentia juste se a custodia subtraxit, ut jam in vita hominis nonnunquam violentia prævaleat, et ratio ipsa jam nunc etiam invita cogatur sustinere, quod prius sponte cavere neglexit.

Cap. X. *De tribus statibus hominis.*

Sed fortassis alicui quærendum videatur qualiter homo ante peccatum violentiam aliquam pati potuisset, qui si non pecasset (sicut videtur) omnino pati non potuisset? Si ergo omnino pati non potuit, violentia ei nocere non potuit: Neque opus habuit custodia ne violentiam pateretur qui quodcunque illatum sibi fuisset nihil omnino pateretur. Nam si violentiam pati potuit, quomodo etiam mori non potuit? Si autem mori potuit, quomodo immortalis fuit? Propter hujusmodi rationes solvendas quæ ab iis qui diligentius secreta scrutari solent objiciuntur tres status vitæ humanæ prima consideratione distinguimus, et in his qualis homo fuerit sive in corpore sive in anima (quantumque ab eo quod primum factus est mutatus sit, aut in quo idem perstiterit) necessario determinandum putamus. Primus status hominis fuit ante peccatum in eo in quo fuit conditus. Secundus

A status est post peccatum (si tamen status dicendus est, et non potius ruina) in quem per peccatum et pœnam peccati post peccatum sequentem, est lapsus. Tertius status erit hominis post resurrectionem a mortuis, quando plene et perfecte tam a peccato quam a pœna peccati liberabitur; et non solum in id in quo fuit conditus, sed supra id etiam usque ad illud ad quod conditus fuit restituetur. In primo statu divisit Deus et homo; in secundo statu divisit diabolus et homo; in tertio statu Deus totum accipit. In primo statu, laus Dei erat, et aliquid præter laudem, nihil tamen contra laudem Dei; in secundo statu nihil ad laudem, sed totum contra laudem Dei; in tertio statu totum ad laudem: nihil præter laudem, nec contra laudem Dei. Ad laudem

B Dei charitas, præter laudem Dei necessitas, contra laudem Dei iniquitas. In primo statu charitas et necessitas; in secundo statu necessitas et iniquitas; in tertio sola charitas.

Cap. XI. *De primo statu hominis ante peccatum.*

Quæruntur autem plurima de primo statu hominis ante peccatum, qualis fuit homo priusquam peccaret, et qualis futurus fuisset si non peccasset et in corpore et in anima, mortalis an immortalis; passibilis an impassibilis. De termino inferioris vitæ, et de transitu ad superiorem; de qualitate et modo vivendi, et de propagatione filiorum, de vita et de meritis nascentium ab ipso, et sequentium post ipsum, et multa alia quæ, licet aliquando cum curiositate quæruntur, utiliter tamen sciuntur, si cum dis-

C cretione discutiantur. Nos vero in tam multis præcipue quæ a nostra intelligentia et capacitate remota sunt, responsionem nostram moderari oportet, et ab iis quæ dubia non sunt, ea quæ probabiliter dicuntur tantum distinguere. Ita periculum diligentis inquisitionis nullum erit, si præsumptio temerariæ assertionis non fuerit.

Cap. XII. *Die scientia hominis ante peccatum.*

Si ergo quæritur de primo homine qualis ante peccatum fuerit, secundum animam quidem rationalis fuit, habens discretionem boni et mali; scientiam quoque rerum, quantum ad principium conditionis pertinuit perfectam. Nam sicut (quantum pertinet ad perfectionem staturæ et ætatis huma-

D ni corporis) primum hominem perfectum credimus factum, ita quoque (quantum ad animam) cognitionem veritatis et scientiam (eam duntaxat quæ primæ perfectioni congrua fuit) perfectam mox conditum accepisse putamus, et ad illam non studio aut disciplina aliqua per intervalla temporis profecisse; sed simul et semel ab ipso sui conditionis exordio una ac simplici divinæ aspirationis illuminatione illam percepisse. Triplici autem cognitione primum hominem eruditum constat, cognitione scilicet creatoris sui ut cognosceret a quo factus erat, et cognitione sui ut cognosceret quid factus erat, et quid sibi faciendum erat. Dein de cognitione quoque illius quod secum factum erat, et quid sibi de illo et in illo faciendum erat.

Cap. XIII. *De cognitione rerum visibilium.*

Rerum enim omnium visibilium quæ cum homine et propter hominem factæ erant. perfectam cognitionem hominem accepisse nulli dubium esse debet, quantum videlicet sive ad animæ eruditionem, sive ad corporalis usus necessitudinem pertinere videbatur.

Nam idcirco ipse creator non a se aut ab angelo aliquo singulis quibusque animalibus, sed ab homine nomina formari voluit. ut manifeste ostenderet quod singulorum naturam et usum et officia ex insita sibi ratione homo agnovit. Quæ enim propter illum creata erant. ab illo regenda et disponenda erant, et idcirco horum omnium Deus illi et scientiam tribuit et providentiam reliquit. Ait namque Apostolus : *Nunquid cura est Deo de bobus ?* (*I Cor.* IX.) Curam etenim bonum et providentiam cæterorum animalium Deus homini reliquit. ut dominationi illius subjicerentur, et ratione illius regerentur, ut a quibus debuerat obsequium accipere. sciret etiam illis necessaria providere. Hanc autem scientiam (quemadmodum et illam qua carnis suæ commoda et necessaria providere debuerat) quia homo peccando non perdidit ; idcirco Deus postmodum illum per scripturas suas de ejusmodi erudire non curavit. De scientia vero animæ sola idcirco homo cum reparabatur erudiendus fuit. quoniam solam illam prius peccando amisit.

Cap. XIV. *De cognitione creatoris.*

Cognitionem vero creatoris sui primum hominem habuisse dubium non est. Quoniam si pro vita temporali conservanda in rebus transitoriis tam magnam scientia accepit, multo magis pro vita æterna adipiscenda excellentiorem et abundantiorem in cœlestibus cognitionem habere debuit. Cognovit ergo homo creatorem suum, non ea cognitione quæ foris ex auditu solo percipitur, sed ea quæ potius intus per inspirationem ministratur. Non ea quidem qua Deus modo a credentibus absens fide quæritur ; sed ea qua tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur. Sciendum tamen est quod illam primam cognitionem hominis quam de creatore suo habuit, sicut majorem et certiorem illa cognitione quæ nunc in sola fide constat, veraciter dicimus ; ita etiam illa quæ postmodum in excellentia contemplationis divinæ manifaste revelabitur, minorem necesse est confiteamur. Cognovit ergo creatorem suum homo, non tamen ita excellenter sicut postea cognoscere debuisset si perstitisset. Sicut enim inobedientia hominis per subsequentem ignorantiam primæ cognitioni multum abstulit, sic eidem cognitioni si in obedentia homo perstitisset per subsequentem revelationem plurimum addendum fuit. Modum vero cognitionis divinæ quam illæ primus homo, habuisse creditur explicare difficile est, excepto eo quod diximus quod per internam inspirationem visibiliter edoctus, nullatenus de ipso creatore suo dubitare potuit.

A Cap. XV *De cognitione sui. — Homo utrum a principio præscierit lapsum et ruinam suam. et cætera omnia mala quæ in ipsum et per ipsum in posteros transierint. et utrum etiam præscierit bona quæ habiturus fuisset, si in obedientia perstitisset.*

Porro cognitionem sui eumdem hominem a prima cognitione sua talem accepisse credimus. ut et debitum obedientiæ suæ erga superiorem agnosceret. et debitum providentiæ suæ erga inferiorem non ignoraret. Hoc siquidem erat semetipsum agnoscere. conditionem et ordinem et debitum suum sive supra se, sive in se, sive sub se non ignorare ; intelligere qualis factus esset et qualiter incedere deberet. quid agere, quid cavere similiter. Hoc totum erat semetipsum agnoscere. Si horum B cognitionem et discretionem homo non habuisset semetipsum non cognovisset : neque prævaricationis horum postmodum extitisset reus. si prius ad eorum cognitionem non fuisset illuminatus. Si autem quæritur utrum homo tunc a principio cognitionem eorum quæ circa ipsum ventura fuerunt habuerit, id est lapsum et ruinam suam præscierit, et cætera omnia mala quæ primum in ipsum ; postea per ipsum in omnes qui fuerunt ex ipso transierunt, et similiter utrum præscierit bona quæ habiturus fuisset si in obedientia perstitisset. Illud omnino probabile, et consequens esse videtur, quod ad institutionem et formam recte vivendi spectabat magis ut ei facienda indicerentur potius quam ut futura prædicerentur. Illud nam- C que et arbitrii libertatem et obedientiæ puritatem minuere omnino videretur. si ipse homo ante meritum futurorum præscius diceretur ; quia nec bona sperare cum præscientia malorum potuisset, neque cum præscientia bonorum mala ventura timuisset. Propter hoc igitur magis conveniens judicatur primum hominem eorum quidem quæ facienda fuerant, scientiam et præceptum accepisse ; sed eorum quæ futura erant præscientiam non habuisse, ut liberum ad utramque partem arbitrium staret. Et hæc quidem de scientia hominis quantum ad primum statum pertinet, dixisse sufficiat.

Cap. XVI. *De qualitate liberi arbitrii per tres status.*

De arbitrii vero libertate quantum ad eumdem D statum spectat, in præsenti adjicimus. Liberum arbitrium hominem habuisse ante peccatum nullatenus ambigendum est, ea sane libertate qua potuit sive ad bonum sive ad malum voluntatis suæ appetitum inclinare. Ad bonum quidem adjuvante gratia ; ad malum vero solum Deo permittente non cogente. Prima ergo libertas arbitrii fuit posse peccare et posse non peccare, sicut ultima erit libertas posse non peccare et non posse peccare. Prima libertas ad bonum quidem adjutorium habuit, sed ad malum infirmitatem habuit; sic tamen ut nec ad bonum cogeretur, nec contra malum teneretur. Ultima libertas in bono gratiam habebit, in malo infirmitatem non habebit, nec solum gratiam in bono adjuvantem, sed etiam contra malum confirmantem ; adjuvantem, ut sit posse non peccare : confirmantem, ut sit non pos-

se peccare. Media libertas post peccatum quidem ante reparationem gratiam non habet in bono, sed infirmitatem in malo, et idcirco in ea est posse peccare, non posse non peccare. Posse peccare, quia libertatem habet sine gratia confirmante; non posse non peccare, quia infirmitatem habet sine gratia adjuvante. Media libertas post reparationem, ante confirmationem habet gratiam in bono, infirmitatem in malo: gratiam in bono adjuvantem propter libertatem; et gratiam contra malum adjuvantem propter infirmitatem, ut sit in ea posse peccare propter libertatem et infirmitatem, et posse non peccare propter libertatem et gratiam adjuvantem, nondum tamen non posse peccare propter infirmitatem adhuc perfecte non ablatam; et propter gratiam confirmantem adhuc perfecte non consummatam. Cum autem infirmitas tota e medio sublata fuerit, et gratia confirmans fuerit consummata, erit non posse peccare. Non quia vel tunc aut arbitrii libertas aut naturæ humilitas destruatur, sed quod gratia confirmans (qua præsente peccatum nequaquam inesse potest) amplius non auferatur.

Cap. XVII. *De virtute hominis ante peccatum.*

Si autem quæritur an virtutes aliquæ in ipso primo homine ante peccatum fuerint, et si in ipso virtutes fuerint. Utrum in eis aliquid meruerit, cum certe videantur virtutes sine merito esse non posse. Nos quidem virtutes dupliciter haberi respondemus, secundum naturam et secundum gratiam. Virtus namque nihil aliud est quam affectus mentis secundum rationem ordinatus, qui secundum varias ejusdem mentis applicationes plurimi esse dicuntur, unam tamen radicem et originem habentes, voluntatem. Una enim voluntas secundum quod se ad varia vel appetendo vel fugiendo inclinat varios format affectus, et diversa secundum eosdem affectus nomina sortitur, cum tamen omnia hæc in una sint voluntate, et una voluntas. Voluntas autem aliquando per naturam fugit, aliquando excitatur per gratiam, et est ipsa quidem natura per gratiam, sed alia est gratia creatrix, alia salvatrix. Per creatricem gratiam facta sunt quæ non erant, per gratiam salvatricem reparantur quæ perierant. Gratia creatrix primum naturæ conditæ quædam bona inseruit, gratia salvatrix et bona quæ natura primum corrupta perdidit restaurat, et quæ imperfecta nondum accepit aspirat. Per prima bona liberum arbitrium reparatur, per secunda bona liberum arbitrium operatur. In primis bonis, Deus in homine operatur; in secundis bonis, Deus homini cooperatur. Prima bona donum Dei sunt non meritum hominis; secunda bona et Dei sunt per donum, et hominis per meritum. Prima dona gratia sunt; secunda dona gratia pro gratia. Quando ergo voluntas hominis secundum naturam solum movetur, extra naturam non meretur; quando vero secundum Deum movetur, supra naturam meretur: quoniam illum meretur per quem et propter quem movetur. Omnis enim qui vult, aliquid vult; et propter aliquid vult quod vult. Quicunque ergo vult aliquid et propter ea solummodo vult quod vult quia natura hoc vult, velle habet ex natura; qui autem aliquid vult, et propterea vult quod vult, quia Deus hoc vult, id velle habet ex gratia, et hoc meritum hominis est quod propter Deum vult quod vult, et propter Deum facit quod facit.

Hoc namque Deus reddere habet quod propter ipsum fit, sive voluntate sola in volendo, sive voluntate et opere in faciendo. Bona igitur naturæ et affectus ordinati secundum naturam virtutes sunt naturales, quæ et si laudabiles sunt quia bonæ sunt et a natura sunt, non sunt tamen dignæ merito illo quod est supra naturam, quia nihil in se habent præter naturam. Nihil tamen mereri etiam hujusmodi virtutes non mihi convenienter dici posse videtur, quamvis extra bona hæc quæ propter naturam condita sunt nihil mereantur, quæ ex sola sunt natura. Virtutes autem quas gratia reparatrix naturæ superaddita format quia in merito aliquid supra naturam accipiunt, in præmio et supra naturam remunerari dignæ sunt, ut quibus amor Dei causa est in opere, præsentia Dei præmium sit in retributione. Sed in his virtutibus quæ per gratiam reparatricem sunt primum Spiritus sanctus bonam voluntatem operatur; deinde bonæ voluntati moventi se et operanti cooperatur. Primum bonam voluntatem aspirat ut sit, deinde bonæ voluntati inspirat ut moveatur, et operetur ut vacua non sit. Primum operatur eam, deinde operatur per eam. Bona enim voluntas instrumentum est, Spiritus sanctus est artifex. Quemadmodum autem artifex primum instrumentum operatur, deinde per instrumentum. Et quod instrumentum operatur primum solus ipse operatur; quod vero postmodum per instrumentum operatur non solum ipse operatur, sed instrumentum etiam ipsum per quod ipse operatur. Sicut Spiritus sanctus quod primum bonam voluntatem operatur in homine solus ipse operatur, quod vero postea per bonam voluntatem operatur, etiam non solus ipse operatur, sed et voluntas per quam operatur. Tamen opus bonum ex spiritu est qui operatur, non ex voluntate hominis per quam operatur. In ipsa quidem est bonum, sed ex ipsa non est. Ex ipsa non est quoniam aliunde accepit. In ipsa tamen est quoniam habet quod accepit. Et idem ipsum et suum est, in quantum habet; et non suum, in quantum a semetipso non habet. Tali igitur distinctione facta (quod quædam virtutes ex sola natura sunt, quædam ex gratia), si quæritur utrum primus homo in illo primo suæ conditionis statu virtutes aliquas habuerit, nullatenus ambigendo putamus affectus bonos et secundum justitiam ordinatos naturæ illlius a prima sua origine insertos per quos ad bonitatem et justitiam exsequendam naturali appetitu trahebatur. Et in his quidem affectibus bonis naturales virtutes constitisse quibus a principio natura hominis formata est et instructa. De illis autem virtutibus quæ voluntate bona ex amore divino mota perficiuntur, nihil temere circa ipsum (quan-

tum ad primum illum statum pertinet) definire volumus, præcipue cum de opere charitatis illius nullum sive ex auctoritate sive ex ratione argumentum certum habeamus. Etsi quidem amare creatorem suum cœpit, hoc tamen omnino laudabile non fuit, quia non perseveravit ; quia motus incipientis virtutis exstinctus est et abolitus per teporem culpæ subsequentis.

Cap. XVIII. *Qualis creatus sit primus homo secundum corpus.*

Nunc superest ut consideremus etiam qualis primus homo secundum corpus factus sit ; hoc est, an mortalis, an immortalis, passibilis an impassibilis, et cætera quæ de statu corporis humani quærenda videntur. Primus igitur homo quantum ad naturam corporis terreni, et immortalis factus est secundum aliquid, quia potuit non mori et secundum aliquid mortalis, quia potuit mori. Sicut enim in illo primo statu habuit posse peccare et posse non peccare, quia hæc fuit prima arbitrii libertas, ita etiam in eodem statu habuit posse non mori, et etiam posse mori, quia ista fuit prima corporis humani immortalitas. In secundo statu habet posse mori et non posse non mori, sicut etiam posse peccare et non posse non peccare habet ; quoniam in hoc statu est et moriendi et peccandi necessitas. Moriendi necessitas quandiu adest vita ; peccandi necessitas quandiu abest gratia. In tertio statu habebit posse non mori et non posse mori, sicut etiam posse non peccare et non posse peccare ; quoniam ad hunc statum pertinet et moriendi et peccandi impossibilitas. Utraque tamen ex gratia non ex natura ; quia si gratia non adesset, in altero moriendi, in altero peccandi naturæ possibilitas non deesset. Si ergo ultima immortalitas ex gratia erit, ubi moriendi possibilitas non erit ; quanto magis prima immortalitas ex natura non fuit ubi moriendi possibilitas fuit ? Ergo primus homo ante peccatum immortalis fuit ; quoniam in corpore ejus corruptio et infirmitas nulla fuit, et extrinsecus præter cætera fomenta ciborum quibus corporalem vitam nutrire et sustentare debuit specialem in ligno vitæ medicinam acceperat, qua eamdem vitam contra mortis defectum sanam atque incorruptam potuit conservare, donec ad veram immortalitatem ubi jam mori non posset, transferretur, et translatus confirmaretur. Sicut ergo immortalem non dicimus primum hominem fuisse ante peccatum ut mori omnino non posset ; sic etiam nequaquam impassibilem fuisse credere debemus, quasi nihil omnino pati potuisset quia naturam in se passibilem habuit. Sed tamen si non peccasset sicut non mortuus, ita etiam sive ad molestiam voluntatis in mente, sive ad corruptionem integritatis in corpore passus omnino aliquid non fuisset. Nam quod primus ille homo non secundum qualitatem corporis terreni, sed ex beneficio vitalis edulii non mori potuit, manifeste Scriptura ostendit, ubi eum ab eodem ligno ejectum ne vitam ipsam perpetuam conservare posset, testatur dicens : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Nunc ergo ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitæ, et vivat in æternum: ejecit Dominus Deus Adam de loco voluptatis* (*Gen.* III). Qui ergo de ligno vitæ ejectus dicitur ne semper viveret, manifeste ostenditur ex ipsius ligni beneficio hoc habiturus, si semper viveret. Sic itaque primus homo ante peccatum natura mortalis et passibilis fuit, qui tamen ex beneficio Creatoris præcedente, et proprio studio subsequente facere potuisset ut nec moreretur, nec in vita corruptionem pateretur. Quia ergo homo naturam passibilem habuit contra passionem custodia ei necessaria fuit, ut videlicet per rationem propriam contra negligentiam cavendam excitaretur, et per providentiam divinam contra violentiam omnem illæsus conservaretur, et sic utrinque munitus, nec moreretur nec pateretur.

Cap. XIX. *Quandiu homo si non peccasset, in hac vita inferiori manere debuisset.*

Quandiu autem in hac vita terrena homo manere debuisset, argumentum aliud haberi non potest, nisi quia probabile omnino est quod post peractam obedientiam si in ipsa obedientia perstitisset, statim ad præmium ipsius obedientiæ transferri debuisset, quatenus sine mortis interpositione de primo statu ubi habuit posse non mori, ad alium statum transiret ubi amplius mori omnino non posset.

Cap. XX. *De alimento ejus.*

Interim vero vitam terrenam fructibus terrenis nutriret, donec ad illam vitam transferretur ubi nullis prorsus alimentis indigeret. Sicut scriptum est : *Factus est primus homo in animam viventem ; secundus in spiritum vivificantem* (*I Cor.* XV). Quia enim quod vivit vitam habet, quam autem vivificat vitam dat ; plus est omnino vivificare quam vivere. Propter quod (quia vita prima per se stare non potuit, vita autem novissima aliunde sustentari opus non habebit) primus homo in animam viventem factus dicitur, quæ vitam quidem in se habuit, sed corpori per se solam, vitam dare non potuit ; secundus autem in spiritum vivificantem, qui et vitam habebit in se, et corpori dabit per se.

Cap. XXI. *De studio ejus.*

Si autem quæritur quo studio vita humana si homo non peccasset colenda et exercenda fuisset ; non inconvenienter dicitur præter interna et spiritualia studia sapientiæ et divinæ contemplationis, foris etiam in terra culturas sive in arando, sive in seminando, sive in plantando, et cæteris ejusmodi operibus quibus natura bona exculta profectum capit in melius, primum homines non ad laborem, sed ad delectationem exercendum, ut et opus esset ad delectationem, et exemplum ad eruditionem. Sic namque exterior homo exercendus erat ab ipso studio exterioris operis, ut forma sumeretur studii interioris ; et in eo quod foris faceret, agnosceret quid sibi intus faciendum esset. Nam et intus similiter quædam terra erat

quæ bona quidem creata erat, et tamen si bene excoleretur adhuc melior esse poterat ; quæ culta fructus bonos daret, neglecta vero mala et noxia germina proferret.

Cap. XXII. *Si non peccasset homo quales filios genuisset.*

Post ista quæ jam dicta sunt etiam illud quærendum videtur, qualiter homo filios procreare potuisset si non peccasset, qualesque futuri essent qui ex eo nascituri essent. In hujusmodi ergo, sicut jam sæpe diximus, diligenter considerare oportet, ut ab iis quæ dubia non sunt, ea quæ probabiliter tantum dicuntur discernamus. Quæ enim nec auctoritas probat, nec ratio arguit manifesta, inter dubia relinquuntur; tamen ista non inutiliter aliquando in quæstionem admittuntur, ut vel inveniatur quod verum est, vel saltem quod falsum est non concedatur.

Cap. XXIII. *Utrum justi an injusti nascerentur.*

Quia ergo conjugium inter masculum et feminam ante peccatum a Deo institutum, eisque ut crescerent et multiplicarentur dono benedictionis concessum atque injunctum legimus : commistionem carnis in generatione prolis, sine turpitudine et concupiscentia futuram nullatenus dubitare debemus. Qui ergo sine peccato generantur, consequens omnino est quod etiam sine peccato nascerentur, quemadmodum ii qui modo generantur cum concupiscentia, quasi ex ipso radicis suæ vitio corruptionem trahentes, nascuntur cum culpa.

Cap. XXIV. *Utrum paternæ justitiæ hæredes essent.*

Illud etiam dignum inquisitione videtur an paternæ obedientiæ meritum per incorruptam originem ad posteros omnes transire debuerat, quemadmodum nunc inobedientiæ illius culpa, per eamdem originem vitiatam in universos se effundendo dilatat. Quod si verum est ita tunc in nascentibus foret ex merito parentum originalis justitia, sicut nunc invenitur in eisdem ex solo paternæ transgressionis reatu originalis culpa. Idcirco tamen asserendum non est temere, quia non similitea videtur quod quemadmodum nunc natura per inobedientiam ad corruptionem mutata cernitur, ita etiam tunc per obedientiam observatam (nisi usque ad tempus prædiffinitum a Deo conservata fuisset) ad incorruptionem mutaretur. Semel enim transgredi plena inobedientia fuit; sed non similiter perfecta obedientia fuisset, si in ipsa obedientia, homo usque in finem non perstitisset. Propterea sicut inobientia uno tempore consummata naturam ad corruptionem mutavit, ita obedientia naturam ad incorruptionem non mutasset, donec tempore suo usque in finem servata fuisset perfecta. Qui autem interim generarentur, a natura nondum adhuc ad veram incorruptionem transformata seminarentur, neque nascendo originalis justitiæ meritum acciperent; quoniam et ipsi a quibus nascerentur, nondum adhuc perfectæ obedientiæ justitiam haberent. Non autem potuit natura nascentibus dare quod in generantibus nondum adhuc possidebat, quemadmodum et ii qui nunc in peccato generantur, non aliud nascendo trahunt

A quam vitium quod a natura a qua seminantur accipiunt. Sic itaque primus homo tempore obedientiæ suæ casto conjugio ad propagationem posteritatis institutioni divinæ serviens filios generaret sine peccato quidem, quoniam ex natura ab omni vitio libera, sed non similiter paternæ justitiæ hæredes; quoniam ipsa natura nondum foret ad incorruptionis præmium (quod nisi post peractam obedientiam dandum non erat) transformata. Postquam autem a vita æterna ad cœlestem et spiritualem statum transformatus fuisset, amplius generare non debuerat; sicut modo per inobedientiam mortalitati subjectus a carnis tamen propagatione non cessat. Propterea igitur non videtur una esse utrobique conditio, quia eadem ratio B utrinque non apparet. Sunt tamen qui credunt veraciter asserendum quod primus homo si non peccasset nullos nisi bonos filios genuisset, et nemo omnium qui ex ejus carne nasceretur damnaretur. Tamen illud merito quæritur utrum sola primi hominis obedientia probata, omnibus posteris ex eo nascituris ad meritum sufficere debuisset; an si singuli quique post eum temporibus suis (quemadmodum ipse primus probatus est) sive ejusdem sive alterius cujuslibet mandati observantia probandi fuissent. Et potest fortassis non absurde credi quod idem mandatum quod primo parenti datum est, posteri quoque illi observare debuerunt, ut singuli propria obedientia probarentur, et singuli pro meritis suis digna remuneratione glorifica- C rentur. Primam tamen obedientiam observatam causam fore gratiæ adjutricis in omnes sequentes et ipsam obedientiam obediendo imitantes.

Cap. XXV. *Utrum simul transferendi fuissent; an per successiones.*

De termino autem hujus vitæ inferioris in qua usque ad tempus definitum homo manere debuerat, donec cœlesti ac vere immortali vita super indueretur, et post peractam obedientiam ad præmium obedientiæ sine mortis interpositione transferretur, hoc magis rationi consentaneum et fide dignum videtur, quod sicut in hac vita mortali aliis per mortem decedentibus alii per nativitatem victuri succedunt, ita quoque tunc præcedentibus post terminum hujus vitæ temporalis ad vitam D æternam translatis, hi qui ex eis nati fuissent, decedentibus succederent; et ipsi quoque tempora sua impleturi et obedientiam servaturi donec tandem numerus ad vitam prædestinatorum impleretur, et tempus huic inferiori vitæ generi humano deputatum consummaretur.

Cap. XXVI. *Utrum perfecti nascerentur statura et scientia.*

Si vero quæritur quales homo generare filios debuisset si non peccasset, utrum videlicet quemadmodum ipse primus homo secundum staturam corporis et secundum sensum mentis perfectus mox conditus est, ita quoque qui ex eo nascituri fuissent, tam corpore quam sensu in ipso mox nativitatis suæ exordio perfecti esse deberent. Nos secundum existimationem nostram id magis ap-

probamus, ut primus quidem homo, sicut diximus, A et corpore et sensu perfectus mox factus fuisse credatur; illos vero qui ex ipso nascerentur eadem lege qua et nunc nativitatem humanam ordinatam cernimus parvos nascituros; ac deinde per intervalla temporum tam in sensu animi quam in statura corporali incrementa accepturos. Sic enim in omni genere rerum aliam legem primam conditionem habuisse cernimus : atque aliam subsequentem propagationem. Prima enim omnia perfecta sunt : cætera autem omnia quæ ex ipsis oriuntur et post ipsa subsequantur, nisi per intervalla temporum crescendo ad perfectionem venire non possunt. Hoc in arboribus et plantis et germinibus cunctis; hoc in bestiis et cunctis viventibus cernimus. Quia a modico universa incipiunt ; ac B deinde paulatim per incrementa ordine ad perfectionem evadunt. Quocirca nequaquam pro vitio humanæ naturæ deputandum est si in principio suo a perfecto inchoata, per subsequentem propagationem a modico ad majora et meliora proficiat. Et de corpore quidem humano fortassis difficile non erit, neque inconveniens videtur hoc in existimationem recipere. Verum de sensu et cognitione veritatis fortasse minus probabile existimabitur. Quod scilicet ii qui sine peccato nascerentur sensu et intelligentia mentis imperfecti nascerentur, propterea quod omnis ignorantia in rationali creatura non nisi ex pœna peccati esse videatur. Sed qui hoc dicunt, non satis diligenter considerant quod non omnis qui aliquid nescit aut aliquid minus perfecte scit, statim ignorantiam habere sive in ignorantia esse dicendus est ; quia ignorantia non dicitur nisi tunc solum cum id quod ignorari non debuisset, nescitur. Talis itaque ignorantia non nisi ex pœna peccati inesse cognoscitur, cum mens a lumine veritatis excæcata ne ea quæ scire deberet, cognoscere valeat, proprio vitio obscuratur. Illam vero quæ in nascentibus cunctis et nunc a principio inesse videtur, et tunc quoque inesse debuisse creditur, sensus sive cognitionis imperfectionem, naturæ esse non culpæ : ex hoc manifeste liquet quod Dominus in Evangelio cum sub typo animæ Samaritanam de occultis suis conveniret; primum eam quinque viros habuisse ac deinde quem tunc habebat virum ejus non esse testatus est, dicens : *Quinque enim viros habuisti; et nunc quem habes, non est tuus vir* (*Joan.* IV). Qui sunt quinque viri quibus anima rationalis primum legitime copulata dicitur, nisi quinque sensus corporis, secundum quos prima ætas vitæ humanæ sine rationis discretione gubernatur; secundum quorum videlicet sensuum affectus incedere si illi ætati non natura, sed vitium esset ; nequaquam ipsi sensus viri, sed adulteri potius appellati fuissent. Præterea cum post ea subjunctum est, quod ille quem habebat vir ejus non esset; manifeste demonstratum est quod ii quos prius habuerat quinque ejus, hoc est legitimi, et non alieni fuissent. Naturale siquidem humanæ naturæ est, in prima ætate secundum solos sensuum affectus moveri atque incedere.

Cum vero ad annos discretionis pervenerit, si relicta veritate errorem sequitur; ejus error tunc non maritus, sed adulter appellatur. Quod autem prius secundum solum motum sensuum incedens operatur, nec malum ei ad culpam, nec bonum ad meritum reputatur. Non igitur infantibus etiam in peccato natis vitium est sine cognitione nasci, sed hoc eis vitium est cum tali scilicet vitio nasci unde postmodum (cum ad annos discretionis pervenerint) contingat eos si gratiam adjuvantem non habuerint a cognitione veritatis (illa præsertim quæ ad salutem pertinet) præpediri. Quod si verum est, neque vitium fuisset illis qui sine peccato nascerentur, sine cognitione etiam nasci ; quia nihil in se nascendo haberent unde postea cum ad tempus cognoscendi pervenissent, potuissent a cognitione veritatis præpediri. Et nos quidem secundum hunc modum in rebus occultis ea quæ magis probabilia nobis videbantur eligimus, ita tamen ut in nulla parte dubia pro certis asserere præsumamus. Pro eo autem quod propositum fuit nobis tractare qualis primus homo conditus est ; hoc præsenti abbreviationi volumus sufficere. Nunc autem restat ut id etiam quod sequitur, hoc est scilicet qualiter institutus sit a Deo quantum interim animo occurrerit, et proposito nostro convenire videbitur, explicemus.

Cap. XXVII. *De institutione primi hominis.*

Qualiter primus homo institutus sit a Deo et ad C recte vivendum informatus, ut plenius valeamus agnoscere quod jam dictum est superius oportet nos ad medium revocare. Diximus namque superius duo bona a principio a Deo homini præparata : unum corporale, alterum spirituale. Unum visibile, alterum invisibile; unum transitorium, alterum æternum; unum corpori, alterum spiritui ; unum inferiori vitæ, alterum superiori, ut utraque vita jucunditatem suam haberet. Alia ad fomentum, alia ad gaudium; alia ad necessitatem, alia ad felicitatem, alia ad usum temporis, alia ad fructum æternitatis. Horum itaque bonorum quæ ad utramque vitam pertinebant spiritui (qui ipsi carni in homine præsidebat) cura injuncta est, quatenus scilicet alterum hoc est corporale bonum D ad usum inferioris vitæ per providentiam disponeret, alterum vero hoc est spirituale bonum ad fructum vitæ superioris per obedientiam quæreret.

Utrumque ergo ad spiritum rationalem pertinuit, ut et carni suæ provideret et sibi. Carni quidem suæ in bono quod sibi ad usum ejusdem carnis erat subditum : sibi autem in bono illo quod non solum carni, sed ipsi quoque qui in carne superior fuit existitit dignitate prælatum. Quapropter ad inferius quidem bonum conservandum providentia pertinuit; ad superius autem bonum obtinendum obedientia necessaria fuit. Providentia ex ratione, obedientia ex præceptione; providentia in præcepto naturæ, obedientia in præcepto disciplinæ. Sic itaque primus homo institutus est, ut vitæ inferioris bonum per providentiam custodiret ; vitæ superioris bonum per obedientiam

quæreret. Si ergo secundum hanc institutionem incessisset, perfectam justitiam tenuisset) et sicut alienus fuisset a culpa, ita etiam liber et immunis permansisset a pœna. Ut autem hujus institutionis modum utrinque perfectius agnoscimus, utriusque vitæ rationem et formam, et ea quæ ad utramque vitam spectare videntur bona, eorumque usum diligentius nos considerare oportet.

Cap. XXVIII. *De institutione hominis secundum inferiorem vitam.*

Duo igitur bona quæ superius distinximus, Deus homini ab initio præparaverat. Alterum temporale et alterum æternum: utrumque plenum et perfectum. Alterum, id est temporale bonum, plenum statim condito apposuit; alterum, id est æternum plenum post meritum dandum proposuit. Illi quod dederat custodiam apposuit cum providentia sua præceptum naturæ; ad alterum quod proposuerat viam aperuit cum sua gratia præceptum disciplinæ. Præceptum autem naturæ tria continet, præceptionem, prohibitionem, concessionem. Præcepto naturalis est discretio naturalis, per quam inspiratum est homini quæ sunt naturæ suæ necessaria. Prohibitio vero est per quam insinuatum est illi quæ sunt noxia. Concessio autem est discreto eorum quæ media sunt, id est quibus uti vel non uti sine periculo vel incommodo potest. Si ergo homo per naturale præceptum instructus negligentiam cavere voluisset, divina providentia nulla eum violentia opprimi vel offendi permitteret.

Cap. XXIX. *De institutione hominis secundum superiorem vitam.*

Poterat itaque homo per præceptum naturæ conservare bonum naturale quod habuit, sed per illud non potuit æternum bonum (illud quod necdum habuit) adipisci. Neque enim ad vitam superiorem obtinendam meritum illi foret, si aut vitaret huic vitæ noxia, aut quæ salubria sunt appeteret, sive ad utrumlibet mediis uteretur, quoniam in his omnibus non tam præcipientis affectum quam commodum obedientis attenderet. Itaque ut homo super hanc vitam aliquid mereretur, necessarium fuit ut præcepto naturæ præceptum disciplinæ adderetur et ut in ipsius præcepti exsecutione homo non tam præcepit utilitatem quam præcipientis dilectionem amplecti probaretur. Sed quid erit amplius quod ad experiendam obedientiam hominis illi præcipiatur, cum totum quod ad vitam pertinet humanam, in præcepto naturæ contineatur? Quæcunque enim propter hominem facta sunt: aut necessaria sunt vitæ humanæ, et pertinent ad præceptionem; aut noxia, et pertinent ad prohibitionem; aut media, et pertinent ad concessionem. Mandatum autem disciplinæ neque de præceptione neque de prohibitione naturali sumi poterat; ne si vel eadem præciperet Deus aut prohiberet quæ prius præceperat et prohibuerat meritum, ut dictum est, ad vitam obedienti non esset. Si vero in utrolibet mutaret mandatum, ut vel necessaria prohiberet vel noxia

A præciperet naturam a se factam injuste læderet. Et in repugnantia mandatorum ejus quæcunque pars ad effectum duceretur hominem in necessitatem prævaricationis præcipitaret, cum e duobus contrariis alterum sine alterius transgressione implere non posset. Oportuit ergo ut de concessione naturali præceptum disciplinæ sumeretur, quia solummodo moritum esse potuit ubi liberum arbitrium fuit, et ubi homo ad utrumlibet se pro voto inclinare potuit. Sed tamen oportebat ut de ipsa concessione præceptum disciplinæ sumeretur, quatenus per præceptum concessio ipsa non mutaretur, id est ut præceptum naturam rei de qua fieri debebat non corrumperet, neque contra primum institutum vitæ humanæ noxiam faceret, quatenus
B sola inobedientia prævaricatori non ipsius in qua prævaricabatur rei natura noceret. Cum autem de concessione naturali præceptum disciplinæ formandum fuisset congruum fuit magis ut secundum prohibitionem hoc fieret non secundum præceptionem ne diabolus posset obedientiam hominis calumniari, et in uno tantum non in pluribus; ne inobedientia ipsa valeret ab homine excusari. Si enim dixisset Deus homini ut de ligno scientiæ boni et mali manducaret, haberet diabolus adversus hominem aliquid quod dicere posset, quod videlicet in exsecutione mandati commodum suum magis quam præceptum creatoris sui respexisset, et ad perficiendum id quod præceptum fuerat non amore Dei, sed delectatione cibi adductus fuisset.
C Rursum si multa de his quæ naturaliter concessa fuerant Deus homini prohibuisset, et pauca concessisset, prævaricationis suæ homo adversus Deum excusationem habere videretur, pro eo quod necessitate magis quam voluntate ad prævaricationem impulsus demonstraretur. Propterea Deus hominem ad experiendam obedientiam mandato informans multa concessit et pauca prohibuit ut ipsa obedientia esset libera, et quæ prohibuit idcirco potius prohibuit quam præcepit, ut obedientia ipsa esset pura. *De omni*, inquit, *ligno paradisi comede; de ligno vero scientiæ boni et mali ne comedas* (*Gen.* II), ut scilicet prius infirmitatem sensus humani per concessionem consolaretur, ne forte postea ad prohibitionem terreretur. Si ergo homo in hac obedientia perstitisset, post
D tempus definitum a Deo ad illud bonum quod ei in cœlis præparatum fuerat sine mortis dolore transferri debuisset cum omni prole sua post ipsum subsequente in consortio beatorum angelorum vita cœlesti sine fine victurus.

Cap. XXX. *De toco in quo positus est primus homo.*

Plantaverat autem Dominus Deus, sicut dicit Scriptura, *paradisum voluptatis a principio in quo posuit hominem quem formaverat* (*Gen.* II). Qualis autem paradisus fuerit ubi homo probandus et exercendus positus est, subsequitur Scriptura et dicit: *Produxitque Dominus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio para-*

disi lignumque scientiæ boni et mali. Et fluvius A *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita* (*Gen.* II). Patet ergo quantæ amœnitatis locus ille fuit in quo natura hominis adhuc a corone aliena foveri ac nutriri debuit, qui fontibus et fluminibus irriguis, arboribus omnis generis frondosus et nemorosus, fructu tam pulchro ad videndum quam suavi ad vescendum refertus prædicatur.

CAP. XXXI. *De ligno vitæ.*

Ubi inter cætera Dei dona ad jucunditatem vitæ humanæ præparata, etiam illud mirandum commemoratur quod lignum ibi vitæ esse dicitur, cujus virtus tam mirabilis fuisse perhibetur, ut B in certis temporibus sumptum vitam corporalem in homine (quandiu ipse homo illo uteretur) non solum a morte, sed ab omni etiam defectu illæsam custodire potuisset.

CAP. XXXII. *De ligno scientiæ boni et mali.*

Lignum etiam scientiæ boni et mali ibi fuisse narratur, quod non similiter quidem ex natura sua scientiam boni et mali homini dare potuit, quemadmodum lignum vitæ vitam in homine corporalem ex natura sua et virtute sibi indita a Deo potuit conservare, sed idcirco tantum lignum scientiæ boni et mali dicitur; quia ad probandum obedientiam hominis, sive inobedientiam experiendam parabatur. Erant enim quædam bona C quæ necdum homo per experientiam cognoverat; et erant similiter quædam mala quæ per experientiam adhuc nescierat. Et positum est quasi in medio lignum scientiæ boni et mali, ut per illud homo vel obediendo ad bona gustanda et cognoscenda transiret, vel non obediendo ad mala sentienda et percipienda pertingeret. Sic igitur in loco isto sive boni sive mali cognoscendi occasionem accipere debuit; non tamen ex natura ligni quæ hoc homini ex se dare non potuit, sed quia in eo vel obediendo boni vel non obediendo mali pro debita remuneratione accepit occasionem. Si vero aliter vim hujus nominis interpretari voluerimus, dicere poterimus, quod Adam ante peccatum bonum et malum scivit; bonum quidem per D scientiam et per experientiam, malum vero per solam scientiam. Postquam autem lignum vetitum tetigit, malum jam etiam per experientiam cognoscere cœpit, atque per experientiam ipsius mali bonum quoque quam stricte fuerat tenendum agnovit. Sic igitur lignum istud per virtutem obedientiæ vel inobedientiæ culpam, prodesse aut nocere homini potuit. Quantum autem spectabat ad naturam ipsius, tale fuisse creditur ut sive ederet sive non ederet homo fructum ejus, non læderetur. Convenienter autem lignum vitæ ex sua natura virtutem tribuit; lignum vero scientiæ boni et mali virtutis tantum occasionem præstitit, quia bona inferioris vitæ ex natura sunt; bona vero superioris vitæ ex gratia.

CAP. XXXIII. *Quod homo in paradiso positus est : non creatus.*

In tali ergo loco et talibus deliciis referto positus est homo non creatus, quatenus beneficium Dei non naturæ imputaret sed gratiæ, sicut scriptum est : *Tulit Dominus Deus hominem quem fecit et posuit eum in paradiso voluptatis (Gen.* II). Quem enim tulisse et postea in paradiso posuisse dicitur, quod alibi creatus sit, et ut hic poneretur aliunde assumptus manifeste demonstratur.

CAP. XXXIV. *Quare unus primum creatus est.*

Creavit ergo Deus primum hominem unum, ut unum esset generis humani principium, quatenus in hoc et diaboli superbia confunderetur, et humanæ naturæ humilitas divinæ imaginis similitudine glorificaretur. Diabolus namque aliud a Deo principium esse concupierat, et ut idcirco magis ejus superbia confunderetur, hoc homo in dono accepit quod ille perverse rapere voluit et obtinere non potuit, ut in hoc imago Dei in homine appareret, quod sicut Deus omnibus rebus creationis principium exstitit; ita iste omnibus hominibus principium esset generationis, et omnes homines dum se ab uno et unum esse cognoscerent, omnes se quasi unum amarent.

CAP. XXXV. *Quare mulier de viro facta, et quare de latere.*

Postea vero in adjutorium generationis de ipso viro mulier facta est. Quoniam si aliunde fieret, unum profecto principium omnium hominum non esset. Facta est autem de latere viri ut ostenderetur quod in consortium creabatur dilectionis, ne forte si fuisset de capite facta præferenda videretur viro ad damnationem, aut si de pedibus, subjicienda ad servitutem. Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur sed socia; nec de capite, nec de pedibus sed de latere fuerat producenda ut juxta se ponendam cognosceret; quam de juxta se sumptam didicisset.

CAP. XXXVI. *Quare dormienti costa abstracta est.*

Et dormienti vero potius quam vigilanti costa de qua mulieris corpus fabricaretur, subtracta est, ne in eo pœnam aliquam sensisse putaretur, et divinæ simul potentiæ opus mirabile probaretur, quæ hominis dormientis latus aperuit, et eum tamen a quiete soporis non excitavit. Quantum ver pertinet ad spiritualem intelligentiam, idcirco primus Adam dormiendo materiam unde illa sponsa crearetur de latere suo præstitit; quoniam secundus Adam postea in cruce sommo mortis soporatus ut sponsa illius Ecclesia formaretur, sanguinem cum aqua de latere suo fundendo sacramenta ministravit. Porro quod de costa viri mulieris corpus factum dicitur ita intelligendum est, ut de sola ipsius costæ substantia sine omni extrinseco additamento, per divinam potentiam in semetipsa multiplicata idem corpus factum credatur, eo sane miraculo quo postea de quinque panibus in manibus Jesu cœlesti benedictione multiplicatis quinque sunt hominum millia satiata.

Cap. XXXVII. *De sex modis operandi.*

Sane sex sunt opera quibus omnia quæ fiunt ad effectum perducuntur. Primum opus est de nihilo aliquid facere. Secundum opus est de aliquo aliqua facere secundum substantiam et quantitatem in majus. Tertium opus est de aliquibus aliquid facere secundum substantiam et quantitatem in minus. Quartum opus est de aliquo aliqua facere, non tamen secundum substantiam et quantitatem in majus. Quintum opus est de aliquibus aliquid facere, non tamen secundum substantiam et quantitatem in minus. Sextum opus est de aliquo nihil facere. Ex his sex operibus quatuor soli Deo possibilia sunt; duo reliqua tantum creaturæ possibilitati conveniunt. De nihilo enim aliquid facere, et de aliquo aliqua facere in majus, et de aliquibus aliquid in minus sive de aliquo nihil, solus Deus potest. Duo reliqua, id est de aliquo aliqua non in majus, sicut cum totum in partes dividitur, vel de aliquibus aliquid non in minus quemadmodum cum partes in toto uniuntur, creatura facere potest. Cujus opus recte propterea nihil esse dicitur, quia per ejus opus essentiis rerum sive in conjungendo divisa, sive in dividendo conjuncta nihil tollitur vel confertur. Ubi autem de nihilo aliquid fit aliquid fit; quia hoc ipsum aliquid ut sit in eo fit, quod nisi fieret idipsum quod est, aliquid non esset. Rursum cum de aliquo plus fit, aliquid fit, quia nisi in eo quod jam aliquid est aliquid fieret: ipsum quod postea plus ibi est, non esset. Rursum cum de aliquibus aliquid fit quia nisi illud quod prius ibi plus fuit aliquid factum esset in eo quod minus modo est, illud omnino non esset. De nihilo aliquid factum est, quando id quod prius nihil erat ut aliquid esset factum est. Cum autem postea id quod prius parvum factum erat majus factum est, de aliquo aliquid in majus factum est. Cum vero quod magnum factum est, minus aliquando fit, de aliquo aliquid in minus fit. Primum est opus creationis; secundum est opus multiplicationis; tertium est opus unionis sive collectionis. In primo opere fit aliquid et de nihilo. In secundo opere fit aliquid et de aliquo; in tertio opere fit aliquid quidem sed non de nihilo, quia quod fit habet materiam neque de aliquo; quia cum fit ipsum habet in materia formam, sed cum duo sint unum fit aliud et transit in illud ut sit illud, et desinit quidem esse quod est; et tamen non desinit esse, quia incipit esse quod non est. Et cum fit illud quod esse incipit aliquid fit, quia illud aliquid est quod esse incipit, et quod fit; et tamen non de nihilo illud fit quod fit, quia priusquam hoc fieret aliquid fuit, nec rursum de aliquo illud fit quod fit quia desinit esse quod prius fuit, quando esse incipit hoc quod prius non fuit. Quod dicimus pro exemplo in aliquo exprimamus. Omne quod est unum et omne quod unum esse desinit in hoc ipso esse etiam desinit quod unum esse desinit. Ita sine unitate nihil sustinere potest. Verum ex his quæ sunt et unum sunt, alia unitatem suam ex multis colligunt, qualia sunt composita et ex partibus

A consistentia quæ unum quidem esse habent; sed ex uno non habent quia constant ex pluribus. Alia unitatem suam ex uno habent, et in uno habent; quia unum et idem est ipsum ex quo sunt et ipsum quod sunt, qualia sunt simplicia omnia et ex partibus non consistentia. Compositis ergo unum esse, aliud non est quam unita esse; et ideo vere unum esse non est, quia ex multis et in multis est. Quibus autem simplex est esse vere unum esse est, quia unum est totum et quod est, et ex quo est. Sed ex his rursum quæ ex simplicitate unum sunt, alia unitatem suam ex multis non colligunt quia non sunt composita; nec unitatem suam in multa effundunt, quia multiplicari non possunt, neque esse materia. Quales sunt incorporei spiritus

B qui neque ex materia sunt, quia simplices sunt, neque materia esse possunt, quia corpora non sunt. Alia quidem unitatem suam simul ex multis non colligunt, quia sunt simplicia; sed tamen unitatem suam in multa effundunt, quia multiplicantur et fiunt materia. Qualia sunt corpora simplicia, quæ atomos dicunt; quæ quidem ex materia non sunt, quia simplicia sunt; sed tamen materia fiunt, quia in semetipsis multiplicantur et in augmentum excrescunt. Quando ergo simplex materia sive atomus simplex factus est, de nihilo aliquid factum est. Quando vero idipsum simplex corpus in semetipso multiplicatur et multiplex excrescit, fit aliquid de aliquid in majus. Quod licet mirabile videatur, majus tamen est de nihilo

C aliquid facere quam de aliquo plus facere. Hoc modo operandi de substantia costæ in se divina virtute absque extrinseco additamendo multiplicata, corpus mulieris factum est. Neque enim convenit ut costam illam extrinsecus additamentum accepisse dicamus quatenus in eam quantitatem excresceret, quæ corporis mulieris formando sufficere potuisset; quoniam si hoc verum esset, non de costa quidem, sed de illo quod præter costam additum est (quod utique multo majus fuit) corpus mulieris factum esse convenientius dici debuisset. Hoc siquidem in materia majus et principalius fuisset et principalis materia vocari debuisset. Non itaque costæ illi aliquid extrinsecus est additum, sed ipsa ex semetipsa divina virtute cooperante

D multiplicata est, quemadmodum postea naturam humanam a primis parentibus in subsequentem generationem seminatam a modico jam in tantum multiplicatam cernimus, ut multa hominum millia ex ea jam excrevisse videamus. Et hoc totum ad secundum opus pertinet quando de aliquo fiunt aliqua in majus. Cum autem per collectionem et unionem multa in simplicem essentiam redeunt (sicut prius crescendo per multiplicationem a simplici essentia plurima exiverunt) tertium opus est, quod utrum in occulto naturæ sinu circa aliquas essentias divina potentia operatur, ut scilicet aliqua a multiciplitate ad simplicitatem reducat quæ prius a simplicitate ad multiplicitatem produxerat, sicut scire non possumus, ita etiam pertinaciter negare non debemus. Hoc tantum considerandum est quod aliud opus est cum simplex essentia mul-

tiplicatur; aliud cum multiplex in simplicitatem A reducitur. Post ista tria opera quæ soli Deo possibilia sunt, sequitur quartum et quintum opus etiam quæ creaturæ conveniunt; in quibus nihil aliud est facere quam vel conjuncta disjungere, vel separata conjungere. Sextum opus hoc est aliquid in nihilum redigere. Soli Deo possibile est. Quod sive aliquando faciat sive non faciat Deus, hoc tamen omnino certum est; quod qui potuit de nihilo omnia creare, posset etiam si vellet, creata in nihilum redigere. Post senarium operibus deputatum septenarius sequitur, cui non opus sed quies debetur. Hæc opera idcirco distinximus propter eos qui mirari solent, imo potius dubitare quomodo de costa viri mulier fit, et quomodo de modico paterno semine tam numerosa proles excrescere possit.

PARS SEPTIMA.

DE LAPSU PRIMI HOMINIS.

CAP. I. *Quomodo invidia diaboli lapsus est.*

Domino igitur mundi homine providentia divina in loco deliciarum quasi in parte potiori constituto, et ad conservanda bona quæ habebat eadem Dei providentia rationi humanæ adjuncta munito, atque ad illa bona quæ habiturus erat quærenda et obtinenda præcepto obedientiæ cum gratia operante instructo; vidit diabolus et invidit quod homo illuc per obedientiam ascenderet, unde ipse per superbiam corruisset.

CAP. II. *Quare diabolus in forma aliena venit.*

Quia vero per violentiam nocere non potuit ad fraudem se convertit, ut dolo hominem supplantaret quem virtute superare non posset. Ne autem fraus illius omnino nulla esset, si nimis manifestaretur; in propria forma venire non debuit, ne manifeste cognosceretur, et nullatemus reciperetur. Iterum ne nimis violenta esset ejus fraus si prorsus occultoratur et homo simul (si Deus eum tali fraude quæ caveri non posset decipi permitteret) injuriam pati videretur, in aliena quidem forma venire permissus est; sed tali in qua ejus malitia prorsus non celaretur. Ut igitur in propria forma non veniret sua voluntate factum est, ut autem aliam formam nisi talem quæ malitiæ suæ conveniret habere non posset, divina ordinatione dispositum. Venit ergo ad hominem in serpente callidus hostis, qui fortassis si permissus fuisset in forma columbæ venire maluisset. Sed hoc vas Spiritus sanctus sibi reservavit, quia profecto dignum non erat ut spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua postmodum eidem Spiritus sanctus apparere debuisset.

CAP. III. *Quare prius ad feminam venit.*

Libet considerare quam timenda fuerit in principio ad tentandam virtutem hominis hujus hostis malitia. Quasi enim parum de suis viribus præsumens humanam naturam in eam partem ubi debilior videbatur aggressus est, ut si forte illic aliquatenus prævalere potuisset, postmodum cum majori fiducia ad alteram quæ robustior fuit pul- B sandam aut posterius subvertendam accederet. Sciens ergo quod verum esset (quamvis adhuc dictum non esset (*Væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem* (*Eccle.* IV). Et si quispiam prævaluerit adversus unum duo resistunt ei; primum diligenter solitariam feminam exploravit, et inveniens; in ea primum omnem suæ tentationis conatum experiri disposuit.

CAP. IV. *Quare ab interrogatione exorsus est.*

Considerate quanta est confusio et timiditas nequitiæ in conspectu virtutis. Stans coram et coram femina hostis superbus ex sola malitia cogitata nondum dicta confunditur; et quasi se jam prius quam etiam loqueretur deprehensum metuens, non audet exire in verba persuasionis, donec animum C tentandæ interrogatione præsentiat. *Cur*, inquit, *præcepit Deus vobis ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur; de fructu autem ligni quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini* (*Gen.* III). Considerate incrementa perditionis. Primum dixerat Deus: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* II). Deinde mulier dixit: *Ne forte moriamur* (*Gen.* III). Novissime serpens dixit: *Nequaquam morte moriemini* (*ibid.*). Deus affirmavit; mulier dubitavit; diabolus negavit. Nequaquam autem diabo- D lus coram muliere verba Dei negare præsumpsisset, si non prius ipsam mulierem dubitantem invenisset. Quæ ergo dubitavit ab affirmante recessit, et neganti appropinquavit. Ipsa igitur secundum aliquid inchoavit malitiam, quæ tentatoris iniquæ persuasionis dedit audaciam.

CAP. V. *Quod non soli viro præceptum datum sit.*

Sane hic considerandum quod non quemadmodum superius videtur soli viro præceptum datum sit. Ipsa enim mulier hic testatur sibi quoque mandatum, ut lignum scientiæ boni et mali non tangeret. Scilicet voluit Scriptura ostendere quod mulier

quæ viro subjecta fuit divinum mandatum non nisi mediante viro accipere debuit, ut sermo Dei primum quasi immediate ad virum fieret, deinde mediante viro ad mulierem quoque, quæ subjecta viro fuit et consilio viri instituenda perveniret.

CAP. VI. *De modo tentationis.*

Hoc autem diligenter considerandum quam callide hostis primum quod mulier timuit malum negando removit, ac deinde quod ipse intendit malum libere persuasit. Novissime autem ad ipsam persuasionem fulciendam promissionem adjunxit, et ut eadem persuasio citius reciperetur promissionem duplicavit. Qui enim unam tantum comestionem suasit, per una duo reponens in præmio similitudinem Dei scientiamque boni et mali spopondit. In persuatione igitur cibi hominem tentavit gula. In promissione divinitatis et cognitionis vana gloria et avaritia. Immoderata namque edendi concupiscentia, gula est. Desiderium autem inordinatum excellendi, vana gloria. Nimius vero appetitus habendi vel possidendi avaritia.

CAP. VII. *Quæ mala fuerunt in originali peccato.*

In originali igitur peccato tria vitia fuerunt, inobedientiæ duæ, et peccatum unum. Tria vitia fuerunt: superbia, avaritia, gula; duæ in obedientiæ: una in præcepto naturæ, altera in præcepto disciplinæ. Et hæc omnia quia in uno actu sunt completa, unum peccatum dicuntur. In vitiis prima fuit superbia, secunda avaritia, tertia gula. In superbia et avaritia, inobedientia fuit de præcepto naturæ; in gula sola, inobedientia fuit de præcepto disciplinæ. Nusquam enim legitur Deus prohibuisse homini ne similitudinem divinitatis, vel scientiam boni et mali concupisceret. Quia tamen inordinate hoc concupiscens, contra suam rationem fecit, quodammodo naturalis præcepti prævaricator exstitit. De solo ligno scientiæ boni et mali legimus quod prohibuit Deus homini ne illud contingeret; et idcirco dum mulier illud appetendo tetigit, de præcepto reatum disciplinæ inobedientiæ incurrit.

CAP. VIII. *Quod mulier delectatione promissionis persuasioni assensum dedit.*

Idcirco autem superbiam et avaritiam in originali peccato priusquam gulæ vitium mentem hominis deceptam obtinuisse dicimus; quia nisi prius mulier id quod promittebatur appetivisset nequaquam postmodum in eo quod suadebatur assensum præbuisset. Sed, quia prius perverse delectata est in promissione, postmodum stultum assensum præbuit in persuasione. Primum enim promissam excellentiam per superbiam appetiit; deinde promissam abundantiam (et qualis talem excellentiam decebat) per avaritiam concupivit. Postremo ut hæc duo pro voto obtinere mereretur cibum vetitum gulæ vitio corrupta gustare consensit. Primum quidem consensit propter alia quæ dilexit; postmodum respiciens et concupiscibile videns tantum in concupiscentiam exarsit, ut jam etiam si præmium nullum esset propter se tamen placeret quod vidit. Primum igitur quasi conducta pretio est ad consensum, postea propria delecta-

A tione attracta descendit ad actum. In superbia et avaritia pretii cupiditate allecta se vendidit; in gula autem postea delectata libenter jam gratis servire cœpit. Nam cum amore promissionis prius mens stulta flecteretur: *Vidit*, inquit Scriptura, *mulier lignum quod esset pulchrum visu et ad vescendum suave, et tulit de fructu ejus et comedit* (*Gen.* III).

Primum per superbiam et avaritiam videre consensit, postea in visu speciem agnovit, deinde in specie suavitatem apprehendit. Per suavitatem autem in concupiscentiam, gulæ exarsit, novissime per concupiscentiam devicta accepit et comedit. Sic igitur primum pro pretio ad serviendum peccato se vendidit, postea propria delectatione evicta

B libenter jam gratis etiam cœpit servire. Ita nonnunquam mens justa in sua perfectione primum quodam proposito præmio ad serviendum Deo excitatur; deinde in amorem bonitatis cum excrescere cœperit in ejus servitute sola voluntaria delectatione tenetur.

CAP. IX. *De duobus generibus tentationum.*

Porro sciendum est duo esse tentationum genera, unum exterius, alterum interius. Exterior tentatio est quando nobis extrinsecus malum sive visibiliter sive invisibiliter faciendum suggeritur. Interior tentatio est quando ex motu pravæ delectationis intus animus ad peccandum sollicitatur. Hæc autem tentatio difficilius vincitur, quia in-

C terius oppugnans de nostro contra nos roboratur. Propterea diabolus veniam non meruit, quia sine ulla tentatione peccavit. Homo vero quia sola exteriori tentatione pulsatus cecidit, tanto gravius plectendus erat, quanto leviori impulsu prostratus fuerat; et tamen, quia aliquam (quamvis modicam) ad cadendum occasionem habuit, idcirco hunc tandem ad veniam Dei gratia erexit. Nos vero quanto graviorem in peccando tentationis violentiam patimur, tanto leviori piaculo ad gratiam amissam renovamur.

CAP. X. *Uter plus peccavit Adam an Eva.*

Quærunt etiam quidem, uter plus peccaverit Adam an Eva. Sed sicut dicit Apostolus: *Mulier seducta est, non vir* (I *Tim.* II). Eva quippe se-

D ducta est, quia verum esse credit quod diabolus dixit. Et idcirco non solum inordinate similitudinem Dei cum scientia boni et mali appetiit, sed in tantam prolapsa perversitatem verisimiliter putatur, ut Deum ex invidia lignum scientiæ boni et mali homini vetuisse crederet, ne ipse homo ex eo gustando ad æqualitatem ipsius proficere potuisset. Hæc est enim illa perversa similitudo quæ creaturæ non convenit, quæ ex imitatione non quæritur, sed ex comparatione. Hanc ergo mulier in superbiam elata appetiit; et ne hanc habere potuisset, ipsum Creatorem invidia tactum lignum hoc vetuisse putavit. Voluntaria ergo malitia se contra creatorem suum erexit; perverse contra ipsum volendo, et impie de ipso sentiendo. Adam vero non est seductus, quia quod diabolus promisit falsum esse sciebat. Neque idcirco pomum

vetitum comedit, quasi per illa comestionem Deo parificari se posse crederet, vel etiam parificari vellet; sed tantum ne mulieris animum quæ sibi per affectum dilectionis sociata fuerat, ejus petitioni et voluntati resistendo contristaret. Maxime quia putavit se et mulieri morem gerere; et postea per pœnitentiam et veniæ postulationem Creatori posse placere. Vere igitur dictum est quia minus peccavit qui de pœnitentia et misericordia cogitavit; peccavit tamen quia peccanti consensit et peccantem non correxit. Et idcirco quæ in peccato originali est culpa (quamvis dissimiliter) ad utrumque tamen tota redundat; in illam quidem quia peccavit in istam, quia peccanti consensit et peccatem illius consentiendo suum fecit. Et hoc quidem modo prius homo a diabolo seductus est ut peccaret. Si autem interius considerare voluerimus quomodo peccatum in eum venit, quid aut etiam fit ipsum peccatum quod naturam bonam vitiat, et tollit pulchritudinem et integritatem illius, quædam de interioris hominis qualitate quæ ad hanc considerationem necessaria videantur in medium proponere oportet.

Cap. XI. *De appetitu justi et appetitu commodi.*

Duo quædam posuerat Deus in homine a principio, quibus natura illius tota regeretur et conduceretur ad consummationem finis sui. Duo hic erant, appetitus justi et appetitus commodi. Unum, id est appetitum justi dederat, ut inesset ad voluntatem. Alterum, id est appetitum commodi dederat ut inesset secundum necessitatem. Unum voluntarium, alterum necessarium. Appetitum justi propterea voluntarium esse voluit, ut in eo promereretur homo sive bonum, si videlicet eum retineret cum posset deserere, sive malum, si eum desereret cum posset retinere. Appetitum autem commodi propterea necessarium voluit esse Deus, quatenus in eo remuneraretur homo sive ad pœnam, si alterum, id est appetitum justi desereret, ad gloriam, si eumdem appetitum, scilicet justi, retineret. In appetitu justi Deus meritum hominis constituit; in appetitu vero commodi præmium. Propterea appetitum justi solum voluntati hominis subjecit, quia nisi in voluntate et libero arbitrio meritum esse non potuit. Post hos duos appetitus duo effectus illorum subsequebantur: justum et commodum, dissimiliter tamen et ordine contrario. Appetitus quippe justi sive affectus separabilis est, quia secundum voluntatem inest; sed effectus illius, id est justum sive justitia inseparabilis ab illo est, quia appetitus justi sine justitia esse non potest. Ipsam enim justitiam appetere, secundum aliquid justitiam habere est. Affectus ergo justi a voluntate separari potest, sed effectus ejus, id est justitia, ab affectu ipso separari non potest. Rursum appetitus commodi inseparabilis est, quia secundum necessitatem inest, et a voluntate rationali nunquam separari potest. Effectus autem ejus, id est commodum, ab eo separabilis est; quia desiderari commodum, cum non habetur, potest. Et in hoc summa constat pœna cum creatura, pœna addicta, neque commodum suum fastidire potest propter immutabilem naturam, nec habere potest propter irremissibilem culpam. Propterea igitur Deus affectum justitiæ homini separabilem dedit, et ipsi affectui cum inesset, effectum suum, hoc est justitiam inseparabiliter adesse instituit. Affectum commodi inseparabilem tribuit, et effectum illius, hoc est commodum, non æque inseparabiliter adesse præcepit quatenus homo, vel illo solo, scilicet appetitu justi amisso, hujus et illius effectum perderet, vel, illo solo retento, unius et alterius effectum retineret. Sed homo solum quod potuit fecit; et quia appetitum justi sponte dereliquit, idcirco merito et justitiam et commodum perdidit, solum appetitum commodi ad augmentum infelicitatis retinens. Sicut enim augmentum gloriæ fuisset in justitia perseveranti non posse ab amore et desiderio habiti boni tepescere, ita cumulus miseriæ est ab appetitu boni non posse esse (quamvis illud adipisci nequeat) cohibere.

Cap. XII. *Utrum homo volens an nolens appetitum justi perdidit.*

Sed mirum videtur si homo prius appetitum justitiæ habuit, quomodo postmodum illum amisit. Utrum videlicet nolens an nolens illum deseruit. Si enim nolens deseruit, vel potius si nolens perdidit necessitatem passus est, iniquitatem non fecit. Neque violentia patientis culpa dicenda est, sed inferentis. Si autem voluntas in eo præcessisse dicitur, quia justitiæ affectum spontanea quadam deliberatione abjecit; jam ipsa desertio justitiæ primum peccatum fuisse negatur, quia voluntas mala illam præcessit per quam facta est. Nec potest inveniri unde voluntas talis homini advenerit, qua vellet bonum quod habuit deserere, quoniam neque a semetipso velle habere potuit, neque a Deo quidquam præter commodum et justum velle accepit. Sed considerandum est quod, cum justum appetere nihil aliud sit quam justitiam velle, appetitum justi deserere idem est quod justitiam velle desinere: qui autem velle desinit, non volendo velle desinit, sed a voluntate cessando, quod quemadmodum ille qui aliquid facere desinit; non faciendo desinit, sed cessando et quiescendo ab eo quod facit. Quia ergo homo appetitum justi deserens non velle cœpit quod prius noluit, sed tantummodo quod prius voluit velle desiit, non necesse est ut hoc aut volens aut nolens fecisse dicatur. Voluit tamen aliquid, quod, quia cum isto velle non potuit, desiit istud velle quod voluit. Nec imo illud voluit, quia istud velle desiit; sed potius ideo istud velle desiit, quia illud voluit. Peccatum tamen et iniquitas ejus propterea non ex eo pendet, quia illud voluit, sed quia istud velle desiit, quoniam si hoc velle non desineret, sive illud sive aliud volendo nunquam peccare potuisset. Quid autem illud fuisse dicetur quod volendo justum velle desiit, nisi quod aliquid extra mensuram voluit in qua sola justitia fuit? Quidquid enim extra mensuram est, justum esse non potest. Sed quæ fuit ista mensura in

qua voluntas hominis esse debuerat, ut bona esset et malum in ea non esset, hoc diligenter considerare oportet.

Cap. XIII. *Quod justitia sit mensura.*

Duo bona præparaverat Deus homini, unum temporale, alterum æternum, ut temporali uteretur et æterno frueretur. Sed quia bonis uti vel frui laudabile non est, nisi bene utaris et fruaris: definita est homini mensura secundum quam bonis suis temporalibus bene uteretur æternis bene frueretur.

Cap. XIV. *De mensura inferioris boni.*

Modus autem mensuræ in usu inferioris boni quadripertitus constabat. Primo, ut uteretur his tantum quibus uti deberet; secundo, ut qualiter deberet; tertio, ut quantum; quarto ut quando, horum quodcunque homo præteriret, mensuram amitteret.

Cap. XV. *De mensura boni superioris.*

Motus autem mensuræ in fructu superioris boni bipertitus tantum inveniebatur. Primo, ut sciret homo qualiter illo bono frui deberet. Secundo, ut etiam quando eum illo bono frui conveniret agnosceret. Nam quo bono ibi fruendum esset idcirco quærendum non erat; quoniam non nisi bonum unum solum ibi erat. Similiter et quantum illo bono fruendum esset omnino quærendum non erat: cum sine dubitatione constaret, quia quanto magis illo frueretur quis tanto utique felicior esset. Illic autem solum mensura quantitatis quærenda est; ubi parum aut nimium esse potest. Fructus autem hujus boni ita se habet ut in eo qui minus possidet plenum sit; et qui amplius, non sit superfluum. In hoc ergo solo mensura constabat ut agnosceretur qualiter illo bono frui deberet, ne inordinate illud (non quidem ad imitationem sicut creaturæ convenit; sed ad æqualitatem quod creaturæ possibilitatem transcendit) possidere concupisceret. Similiter ut attenderet ne illud ante tempus præcipere festinaret; cum illud priusquam obedientiam consummasset accipere non deberet. Sicut igitur in his bonis commodum hominis constitutum erat, sic in mensura utendi vel fruendi bonis his justitia ejus esse debuerat. Et quemadmodum voluntas ei data fuerat, qua bona sua et in bonis suis commodum suum appeteret; ita et voluntati ejus insitum fuerat ut ipsa ei mensura secundum quam eisdem bonis suis uti vel frui debuerat non displiceret. In eo igitur quod bona sua amavit; consideramus appetitum commodi. In eo autem quod mensuram commodi in bonis suis dilexit: intelligimus appetitum justi. Si ergo mensuram semper homo dilexisset, justi appetitum non amisset. Mensuram autem semper dilexisset, si extra mensuram nihil voluisset. Ex quo autem extra mensuram aliquid velle cœpit, mensuram velle cessavit. Postquam autem cessavit velle mensuram, destitit amare justitiam. Et in ipso justitiam perdidit, quo ipsum justitiæ amorem amisit. Sicut enim justitia amatori suo non deesse potest, ita illi a quo non amatur nullatenus adesse potest. In hoc igitur injustitia hominis fuit, quod appetitum suum extra mensuram extendit et secundum qualitatem, cum creatori suo parificari voluit, et secundum tempus, cum ante meritum præmium præripere festinavit. Cum igitur summum bonum appetiit, bonum appetiit, sed bene non appetiit, quia illud et immoderate et intempestive apprehendere concupivit.

Cap. XVI. *Quodnam malum fuit in homine.*

Videte ergo quod ibi fuit malum. Nam bonum quod appetebatur malum non fuit, et voluntas qua appetebatur similiter in quantum voluntas fuit; et in quantum ad bonum fuit malum non fuit, sed quod sine mensura appetebatur hoc solum malum fuit. Ergo voluntati hominis nec hoc malum est quod voluntas est, quia aliquid est, et omne quod aliquid est, bonum est, nec hoc malum est ad quod est, quia similiter aliquid est, et omne quod aliquid est bonum est, sed quod sine mensura est, hoc malum est. Hoc enim esse non est aliquid esse, sed est aliquid non esse quod esse deberet. Et ideo malum nihil est cum id quod esse deberet non est. Hoc ergo malum, id est non esse: quod esse deberet cum alibi vel pœna sit vel ad pœnam sit, in rationali voluntate culpa est, quia quoties in ipsa est, ex ipsa et per ipsam est. Ex ipsa quia libero, per ipsam quia arbitrio ipsius factum est. In quo a similitudine Dei quadam perversa imitatione recedit, ex quo et per quem et in quo est omne quod est, quia cum prava efficitur; ex ipsa et per ipsam et in ipsa hoc solum est quod nihil est. Et hoc illi peccatum est et injustitia et culpa, ex qua turpis apparet et reprehensibilis et digna reprobatione, quia non habet formam suam, nec decorem nec pulchritudinem pro qua amari debuisset et adduci ad gloriam.

Cap. XVII. *Quod homo, quia in appetitu justi peccavit, in appetitu commodi punitus est.*

Quia ergo homo appetitum justi deserens peccavit, in retento appetitu commodi punitus est. Nam et ille propterea sic datus est ut inseparabiliter rationali voluntati adesset, quatenus in eo vel puniretur si a justitia recederet, vel remuneraretur si in justitia permaneret, cum utique pœnam omnino pati non posset: si commodum nullum appeteret. Incommodum quippe nihil aliud esse constat, nisi quod voluntati suæ sive appetitui contrarium esse probatur. Quia igitur homo appetitum justitiæ deseruit; appetitus commodi solus illi ad pœnam remansit. In quo quidem dupliciter punitur, sive cum ab iis quæ ordinate appetit restringitur, sive cum ad alia commoda quæ ordinate appeti non possunt appetenda relaxatur. In altero est pœna, in altero pœna, et culpa. Mensura autem superioris appetitus in libero arbitrio posita fuerat. Mensura vero inferioris appetitus concessa in dono. Quapropter illam tenere velle, virtutis fuisset; istam autem retinere posse, felicitatis. Unde sicut culpa fuit illam non tenuisse, ita pœna facta est illam amisisse. In qua tamen pœna etiam culpa fuit, quia et hoc quoque mensuram non tenere contra

injustitiam fuit. Hæc autem culpa præcedentis culpæ pœna fuit, quia nisi spiritus in appetitu suo mensuram deseruisset, caro subjecta spiritui adversus ipsum spiritum in suo appetitu terminum mensuræ non transiret.

Cap. XVIII. *Quare inferior appetitus mensuram non tenet.*

Deus etenim primi hominis corpus sanum et integrum condiderat. Sanum, quia nihil illi inerat ad corruptionem. Integrum, quia nihil ei deerat ad perfectionem. Sed in utroque talem conditionem posuerat, ut nec integritas nec sanitas sine adminiculo posset conservari. Itaque in rebus creatis forinsecus quædam ordinavit, quæ ad conservandam atque tuendam incolumitatem sive integritatem ejus valere potuissent.

Cap. XIX. *Quod spiritui cura carnis injuncta est*

Horum autem providendorum curam et officium spiritui qui corpori præsidebat injunxit. Nam sicut Deus præsidebat spiritui, ita spiritus præsidebat carni, et ipsa caro jumentum spiritus erat. Propterea ad sessorem pertinebat ut jumento suo pabulum provideret ne deficeret: et hoc solum fortassis tunc sufficere potuisset. Nam modo præter pabulum, et freno et calcaribus opus habet. Freno quidem ut ferventem, et præcipitem a malo cohibeat; calcaribus autem ut ad bonum faciendum excitet pigrum. Tunc ergo solum pabulum ministrans sine freno et calcaribus suaviter portaretur; et si forte frenum ibi esset quo per se nescia incedere regeretur; neque pungi tamen opus haberet quia non esset pigra; nec cohiberi, quia non esset impetuosa. Quia ergo spiritus sessor erat, injunctum est ei officium ut jumento suo pabulum provideret. Ne ergo in illo exsequendo (si sola præceptione non etiam amore impleret) servili conditione premeretur; dedit ei Deus affectum quo corpus suum amaret, ut sicut ejus integritatem et sanitatem diligeret, sic etiam omnia quæ ad illam servandam valerent libenter provideret. Rursum ne vel in illis quærendis labor esset vel in sumendis periculum; indigentiam simul et appetitum carnalem certa mensura temperavit, quatenus ei ad fomentum et pauca sufficere potuissent, et ad satietatem modica. Itaque providentia carnis non tam labor quam oblectamentum et exercitatio futura foret, si homo justitiam tenuisset. Sed, quia spiritus supra se elatus appetitum suum intra mensuram cohibere noluit, idcirco ad laborem et miseriam illius factum est ut jam in appetitu carnis suæ mensuram tenere non posset. Propter peccatum enim spiritus puniendum fregit Deus mortalitate integritatem corporis humani; et ob hoc pluribus jam fomentis indiget quam prius tam ad reparandam incolumitatem quantum periit quam ad conservandam, quantum remansit Hinc illa dira necessitas gignitur, ut extra ordinem primæ dispositionis necessario appetitum extendat, quatenus scilicet non solum naturam custodiat, sed etiam ut ipsius naturæ vitium et corruptionem expellat. Spiritus A enim sicut naturaliter datum est ei commodum carnis suæ diligere, sic naturaliter etiam habet ut ejus incommodum non possit amare.

Cap. XX. *Quod necesitas concupiscendi non excusat, quia a voluntate venit.*

Sciendum vero est quod hæc necessitas concupiscendi non ideo culpa non est, quia necessitas est; quia ut esset hæc necessitas, non necessitas causa fuit sed voluntas. Sed quid dicemus? Si hoc naturaliter habet homo ut incommodum suum amare non possit neque commodum suum fastidire. Ergo quidquid appetit commodum illi est, et non appetit nisi commodum suum unquam. Quod si verum est, quare reprehenditur aliquan- B do vel accusatur pro eo quod appetit, cum non appetat unquam nisi commodum suum et hoc ei appetere naturaliter datum sit intantum ut ipsa natura in eo quod facta est immobiliter consistente: aliud omnino præter commodum suum appetere non possit.

Cap. XXI. *Quod commodum et ordinatum appetendum est.*

Sed aliud est id quod aliquo modo commodum est appetere eo modo quo commodum non est, atque id aliud quod commodum est desiderare eo modo quo commodum est. Omne enim quod commodum est, aliquo modo commodum est; et similiter omne quod incommodum est, aliquo modo C incommodum est, et non universaliter. Qui ergo appetit quod aliquo modo commundum est et non appetit eo modo quo commodum est, tamen putans commodum esse eo modo quo appetit; iste non nisi commodum appetit, quamvis commodum non sit illud quod appetit, quia propter commodum appetit quod appetit; et putat commodum suum esse in illo quod appetit. Non ergo decipitur in eo quod commodum suum appetit; quia scit commodum suum esse quod appetit, sed decipitur in eo quod commodum suum esse putat ubi non est: in illo videlicet quod propter commodum suum appetit. Qui autem appetit quod commodum est, et eo modo appetit quo commodum est, ordinatum tamen non est; non D in eo malum constat quod appetit quod commodum est, sed in eo quod ordinatum non est. Sicut enim datum illi est quod commodum est appetere, ita etiam prohibitum est illi appetere quod inordinatum est. Cum ergo in unum concurrunt quod aliquomodo commodum est et quod ordinatum non est, si appetitus est ad commodum in affectu (quia hoc naturæ est insitum) refrenandus est tamen ab effectu propter debitum rationis cui ad inordinata ire non est concessum. In hoc enim pulchritudo apparet et dignitas rationis quod affectum suum ab inordinatis cohibet. Quoniam idcirco plura commoda esse debuerunt, a quibus dum ratio præsidens affectum quantum in se erat effluentem restringeret, quanta foret dignitas et excellentia illius appareret.

—

CAP. XXII. *Quod nihil appetitur nisi commodum.*

Si ergo dicimus quod nihil omnino natura appetere potest præter commodum, non ideo falsum existimandum est quod quædam appetit in quibus commodum ejus non est quando decipitur, vel etiam quod quædam appetit in quibus aliquod commodum est, sed ordinatum non est quando prævaricatur. Videmus quod aliquando infirmus potionem appetit vel sectionem; non tamen amaritudinem appetit vel dolorem, sed sanitatem. Et sunt quædam dulcia quæ appetuntur et male appetuntur, quia inordinata sunt, nec tamen mala sunt quia dulcia sunt, sed quia inordinata sunt. Et rursum sunt quædam amara quæ appetuntur et bene appetuntur, quia ordinata sunt, nec tamen bona sunt; quia amara sunt, sed quia ordinata sunt. Et fit nonunquam ut ea quæ dulcia sunt aliquid in se boni habeant, et multum mali generant ex se; et sic bonum parvum in illis et magnum malum ex illis. Et rursum fit ut ea quæ sunt amara aliquid mali habeant in se, et multum boni generent ex se; et sic parvum in illis malum, et bonum magnum ex illis. Et propterea imprudentes qui præsentia vident futura non prævident; parva mala fugiunt et magna incurrunt; et parva similiter bona eligunt et magna perdunt. Et in omnibus tamen non nisi commodum appetitur, quando ordinate quidem bene, quando vero inordinate male. Nec tamen idcirco male quia commodum, sed ideo male quia inordinatum.

CAP. XXIII.. *Quomodo necessitas ex voluntate venit.*

Si autem excusabilis videtur homo pro eo quod natura infirmitate mortalitatis corrupta affectum suum jam ex necessitate ultra mensuram effluentem per se cohibere non potest, considerandum est quod non potest excusare illa necessitas quam præcedens operata est voluntas. Culpa enim voluntaria pœnam meruit; pœna autem operata est infirmitatem: infirmitas vero induxit necessitatem. Et idcirco quia necessitatem operata est voluntas. voluntatem ipsam excusare non potest necessitas. Transgressionem ergo superioris appetitus quæ solum fuit culpa, subsecuta est transgressio inferioris quæ est et pæna et culpa. In spiritu solo culpa: in carne, et pœna, et culpa. Concupiscentia spiritus inordinata, culpa: concupiscentia carnis pœna et culpa; pœna præcedentis culpæ, et culpa subsequentis pœnæ.

CAP. XXIV. *Quid generati trahimus et quid regenerati amittimus.*

Quando igitur caro mortalis per coitum ad generandam prolem seminatur in concupiscentia, ad nasciturам prolem in carne per concupiscentiam transit pœna et culpa. Quando vero per sacramentum redemptionis regenerantur qui generati sunt in pœna et culpa; emundandis per spiritum regenerationis in ipso originali vitio tollitur non pœna, sed culpa. Culpa quippe idcirco tollitur ut justificentur, pœna vera idcirco remanet ut exerceantur.

CAP. XXV. *De originali peccato.*

De originali peccato multæ ac difficiles oboriuntur quæstiones, quæ utrum credendo melius quam discutiendo (si tamen discussionem aliquam admittunt quæ plenam solutionem habere non possunt) tractentur ignoro. Primum quæritur quid sit originale peccatum, deinde quomodo a patribus, præcipue ab iis in quibus per sacramentum regenerationis solutum est in filios, traducatur, utrum per solam animam, an per solam carnem, an per animam simul et carnem. Et si per solam animam, utrum per creationem, an per traductionem. Si autem per solam carnem quare in animam redundat quod non est ex anima.

CAP. XXVI. *Quot modis originale peccatum dicatur.*

Originale peccatum dupliciter intelligi potest, sive videlicet prima illa inobedientia hominis quæ prima omnium peccatorum fuit et subsequentium origo omnium exstitit, sive vitium illud cum quo ab illo traducto universi oriuntur, qui ab illo per carnis propagationem traducuntur. Hoc autem vitium originis humanæ duplici corruptione naturam inficit; ignorantia scilicet mentem, et concupiscentia carnem. Hæc duo mala in primo quidem parente pœna fuerunt præcedentis culpæ et culpa actualis; in nobis autem culpa subsequentis pœnæ et culpa simul et pœna originalis. Quando ergo originale peccatum quantum ad primum hominem dicimus, intelligimus primam culpam inobedientiæ illius quæ illi quidem originalis dicitur; non quod ab illa vel cum illa originem acceperit natura illius, sed quod ex illa quasi prima omnium postmodum orta sint, et exierint subsequentia omnia mala illius. Quia autem in illo a prima origine nullum peccatum descendit, illud etiam peccatum quod in illo originale dicitur actuale illius fuit. Quia profecto qui nascendo peccatum non traxit, peccatum non habuit nisi quod agendo perpetravit.

CAP. XXVII. *Quod primo homini actuale fuit, hoc nobis est originale.*

Nos autem qui ab illo nascendo originem traximus, quod illi actuale fuit, originale habemus, quia in nos per solam nativitatem descendit quod in illo per actionem fuit. Natura enim nostra corruptionem quam in illo per ipsius actionem concepit, per nostram solum ad nos nativitatem traduxit. Et ideo nos nascendo peccatum concipimus quod ille non nascendo sed agendo habuit, a quo per nativitatem venimus. In illo quippe spiritus per superbiam contra Creatorem tumens obedientiam non tenuit; et idcirco creato ad ulciscendam injuriam suam spiritum quidem ignorantia, carnem vero concupiscentia damnavit, ut in se bonum agendum non videat; in carne autem sua malum agere concupiscat. Hæc duo vitia ad puniendiam superbiam hominis juste in ipso confirmantur. Ignorantia quidem, dum ab animo subtrahitur lumen veritatis; concupiscentia vero, dum caro percutitur pœna mortalitatis. Hanc igitur originalem corruptionem natura primum vitiata ad posteritatem traduxit; ignorantiam ani-

mæ, carni vero concupiscentiam ad corruptionem ministrans.

CAP. XXVIII. *Quid sit originale peccatum.*

Si ergo quæritur quid sit originale peccatum in nobis intelligitur corruptio sive vitium quod nascendo trahimus per ignorantiam in mente, per concupiscentiam in carne.

CAP. XXIX. *Quomodo originale peccatum a patribus in filios transeat.*

Postquam igitur demonstratum est quid sit originale peccatum, consequens est ut etiam investigemus qualiter a patribus traducatur ad filios, id est utrum secundum solam animam, an secundum solam carnem, an secundum utrumque. Quidam originale peccatum non solum per carnem sed etiam per animam a patribus in filios descendere putaverunt, quoniam non solum carnem sed animam quoque ex traduce materiæ esse crediderunt. Sicut enim in generatione prolis de carne paterna substantialiter caro trahitur, ita de gignentis anima, anima geniti essentialiter deduci ab istis existimatur, propter quod sicut de corrupta carne caro corrupta seminatur, ita et de anima peccatrice anima peccatrix corruptione originali infecta, trahitur.

CAP. XXX. *Quod anima non sit ex traduce.*

Hic autem quidam doctorum multas hinc inde rationes et auctoritates opposuisse inveniuntur, quibus non animam sed solam carnem ex traduce esse astruere conati sunt. Et hæc quidem ratio prima est quod spirituali naturæ non convenit, neque ex materia esse, quoniam essentialiter simplex est sed neque materiam esse, quoniam in unitatis suæ simplicitate individue semper consistens augeri vel multiplicari omnino non potest. Simplex enim natura propagationem non facit, ubi ad illud quod propagandum est ex eo a quo propagandum est pars sumi non potest nisi totum transierit. Quod ergo unum est inter duo si totum transierit, nihil ex eo remanet illi a quo est. Si autem totum permanet nihil confertur illi ad quod est. Si igitur anima ex anima gignitur sicut caro ex carne, dicant quomodo simplex illa substantia aut tota in gignente remaneat si in genitum transierit, aut tota in genitum transeat si in gignente remanserit. Nisi forte omnes animas consubstantiales dicere velint, et illam naturam simplicem in propagatione filiorum personaliter quidem multiplicari, sed essentialiter non dividi. Non attendentes quanta inconvenientia hanc insertionem sequantur si una et eadem essentia simul beatitudini et damnationi, gloriæ et pœnæ addicta credatur. Postremo dum dicat auctoritas: *Revertatur pulvis in terram de qua sumptus est; et spiritus redeat ad Dominum qui fecit illum* (*Eccl.* XXII); manifeste ostenditur quod non spiritus de spiritu, sed caro de carne materialiter traducatur. Quamvis enim nostra corpora primo loco materialiter de terra sumpta non sint: idcirco tamen non inconvenienter de terra sumpta esse dicuntur, quia primi homnis corpus a quo nostra corpora A materialiter de materia descenderunt de terra per materiam sumptum est. Quod licet sub eodem intellectu de spiritibus quoque nostris etiam si ex traduce esse crederentur posset dici, quod a Deo dati sunt in eo quod a Domino datus est primus ille spiritus a quo per materiam descenderunt. Tamen in hoc probabilius constat animas ex traduce non esse, quod sicut in primo homine corpus de terra sumptum; spiritus vero a Deo datus legitur, ita et ratio expostulat ut in sequentibus quoque hominibus caro quidem de carne descendere, spiritus autem a Domino venire credatur. Verumtamen cum spiritum rationalem a Domino datum sive inspiratum legimus, nequaquam eum quasi materialiter de divina essentia sive subs- B tantia sumptum credere debemus. Sed quod corpus per materiam de terra venit: spiritus autem sine præjacente materia per solam Creatoris potentiam esse accepit. Sicut corpus ab illo est ex quo materiam traxit, sic spiritus ab illo est per quem et a quo esse incœpit. Per illum videlicet cum fecit, ab illo autem cum dedit. Dicit autem rursum Psalmista: *Qui finxit sigillatim corda eorum* (*Psal.* XXXII). Corda quippe, id est rationales spiritus sive animus Deus sigillatim fingere dicitur; quia ea (non alia ex aliis quemadmodum in corporali natura apparet, sed singula per se) de nihilo creare perhibetur. Propterea cum in lege scriptum sit: *Si quis percusserit mulierem prægnantem et illa abortivum fecerit, si non fue-* C *rit formatum, reddat animam pro anima* (*Exod.* XXI.); aperte declaratur quod cum caro ex carne seminatur, anima similiter ex anima non trahitur. Si enim cum carne anima seminatur, quare in abortivo et non formato anima pro anima non redderetur? Cum ergo in abortivo tantum formato anima pro anima reddi jubetur, quid nisi in eo quod necdum formatum est animam adhuc non esse ostenditur? Ut videlicet quemadmodum in primo homine prius corpus formatum deinde animam infusam legimus; ita etiam in subsequentibus omnibus prius in vulva corpus humanum formari, deinde animam infundi credamus. Quod si cui forte mirum videatur quomodo paternum semen in vulva ante animationem D vel crescere possit vel vegetari vel etiam usque ad ipsam humani corporis effigiem promoveri; videat quomodo arbusta et plantæ et germina universa ejusmodi animam non habentia sola viriditate vegetantur et crescunt, et motu suo in formam proprio generi convenientem producantur. His igitur et hujuscemodi rationibus probabile factum est, animas ex traduce non esse; sed novas de nihilo creatas novis quotidie corporibus de paterno semine sunt, et rursum in vulva formatis ad vivificationem infundi. In quibus tamen omnibus nulla unquam ratio sive auctoritas in tantum prævalere potuit ut dubietatem tolleret quæstionis, excepto eo solo quod fides catholica magis credendum elegit animas quotidie corporibus vivificandis sociandas de nihilo fieri quam secundum corporis naturam et carnis humanæ

proprietatem de traduce propagari. Si autem animæ ex traduce esse ducerentur, non tanta quæstio esset, quia manifestior justitia esset in eo quod peccatum originale a patribus in filios transire dicitur. Sed nos si occulta Dei judicia ratione comprehendere non possumus, tamen pro solvendis dubiis dubia alia asserere non debemus. Quæritur tamen si animæ ex traduce non sunt, quomodo peccato parentum filii obnoxii efficiuntur? Quod enim in parente peccatum est per illam utique naturam solam in filium descendit, quæ sola per generationem a patre in filium transit. Si ergo sola caro seminatur, per solam utique carnem peccatum originale traducitur. Quod si verum est duo nobis querenda occurrunt. Unum scilicet quomodo per solam carnem sine anima peccatum a patre in filium transeat, alterum quomodo anima illius peccati quod per solam carnem et in sola carne descendit, particeps fiat. Nam caro sine anima quomodo peccatum habere potest, quæ sine anima peccare omnino non potest? Si ergo in carne sine anima peccatum non fuit, quomodo per carnem aut in carne ad animam peccatum transire potuit? Quod enim aliquando in carne non fuit, ex carne illud postmodum anima non accepit.

CAP. XXXI. *Quomodo per carnem peccatum transit ad animam.*

Duo vitia humana natura a prima sui corruptione concepit, a quibus subsequentium omnium malorum propago postmodum pullulavit. Hæc autem erant ignorantia boni et concupiscentia mali, quorum unum, id est ignorantia, mentem infecit; alterum, id est concupiscentia, carnem maculavit. Ignorantia pœna fuit elationis, concupiscentia effectus mortalitatis. Ita quatuor mala in homine apparent: superbia, ignorantia, mortalitas, concupiscentia. Superbia mentis culpa tantum; mortalitas carnis pœna tantum; ignorantia culpa et pœna in mente; concupiscentia pœna et culpa in carne. Propter elationem animus obscuratus est per ignorantiam, propter mortalitatem caro emollita per concupiscentiam. Quia enim animus per elationem contra Deum tumuit, ignorantia percussus lumen veritatis amisit. Quia vero caro mortalitate percussa est, ipsa sui languoris infirmitate dissoluta extra mensuram primæ dispositionis desideria sua extendit. Hæc est enim ipsa quæ carnis concupiscentia vocatur, naturalis scilicet appetitus sive affectus ordinem transgrediens et mensuram transcendens. Ordinem transgrediens, quando movetur ad ea quæ non debet; mensuram transcendens, quando movetur aliter quam debet. Ordinem enim appetitus transgreditur, quando ea appetimus quæ appetere non debemus. Mensuram autem appetitus non tenet, quando etiam ea quæ appetenda sunt aliter appetimus quam debemus. Sic igitur ex culpa prima et pœna ultima duo media orta sunt, culpa et pœna. Ignorantia boni, culpa et pœna in mente; concupiscentia mali, culpa et pœna in carne. In quibus peccati originalis radix consistit. Quia igitur caro humana a parentibus cum mortalitate seminatur, in eo ipso A quod seminata subjacet mortalitati vivificata postmodum carnalis concupiscentiæ subjecta invenitur necessitati, quia ipsa mortalitatis infirmitas causa est quam consequitur concupiscendi necessitas. Caro igitur quæ in concupiscentia seminatur cum mortalitate concipitur, cum necessitate concupiscendi nascitur. In eo a quo seminatur culpam habet et actum culpæ. In eo quod seminatur nec culpam habet nec actum culpæ, sed causam. In eo quod nascitur causam culpæ et culpam habet, sed actum non habet. Causa culpæ corruptio mortalitatis est, culpa concupiscentia est. Actus culpæ concupiscere est, causa culpæ radix est. Culpa ipsa arbor, actus culpæ fructus. In eo itaque quod seminatur, corruptio mortalitatis est. In eo autem B quod nascitur, vitium concupiscentiæ est. In eo autem quod movetur per concupiscentiam, actus qui a motu voluntatis inchoatur, motu operis perficitur. Non itaque nascentes propterea sine vitio esse existimentur, quia non concupiscunt, quoniam radicitus vitium concupiscentiæ in ipsis est, per quod postea cum operantur concupiscunt.

CAP. XXXII. *Quomodo ignorantia vitium sit.*

Ignorantia autem non propterea vitium est in eis quia cum nascuntur veritatem non agnoscunt quando non debent; sed, quia tunc cum nascuntur vitium in eis est, quo postea impediuntur ne veritatem agnoscant quando debent. Nasci quippe sine cognitione natura est, non culpa. Sed in C eo vitio nasci quo postea a cognitione veritatis impediantur, culpa est non natura. Hoc autem vitium in corruptione carnis est et in corruptione sensus carnalis, qui sensus carnalis si integritatem suam haberet provectus et exercitatus, judicium veritatis per ea quæ foris viderentur admonitus, sine labore conciperet. Quia vero ex carne corrupta integritate sua privatus est, puram sine confusione erroris veritatem haurire non potest.

CAP. XXXIII. *Quod angeli facti sunt ut intus erudirentur, homines foris.*

Angeli quippe quia perfecti facti sunt ab intus eruditi sunt; homines autem excepto duntaxat primo illo, qui sicut suo modo perfectus factus est, ita et ipse quoque ab intus eruditus est, quia per D intervalla temporum ad cognitionem promoveri debuerunt, per species rerum temporalium et visibilium foris ad cognitionem veritatis excitandi et erudiendi fuerunt. Quæ tamen excitatio et eruditio naturaliter et sine labore homini adesset, si sensus hominis in carne mortali per peccatum corruptus non fuisset ut tunc plenum ac perfectum constaret; quod ait Apostolus: *Invisibilia ejus a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I).

CAP. XXXIV. *Unde concupiscentia nascitur et unde ignorantia.*

In carne igitur mortali ex sensualitate corrupta nascitur vitium concupiscentiæ, ex sensu corrupto vitium ignorantiæ. Ibi quia appetitus quærendæ necessitatis ultra mensuram se extendit;

hic autem quia instrumentum concipiendæ veritatis ab integritatis vigore deficit. Hoc autem difficultatem quæstionis maximam adducit, quod originale peccatum, non nisi in solo carnalis corruptionis vitio assignari videmur, quod tamen usque ad participationem animæ extendi necesse est confiteamur.

Cap. XXXV. *Quomodo anima peccati originalis particeps fiat.*

Quomodo autem anima quæ munda ac sine vitio creatur, particeps fiat illius vitii quod per solam carnem adducitur, dignum inquisitione esset, si aliqua hoc diligentia investigari posset. Nunc autem quia scientiæ humanæ expositum non est ad cognitionem; fide a nobis credendum est, non curiositate inquirendum. Nam si dicimus animam quando corpori commiscetur voluntate quadam ad delectationem culpæ inclinari; jam non originali tantum sed actuali quoque peccato obnoxiam esse demonstramus. Si vero necessitate aliqua ad consortium corporis et ad contagium vitii corporalis detrusam confitemur, ex ipsa necessitate a reatu absolutam esse ostendimus. Quod enim omnino necessitatis est, imputabile non est; quod autem voluntatis est non originale est, sed proprium est. Constat igitur quod anima rationalis corpori humano infusa nec voluntate corrumpitur ne peccatum sit actuale, nec necessitate corrumpitur ne vitium sit non imputabile. Non itaque malum illi est aut mala voluntas quia nondum velle accepit, aut opus malum quia nondum adhuc bene vel male agere potuit; sed malum illi est quia talis est quæ nisi per gratiam adjuvetur, neque cognitionem veritatis accipere, neque concupiscentiæ carnis suæ resistere possit. Hoc autem illi inest non de integritate conditionis, sed de societate carnis corruptibilis. Quæ videlicet corruptio quia a primo parente in omnem posteritatem per carnis propagationem traducitur, originalis peccati maculam in vitio ignorantiæ et concupiscentiæ ad universos dilatatur. Quod si quæritur qua justitia animæ imputantur quæ neque ex creatione accepit, neque ex voluntate perpetravit; sed ex sola carnis societate contraxit, quam tamen societatem non ipsa suo arbitrio vindicavit, sed in præcepto et dispositione creatoris sui suscepit. Nos tandem id quod verum est profiteri oportet, justitiam divinam in hoc irreprehensibilem quidem esse, sed comprehensibilem non esse.

Cap. XXXVI. *Ratio quorumdam de animabus incorporandis.*

Nam ii qui dicunt Deum a principio proposuisse animas corporibus vivificandis sociare, et corporum quidem generandorum homini officium injunxisse, animarum autem creandarum potestatem sibi retuinisse, ut homo justus corpora munda generaret: Deus autem justus animas mundas crearet et corporibus sociaret. Et si homo opus suum corrupit, Deus propositum suum mutare non debuit. Propterea que Deus secundum propositum bonum animas mundas crearet et corporibus

A sociaret, dum in quibus corruptionem inveniunt et corruptionem trahunt non hoc ex Deo esse qui sine corruptione illas facit: sed ex homine qui corporum naturam corrupit. Qui ergo hoc dicunt rationem divinæ justitiæ non exponunt; quia, sicut ad divinam bonitatem non pertinuit ut eas malas faceret, sic nec convenire videbatur ut proponeret illic collocare ubi malas fieri necesse esset. Non igitur magnopere insistendum est ut ratione investigetur; quod fide magis quam ratione scrutari oportet.

Cap. XXXVII. *Quomodo a patribus justis peccatores filii nascuntur.*

Quæritur tamen quomodo originale peccatum contrahunt, qui generantur ab iis qui originalis

B peccati, sive per sacramenta fidei, sive sola fide remissionem acceperunt. Quomodo enim a patribus in filios transire potest, quod in ipsis patribus non est? Sed sciendum est quod originale peccatum quod a patribus per carnis generationem traducitur ad filios, quamvis in his qui gignunt quantum ad culpam remissum sit, quantum ad pœnam tamen permansit. Quantum ad culpam, remissum, quia non imputatur, quantum ad pœnam, retentum, quia non tollitur; Hoc enim est quod ait apostolus *Jam nihil damnationis est his qui sunt in Christo Jesu* (*Rom.* VIII). Ut videlicet ostenderet, quia his qui sunt renati in Christo Jesu, quamvis infirmitas originalis corruptionis non tollitur, interveniente tamen regenerationis

C nis sacramento ad damnationem non imputatur. Quibus fomes quidem peccati inesse potest, sed peccatum dominari non potest quandiu libertatem suam custodiunt, et spiritum adoptionis voluntarie peccando non amittunt. Liberatis enim a servitute peccati sub corruptione quidem mortalitatis necessitate tenemur, sed dominio peccati non nisi ex voluntate subjicimur. Propter quod idem Apostolus dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI). Corpus quidem nostrum necessitate mortali in ipsa corruptionis radice fomitem peccati portat; sed ubi spiritus libertatis est, peccatum ipsum ad regnandum surgere non potest. Sic itaque originale peccatum quod in parentibus per regenerationem deletum

D est quantum ad culpam, quia tamen ad pœnam remanet; ad eos qui generantur transiens non solum ad pœnam constat, sed etiam imputatur ad culpam, donec percepto lavacro generationis in ipsis quoque culpa deleatur, etiam si pœna remaneat.

Cap. XXVIII. *Utrum omnia peccata præcedentium patrum ad filios transeant.*

Quæritur autem utrum omnia peccata præcedentium patrum ad filios transeant, sicut illud primi parentis delictum in omnes qui ex ipso nati sunt redundasse videmus? Quod si verum est, quanto posteriores tanto utique sunt miserabiliores. Nec æqua videtur conditio ut tempus præjudicet veritati, nisi forte matura quanto magis corrumpitur, tanto deterior seminatur. Cum enim dicat Scriptura: *Reddam peccatum patrum in*

filios usque in tertiam et quartam generationem (*Exod.* xx) ; manifeste ostenditur quod a filiis peccata patrum requirantur. Sed quare usque in tertiam et quartam generationem et non usquequaque, non facile est demonstrari nisi forte ea quæ per justitiam in omnes generationes exquiri potuerunt ; per misericordiam in tertia et quarta generatione terminantur, ne forte judicium importabile fieret, si cuncta præcedentium peccata in subsequentibus ultio divina puniret. Quod autem in alio loco dicitur : *Filius non portabit iniquitatem patris et pater non portabit iniquitatem filii* (*Ezech.* xviii) ; de illa veraciter iniquitate, intelligitur, quam personaliter discreti et essentialiter et ab invicem divisi pater et filius operantur. Ex quo enim filius a patre et pater a filio est alius in persona effectus, sicut uterque proprio arbitrio operari habet, sic quod alter facit deinceps alteri imputari non debet. Quod autem dictum est : Reddam peccata patrum in filios, de illis peccatis intelligi oportet quæ patres commiserunt priusquam de ipsis nascerentur ii ad quos peccata eorum redundare debuerunt. Quare ergo usque in quartam generationem, nisi quia vel per misericordiam rigor justitiæ temperatur, vel per tertiam et quartam generationem omnis generatio intelligitur, vel (quod magis probable videtur) eous que peccata patrum in filiis puniri dicuntur, quo ipsi filii eorumdum patrum peccata videntes imi- A tantur. Ut intelligamus nunquam filios in peccatis parentum fieri participes, nisi prius fuerint peccando effecti imitatores, ut suo quisque peccato non alieno damnetur, dum alienum suum facit quod amando et sequendo imitatur. Sic enim generaliter dictum convenientius intelligitur. Filius non portabit iniquitatem patris et pater non portabit iniquitatem filii, ut nunquam peccata aliena noceant nisi iis qui ea peccando imitantur. Cum enim contra id quod dictum fuerat : *Patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt* (*Ezech.* xviii), oppositum sit : Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur* (*ibid.*). Necesse est ut B si in priori sententia præcedentium patrum peccata ad subsequentes filios transire significatum accipimus, in subsequenti assertione suo quemque peccato teneri, neque præcedentia peccata patrum ad subsequentes filios redundare intelligamus. Quod si verum est, constat quod peccata patrum actualia ad filios non transeunt, sed originale solum, quod cæteris omnibus tanto majus fuit quanto magis præ cæteris omnibus naturam ipsam mutare potuit. Quod quidem in eadem corruptione seminatur ad posteritatem pertransit, qua in prima radice sua naturam humanam corruptam infecit.

PARS OCTAVA.

DE REPARATIONE HOMINIS.

Cap. primum. *De eo quod tria sunt consideranda circa reparationem hominis.*

Prima culpa hominis fuit superbia, quam triplex pœna subsecuta est. Una quæ pœna est tantum, id est mortalitas corporis. Duæ reliquæ et pœnæ sunt et culpæ, quarum una est concupiscentia carnis ; altera est ignorantia mentis. Quod igitur homo tali pœna percussus est per quam culpa non purgaretur sed augeretur, nisi per gratiam postmodum liberatus fuisset ; per pœnam temporalem ad pœnam æternam descenderet. Ne autem damnandus inveniretur si statim judicaretur dilatum est judicium ejus. Et quia divina cum misericordia ad salutem præordinavit ; in hoc tempore exspectationis et dilationis locum pœnitentiæ et correctionis assignavit, quatenus eum interim per gratiam suam talem efficeret, quem tandem non solum misericorditer sed etiam juste ad salutem judicare valeret. Tria ergo hic in reparatione hominis primo loco consideranda occurrunt : tempus, locus, remedium. Tempus est præsens vita ab initio mundi usque ad finem sæculi. Locus est mundus iste. Remedium in tribus constat : in fide, in sacramentis in operibus bonis. Tempus C longum, ne imparatus præoccupetur. Locus asper, ut prævaricator castigetur. Remedium efficax, ut infirmus sanetur.

Cap. II. *De quinque locis.*

Quinque sunt loca. Unus in quo est solum bonum et summum bonum. Unus in quo est solum malum et summum malum. Post hæc alia duo. Alter sub summo in quo est solum bonum, sed non summum. Alter supra imum in quo est solum malum, sed non summum, in medio unus, in quo est et bonum et malum, neutrum summum. In cœlo est solum bonum et summum ; in inferno est solum malum et summum ; in paradiso est solum bonum sed non summum ; in igne purgatorio solum malum, sed non summum ; in mun- D do est bonum et malum, neutrum summum. Paradisus est locus inchoantium et in melius proficientium ; et ideo ibi solum esse bonum debuit, quia creatura a malo initianda non fuit. Non tamen summum esse debuit, quia si summum ibi esset bonum illic positis profectus non esset. Cœlum locus est confirmatorum bonorum et per disciplinam ad summum profectum pertingentium. Unum solum summumque bonum in eo collocatum est.

Infernus est locus confirmatorum malorum et A disciplinam irrecuperabiliter deserentium ; et ideo ibi solum et summum malum positum est. Purgatorius ignis est locus in prima correctione minus correctorum, et in secunda perficiendorum, et ideo solum malum habere debuit ut priore pejor esset ubi et malum simul et bonum consistit. Mundus est locus errantium et reparandorum ; et ideo simul et bonum et malum in eo ordinatum est, ut per bonum quidem consolationem accipiant ; per malum vero correctionem. Non tamen summum bonum aut summum malum ibi est, ut si quo et persistentes in malo deficere, et recedentes a malo proficere possint. Sic igitur cœlum in summo est, post cœlum paradisus, post paradisum mundus, post mundum ignis purgatorius, post purgatorium B infernus. Diabolus ergo qui a summo ceciderat, in imum detrusus est propterea quia reparandus non erat. Homo autem quia non a summo corruit non est positus in imo, sed in medio collocatus, ut ei locus esset quo ascendere posset per meritum justitiæ, vel descendere per reatum culpæ.

Cap. III. *Quomodo dispositus est homo ad pœnitentiam.*

Positus est ergo homo in mundo isto in loco pœnitentiæ, spatio pœnitendi indulto, ut mala corrigeret, bona repararet, ut tendem correctus ad judicium veniens ; non pro culpa pœnam, sed pro justitia gloriam sibi præparatam acciperet. Restat ergo ut dum tempus est consilium exquirat et auxilium requirat correctionis et liberationis suæ. Sed quia ipse per se ad neutrum sufficiens invenitur, necesse est ut ille qui per gratiam suam differt judicium, interim per eamdem gratiam ostendat evadendi consilium ; et post consilium conferat auxilium. Sic itaque oportet ut interim deponat personam judicis, assumat personam prius consiliatoris, postea auxiliatoris, ita duntaxat ut primo hominem totum sibi dimittat, quatenus et ipse homo et ignorantiam suam experiatur et intelligat se indigere consilio, deinde etiam defectum suum sentiat, et agnoscat se opus habere auxilio. Tali igitur ratione in tempore naturalis legis totus homo dimissus est sibi ; postea in tempore scriptæ legis cognoscenti ignorantiam suam datum est consilium ; postremo in tempore gratiæ confitenti defectum suum præstitum est auxilium. Consilium erat in ratione satisfactionis. Auxilium erat in effectu redemptionis. Ut ergo rationem satisfactionis quam pro peccato suo homo debet resolvere Creatori evidentius cognoscere possimus : causam hominis prius necesse est paulis per attentius consideremus. Causa vero hæc inter personas tres agenda formatur, scilicet Deum, hominem et diabolum.

Cap. IV. *De causa hominis adversus Deum et diabolum.*

Hi ergo tres in causa veniunt, homo, Deus et diabolus. Diabolus injuriam Deo fecisse convincitur, quia servum ejus hominem et fraudulenter abduxit, et violenter tenuit. Homo similiter Deo injuriam fecisse convincitur, quia et præceptum ejus contempsit et se sub malum alienam ponens suæ servitutis damnum illi intulit. Item diabolus homini injuriam fecisse convincitur, quia illum et prius bona promittendo decepit, et post mala inferendo nocuit. Injuste ergo diabolus tenet hominem sed homo juste tenetur ; quia diabolus nunquam meruit ut hominem sibi subjectum premeret, sed homo meruit per culpam suam ut ab eo premi permitteretur. Licet enim ignoraret falsum esse quod diabolus promisit, non tamen ignoravit quod etiam si verum esset contra Creatoris voluntatem concupiscere non debuit. Juste ergo subjectus est homo diabolo quantum pertinet ad culpam suam : injuste autem quantum pertinet ad diaboli fraudulentiam. Si igitur homo talem patronum haberet cujus potentia diabolus in causam adduci posset, juste dominio ejus homo contradiceret ; quia nullam diabolus justam causam habuit quare sibi jus in homine vindicare debuerit. Patronus autem nullus talis inveniri poterat nisi solus Deus, sed Deus causam hominis suscipere noluit, quia homini adhuc pro culpa sua iratus fuit. Oportuit ergo ut prius homo Deum placaret, et sic deinde Deo patrocinante cum diabolo causam iniret. Sed Deum rationabiliter placare non poterat, nisi et damnum quod intulerat restauraret, et de contemptu satisfaceret. Homo vero nihil habuit quod digne Deo pro ablato damno recompensaret. Quia si quid de irrationali creatura redderet, pro rationali sublata, minus esset. Sed C nec hominem pro homine reddere potuit, quia justum et innocentem abstulerat, et neiminem nisi peccatorem invenit. Nihil ergo homo invenit unde Deum sibi placare posset, quia sive sua, sive seipsum daret digna recompensatio non esset. Videns ergo Deus hominem sua virtute jugum damnationis non posse evadere, misertus est ejus ; et primum gratuito prævenit eum per solam misericordiam ut deinde liberaret per justitiam. Hoc est quia homo ex se justitiam evadendi non habuit ; Deus homini per misericordiam, justitiam dedit. Neque enim ereptio hominis perfecte rationabilis esset, nisi ex utraque parte justa fieret ; hoc et sicut Deus justitiam habuit hominem requirendi, ita et homo justitiam haberet evadendi. D Sed hanc justitiam homo nunquam habere potuisset, disi Deus illi per misericordiam suam illam tribueret. Ut ergo Deus ab homine placari posset, dedit Deus gratis homini quod homo ex debito Deo redderet[1]. Dedit igitur homini hominem quem homo pro homine redderet, qui ut digna recompensatio fieret priori non solum æqualis sed major esset. Ut ergo pro homine redderetur homo major homine, factus est Deus homo pro homine ; et dedit se homo homini, ut se assumeret ab homine. Incarnatus est Deus Dei Filius, et datus est hominibus Deus homo Christus. Sicut Isaias ait : *Puer datus est nobis* (*Isa.* IX), etc. Quod ergo homini datus est Christus, Dei fuit misericordia. Quod ab homine redditus est Christus, fuit hominis justitia. In nativitate enim Christi juste placatus est Deus homini ; quia talis homo inventus

est pro homine qui non solum, ut dictum est par, sed etiam major esset homine. Ideo in nativitate Christi angeli mundo pacem nuntiabant, dicentes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Sed adhuc super erat homini, ut sicut restaurando damnum placaverat iram, ita quoque pro contemptu satisfaciendo dignus fieret evadere pœnam. Sed hoc convenientius fieri non poterat, nisi ut pœnam quam non debebat sponte et obedienter susciperet, ut de pœna quam per inobedientiam meruerat eripi dignus fieret. Hanc autem pœnam homo peccator solvere non poterat, qui quamcunque pœnam susciperet non nisi digne et juste propter contemptus primi reatum sustineret. Ut ergo homo juste debitam pœnam evaderet, necesse fuit ut talis homo pro homine pœnam susciperet qui nihil pœnæ debuisset. Sed talis nullus inveniri poterat nisi Christus. Christus ergo nascendo debitum hominis patri solvit, et moriendo reatum hominis expiavit, ut cum ipse pro homine mortem quam non debebat sustineret, juste homo propter ipsum mortem quam debebat evaderet, et jam locum calumniandi diabolus non inveniret; quia et ipse homini dominari non debuit, et homo liberari dignus fuit. Idem itaque et judicium nostrum et causam fecit, sicut scriptum est: *Quoniam fecisti judicium meum et causam meam* (*Psal.* IX). Causam nostram fecit, quia debitum Patri pro nobis solvit, et moriendo reatum expiavit. Judicium vero quia descendens ad inferos et portas mortis frangens captivitatem quæ ibidem tenebatur liberavit. Judicium ergo diaboli adversus Deum factum est statim ab initio sæculi. Judicium hominis adversus diabolum, in passione Christi. Judicium hominis adversus Deum differtur usque in consummationem sæculi. Et ideo homo si prius per Christum Deo conciliari voluerit, post judicium sui sine timore damnationis exspectabit.

Cap. V *De discretione judiciorum.*

Quatuor sunt judicia, secundum præscientiam, secundum causam, secundum operationem, secundum retributionem. Secundum præscientiam judicati fuimus antequam essemus. Secundum causam judicamur ex quo esse incipimus, quando boni vel mali sumus. Secundum operationem judicamur, quando operibus foris ostendimus quales intus apud nos sumus. Secundum retributionem judicabimur, quando in percipienda mercede operum cognoscemus quales ab æterno apud Deum prævisi fuimus. Ex his quatuor judiciis duo sunt occulta: judicium scilicet secundum præscientiam, et judicium secundum causam; et ideo in eis judicium humanum non recipitur. Duo manifesta, id est judicium secundum operationem; et judicium secundum retributionem. In quorum altero, id est judicio secundum operationem, hominibus a Deo in præsenti judicandi potestas datur. Alterum vero, hoc est judicium secundum retributionem, non ab hominibus, sed a Deo coram hominibus judicabitur. Sed judicium secundum

A præscientiam occultum est et immutabile; judicium secundum causam occultum est et mutabile; judicium secundum operationem manifestum et mutabile; judicium secundum retributionem manifestum et immutabile. Judicium secundum operationem imago quodammodo est, et sacramentum judicii secundum retributionem. Quia illud manifestat causam et præscientiam innuit, hoc vero manifestabit causam, et confirmabit præscientiam. Item considerandum est quod judicium aliter fit ubi sententia dictatur, aliter ubi profertur. In dictanda quidem sententia omnis judicii judicat simul Pater et Filius et Spiritus sanctus. In proferenda autem judicat solus Filius, quia in divinitate sua cum Patre et Spiritu sancto omnis judicii sententiam dictare habuit; B in humanitate sua omnis judicii sententiam proferre solus accepit. Propterea humanitas (quæ sententiam dictare non habet) quantum ad dictandam sententiam dixit: *Ego non judico quemquam* (*Joan.* VIII); sed tamen quia proferre habet secundum quod dictata est subdit: *Sicut audio judico* (*Joan.* V). Quod enim intus audit ubi sententia dictatur, foris judicat ubi profertur. His itaque breviter de discretione judiciorum propositis, nunc ad ipsam narrationis nostræ seriem revertamur.

Cap. VI. *Cur Deus homo.*

Factus est itaque Deus homo ut hominem quem fecerat liberaret, ut idem esset creator hominis et C redemptor. Missus itaque Filius, ut in adoptione paterna assensum suum demonstraret. Venit sapientia ut vinceret malitiam, ut hostis qui astutia vicerat, prudentia vinceretur.

Cap. VII. *Quid ad nos pertinuit passio Christi.*

Suscepit de natura hostiam pro natura, ut de nostro esset holocaustum offerendum pro nobis, ut in hoc ipso ad nos pertineret redemptio; quia de nostro sumpta erat immolatio. Cujus quidem redemptionis participes efficimur, si ipsi redemptori per carnem nobis sociato per fidem unimur. Natura quidem humana tota per peccatum corrupta fuerat, et tota propter peccatum damnationi debita erat; et idcirco si tota damnata fuisset, injustitia non fuisset. Venit autem gratia et elegit quosdam D de massa universitatis per misericordiam ad salutem; quosdam autem per justitiam deseruit ad damnationem. Et quos per misericordiam salvavit, non sine justitia salvavit, quia in ejus potestate erat ut hoc juste facere posset, quos tamen si non salvasset juste fecisset; quia in eorum merito erat ut si hoc faceret injustum non esset.

Cap. VIII. *De justitia potestatis et æquitatis.*

Justitia enim alia est secundum debitum facientis, alia secundum meritum patientis, justitia secundum debitum facientis est potestatis, justitia secundum meritum patientis est æquitatis. Justitia potestatis est qua sine injustitia licet facienti si velit quod ejus potestati debetur. Justitia æquitatis est qua retribuitur patienti (etiam si nolit) quod ejus merito debetur. Cum ergo Deus pu-

nit peccatorem,juste facit; quia ejus potestati debetur ut hoc possit si velit, et juste punitur qui patitur; quia secundum meritum suum et retribuitur quod ejus merito debetur,et est illic potestas justa qua Deus juste facit et ipse justus est. Et hic retributio æqua qua peccator juste patitur, qua tamen ipse non est justus,sed pœna ejus justa est. Cum vero Deus justificat peccatorem juste agit,et justus est justitia potestatis qua ei hoc licet. Qui vero justificatur justus est justitia quam accipit,sed non in eo quod contra meritum suum accipit; sed tamen injustus non est,quia non facit ipse quod accipit, quia per se non accipit, sed patitur tantum quod accipit, et est qui facit quia facit,et justitia qua facit: et est justus qui accipit justitiam quam accipit,non tamen quia accipit,quia sine justitia sua per solam gratiam justitiam accipit.

Cap. IX. *De justitia patiente et cogente.*

Item sciendum est quod justitia alia patiens, alia cogens. Justitia patiens est qua si fiat aliquid justum est: si non fiat,injustum non est. Justitia cogens est qua sic aliquid juste fit,ut si non fieret injustum esset. Propter quod justitia patiens dispensationem habet, justitia cogens necessitatem. Sic igitur Deus de massa generis humani quosdam ad salvationem assumens justitia utitur debitæ potestatis,quosdam vero ad perditionem deserens, justitia utitur licitæ æquitatis. Illic de debito suo, hic de merito nostro. Si vero eos quos nunc ad salvationem assumit desereret injustitia non esset, quoniam secundum merita sua reciperent justitiam æquitatis. Si autem eos quos nunc deserit assumeret, similiter injustitia non essset; quia in eorum salvatione uteretur justitia potestatis. Sive igitur in his qui salvantur sive in his qui damnantur justitia patiens est per quam illud quod fit sic justum est,ut etiam si aliter fieret injustum non esset. Nam et ii qui secundum merita sua juste damnantur, per gratiam Dei juste salvari potuissent si Deus voluisset. Et rursum qui per gratiam Dei juste salvantur,secundum merita sua juste damnari potuissent si Deus eos salvare noluisset. Sic igitur quod voluit utrumque justum fuit,ut etiam si aliter voluisset injustum non fuisset,quia potestas est in voluntate ejus, quia sine injustitia facere illi licet quodcunque voluerit.

Cap. X. *Quod aliter Deus redemisse potuisset hominem si voluisset.*

Propter quod veraciter profitemur quod redemtionem generis humani etiam alio modo Deus perficere potuisset si voluisset. Sed quod iste nostræ infirmitati convenientior fuit ut Deus homo fieret,et pro homine mortalitatem hominis assumens ad spem suæ immortalitatis hominem reformaret. Ut non diffidat jam homo se ad bona illius posse ascendere,quem ad sua mala toleranda videt descendisse; et ut in Deo humanitas glorificata exemplum esset glorificationis hominibus. Ut in eo quod passus est videant quid ei retribuere debeant in eo autem quod glorificatus est considerent quid ab eo debeant exspectare. Ut et ipse sit via in exemplo,et veritas in promisso,et vita in præmio.

A Cap. XI. *Qua ratione instituta sunt sacramenta.*

Postquam primus parens generis humani propter inobedientiæ culpam a paradiso exulans venit in hunc mundum; diabolus jus tyrannicum in illo exercens,sicut eum prius fraudulenter seduxerat,ita postmodum violenter possidebat. Sed Dei providentia quæ hunc ad salutem disponebat sic justitiæ rigorem per misericordiam temperavit,ut eum quidem ad tempus ab illo premi permitteret; et tamen ne ab illo in æternum promeretur ex ipsa ei pœna remedium præpararet. Itaque tunc ab ipso mundi exordio sacramenta salutis suæ homini proposuit quibus eum ab exspectatione futuræ sanctificationis consignaret,quatenus B ea quisquis fide recta et spe firma propter obedientiam institutionis divinæ perciperet,etiam sub jugo positus ad consortium libertatis pertineret. Proposuit itaque edictum suum informans hominem et erudiens, ut quicunque eum salvatorem exspectare eligeret,ejusdem suæ electionis votum in perceptione sacramentorum ejus approbare debuisset. Proposuit et diabolus sacramenta sua quibus suos sibi alligaret, quatenus ab illis qui ejus imperium detractabant quanto manifestius eos discerneret tanto securius possideret. Cœpit ergo genus humanum mox in partes contrarias dividi: aliis diaboli sacramenta suscipientibus, aliis vero suscipientibus sacramenta Christi. Et factæ sunt duæ familiæ,una Christi, altera diabo- C li. Quid enim verbum incarnatum dixerim, nisi regem qui hunc mundum intravit per assumptam humanitatem cum diabolo bellaturus,et eum exinde quasi tyrannum et violenter in alieno dominantem expulsurus? Et quid omnes priores sanctos qui ante incarnationem verbi ab initio fuerunt electi appellaverim,nisi milites quosdam optimos regem venturum in acie præcedentes ipsis quibus tunc sanctificabantur sacramentis quasi quibusdam armis muniti atque præcincti? Quid item eos qui post incarnationem usque ad finem electi subsequuntur, nisi milites alios, non tamen alium, sed ipsum suum regem præcedentem unanimiter atque alacriter subsequentes, habentes et ipsi novi arma nova, tamen ab eodem armati et D contra eumdem pugnaturi? Sive igitur præcedentes sive subsequentes, unius regis sacramenta portantes,uni regi militantes, et unum tyrannum superantes; illi venturum præcedentes, isti præcedentem subsequentes. Unde patet quod ab initio et si non nomine, re tamen Christiani fuerunt. Tria enim sunt tempora per quæ præsentis sæculi spatium decurrit. Primum est tempus naturalis legis; secundum tempus scriptæ legis; tertium tempus gratiæ. Primum ab Adam usque ad Moysen. Secundum a Moyse usque ad Christum. Tertium a Christo usque ad finem sæculi. Similiter tria sunt genera hominum; id est homines naturalis legis, homines scriptæ legis, homines gratiæ. Homines naturalis legis dici possunt qui sola naturali ratione vitam suam dirigunt. Vel homines potius homines naturalis legis

dicuntur qui secundum concupiscentiam in qua A nati sunt ambulant. Homines scriptæ legis sunt ii qui exterioribus præceptis ad bene vivendum informantur. Homines gratiæ sunt ii qui per inspirationem Spiritus sancti afflati et illuminantur ut bonum quod faciendum est agnoscant, et inflammantur ut diligunt, et corroborantur ut perficiant. Et ut idem manifestiori distinctione signemus : homines naturalis legis sunt aperte mali, homines scriptæ legis ficte boni, homines gratiæ vere boni. Ficte boni, sunt tecti ; aperte mali, sunt detecti; qui per Gog et Magog significati sunt; quod interpretatur *tectus* et *detectus*. Et in persecutionem populi, Dei venturi prædicantur,quia hæc duo genera hominum semper vere bonos persequuntur. In primo genere continentur pagani ; B in secundo genere,Judæi ; in tertio genere, Christiani. Ista tria genera hominum ab initio nunquam ullo tempore defuerunt. Tempus tamen naturalis legis ad aperte malos pertinet,quia illi tunc et numero plures et statu excellentiores fuerunt. Tempus scriptæ legis, ad ficte bonos, quia tunc homines in timore servientes opus mundabant non animum. Tempus gratiæ ad vere bonos pertinet, qui modo et si numero plures non sint, tamen statu sunt excellentiores, et Dei gratia publice ante feruntur, etiam ab iis qui eis moribus contradicunt. Scias ergo quocunque tempore ab initio mundi usque ad finem, nullum fuisse vel esse vere bonum, nisi justificatum per gratiam, gratiam autem nunquam aliquem adipisci potuisse, nisi per Christum. Ita ut omnes sive præcedentes sive subsequentes uno sanctificationis remedio salvatos agnoscas. Aspice ergo castra regis nostri et acies exercitus ejus fulgentes in armis spiritalibus, quanta præcedentium subsequentiumque populorum multitudine stipatus incedat.

CAP. XII. *De tempore institutionis sacramentorum.*

Tempus institutionis sacramentorum ab eo incœpisse creditur, quo primus parens merito inobedientiæ a gaudiis paradisi expulsus,in hujus vitæ mortalis exilium cum tota posteritate usque in finem primæ corruptioni obnoxius tenetur.Ex quo enim homo a statu primæ incorruptionis lapsus in corpore per mortalitatem et in anima per iniquitatem ægrotare cœpit ; continuo Deus reparando in sacramentis suis medicinam præparavit. Quæ quidem (prout ratio postulabat et causa) diversis temporibus et locis ad curationem illius exhibuit ; alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia : diversa quidem in specie unum tamen effectum habentia et unam sanitatem perficientia. Si quis igitur quærat tempus institutionis sacramentorum, sciat quia quandiu morbus est, tempus medicinæ est. Præsens igitur vita a principio sæculi usque in finem per mortalitatem decurrens, tempus est morbi, et tempus remedii. In ipsa et propter ipsam instituta sunt sacramenta; et quædam a principio ipsius, quæ suo tempore cucurrerunt et ad sanitatem (quantum ipsis datum erat, et per ipsa dandum erat) restituendum valuerunt. Et ista sacramenta suo tempore expleto cessaverunt ; et alia pro illis ad eamdem sanitatem perficiendam successerunt. Et rursum post illa alia quasi novissime adjuncta sunt, quibus alia succedere non debuerunt. Vel ut medicamenta perfecta quæ morbum ipsum consumerent et perfectam sanitatem plene restaurarent. Et hæc omnia facta sunt secundum judicium et dispensationem medici,qui morbum ipsum vidit,et qualia ei remedia singulis temporibus adhibenda essent agnovit. Porro unum sacramentum etiam ante peccatum hominis institutum invenitur. Conjugium namque prius etiam quam homo peccaret sancitum legitur ubi teste Scriptura : Mulier facta in adjutorium viro ei sociata memoratur (*Genes.* II). Cujus tamen institutionis causa tunc ad remedium non fuit, sed ad officium ; quia morbus in homine non fuit qui sanaretur, sed virtus quæ exercetur. Propter quod ex tribus causis institutionis sacramentorum duas tantum hic invenimus ; eruditionem scilicet et exercitationem. Humiliatio enim ibi necessaria non fuit ubi superbia nulla fuit ; sed ratio quæ erudiretur ad majorem cognitionem et virtus quæ promoveretur ad majorem perfectionem. Invenitur itaque hoc sacramentum singularem habens legem quemadmodum singularem habet institutionem. Et videtur ordo postulare priusquam ad ea quæ de cæteris dicenda sunt sacramentis discutiendo accedamus ; de isto singulariter quædam quæ ad primam institutionem spectare videbuntur præmittamus ; his quæ ad secundam ejus institutionem pertinent sequenti narrationi reservatis. Habet enim hoc sacramentum duplicem institutionem ; unam ante peccatum ad officium, alteram post peccatum ad remedium. Et secundum illam qua singulariter institutum est singulariter tractari debet ; et postea secundum illam qua cæteris in tempore conjungitur a cæteris in narratione non separetur.

CAP. XIII. *De institutione conjugii ante peccatum.*

Sacramentum conjugii solum ex omnibus sacramentis quæ ad remedium hominis instituta sunt, ante peccatum hominis legitur institutum ; non tamen propter peccatum,sed ad sacramentum solum et ad officium. Ad sacramentum propter eruditionem, et ad officium propter exercitationem. Erant enim duo hæc in conjugio ipso : conjugium ipsum, et conjugii officium, et utrumque sacramentum erat. Conjugium constabat in consensu fœderis socialis, officium conjugii constabat in copula carnis. Conjugium sacramentum fuit cujusdam societatis spiritualis quæ per dilectionem erat inter Deum et animam in qua societate anima sponsa erat et sponsus Deus. Officium conjugii sacramentum fuit cujusdam societatis quæ futura erat per carnem assumptam inter Christum et Ecclesiam, in qua societate Christus sponsus futurus erat et sponsa Ecclesia. Et qui sponsus erat utrobique superior erat, et ejus dilectio per pietatem trahebatur ad inferiorem. Quæ autem sponsa erat, utrobique inferior erat ; quia sibi sufficiens non erat, et per se stare non poterat. Et

propterea ejus dilectio necessitate magis convertebatur ad superiorem superior diligendo beneficium præstitit, inferior diligendo beneficium accepit. Hujus ergo societatis quæ utrinque dilectione mutua constabat, sacramentum formatum est, quando conjugium institutum est alterius societatis sacramentum, in conjugio alterius societatis, sacramentum in conjugii officio. Propterea natura humana duplici qualitate distincta est, ut in viro quidem robustior, in femina vero infirmior et aliena ope egens appareret. Et juncti sunt duo in unum, una dilectione et societate una, ut in una dilectione essent, et per dilectionem unam in una societate manerent. Et vir quidem, ut imago Dei fieret in hoc sacramento, pietate ad dilectionem inclinaretur. Femina vero, ut formam animæ rationalis exprimeret, necessitate magis et quasi respectu commoditatis cujusdam amare persuaderetur. Sic tamen ut utrinque voluntaria esset dilectio, quia si voluntaria non esset neque vera dilectio nec veræ dilectionis sacramentum esse posset. Iterum ut aliud sacramentum in hac societate formaretur præcepit Deus ut masculus et femina in una carne jungerentur, ut sicut prius in sacramento conjugii per dilectionem unum erant, ita postmodum in officio conjugii unum fierent per unam carnis commistionem. Ut ostenderetur quod qui prius in divinitate per dilectionem junctus erat animæ, postmodum per assumptam carnem junctus est Ecclesiæ suæ. Iterum ne otiosa esset societas conjugalis inter masculum et feminam, propterea post sacramentum conjugii additum est officium quod in commistione carnis expleri debuerat, ut in eo conjuncti exercerentur per obedientiam ad virtutem, et fructificarent per prolis generationem. In quo officio masculo quidem (qui superior erat) datum est quod propagandum fuisset de suo seminare, feminæ autem concipere et parere, ut in eadem similitudine demonstraretur quod in illa invisibili societate anima rationalis nullatenus fructificare posset, nisi prius semen virtutis a Deo conciperet. Erat adhuc aliud in natura humana quod per societatem conjugii monstrari debuisset. Sic quippe conditus est homo, ut quiddam in eo supremum esset, et in homine nihil altius esset. Post illud autem aliud sub illo esset et subjectum illi ; deinde aliud novissimum in imo constitutum, et in cæteris duobus subjectum. Erat quippe in homine ratio suppremo loco constituta, solis divinis et invisibilibus intendens et divinæ voluntati se conformans. Post hæc alia quædam ratio ad corporalia et visibilia respiciens, quæ subjiciebatur superiori, et ab illa informata subjectæ sibi sensualitati dominabatur, quæ tertio et imo loco fuerat constituta. Sic itaque tria inventa sunt in homine : sapientia, prudentia et sensualitas. Sapientia scilicet hoc est ratio ad divina, prudentia autem hoc est ratio ad humana ; sensualitas vero hoc est affectus sive appetitus ad terrena. Equibus prima, scilicet ratio, regebat tantum et non regebatur. Sensualitas ultima regebatur tantum et non regebat. Media vero ratio et a superiori regebatur et inferius regebat. Ad hanc similitudinem tria animalia foris facta sunt. Unum rationale quod dominabatur, secundum irrationale quod subjiciebatur, tertium rationale similiter quod a superiori quidem regebatur, et cum superiore inferiori dominabatur. Erat igitur vir imago sapientiæ, femina forma prudentiæ. bestia autem similitudo sensualitatis et concupiscientiæ. Propterea serpens feminam peccatum suadendo decepit ; femina vero virum. Decepta ad consensum inclinavit, quia concupiscentia prudentiæ carnis primum delectationem peccati suggerit : deinde prudentia carnis per delectationem peccati decepta, rationem ad consensum iniquitatis trahit. Propter has et hujusmodi rationes discreta est humana natura ut in altera parte robustior esset, in altera vero infirmior demonstraretur, ut in ea unum inveniretur quod regeret, et totum quod regeretur. Adjuncta est deinde foris in carne etiam discretio sensuum, quæ quidem quantum ad virtutem sacramenti in conjugio necessaria non fuit, sed quia sine ea in officio conjugii ministerium generandi impleri non potuit. Sic igitur ante peccatum institutum fuit conjugium et conjugii officium, utrumque ad sacramentum, ut conjugium quidem sanctificaretur pura mentis dilectione ; officium quoque conjugii impleretur sine carnis pollutione. Nunc vero quia per peccatum hominis caro humana corrupta est, jam post peccatum, carnis commistio sine carnali concupiscentia fieri non potest. Fortassis autem aliquem movere potest, quare post peccatum homo hoc potissimum opus sine peccato explere non potest. Sed diligenter consideranti ratio manifesta occurrit. Quandiu enim spiritus rationalis creatori suo subjectus fuit, nullam in carne sua contradictionem invenit ; et erant membra corporis imperio animæ subjecta, ut nec præter ipsam aliquando moverentur, nec ad aliud contra ipsam. Postquam autem spiritus adversus creatorem suum per superbiam intumuit, merito in suo inferiori jus antiquæ damnationis amisit, ut membra corporis jam ejus imperio ad injuriam creatoris ulciscendam contradicerent, quæ illi nisi per creatorem suum subjecta esse non deberent. Quia vero vita humana nullatenus subsistere posset si in membris corporis sui nullam spiritus rationalis potestatem haberet, vindictam suam Deus in parte per justitiam exercuit, et in parte misericorditer temperavit, quatenus simul et culpa plecteretur, et natura foveretur. Ut igitur inobedientia manifesta fieret unum in corpore humano membrum potestati animæ subtraxit, per quod posteritas in carne seminanda fuit, ut omnes qui per illud generentur se filios inobedientiæ esse intelligant, et ex sua origine quales et ex qualibus generentur agnoscant. Quia ergo in hoc membro per quod humana propagatio transire debuit signum inobedientiæ positum est, cunctis per illud transeuntibus manifeste ostenditur quod cum culpa inobetientiæ generantur. Quasi enim in ipso titulo

qui portæ inscriptus est per quam transeunt, agnoscunt unde veniunt et quo vadunt. Propter hoc ergo cætera membra corporis quæ imperium rationis sequuntur sine culpa operari possunt; hoc vero membrum in quo concupiscentia præcipue regnat, quia nutum voluntatis non sequitur; sine culpa non operatur. In tantum enim hoc membrum corporis imperium animæ non sequitur ut sicut aliquando non movetur quando vult, sic sæpe etiam quando non vult moveatur. Exinde ergo carnale commercium ab homine exerceri non debuit; ex quo illud sine turpi concu- A piscentia et carnis libidine exerceri non potuit. Ipse enim sibi hoc illicitum fecit, ex quo se talem fecit qui illud licite implere non possit. Sed quia carnis humanæ infirmitas turpius ad omnem concupiscentiam efflueret si non in parte aliqua licite exciperetur; concessum est postea ad remedium, quod prius ad officium solum fuerat institutum. Ut dum per indulgentiam pro majori malo evitando agitur, ipsum quod inest ei malum infirmitatis, per pudicitiam conjugalem excusetur. Et de prima quidem institutione conjugii hæc in præsenti loco dicta sufficere possunt.

PARS NONA.

DE INSTITUTIONE SACRAMENTORUM.

CAP. PRIMUM. *Quatuor esse consideranda in institutione sacramentorum.*

Tractare volentibus de sacramentis, quatuor primum consideranda sunt. Primum videlicet quid sacramentum. Secundum, quare instituta sint sacramenta. Tertium, quæ sit uniuscujusque materia sacramenti in qua conficitur et sanctificatur. Quartum, quot sint genera sacramentorum. Hoc est diffinitio, causa, materia divisio. Hæc enim quatuor si diligenti prosecutione discussa fuerint, intelligentiam facere potuerunt de his quæ proposita sunt. Primum ergo primo tractandum suscipimus.

CAP. II. *Quid sit sacramentum.*

Quid sit sacramentum, doctores brevi descriptione designaverant: «Sacramentum est sacræ rei signum.» Quemadmodum enim in hominæ duo sunt, corpus et anima, et in una Scriptura duo similiter, littera et sensus, sic et in omni sacramento aliud est quod visibiliter foris tractatur et cernitur, aliud est quod invisibiliter intus creditur et præcipitur. Quod foris est visibile et materiale, sacramentum est; quod intus est invisibile et spirituale, res sive virtus sacramenti est; semper tamen sacramentum quod foris tractatur et sanctificatur; signum est spiritualis gratiæ, quæ res sacramenti est et invisibiliter percipitur. Sed, quia non omne signum rei sacræ sacramentum ejusdem convenienter dici potest (quoniam et litteræ sacrorum sensuum et formæ sive picturæ sacrarum rerum signa sunt, quarum tamen sacramenta rationabiliter dici non possunt) idcirco supra memorata descriptio ad interpretationem sive expressionem vocis magis quam ad diffinitionem referenda videtur. Si quis autem plenius et perfectius quid sit sacramentum diffinire voluerit, diffinire potest quod «sacramentum est corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine repræsentans, et ex institutione significans, et ex sanctificatione continens aliquam invisibilem et spiritalem gratiam.» Hæc diffinitio ita propria B ac perfecta agnoscitur, ut omni sacramento solique convenire inveniatur. Omne enim quod hæc tria habet, sacramentum est, et omne quod his tribus caret, sacramentum proprie dici non potest. Debet enim omne sacramentum similitudinem quamdam habere ad ipsam rem cujus est sacramentum, secundum quam habile sit ad eamdem rem suam repræsentandam. Institutionem quoque per quam ordinatum sit ad illam significandam. Postremo sanctificationem per quam illam contineat, et efficax sit ad eamdem sanctificandis conferendam. Hoc autem interesse videtur, quod omne sacramentum similitudinem quidem habet ex prima eruditione, institutionem ex superaddita dispensatione, sanctificationem ex apposita verbi, C vel signi benedictione. Ut ergo in uno sacramento ea quæ de omnibus dicta sunt tria hæc qualiter sint agnoscamus, aquam baptismatis pro exemplo assumimus. Ibi enim est aquæ visibile elementum quod est sacramentum, et inveniuntur hæc tria in uno: repræsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, virtus ex sanctificatione. Ipsa similitudo ex creatione est; ipsa institutio ex dispensatione; ipsa sanctificatio ex benedictione. Prima indita per Creatorem; secunda adjuncta per Salvatorem, tertia ministrata per dispensatorem. Est ergo aqua visibilis sacramentum, et gratia invisibilis, res sive virtus sacramenti. Habet autem omnis aqua ex naturali qualitate similitudinem quamdam cum gratia Spiritus sancti; quia, D sicut hæc abluit sordes corporum, ita illa mundat inquinamenta animarum. Et ex hac quidem ingenita qualitate omnis aqua spiritalem gratiam repræsentare habuit, priusquam etiam illam ex superaddita institutione significavit. Venit autem Salvator et instituit visibilem aquam per ablutionem corporum ad significandam invisibilem, per spiritalem gratiam emundationem animarum. Et ex eo jam aqua non ex sola naturali similitudine repræsentat, sed ex superaddita institutione significat gratiam spiritalem. Sed quia hæc duo,

sicut diximus, nondum adhuc sufficiunt ad perfectionem: accedit verbum sanctificationis ad elementum et fit sacramentum, ut sit sacramentum aqua visibilis ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione continens spiritualem gratiam. Ad hunc modum in cæteris quoque sacramentis hæc tria considerare oportet.

Cap. III. *Quare instituta sint sacramenta.*

Prima ergo propositionis parte exposita, ad secundam transeamus. Triplici ex causa sacramenta instituta esse noscuntur. Propter humiliationem, propter eruditionem, propter exercitationem. Propter humiliationem quidem ut dum homo rationalis creatura insensibilibus elementis (quæ natura infra ipsum condita fuerunt) ex præcepto Creatoris sui subjicitur, ex hac ipsa sua humiliatione Creatori suo reconciliari mereatur. Homo namque ita factus erat ut bonum ejus solus ille esset a quo erat; cætera omnia sub ipso facta sunt, non ut in eis esset ejus bonum, sed ut ex eis esset illius obsequium. Omne enim bonum, majus est illo cujus est bonum; quia vere bonum non est, nisi quod bonum facit illum cujus est bonum. Omnis ergo qui bonus est, et ex bono suo bonus est; inferior est ipso bono quo bonus est, quia sine ipso bono bonus non est. Si ergo bonum hominis supra hominem erat, solus ille bonum hominis erat qui supra hominem erat. Huic ergo bono homo quandiu in ordine conditionis suæ perstitit immediate jungebatur et ex eo libere fruebatur, quia et voluntate ad illud ibat, et libertate in illo stabat. Postquam autem per concupiscentiam abstractus a superiori avertebatur; ad inferiora conversus præcipitabatur, et illi se subjiciebat quod bonum suum faciebat. Justa igitur recompensatione qui suo superiori per obedientiam subjectus esse noluit; per concupiscentiam suo se inferiori subjecit, ut jam ipsum inter se Deum medium inveniat divisionis, non mediatorem reconciliationis. Hoc enim medio dividente humana mens et obnubilatur ne Creatorem suum agnoscere valeat: et refrigescit ne ipsum per dilectionem requirat. Justum ergo est ut homo qui prius Deum superbiendo deserens, se terrenis per concupiscentiam subdidit; nunc per humilitatem Deum requirens (ut plenius affectum suæ devotionis insinuet) eisdem se propter præceptum Dei per obedientiam inclinet. Sicut enim perniciosa fuit elatio superiori nolle subjici, sic laudabilis et fructuosa devotio est propter superiorem etiam inferioribus inclinari. Et quemadmodum damnabilis fuit superbia præsentem despicere, sic laudabilis humilitas est absentem quærere, et perseveranti amore usque ad inventionem ad inquisitione non cessare, ut sit devotio in humilitate, et humilitas in devotione. Nemo siquidem est qui nesciat hominem rationalem mutis et insensibilibus elementis conditione superiorem existere; et tamen cum idem homo in his salutem quærere jubetur ad experiendam obedientiæ ipsius virtutem; quid aliud quam suo inferiori superior subjicitur? Hoc propter quod infidelium oculi (qui visibilia solum A vident) sacramenta salutis venerari despiciunt, quia in eis tantum quod foris est contemptibile in specie visibili cernentes, invisibilem virtutem intus et fructum obedientiæ non agnoscunt. Non enim sciunt quod fideles salutem ex istis elementis non quærunt, etiam si in istis quærunt; sed ex illo et ab illo quærunt in istis a quo jubentur quærere et credunt se percipere in istis. Non enim ista tribuunt quod tribuitur per ista, sed ille per ista salutem præbet qui in istis salutem quærere jubet. Hoc modo igitur intelligendum est quod invisibilia sacramenta propter humiliationem hominis diximus instituta. Propter eruditionem quoque instituta sunt sacramenta, ut per id quod foris in sacramento in specie visibili cernitur, ad B invisibilem virtutem quæ intus in re sacramenti constat agnoscendam mens humana erudiatur. Homo enim qui visibilia noverat, invisibilia non noverat; divina agnoscere nullatenus posset nisi humanis excitatus. Et idcirco dum ei bonum invisibile quod admiserat redditur, foris ei ejusdem significatio per species visibiles adhibetur, ut foris excitetur; et intus reparetur, ut in eo quod tractat et videt, agnoscat quale sit quod percipit et non videt. Dona enim gratiæ spiritualia quasi quædam invisibilia antidota sunt, quæ dum in sacramentis visibilibus quasi quibusdam vasculis homini porriguntur, quid aliud quam ex patenti specie virtus occulta ostenditur? Æger enim medicamentum videre non potest, sed vas in quo medicamentum C datur videre potest. Et propter hoc in ipsa vasis specie virtus exprimitur medicinæ, ut agnoscat quid accipit, et per ipsam agnitionem proficiat ad dilectionem. Sic itaque intelligendum est quod diximus propter eruditionem sacramenta instituta. Propter exercitationem similiter instita sunt sacramenta, ut dum mens humana per varias operum species foris exercitata colitur, ad multiplicem virtutis fructum interius fecundetur. Bonum quidem hominis unum erat; et quandiu homo illi per dilectionem adhæsit non eguit hac multiplicitate. Postquam autem mentem suam per concupiscentiam ad multiplicia hæc et transitoria dividi permisit; stabilis esse non potuit, quia sicut multa diligens in his per affectum dividitur, sic D mutabilia sequens variatur. Quidquid enim in his omnibus ad requiem et consolationem appetit, ipsa ei mutabilitatis conditio ad laborem et dolorem convertit. Unde fit ut sicut ad hæc ne deficiat ire compellitur, sic ab his postmodum ut requiescat exire cogatur, ut appareat alter Cain *vagus et profugus super terram* (*Gen.* III). Vagus in variis quærens consolationem. Profugus, inventam ubique declinans afflictionem. Ambulat homo, si semper ambulaverit deficit. Sedet ergo vel stat ne deficiat, et tamen si semper sederit, deficit. Esurimus et deficimus, manducamus ne deficiamus, et tamen si semper manducaremus deficeremus, et vertitur ad dolorem quod quæsitum est ad consolationem. Sic omnis mutabilitas hominis defectum habet non profectum; et deficimus quia mutamur, qui tamen nunquam mutari cessamus ne

deficiamus. Quia ergo vita hominis hic sine mutabilitate esse non potest, contra illam (quæ defectum generat) mutabilitatem alia ei mutabilitas quæ profectum parit opponitur; ut, quia stare non potest ut semper ut idem sit, moveatur et promoveatur semper melior sit. Primum enim bonum erat in summo stare. Secundum est bonum ad superiora ascendere. Et idcirco vita mutabilis ne sua mobilitate dissoluta ad deteriora semper deficeret: talibus studiis nutrienda fuerat in quibus et rerum varietate foris excitata, et æmulatione virtutum intus accensa, proficiendi occasionem inveniret. Divisa sunt tempora et distincta loca, propositæ species corporales, injuncta studia et opera exercenda, ut medicinam interioris hominis exterio homo præpararet, et ei subesse et prodesse addisceret. Nam cum prius humana vita per duo exercitationum genera cucurrisset in altero ad necessitatem, in altero ad voluptatem, in altero ad usum, in altero ad vitium; ad usum pro natura, ad vitium pro culpa, alterum ad sustentationem, alterum ad subversionem, congruum erat ut tertium quoque exercitationis genus adjungeretur, ut per illud unum e duobus primis evacuaretur, quia erat nocens; alterum perficeretur, quia non erat sufficiens. Proposita sunt ergo homini foris opera virtutum ad ædificationem interiorem exercendam, ut illis præoccupatus, nec unquam vacaret ad opera iniquitatis, nec semper ad opera necessitatis. In his autem virtutum studiis mirabili dispensatione Deus et multiplicitatem prævidit, et varietatem, et intermissionem, ut humana mens et in multiplicitate exercitationem, et in varietate delectationem, et in intermissione recreationem inveniat. Sacrata sunt quædam loca, ædificatæ basilicæ, et determinata tempora certa, quibus populus fidelis in unum congregetur, et unitas commendetur ut gratias reddat preces offerat, vota persolvat. Illic Deus nunc in silentio simpliciter exoratur, nunc consonis vocibus devote collaudatur, ut vicissim fidelium corda nunc componantur ad requiem, nunc excitentur ad devotionem. In ipsis quoque divinis præconiis non eadem semper exibetur forma collaudationis; nunc psalmodiæ accendunt ad devotionem, nunc hymni et cantica ad divinam excitant jucunditatem, nunc lectiones recitantur ad formam morum et vitæ bonæ instructionem. Ipsæ etiam actiones nostræ in divinis obsequiis, non eadem semper institutionis forma procedunt. Nunc erecti, nunc prostati, nunc inclinatione, nunc conversione ex gestu corporis statum mentis exprimimus. Sed et ipsa in quibus se operando exercet, et divinum cultum adornat fidelium devotio; multa et multifaria simili ratione provisa sunt, ut sint plurima et sacra et sacramenta, quatenus fides in eis et materiam exercitationis et causam recreationis perfectam inveniat. Sic enim fidelis animus dum foris ad varia sanctæ excercitationis studia ducitur, magis semper ac magis intus ex ipsa sua devotione ad sanctitatem innovatur. Et ad hunc modum quidem intelligendum putamus, quod dictum est, sacra- A menta propter exercitationem instituta.

Cap. IV. *De distinctione trium operum et trium operantium.*

Est igitur triplex causa hæc institutionis sacramentorum omnium: humiliatio, eruditio et exercitatio hominis. Quæ causæ si non essent, sacramenta omnino, id est sacrorum signa vel instrumenta, elementa per se esse non possent. Quod enim elementa sacramenta sunt, non natura prima facit; sed apposita institutio per dispensationem, et gratia infusa per benedictionem, quæ duo si elementa post primam naturam non accepissent, sacramenta proprie esse non possent. Dedit primo natura habilitatem ut hoc esse possent; adjunxit B secunda institutio auctoritatem ut hoc fierent; superaddidit tertia benedictio sanctitatem ut hæc essent. Prima facta per Creatorem; secunda proposita per Salvatorem; tertia administrata per dispensatorem. Primum Creator per majestatem vasa formavit, postea Salvator per institutionem eadem proposuit; postremo dispensator per benedictionem hæc ipsa mundavit; et gratia implevit. Et apparet mirabile, quod qui major fuit, quod minus erat fecit; et qui minor fuit, fecit quod majus fuit. Plus enim contulit sanctificatio quam creatio, quoniam in creatione naturam acceperunt ut essent; in sanctificatione gratiam, ut bona et sancta essent. Si ergo Deus creat et sacerdos sanctificat, plus homo facere videtur quam Deus, quod C omnino absurdum et inconveniens esset, si non quod homo facit hoc etiam faceret et Deus. Deus enim sine homine creat, sed homo sine Deo non sanctificat. Ut gratia quodammodo a summo incipiat, et in imo consummetur; et in hoc ipso descensus gratiæ nobis significetur, quia nisi gratia descenderet, jacentes non elevaret. Creavit primum Deus per se et in suo, hoc est, solus et in majestate. Instituit postea Salvator per se quidem sed in nostro, hoc est solus et in humanitate. Sanctificat postremo sacerdos neque per se neque in suo, quia nec solus ipse est qui operatur, nec virtus ipsius est quæ ad sanctificationem tribuitur. Ipse enim ministranti cooperatur, cujus virtute per ministerium ministrantis quod sanctifican- D dum est sanctificatur, ut sit quidem una virtus per unum opus ad unum effectum, quæ quidem virtus in duobus simul operantibus sic discernitur; quoniam per alterum datur, per alterum ministratur. Alter est a quo datur, alter per quem mittitur. Et cum venit ipsa gratia ad nos, per illum venit a quo venit; quoniam ministranti cooperatur auctor muneris, sed non similiter ab illo venit per quem venit, quia auctor muneris esse non potest qui solum est minister dispensationis. Nemo igitur dicat quomodo homo sanctificat, quando Deus per hominem sanctificat; quoniam in hoc verius homo facit quod Deus per eum facit. Nam quod facit per se, et in suo facit homo, vere non facit, quoniam veritatem non facit; quoniam per se et in suo non nisi malum facit; sicut ergo Deus solus mirabilia facit, quoniam de ipso Scriptura

dicit: *Qui facit mirabilia magna solus* (*Psal.* LXXI): quoniam sine ipse nullus facit, et omnis qui facit per ipsum facit et per omnem qui facit ipse facit. Ideoque solus facit, quoniam ipsius solius est, quod omnis facit qui facit: et tamen de servo Dei scriptum est: *Fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccli.* XXXI) quoniam ex Deo fecit et per eum Deus fecit: nec contrarietas ulla ex his procedit, sic Deus solus sanctificat et benedicit; quoniam ab ipso omnis sanctificatio et benedictio est, et tamen sacerdos minister Dei sanctificat et benedicit: quoniam per ipsum quædam sanctificatio et benedictio est, quæ et ipsa quoque a Deo est, qui auctor est in dono, et per Deum qui cooperator est in ministerio. Tali consideratione rationabiliter distinguitur quid in sacramentis omnibus sigillatim, vel creatio quantum ad naturam elementi, vel institutio et sanctificatio quantum ad virtutem sacramenti operatur; et in ipsa sanctificatione quantum ex illo qui dator est numeris, et quantum ex ipso vel potius per ipsum qui solum minister est dispensationis. Postremo quinque discreta et distincta ab invicem ad cognitionem procedunt: Deus medicus, homo ægrotus, sacerdos minister vel nuntius, gratia antidotum, vas sacramentum. Medicus donat, minister dispensat, vas servat quæ sanat percipientem ægrotum gratiam spiritalem. Si ergo vasa sunt spiritalis gratiæ sacramenta, non ex suo sanant, quia vasa ægrotum non curant, sed medicina. Non ergo ad hoc instituta sunt sacramenta ut ex eis esset quod in eis esset; sed ut peritiam suam medicus ostenderet in illo remedium præparavit, a quo languidus occasionem morbi accepit. Quia enim homo visibilia concupiscens corruptus fuerat, congrue reparandus in eisdem visibilibus salutis occasionem recipere debebat, ut per eadem resurgeret per quæ corruerat.

CAP. V. *Institutionem sacramentorum quantum ad Deum dispensationis esse, quantum ad hominem necessitatis.*

Institutio sacramentorum quantum ad Deum auctorem dispensationis est, quantum vero ad hominem obedientem necessitatis. Quoniam in potestate Dei est præter ista hominem salvare, sed in potestate hominis non est sine istis ad salutem pervenire. Potuit enim Deus hominem salvare etiam si ista non instituisset, sed homo nullatenus salvari posset si ista contemneret. Dicit enim Scriptura: *Non potest salvari qui baptizatus non fuerit* (*Joan.* III); qui hoc vel hoc non fecerit salvari non potest, et confitemur quod verum est, et quia salvari non potest homo qui caret his sine quibus ab homine salus haberi non potest. Homo sine his salvari non potest, sed Deus sine his salvare potest. Homo quippe sine his salvari posset si sine his salvari in potestate hominis esset, et si posset homo pro arbitrio suo ista quæ ad salutem obtinendam proposita sunt relinquere, et secundum suam electionem alia ad salutem via pervenire. Quod quia homini omnino impossibile

A est, propterea rectissime dicitur, quod homo sine his omnino salvari non potest. Deus autem sine his hominem salvare potest, qui virtutem suam et sanctificationem et salutem quocunque ipse voluerit modo homini largiri potest. Illo namque spiritu quo docet hominem sine verbo, justificare etiam valet si voluerit sine sacramento; quia virtus Dei ex necessitate elementis non subditur, etiam si gratia Dei ex dispensatione per sacramenta donetur. Hinc est quod quosdam etiam sine hujusmodi sacramentis justificatos legimus et credimus salvatos. Quemadmodum Jeremias in utero sanctificatus legitur, et Joannes Baptista ex utero matris de Spiritu sancto implendus prophetatur, et qui sub naturali lege justi Deo placue-

B runt: hæc sacramenta habuisse non legimus, de quorum tamen salute nequaquam dubitamus, et qui ex illis sacramenta ista post justificationem susceperunt signa magis justitiæ suæ habuerunt in istis quam causam ex istis. Qui vero per spiritum Dei qui quidquid confertur in istis, sine istis perceperunt, damnabiliter istis non caruerunt, quia ut ista non perciperent, vel ratio temporis non poposcit, vel necessitas non permisit, nunquam contemptus religionis effecit. Nullus ergo in elementis sic legem divinæ justitiæ constituat, ut dicat hominem nec justificari posse sine his etiam si gratiam justificantem habuerit, nec salvari posse sine his etiam si justus fuerit, cum ab his percipiendis vel articulus necessitatis exclu-

C dit vel, sicut diximus, ad hæc percipienda ratio temporis non constringit. Quemadmodum ii qui sub naturali lege erant justi, ejusmodi sacramentis non imbuebantur, sicut et præceptis ejusmodi non tenebantur. Quicunque ergo rem sacramenti in fide recta et charitate vera habuerunt, sacramentis istis damnabiliter non caruerunt; quia ea vel pro tempore suscipere non debuerunt, vel pro imminente necessitate suscipere non potuerunt. Quid igitur tibi videtur, tu quicunque sacramenta Dei veneraris, et cum te sacramenta Dei honorare putas Deum inhonoras? Sacramentis indicis necessitatem, et auctori sacramentorum tollis potestatem, et negas pietatem. Dicis mihi quod qui non habet sacramenta Dei salvari non potest, et

D ego dico tibi qui habet virtutem sacramentorum Dei perire non potest. Aut nega virtutem esse posse ubi sacramentum non est, aut si concedis virtutem nega damnationem. Utrum est majus sacramentum, an virtus sacramenti? Utrum est majus, aqua an fides? Si vis dicere verum, dic fides. Si ergo sacramentum aquæ quod minus est salvat quosdam non habentes fidem; et non imputatur eis quod fidem non habent, quia eam habere non possunt. Quomodo fides quæ major est non liberat habentes fidem et sacramentum aquæ non habentes; et non multo magis parcetur eis pro eo quod sacramentum aquæ non habent, quod quidem habere voluerunt, sed non potuerunt? Sed dicis: Quomodo ergo intelligimus quod scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum?*

(*Joan.* III.) Et ego te interrogo quomodo intelligendum putas quod scriptum est: *Qui credit in me mortem non videbit in æternum* ? (*Joan.* XI.) Tu dicis quod qui non facit hoc non salvatur, et ego dico quod qui hoc facit non damnatur. Quis ergo erit medius locus ejusmodi homines capiens, nec salvandos quia aquam non habent, nec damnandos quia fidem habent? Est homo qui habet fidem, et cum fide dilectionem, aquam non habet; non tamen aquam contemnens, sed aquam habere volens et non valens. Hunc ergo aqua absens damnabit, et non potius fides et devotio præsens salvabit? Quid ergo, dicis, mihi est cum sacramentis? Habebo fidem et dilectionem et virtutes alias; et bonus ero, et sufficiet mihi. Vide ergo si delectionem Dei habere potes, et præcepta ejus contemnere? Si ergo dilectionem Dei habes, stude, satage, conare, quantum potes perficere mandata ejus; et si incidis in necessitatem, quære pietatem. Si enim necessitas non est quæ prætendatur: contemplus non excusatur. Vide ergo quod sacramenta Dei medicinæ sunt spiritales; quæ foris corporibus adhibentur per visibilem specimen, sed intus animas sanant per invisibilem virtutem. Quorum quidem institutio quantum ad præcipienten, dispensationis est; susceptio vero quantum ad obedientem necessitatis. Vis scire quod in istis visibilibus speciebus ad curandos morbos spiritalis remedium Deus non sumit, sed solum sacramentum constituit? Accipe sacramentum de sacramento. Ægrotavit Ezechias et missus est ad eum Isaias propheta, qui ei mortem imminentem prædiceret. Quo audito terrore et dolore compunctus, lacrymas cum prece fudit et misericordiam impetravit. Remittitur continuo Isaias, ut quindecim annos vitæ illius adjiciendos annuntiet, et ad virtutem amplius sacramenti commendandam vulneri ejus curando novam novo modo medicinam præparet. Apposita est medicina foris, ut virtus occulta intus operaretur et non erat sanitas ex medicina, quoniam secundum se contraria sanitati erat medicina, ut aperte monstraretur, quoniam ex illa non erat quod per illam erat. Magnum de sacramentis sacramentum commendatum est. Æger est genus humanum, quod languet et intus per iniquitatem, et foris per mortalitatem. Ad quem sermo propheticus mittitur, ut ei mors emminens non solum præsens, sed et futura annuntietur. Qui terrentur confitentur, plorant et orant, et misericordiam impetrant. Remittitur sermo propheticus qui nos de longioris vitæ spatio indulto certos efficiat. Quia eadem nos scriptura æternæ vitæ promissione consolatur pœnitentes quæ de perpetuæ mortis damnatione terret in peccato persistentes. Apponitur medicina curandis ulceribus nostris, quæ cum ex sui qualitate morbo contraria ostenditur; in curatione ægroti non medicinæ, sed medentis virtus evidentissime declaratur. Ipsa medicina, ipsa sunt sacramenta, quæ dum foris nobis per ministros sacræ dispensationis corporaliter adhibentur, vulnera animarum nostrarum invisibiliter curantur,

A ut curati et sanati ad perpetuæ vitæ repromissionem portingere possimus. Quæ quidem vita quindecim annorum numero signata est, quæ et in præsenti per requiem mentis septenerio inchoatur, et in futuro per mortalitatem carnis octonario perficitur. Quæ tamen medicina quantum ad suam naturam spectat, augere morbum habuit non currare, quia terrena omnia (quantum ad illorum qualitatem et nostram infirmitatem pertinet) corruptionem animarum operari solent potius quam curationem. Per quæ tamen Deus cum nostram sanitatem perficit, quid aliud quam suæ virtutis potentiam evidenter ostendit; cum in eodem nostrum procurat remedium a quo infirmitatis et corruptionis traximus morbum? Non ita-
B que istis ascribatur, quod per ista nobis administratur, neque in illis visibilem ita veneramur speciem, et invisibilem eis subjicere veritatem convincamur. Hac consideratione diligenter intuentibus manifestum fit, quantum vel illi debeant quod foris in specie sacramenti visibiliter cernitur, vel illi quod in virtute sacramenti intus invisibiliter operatur. Et hæc quidem omnia ad hoc spectant quod propositum erat investigandum, quare videlicet instituta sint sacramenta.

CAP. VI. *De materia sacramentorum.*

Restat nunc tertia pars de quatuor quæ proposita fuerant, discutienda. In triplici materia omnia
C divina sacramenta conficiuntur, scilicet aut in rebus, aut in factis, aut in verbis. Quia enim totus homo corruptus erat, totum quod hominis foris erat ad sacramentum sumendum erat, ut totum in sacramento foris sanctificetur, et in toto virtus sacramenti intus remedium operetur. Itaque in rebus sacramenta sanctificanda erant. Ut sanctificaretur hominis materia, in factis ut opera; in dictis ut verba, ut totum videlicet sanctum sit, et quod homo est, et quod hominis. In rebus conficiuntur sacramenta, sicut videlicet sacramentum baptismi in aqua, sacramentum unctionis in oleo sacramentum corporis et sanguinis Christi in pane et vino, et quæcunque sunt aliæ corporales species in quibus sacramenta divina conficiun-
D tur. In factis etiam sacramenta inveniantur, quemadmodum videlicet cum signum crucis vel pro munimine contra adversas potestates opponentes, vel pro sanctificatione quibuscunque rebus sanctificandis imprimentes facimus, vel cum etiam expansis manibus sive elevatis in oratione, inclinatione sive erectione, sive conversione, sive alio quocunque gestu vel motu, vel actu, sacrum aliquid et sacræ rei signum exprimimus. In dictis sacramentum invenitur, quemadmodum est invocatio Trinitatis, et cætera hujusmodi, quotiescunque cum verborum prolatione sacrum aliquid et sacramentum exprimimus et significamus. Porro sciendum est quod cum his tribus modis sacramenta conficiantur; illa tamen magis proprie et pricipaliter sacramenta dicuntur in quibus virtus est per sanctificationem, et effectus salutis per

operationem. His breviter de materia sacramen- A torum prælibatis ad sequentia transeamus.

Cap. VII. *Quod tria genera sunt sacramentorum.*

Tria genera sacramentorum in prima consideratione discernenda occurrunt. Sunt enim quædam sacramenta in quibus principaliter salus constat et percipitur, sicut aqua baptismatis, et perceptio corporis et sanguinis Christi. Alia sunt quæ etsi necessaria non sunt ad salutem (quia sine his salus haberi potest) proficiunt tamen ad sanctificationem, quia his virtus exerceri et gratia amplior acquiri potest, ut aqua aspersionis, et susceptio cineris, et similia. Sunt rursum alia sacramenta quæ ad hoc solum instituta esse videntur, ut per B ipsa ea quæ cæteris sacramentis sanctificandis et instituendis necessaria sunt, quodammodo præparantur et sanctificentur, vel circa personas in sacris ordinibus perficiendis, vel in iis quæ ad habitum sacrorum ordinum pertinent initiandis et cæteris hujusmodi. Prima ergo ad salutem, secunda ad exercitationem, tertia ad præparationem constituta sunt. His igitur prout ratio postulare videbatur pertractis, ad ea quæ restant explicanda transimus.

Cap. VIII. *De tribus quæ necessaria sunt ad salutem.*

Tria sane sunt quæ ab initio sive ante adventum Christi, sive post ad salutem obtinendam necessaria fuerunt, id est fides, sacramenta fidei, et opera bona. Quæ tria ita cohærent ut salutis effectum habere non possint si simul non fuerint. *Fides enim sine operibus*, teste Scriptura, *mortua est* (*Jacob.* II). Rursum ubi non est fides, opus bonum esse non potest. Item qui fidem operantem habent, si sacramenta Dei sucipere renuunt, salvari non possunt, quia dilectionem Dei non habent cujus præcepta in sacramentis ejus contemnunt. Verumtamen ubi fides cum dilectione est, sicut non minuitur meritum etiam si opus quod in bono proposito devotionis est exterius non perficitur, sic salutis effectus non impeditur etiam si sacramentum quod in vera voluntate et desiderio est, articulo necessitatis excluditur. Ubi autem tria simul haberi possunt, sine periculo salutis nullatenus abesse possunt, quia nec fides meritum habet si dum potest operari negligit, nec opus bonum est aliquid si sine fide fit. Et rursum fides operans hominem sanctificare non sufficit, si eam quæ in sacramentis Dei constat sanctificationem suscipere contemuit. Tria ergo simul sunt, fides, sacramentum, et opus. In fide, Christiano fortitudo tribuitur, in sacramentis, arma; in operibus bonis, tela contra diabolum pugnaturo.

PARS DECIMA.

DE FIDE.

Cap. primum. *De fide septem esse inquirenda.* C

De tractare volentibus, septem inquirenda proponimus. Quid sit fides. In quo constat fides. De incremento fidei. De his quæ pertinent ad fidem. An ab initio secundum mutationem temporum, mutata sit fides credentium. Quid sit quo nihil minus vera fides unquam hahere potuit. De sacramento fidei et virtute ipsius. Singula suo ordine prosequamur.

Cap. II. *Quid sit fides.*

Fides est, ut ait Apostolus, *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI). Si per fidem ea quæ creduntur fide, significata intelligimus (sicut per visionem nonnumquam non eam qua videmus, sed quod videmus accipimus) convenienter fides substantia rerum sperandarum dicitur, quia fide ea quæ vere D subsistunt bona sperantibus et exspectantibus illa ventura creduntur. Secundum quam acceptionem non irrationabiliter etiam argumentum non apparentium dicitur: quia quæ ratione humana non comprehendimus, sola fide nobis credibilia esse et vera persuademus. Quod si hanc diffinitionem alio modo exponimus possumus dicere quod fides non in eo quod sit, sed quod faciat diffinitur, ut sit sensus. Fides est substantia, id est subsistentia, rerum sperandarum, id est futurorum bonorum, quæ ventura sperantur a nobis, et quæ sola digna sunt spe et exspectatione nostra, quoniam in ipsis constat bonum nostrum. Est ergo fides substantia rerum sperandarum; quia bona invisibilia quæ per actum nondum præsentia, sunt jam per fidem in cordibus nostris subsistunt; et ipsa fides eorum in nobis subsistentia eorum est. Cum enim res quælibet apud nos subsistant; vel per actum, quando videlicet præsentes sensu comprehenduntur, vel per intellectum, quando absentes; vel etiam non existentes in similitudine sua et in imagine per intellectum capiuntur; vel etiam per experientiam, quando ea quæ in nobis sunt sentiuntur a nobis, ut est gaudium, tristitia, timor et amor, quæ subsistunt in nobis et sentiuntur a nobis: nullo horum modorum invisibilia Dei comprehenduntur a nobis quæ credi solum possunt comprehendi omnino non possunt. Neque enim actu præsentia sunt ut sensu comprehendantur, quia nec corpora sunt nec in corporalibus subsistunt. Neque in similitudine aliqua imaginabiliter ab animo comprehendi possent, quia longe omnem similitudinem et corporum et corporalium suæ divinatitatis et puritatis excellentia transcendunt. Neque quemadmodum illa quæ in nobis sunt et sentiuntur a nobis; quoniam neque de substantia animi sunt, neque de his quæ in animo subsistunt. Ergo fide sola subsistunt in nobis; et

subsistentia eorum est fides eorum, qua creduntur quia sunt, sed non qualia sunt comprehenduntur. Ergo Deus credi potest, comprehendi omnino non potest. Dicis mihi : Quid dicam? Quid est Deus? Ergo tibi respondeo quod indicibile omnino est quid est Deus. Saltem, inquis, quid cogitabo quando cogitare volo quid est Deus? Amplius dico quia incogitabilis est Deus. Quidquid dicitur vel cogitatur, secundum aliquid dicitur vel secundum aliquid cogitatur. Quod enim secundum aliquid dici vel cogitari non potest, dici omnino et cogitari non potest. Quid ergo dices vel cogitabis, cum id quod Deus est dicere vel cogitare volueris : Si terram cogitas, si cœlum cogitas, si omnia quæ in cœlo sunt et in terra cogitas, nihil horum est Deus. Denique si spiritum cogitas, si animam cogitas : non est hoc Deus. Scio, inquis, quod hoc non est Deus, tamen hoc simile Deo est, et similitudine sua Deus demonstrari potest. Vide quale simile si spiritum demonstrare velles et corpus ostenderes, qualis similitudo hæc esset, et tamen plus longe est Deus et spiritus quam spiritus et corpus. Omne enim quod creatum est minus ab invicem distat, quam ille qui fecit ab eo quod fecit. Non potest cogitari Deus quid est, etiam si credi potest quia est, non qualis est comprehendi. *Quod*, inquit Apostolus, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II); hoc est illud quod dicere volumus, si tamen dicere possumus quod cogitare non possumus. *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit*, quia sensu non percipitur. *Nec in cor hominis ascendit*; quia congitatione non comprehenditur.

Erant enim tria quædam : corpus et spiritus et Deus : corpus quidem mundus erat, anima spiritus. Et ipsa anima, quasi in medio quodam erat habens extra se mundum, intra se Deum, et acceperat oculum quo extra se mundum videret et ea quæ in mundo erant : et hic erat oculus carnis. Alium oculum acceperat quo seipsam videret et ea quæ in ipsa erant, hic est oculus rationalis. Alium rursum oculum acceperat quo intra se Deum videret et ea quæ in Deo erant, et hic est oculus comtemplationis. Hos igitur oculos quandiu anima apertos et revelatos habebat, clare videbat et recte discernebat; postquam autem tenebræ peccati in illam intraverunt, oculus quidem contemplationis exstinctus est, ut nihil videret; oculus autem rationis lippus effectus ut dubie videret. Solus ille oculus qui extinctus non fuit in sua claritate permansit, qui quandiu lumen habet clarum, judicium dubium non habet. Oculus vero rationalis quandiu lumen ejus est nubilum, judicium certum habere non potest; quia quod clare non videt discernit ambigue. Hinc est quod corda hominum facilius sibi consentiunt in his quæ oculo carnis percipiunt, quam in his quæ acie mentis et sensu rationis attingunt, quia ubi in videndo non caligant, in judicando non discrepant. Homo ergo quia oculum carnis habet mundum videre potest, et ea quæ in mundo sunt. Item quia oculum rationis ex parte habet, animum similiter ex parte videt et ea quæ in animo sunt. Quia vero oculum contemplationis non habet, Deum et quæ in Deo sunt videre non valet. Fides ergo necessaria est qua credantur quæ non videntur, et subsistant in nobis per fidem, quæ nondum præsentia nobis sunt per speciem. Sic itaque substantia illorum est fides, quia per solam fidem subsistunt nunc in nobis : et argumentum similiter illorum est fides, quia per solam fidem probantur a nobis. Non enim aliud argumentum majus de illis dubitantibus profere possumus, quam quod illa quæ creduntur fide, ratione non comprehenduntur. Quod enim aliud argumentum ad illa esse potest, quibus simile et comparabile nihil esse potest? Cum utique argumentum nullatenus esse posset, nisi aliquam cum illo ad quod argumentum esset similitudinem etiam haberet. Quæ igitur omnem similitudinem et comparationem transcendunt, qua similitudine argui et comprobari possunt? nisi quia ex fide et devotione præcedentium sanctorum colligimus, quoniam ad illa quæ futura prædicantur bona increduli esse non debemus. Magna enim est ratio hæc et omnino fide digna; quia nequaquam sancti et justi omnes pro æternæ vitæ desiderio tanta constantia præsentem vitam despicerent, si non amplius aliquid et ultra nostram intelligentiam de illius veritate præsensissent. Sic itaque fides est substantia rerum sperandarum; quia per eam jam quodammodo quæ futura sunt subsistunt in nobis, et argumentum non apparentium; quoniam per ea quæ oculta sunt approbantur a nobis. Sed quia in hac descriptione non quid sit fides, sed quid faciat fides ostenditur; nec ea quæ de præteritis vel de præsentibus habetur fides diffinitur, si quis plenam ac generalem diffinitionem fidei signare voluerit dicere potest : « Fidem esse certitudinem quamdam animi de rebus absentibus, supra opinionem et infra scientiam constitutam. » Sunt enim quidam qui audita statim animo repellunt et contradicunt his quæ dicuntur : et hi sunt negantes. Alii in iis quæ audiunt alteram quamcunque partem eligunt ad existimationem, sed non approbant ad affirmationem. Quamvis enim unum ex duobus magis probabile intelligunt, utrum tamen adhuc idipsum verum sit asserere non præsumunt : hi sunt opinantes. Alii sic alteram partem approbant, ut ejus approbationem etiam in assertionem assumant : hi sunt credentes. Post ista genera cognitionis illud perfectius sequitur cum res non ex auditu solo, sed per suam præsentiam notificatur. Perfectius enim agnoscunt qui ipsam rem ut est in sua præsentia comprehendunt, hi sunt scientes. Primi ergo sunt negantes, secundi dubitantes, tertii opinantes, quarti credentes, quinti scientes.

Ex his ergo conjici potest quare fidem certitudinem appellámus, quoniam ubi adhuc dubitatio est fides non est. Patet etiam quare ipsam certitudinem quam fidem appellamus supra opinionem vel æstimationem, et infra scientiam dicimus esse constitutam. Quia nimirum aliquid credere sicut minus est quam scire; sic plus est quam opinari

et æstimare. Minus dico non quantum ad meritum, sed quantum ad cognitionem. Nisi enim credere aliquando quantum ad meritum plus esset quam vera videre, nequaquam visio subtraheretur ut fides mereretur. Nec dictum fuisset : *Beati qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* xx). Propterea dixi credere aliquando plus esse quam videre, sed quantum ad meritum non quantum ad gaudium. Alioquin quantum ad cumulum felicitatis et perfectionem veritatis plus est præsentem videre quam absentem credere, sicut et plus est fide stare quam opinione nutare. Recte igitur dictum est : « Fides est certitudo rerum absentium supra opinionem et infra scientiam constituta. » Quamvis etiam nonunquam ipsa quæ ex præsenti contemplatione nascitur certitudo, abusive fides appelletur. De illa autem quæ proprie appellatur fides, dictum est : « Nam si vides, non est fides. »

CAP. III. *Quæ sint illa in quibus fides constat.*

Duo sunt in quibus fides constat : cognitio et affectus, id est constantia vel firmitas credendi. In altero constat quia ipsa illud est; in altero constat quia ipsa in illo est. In affectu enim substantia fidei invenitur; in cognitione, materia. Aliud enim est fides qua creditur; et aliud quod fide creditur. In affectu invenitur fides; in cognitione id quod fide creditur. Propterea fides in affectu habet substantiam, quia affectus ipse fides est; in cognitione habet materiam, quia de illo et ad illud quod in cognitione est, fides est. Credere igitur in affectu est, quod vero creditur in cognitione est. Cognitionem autem hic intelligimus scientiam rerum non illam quæ ex præsentia ipsarum comprehenditur, sed illam quæ auditu solo percipitur, et ex verborum significatione manifestatur. Cum illud quod dicitur et ab illo qui audit, intelligitur, quod dicitur, etiam si nesciat utrum sit an non sit ita ut dicitur; scientia tamen est inquantum intelligit et scit quid est quod dicitur. Hæc autem scientia cognitio est, quæ sicut sine illa scientia esse non potest qua res esse vel non esse scitur, ita sine fide esse potest qua res esse vel non esse creditur. Ad hanc cognitionem si fides acceda ut credatur quod audiebatur et intelligebatur, est credulitas in cognitione, et invenitur in credulitate fidei substantia, in cognitionne materia. Potest autem cognitio hujus sine omni fide esse; fides autem sine omni cognitione esse non potest, quoniam qui audit aliquid et intelligit, non semper credit; qui autem nihil intelligit nihil credit, quamvis aliquando credere possit quod non intelligit. Nam et fides etiam est de fide qua creditur quod nescitur, quia scienti et credendi creditur. Ille enim qui creduntur credit, non inconvenienter credere dicitur quod ille credit cui credit; et si nesciat illud quid scit quod credit, et scit cui credit. Tales sunt simplices in sancta Ecclesia qui perfectioribus credentibus et cognoscentibus credunt, qui nimirum in sua simplicitate salvantur, nec ab illorum merito alieni sunt, quamvis ad cognitionem A illorum non pertingunt. Scriptum est : *Boves arabant et asinæ pascebantur juxta eos* (*Job.* I). Simplices quippe in sancta Ecclesia quamvis cum perfectis occulta sacramentorum Dei rimari non valeant; quia tamen se ab illorum societate non dividunt quasi juxta eos positi in eadem fide et spe bene operando se pascunt. Sic ergo fides aliquando cum cognitione est, quando scitur quod creditur; aliquando sine cognitione, quando scienti tantum et credendi creditur. Necesse est tamen semper aliquam cognitionem esse cum fide quæ ipsam fidem per intentionem dirigat; quia si nihil ex his quæ credenda sunt cognosceretur, non haberet fides quo se per intentionem in bono opere dirigeret, neque ad quid bene operando spem B suam excitaret. Sed aliud est in quibusdam cognitionem fide transcendere: aliud illa quæ nunquam ignoranda sunt credenda nescire. Illic meritum fides habet ubi etiam cognitione non discernit; hic quia a cognitione omnino destituitur cadit ipsa, et fides ejus desistit.

CAP. IV. *De incremendo fidei.*

Duo sunt secundum quæ fides crescere dicitur: cognitio et affectus, id est constantia vel firmitas credendi. Secundum cognitionem fides crescit, quando eruditur ad scientiam. Secundum affectum crescit, quando ad devotionem excitatur et roboratur ad constantiam. Quorumdam fides cognitione magna est; affectu parva. Quorumdam vero affectu C magna cognitione parva. Alii fidem et cognitione et affectu magnam habent. Alii et cognitione et affectu parvam. Verumtamen affectum magnum in fide magis laudabilem esse quam cognitionem magnam Dominus manifeste ostendit ubi fidem grano sinapis comparavit, quod quantitate quidem parvum est sed non fervore. Hunc mulieri Chananeæ parum quidem adhuc scienti sed multum confidenti, dictum est : *Mulier magna est fides tua (Matth.* xv). Illa namque apud Deum fides magna repudatur, quæ etsi minus vigeat scientia, per constantiam tamen foris ostenditur. Cum ergo fides cognitione crescit, adjuvatur, cum vero affectu crescit promeretur. Item secundum incrementum fidei, tria genera credentium inveniuntur. D Quidam enim fideles sunt qui sola pietate credere eligunt, quod tamen utrum sit credendum an non credendum sit ratione non comprehendunt. Alii ratione approbant quod fide credunt. Alii puritate cordis et munda conscientia interius jam gustare incipiunt quod fide credunt. In primis, sola pietas facit electionem; in secundis, ratio adjungit approbationem; in tertiis, puritas intelligentiæ apprehendit certudinem. Quartum genus hominum est quibus credere est, solum fidei non contradicere, qui consuetudine vivendi magis quam virtute credendi fideles nominantur. Solis enim transecuntibus intenti nunquam mentem ad futura cogitanda sublevant; et quamvis fidei Christianæ sacramenta cum cæteris fidelibus usu percipiunt, quare tamen Christianus sit homo vel quæ spes Chistiano sit in exspectatione bonorum futurorum

non attendunt. Hi, quamvis nomine fideles dicantur, re tamen et veritate longe sunt a fide. Tamen hujusmodi aliquando divina gratia visitantur; et ad sui considerationem excitantur, ut quare homo natus sit, an alia post hanc vitam sequatur inquirant; an præmia justis et peccatoribus tormenta reposita sint; et an post finem operis sequatur præmium justæ retributionis. Tali consideratione corde oborta, magno mox trepidationis motu de dubio vitæ mortalis conscientia ipsa concutitur; et quanto magis sibi erranti periculum imminere cernit, tanto magis ad cognitionem veritatis pervenire satagit. Considerat in hoc mundo tam diversas esse hominum existimationes, super his in quibus salus hominis constat. Pagani in plures unitatem divinitatis scindunt. Judæi creatorem confitentur, salvatorem non agnoscunt. Ef in his omnibus mens fluctuat; et nisi pietate in suo teneretur, fortasis abjecta veritate falsitatem sequeretur. Accedit ad hæc (Spiritu sancto suggerente) ratio, quoniam in multis dubilis si unum aliquid relinquitur ut unum aliud eligatur, dubietas non tollitur, sed mutatur. Accedit ad hanc alia ratio major, melius est confiteri unum principium quam multa; quia ubi multitudo est, aut pluralitas superflua est, aut unitas imperfecta. Adhuc amplius, melius est creatorem confiteri pariter et salvatorem quam creatorem solum, qui creatorem dicit majestatem confitetur; qui Salvatorem intelligit, pietatem veneratur. Et maximum bonum hominis est ut in Deo suo et majestatem inveniat quam oculo cordis contempletur; et humanitatem quam oculo carnis speculetur, ut totus homo in Deo beatificetur. His rationibus animus confortatus, ad ampliorem religionis divinæ devotionem excitatur; devotione autem mundatur et purificatur ut mundo corde jam quodammodo prægustare incipiat, id ad quod fide et devotione cognoscendum festinat. Ita munda conscientia invisibilibus documentis, et secreta et familiari visitatione de Deo suo quotidie eruditur et certificatur; in tantum ut jam quodammodo eum per contemplationem præsentem habere incipiat; et nulla jam ratione ab ejus fide et dilectione (etiam si totus mundus in miracula vertatur) avelli queat. Isti ergo sunt tres gradus promotionis fidei, quibus fides crescens ad perfectum concendit. Primus per pietatem eligere; secundus per rationem approbare; tertius per veritatem apprehendere.

Cap. V. *De iis quæ ad fidem pertinent.*

Quæritur etiam quæ res ad fidem pertineant, quas credere oportet eum qui fidelis jure nominatur. Nam fides illa qua aliquid creditur hoc modo ut qui credit fide illa, fidelis non dicatur; præsentis propositi non est. Sine enim etiam infideles non vivere manifestum est, ex hoc quod omnis homo in hac vita vivens, sicut habet quædam quæ per experientiam sentiat, ita quædam etiam habet quæ nec visa nec experta, sola fide credat. Fidem tamen quæ in Deum est nequaquam ha- A bere dicitur, nisi qui illa credit quæ credendo et amando homo Deum promeretur. Hæc sunt ergo quæ ad fidem pertinere dicuntur quæ credendo homo fidelis nominatur. Quæ vero ista sint si diligenter inquirimus, in duobus hæc principaliter constare invenimus. Sunt enim quædam duo, et hæc duo in uno sunt; et unum sunt hæc duo. Creator et salvator duo nomina sunt et res una; tamen aliud notat creator, aliud salvator. Creator quia fecit nos, salvator quia redemit nos. Primum non eramus et facti sumus; postea perieramus et redempti sumus, et ab uno utrumque factum est, ut bonum nostrum totum esset ab uno, et totum in uno, et unum. Creatori debemus quod sumus, salvatori quod reparati sumus. Hæc ergo B sunt duo quæ fidei proposita sunt credenda, creator et salvator, et quæ pertinent ad creatorem et quæ pertinent ad salvatorem similiter. Creator et quæ pertinent ad creatorem : hic est una pars fidei. Salvator et quæ pertinent ad salvatorem : hic est altera. In prima parte discernit fides inter Creatorem et opera sua; in secunda parte discernit fides inter Salvatorem et sacramenta sua. Ad Creatorem pertinent opera conditionis quæ sex diebus facta sunt. Ad Salvatorem pertinent opera restaurationis quæ complentur sex ætatibus. In prima parte ad fidem pertinet confiteri unum creatorem, et ab eo facta essse omnia quæ habent esse. In secunda parte ad fidem pertinet venerari unum salvatorem, et credere ab eo reparata esse perdita, qui- C bus datum est vel dandum beatum esse. In prima parte recta fides inter creatorem et creaturam ita discernere debet ut unicuique horum quod suum est tribuat; et vicissim alterius proprietatem in alterum non transfundat, id est nec creaturæ attribuat Creatoris majestatem; nec Creatori ascribat creaturæ infirmitatem, nec Deum concludat tempore, nec creaturam extendat æternitate. Ita fides si unicuique quod suum est tribuit, recte offert; si inter utrumque bene discernit recte dividit, et non peccat. Si vero in quolibet horum delinquitur, fides sane necesse est ut detrimentum patiatur. Nam illi qui creaturam pro Deo coluerunt gemino errore decepti, vel creaturam æternam, vel Deum temporalem esse crediderunt; quid D isti aliud dicendi sunt fecisse quam excellentiam factoris operi et infirmitatem facturæ tribuisse Creatori? Rursus philosophi gentilium quamvis inter Creatorem et opus ejus recte discernerent; nequaquam tamen fideles appellandi sunt, quia fidem de Salvatore non habuerunt. Sequuntur ergo deinde ea quæ in secunda parte posuimus, ubi primum in Salvatore agnoscimus redemptionem; in sacramentis ejus redemptionis præparationem. Prima pars fidei spectat ad debitum naturæ; secunda pars fidei spectat ad debitum gratiæ. Illa credere debemus, quia per naturam conditi sumus. Ista credere debemus, quia per gratiam reparati sumus.

—

CAP. VI. *An secundum mutationes temporum mutata sit fides.*

Sequuntur de hinc duo illa quæ in prima distinctione hujus tractationis proposuimus quinto et sexto loco post quatuor ista de quibus hactenus tractatum est prosequenda. Quorum unum est an secundum mutationem temporum ab initio fides credentium mutata sit ; sive una eademque fidei forma et in iis qui ab initio fuerunt et qui usque in finem credentes futuri sunt sanctis consistat. Alterum vero quid sit quod ab initio nihil minus unquam fides recta habere potuit, id est quid sit illud cui nihil unquam demi potuit, ut fides recta constaret,etiam si aliquid adjici potuit ut cresceret. Hæc duo ratione cohærent, et ideo indivise pertractari exposcunt. Nec levi consideratione in hujusmodi opus esse putemus, ubi tam multæ sunt existimationes et opiniones hominum et tam diversa fide de recta fide disputatur, nec parvum hoc esse periculum putandum est. Quomodo enim de iis quæ credenda sunt fide bene sentire possumus, si de ipsa fide male sentimus ? Propterea consideranda sunt diligenter singula quæ dicuntur, ut ea dicamus et sentiamus in quibus dum fidem rectam asserere nitimur sane fidei obviare non convincamur. Sunt homines qui quasi quadam pietate impii in Deum efficiuntur, et dum ultra id quod in veritate est sentiunt in ipsam veritatem offendunt. Hæc autem ignorantia multos parit errores, tam de bonitate quam de veritate. Dicunt alii bonitati divinæ non esse conveniens ut in opera sua crudelis esse dicatur, et ut aliquid ex his quæ fecit perire permittat qui nihil ad hoc fecit ut pereat.Ita dum se honorare putant bonitatem,offendunt veritatem.Qui enim pius fuit ut non existentia crearet, justus est ut errantia et delinquentia judicet.

Alii dicunt ad justitiam hominis pertinere ut in hac vita sine pugna vivat, cum potius justus esse non possit si non pugnet. Neque enim ad justitiam hujus vitæ pertinet non tentari, sed a tentatione non superari, nec ut qui bonus est nunquam cadat ; sed, cum ceciderit ut resurgat. Similiter sunt qui dicunt fidelem non esse qui vel aliter credit quædam, quia per infirmitatem comprehendere non valet qualiter in ipsa veritate est, vel non omnia credit, quia per ignorantiam capere non potest quantum est. Et beatificandam putant hi fidem veram id multitudine cognitionis potius quam in magnitudine devotionis,cum pietas divina non attendat quanta cognitione credatur, sed magis quanta devotione id quod creditur, diligatur.

Hoc idcirco commemoramus, quia agnovimus quosdam esse minus discretos, qui humanæ possibilitatis mensuram nesciunt ; quia suam passibilitatem non attendunt, et si attendunt, majori stultitia existimant hoc omnes esse debere, quo se præ cæteris vident amplius aliquid accepisse. Affirmant fidelem nulla ratione esse dicendum, qui non magna quædam et multa et sublimia fidei sacramenta agnoverit ; et de majestate creatoris,et de humilitate Salvatoris quorumdam disputationem, profunditatem, rerum gestarum seriem memoria comprehenderit. Ipsam quoque divinitatis naturam rudibus animis, et vix ad ea quæ vident sufficientibus explicandam, et corpoream ab incorporea natura subtili quadam consideratione proponunt discernendam.

Sed illa quoque quæ de sacramentis redemptionis nostræ in nativitate, et passione, et resurrectione et ascensione Salvatoris nostri mundo jam manifestata sunt,omnibus ab initio mundi justis et fidelibus, tam majoribus quam minoribus, eadem cognitione patuisse ventura ; qua a nobis nunc cognoscuntur præterita. Alioquin non vere dicendum fidem horum omnium habuisse qui ista non agnoverunt. Ista autem omnia quæ in sacramento nostræ redemptionis completa sunt eos et credidisse et agnovisse non solum hac ratione probare se putat, quod quemadmodum nos modo ad illam redemptionem non pertineremus nisi hæc omnia jam et facta agnosceremus, et agnita crederemus ; sic quidem illi per hæc salvati non fuissent,nisi hæc omnia facienda agnovissent et agnita credidissent. Verum etiam quia aliquoties Scripturæ testantur, nullum ab initio sine fide Christi esse salvatum ; et beatus Augustinus de hoc ipso loquens sic ait : Eadem fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis : non Vetus testamentum quod in servitutem generat ; non lex quæ non sic est data ut possit vivificare, sed gratia Dei per Jesum Christum.Quia sicut non credimus Christum in carne venisse, sic illi venturum ; sicut nos mortuum,ita illi moriturum ; sicut nos resurrexisse, ita illi resurecturum ; et nos et illi venturum ad judicium vivorum et mortuorum.

Hæc si vera sunt (sicut ab illis existimantur, et sicut a propositis auctoritatibus affirmari videntur) aut in antiquis temporibus fuit perrara salus ; aut nimium numerosa perfectio, quorum quidem quodlibet sapere, discretionis terminos excedere est. Quod si videtur tolerabilius, imo etiam Deo dignius judicatur, ipsum replesse potius et ditasse sæcula illa multitudine perfectorum quam salvadorum tanta fuisse paucitate contentum,quatenus et salvi non pauci tunc fierent, et omnes nihilominus repleti Spiritu prophetico necdum revelata mysteria jam tunc penetrarent ; si, inquam, hoc recipitur benedicimus quidem Deum in donis suis, sed quid tempori gratiæ reservatum sit non videmus,nisi quod tempus gratiæ illud potius juxta scientiam hanc fuerit appellandum ; in quo tot et tantæ Dei populo divitiæ spiritus affluebant, ut illud prorsus incredibile felicitate cerneretur impletum, quod Moyses optabat cum diceret : *Quis dabit ut omnes prophetent* ? (*Num.* XI.) Quæso, quid simile attulit Evangelium ? Frustra gloriatur Paulus de primitiis spiritus quas putat cum suis coapostolis accepisse, cum nihil tale in diebus suis potuerit experiri. Denique aiebat : *Nunquid omnes prophetæ* ? (*I Cor.* XII) Frustra, inquam, gloriatur

de Evangelio suo, quia non ab homine, neque per A hominem illud acceperit; sed quasi speciali quadam prærogativa per revelationem Jesu Christi, cum et ante ipsum fuerit per spiritum etiam populis revelatum. Sed nec apostolus Petrus illud propheticum ad sua tempora retorqueret: *Effundam de Spiritu meo super filios et filias vestras: et praphetabunt filii vestri, et filiæ vestræ* (*Joel.* II; *Act.* II); si abundantior jam præcesserat transactis sæculis effusio spiritus. Aut certe propheta, vel potius in propheta Deus, si vere tempora illa apostolica cum hic diceret intuebatur, non plane effundam; sed subtraham magis de Spiritu meo dixisse debuerat. Quid enim? Si filiis Evangelii omnes veteres justos pares facimus in scientia, nunquid non et superiores omnes in B gratia, consequenter fateri necesse est? Utpote quos non lectio sicut nos aut prædicatio, sed ipsa unctio docuerit omnes de omnibus? Esto tamen, toleremus nos nostram injuriam, et apostoli quoque suam, ut et ipsi quoque minimi antiquorum justorum comparent in scientia, proferantur minores in gratia. Sed est sane quod ullo omnino pacto merito non ferimus, ut Dominus videlicet gloriæ sentiatur, vel falli unquam potuisse, vel fallere voluisse, et quidem ipse protestatus est: *Inter natos mulierum non surrexisse majorem Joanne Baptista* (*Matth.* II). Vide autem si non vere falsum fateri cogimur veritatis hoc testimonium; si tantum tribuamus veteribus, quantum nec Joanni vindicare valemus. Non C utique fit injuria Joanni si quis ignorasse creditur, aut dicitur: nimirum quod et ipse non diffitetur. Sed si quod præconi veritatis negamus, contra præconium veritatis alteri damus; non tantum injuria, sed blasphemia est, et plane contradicere non Joanni, sed veritati. Quid ergo? Amicus Sponsi dubitat et quærit: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* (*Ibid*) Et nos millibus hominum certitudinem de omnibus nostro mendacio confirmamus. Nec ipsos de se ita veteres sensisse, paucis advertere possumus. Moyses scribit Deum ad se loquentem dixisse sic: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* VI), subaudi sicut tibi. Ostendit ergo D se de Dei notitia plus aliquid præcedentibus patribus accepisse. David quoque supra doctores suos et seniores donum intelligentiæ sibi audacter præsumit ita dicens: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est* (*Psal.* CXVIII). Et rursum: *Supra senes intellexi* (*ibid.*). Sed et propheta Daniel: *Pertransibunt*, ait, *plurimi*, *et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII); ampliorem, scilicet notitiam promittens, et ipse posteris. Sed, ut ait etiam sanctus Gregorius, secundum incrementa temporum, crevit et scientia spiritualium Patrum; et quando viciniores adventui Salvatoris extiterunt, tanto mysterium salutis plenius perceperunt. Non est dubium quin his etiam qui præsentes fuerunt multo amplius contulerit rerum ipsarum exhibitio, atque præsentia exhibentis. Denique et audiunt: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (*Luc.* X). Item: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis* (*Joan.* XV). *Multi*, inquit, *reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis et non audierunt* (*Luc.* X). Quare? ut videlicet clarius largiusque perciperent quod vix tenuiter obscureque præsenserant. Alioqui quid opus erat foris videre carnem, et carnis audire sermones, si jam a Spiritu intus fuerant perfecte instructi de omnibus; præsertim cum Dominus dicat: *Caro non prodest quidquam; Spiritus est qui vivificat* (*Joan.* VI) Quod si prophetæ et qui illustriores videbantur in illo populo non omnes omnia aliquando æqualiter cognoscere valuerunt; sed alii plus, alii minus, prout spiritus dabat, dividens singulis prout volebat; idque absque præjudicio suæ sanctitatis atque perfectionis, quanto magis simpliciores quique justi sine detrimento salutis, salvationis tempus modum et ordinem nescire potuerunt, quam tamen certa spe et fide uti promissa fuerat firmissime tenuerunt. Quanti hodieque in populo Christiano vitæ æternæ sæculique futuri, quod indubitanter credunt et sperant, et ardenter desiderant; formam tamen ac statum ne cogitare quidem vel tenuiter norunt; ita ergo multi ante Salvatoris adventum, Deum omnipotentem tenentes et diligentes, suæ salutis gratuitum promissorem credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum redditorem, in hac fide et exspectatione salvati sunt; licet quando et qualiter et quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent. Nam et ipsis apostolis quos justos fuisse nemo est qui ambigat; præsente salvatore et regnum cœlorum manifesta jam luce prædicante, mysterium passionis in tantum adhuc ignotum fuisse atque occultum legitur, ut ipso Domino hoc aperte prædicante et prædicente, illi nec intelligere possent quæ dicebantur. Duo quoque illi discipuli quibus euntibus et dubitantibus in via Jesus apparuit; ad ipsius interrogationem pulsati, inter cætera dixisse referuntur: *Nos sperabamus quod ipse erat redempturus Israel* (*Luc.* XXIV). In quo aperte ostendunt quod redemptionem Israel per passionem Christi venturam non crediderant, qui in ipsa passione de redemptione desperabant. Propter quod et illis ibidem dicitur: *O stulti et tardi corde ad credendum. Nonne oportuit Christum pati et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam?* (*Ibid.*) Postremo quod est mysterium a sæculis absconditum; et ne forte putetur solis malis absconditum, subjecit novissimis temporibus sanctis revelatum. Si omnes hoc ab initio boni cognoverunt, quomodo vel mali hoc ignorare potuerunt, maxime cum ab ipsis bonis qui hoc percepissent, qui vere boni vel mali essent; quibus hoc revelandnm vel celandum foret discerni non potuisset. Atque in hunc modum consequens esse manifeste agnoscimus, ut si bonis omnibus hæc revelata confitemur, ma-

lis quoque non ignota fuisse non dubitemus. Porro si hoc stare debebit, quis non videat quam ineffabiliter priora illa tempora posterioribus sæculis præferenda sint, cum fides quæ hic foris solo auditu verborum percipitur, illic per contemplationem propheticæ aspirationis, intus ab omnibus plena et manifesta veritatis luce legeretur? Quid fides nostra comparatione fidei illorum, nisi, ut ita dicam, non fides, sed opinio quædam dicenda est? quos in tantum certiores agnoscimus fuisse de futuro quam nos de præterito: quoniam illi quod in re non viderunt, agnoverunt per spiritum: nos quod non videmus, auditu solo percipimus per verbum. Quod si verum est, quis non videat quod adventus Christi non solum illuminationem fidelibus non attulit, sed certiorem et meliorem agnitionem abstulit? Quocirca rectam fidem consulentes, commodiora saluti et propinquiora veritati confiteamur: et cognitionem eorum quæ ad fidem pertinent, sicut in uno eodemque tempore secundum capacitatem diversorum differentem agnoscimus, ita quoque per successionem temporum ab initio incrementis quibusdam auctam im ipsis fidelibus non dubitemus. Unam tamen et eamdem fuisse fidem præcedentium et subsequentium: in quibus tamen eadem cognitio non fuit, sic indubitanter confitemur, quemadmodum in his quos in nostris temporibus fideles cernimus eamdem fidem, et tamen non eamdem fidei cognitionem invenimus. Crevit itaque per tempora fides in omnibus, ut major esset, sed mutata non est, ut alia esset. Ante legem, Deus creator credebatur; et ab eo salus et redemptio exspectabatur, per quem vero et quomodo eadem salus implenda ac perficienda foret, exceptis paucis quibus hoc scire singalariter in munere datum erat: a cæteris etiam fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona redemptoris mittenda prædicebatur, et ventura exspectabatur. Quæ autem ipsa persona hæc foret homo, an angelus, an Deus nondum manifestabatur. Soli hoc cognoverunt, qui per spiritum singulariter ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifeste omnibus jam et prædicatur et creditur, et modus redemptionis et qualitas personæ redemptoris. Semper tamen in Ecclesia Dei ab initio fidem et cognitionem fuisse credimus incarnationis et passionis Christi; quia ab initio nunquam defuerunt, qui hoc cognoverunt. Alii salvabantur, quia horum perfectioni fide simplici jungebantur; et eos bene operando sequebantur.

Cap. VII. *Quid sit quo nihil minus unquam fides vera habere potuit.*

Hæc sunt quibus ab initio nihil minus unquam recta fides habere potuit. Credere videlicet unum esse Deum creatorem omnium, Dominum et rectorem universorum; ipsum quidem non esse mali auctorem, eorum tamen qui in malis suis ejus misericordiam quærerent vel exspectarent futurum redemptorem. Hæc simplicium fidei in initio suffecisse credimus, quibus, etsi nihil amplius additum est ad cognitionem, multum tamen colla-

A tum est ad devotionem. Isti quidem venturum in carne redemptorem, et in eadem carne moriturum, resurrecturum, et ascensurum; sive alia quædam quæ illis temporibus abscondita fuerunt, manifeste non cognoverunt. Et tamen fidem nativitatis et passionis, sive resurrectionis et ascensionis ejus, in hoc eos verissime habuisse dicimus; quia credentibus et scientibus hæc fide et devotione sub spe et exspectatione ejusdem redemptionis adhæserunt, quamvis modum ejusdem redemptionis suæ similiter non cognoverunt. Sic ergo intelligendum putamus quod dicit beatus Augustinus, quod eadem fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis; quia eamdem fidem mediatoris justi antiqui ha-

B buerunt pusilli cum magnis. Alii quidem quæ ventura erant, sicut ventura credentes et cognoscentes; alii vero non quidem cognoscentes, sed credendo et desiderando, cognoscentibus et credentibus adhærentes. Quod vero subjungit, quia sicut nos credimus in carne venisse, sic illi venturum, sicut nos mortuum, sic illi moriturum, etc.. vel non ad omnes referendum est, sed ad eos tantum quibus ventura hæc præscire singulariter datum est, ut omnes quidem eamdem fidem sed non eamdem fidei cognitionem habuisse dicantur; aut si de omnibus hoc dictum intelligitur, omnes qui futuram redemptionem crediderunt, hæc etiam in quibus redemptio constabat credidisse, non inconvenienter affirmantur. Inquan-

C tum enim ipsam quæ omnia hæc continebat redemptionem venturam crediderunt, hæc crediderunt, quamvis eamdem de ipsis omnes in credendo cognitionem non habuerunt. Hoc modo igitur sano intellectu dici potest omnes ab initio justos fidem Salvatoris habuisse, et omnes in fide redemptionis venturæ justificatos fuisse, quia eamdem redemptionem vel venturam crediderunt, vel credentibus et cognoscentibus crediderunt; et cum fide sacramenta ipsius redemptionis, quæ ab initio instituta sunt, ad sanctificationem susceperunt; et in ipsis eamdem redemptionem suam, quasi in umbra et figura portaverunt. Quod bene illi duo viri signaverunt, qui botrum in vecte suspensum, de terra promissionis ad filios Israel in desertum

D portaverunt. Botrus siquidem in vecte Christus in cruce est, cujus mysterium in sacramento duo populi portant. Qui præcesserunt, portaverunt quidem: sed non viderunt, quia præcedentes adventum ejus; sacramenta passionis ejus, omnes quidem per fidem portaverunt, sed non omnes per cognitionem, quod portaverunt intelligere meruerunt. Sequentes autem et portant et vident: quia fideles qui post adventum ejus in carne subsequuntur; sacramentum passionis ejus, et per fidem suscipiunt, et per revelatam jam cognitionem agnoscunt. Unde Beda in eamdem quæstionem: Unum, inquit, idemque Dominicæ crucis trophæum prius prophetæ et Moyses, quam apostoli noverant et prædicabant, sed prophetæ hoc aliquoties figuratis velatisque sermonibus; apostoli autem apostolorumque successores patefacta luce Evan-

gelii semper aperte prædicabant; ita ut nunc omnis populus Christianus scire et confiteri fidem, quam eo tempore pauci admodum, et perfectiores quique noverunt, quamvis omnis Dei populus etiam tunc ejusdem mysteria fidei in legalibus cæremoniis typice portaret.

Cap. VIII. *Recapitulatio supradictorum.*

Duo igitur sunt in quibus constat vera fides. Creator et redemptor. Unum tibi sine altero non sufficit. Utrumque agnosce, utrumque confitere. Si Creatorem credis agnocisque quod factus es; si redemptorem confiteris, agnoscis quod reparatus es. Unus est creator et redemptor. In suo te fecit, in tuo te refecit; et utrumque unus fecit. Si ipse te fecisset, et alter te refecisset; deberes illi quod factus es, et deberes alteri quod refectus es. Et sic esset divisa intentio tua et dilectio et obedientia tua; et non esses unius totus. Et de duobus illum plus diligeres, a quo plus haberes. Qui creavit te, dedit tibi esse; qui redemit te, dedit tibi beatum esse. Propterea ne plus a te diligeretur alter quidam redemptor, quam ipse creator, voluit ipse creator esse redemptor, et sustinuit tuam passionem ut emeret tuam dilectionem. Missus est naturalis filius pro adoptandis, quia sine ipso alieni introducendi non fuerant in hæreditatem. Venit sapientia, ut hostis non potestate, sed ratione vinceretur; et in his omnibus fides tua in uno constat, et ad unum et una, quia cum duo nominantur, unus significatur; quoniam unus creator est et redemptor. Creator ad naturam, salvator ad gratiam. In his duobus totum est et unum, hoc est in quo ab initio fides credentium una est, quamvis in eadem fide in aliis major, in aliis minor de istis cognitio fuerit, secundum diversitatem temporum, sicut uno et eodem tempore, in aliis major in aliis minor invenitur cognitio de his ipsis secundum capacitatem personarum. Quamvis ergo fides creverit, ut aliquando et in aliquibus major esset; non tamen mutata est, ut alia esset. Sed omnes fide una crediderunt unum, et omnes una fide justificati sunt, qui justificari meruerunt. *Sine fide enim*, ut ait Apostolus, *impossibile est placere Deo* (*Hebr.* xi). Et sicut dicit beatus Augustinus: Ubi fides non erat, bonum opus non erat.

Cap. IX. *De sacramento fidei et virtute.*

Sacramentum fidei dupliciter potest intelligi. Sacramentum enim fidei vel ipsa fides intelligitur quæ sacramentum est, vel sacramenta fidei intelliguntur quæ cum fide percipienda sunt, et ad sanctificationem fidelium præparata sunt. Nam et quædam sacramenta militaria dicuntur, quibus milites in sua conditione imperatori suo ad fidem conservandam obligantur; et infideles quoque sacramenta quædam habent, quæ sacramenta dicuntur, quamvis nec sacra sint, nec sacræ rei signa. Sed exsecrationes potius et abominationes: quibus non sacrantur homines, sed polluuntur. Tamen ad horum differentiam sacramenta fidei dicta intelligi possunt quæ a fidelibus tractantur, et cum fide ad sanctificationem suscipiuntur. Pri-

A mum ergo consideramus qua ratione ipsa fides sacramentum dicatur, vel cujus rei sacramentum esse intelligatur. Apostolus dicit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* xiii). Nunc scilicet quando per fidem videmus, videmus per speculum in ænigmate; tunc autem quando videbimus per contemplationem videbimus facie ad faciem. Quid est per speculum videre? Imaginem videre. Quid est facie ad faciem videre? Rem videre. Puta aliquem esse post te, vel supra te, aversus es ab illo, nec vides facie ad faciem, facie tua ad faciem illius. Aversa est enim facies tua ab illo: et si forte ille respicit ad te, non tamen tu similiter ad illum. Quandiu igitur sic eris, non poteris illum videre B facie ad facium. Exhibe speculum et pone ante te, statim videbis in eo imaginem illius, qui est ad dorsum tuum, vel supra verticem tuum, et dices: Video te. Quid vides? Jam aliquid vides sed imaginem solam. Vides illum sed in imagine sua nondum in facie sua. Nondum cognoscis sicut cognosceris; nondum vides, sicut videris. Videris in te, vides in imagine. Ille ad te respicit qui te videt; tu autem aversus es ab illo. Converte te ad illum, et pone faciem ad faciem; et videbis jam non imaginem, sed ipsam rem. Prius vidisti illum, sed in imagine sua: modo vides illum in facie sua. Tamen cum ipsam rem videre incipis, agnoscis quia aliquid similitudinis fuit illi quod visum est in imagine, ad id quod videtur in re. Quod videtur C in imagine sacramentum est: quod videtur in re, res sacramenti est. Quod ergo videmus nunc per speculum in ænigmate, sacramentum est ad illud quod videbimus facie ad faciem in manifesta contemplatione. Sed quod es ænigma, et quod est speculum in quo videtur imago donec ipsa res videri possit? Ænigma est Scriptura sacra. Quare? quia obscuram habet significationem. Speculum est cor tuum, si tamen mundum fuerit et extersum et clarificatum. Imago in speculo fides in corde tuo. Ipsa enim fides imago est, et sacramentum. Contemplatio autem futura, res et virtus sacramenti. Qui fidem non habent nihil vident; qui fidem habent jam aliquid videre incipiunt, sed imaginem solam. Si enim fidelis nihil videret, ex D fide illuminatio non esset, nec dicerentur illuminati fideles. Si autem jam ipsam rem viderent, et non amplius videndum aliquid exspectarent, non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem viderent. Ergo qui per fidem vident, imaginem vident; qui per contemplationem vident, rem vident. Qui fidem habent, sacramentum habent; qui contemplationem habent, rem habent. Fides ergo sacramentum est futuræ contemplationis; et ipsa contemplatio res et virtus sacramenti; et accipimus nunc interim sacramentum sanctificandi, ut perfecte sanctificati, rem ipsam capere possimus. Si ergo summum bonum hominis contemplatio creatoris sui merito creditur, non inconvenienter fides per quam absentem videre quodammodo incipit, initium boni, et principium restaurationis ejus memoratur. Quæ videlicet restauratio se-

cundum incrementa fidei crescit, dum homo per agnitionem amplius illuminatur, ut plenius agnoscat, et inflammatur per dilectionem, ut ardentius diligat. Sic ergo justus, quandiu in hoc corpore existens, peregrinatur a Domino, vivere habet ex fide, quemadmodum cum eductus de hoc ergastulo fuerit, et introductus, in gaudium Domini sui vivere habebit ex contemplatione. Sed mira Dei dispensatione agitur quod nunc malitia interim hostis antiqui ad persequendos et impugnandos fideles relaxatur, quatenus videlicet hoc A homini reputetur pro merito : si nunc per fidem ambulans, viam veritatis etiam impugnatus non deserat, qui prius visione præsentis Dei roboratus, sola persuatione prostratus erat. Ut autem in hoc prælio invictus stare possit, et bonum suum illæsum custodire, dantur ei at dictum est in sacramentis arma, quibus se muniat ; in operibus bonis tela quibus ostem posternat, ut scilicet fidei charitate et spe adjuncta, interius pariter roboretur et vivat.

PARS UNDECIMA.

DE NATURALI LEGE.

Cap. I. *De sacramentis naturalis legis.*

Post fidem de sacramentis fidei tractare debemus. Sacramenta ab initio ad restaurationem et curationem hominis instituta sunt; alia sub naturali lege, alia sub scripta lege, alia sub gratia. Et in his semper quæ tempore posteriora fuerunt, effectu gratiæ spiritualis digniora inveniuntur, Omnia enim illa superioris temporis sacramenta, sive sub naturali lege, sive sub scripta; signa quædam fuerunt et figuræ eorum quæ nunc sub gratia exhibita sunt sacramentorum. Et ideo effectum spiritualem quem suo tempore operabantur posita pro istis : illa virtute et sanctificatione operabantur, quam sumpserunt ab istis. Si quis igitur sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negaverit, non nihil recte sentire videretur.

Cap. II. *De prima differentia præcedentium et subsequentium sacramentorum.*

In hoc tamen dignitatem sequentium indubitanter præferimus, quod illa et visibilia et signa visibilium fuerunt ; ista vero cum sint ipsa quidem visibilia, tantummodo invisibilis gratiæ signa et sacramenta existunt. Ideo sacramenta gratiæ, primum per benedictionem virtutem in se sanctificationis suscipiunt, ac deinde quam continent in se sanctificationem conferunt, ut sint ex sanctificatione sanctificantia, atque hæc ex sua sibique cœlitus indita sanctificatione conferant, quod illa per hæc ex sola horum significatione conferre consueverant. Passio namque Salvatoris quæ primo loco sacramenta gratiæ ad effectum salutis sanctificat, mediantibus istis etiam illa prioris temporis sacramenta sanctificabat, ut eadem salus esset, et his qui recta fide signa futuorum in illis venerati sunt, et his qui effectum salutis in istis percipiunt.

Cap. III. *Alia differentia.*

Illud quoque inter ipsa primi temporis sacramenta quæ sub naturali lege erant, ea quæ vel B sub lege scripta, vel sub gratia instituta sunt sacramenta interesse perspicimus, quod illa voluntatis magis esse videntur, ista necessitatis. Illa ex voto celebrata, ista ex præcepto. Neque enim existimandum est illa prima naturalis legis sacramenta, sive decimas videlicet, sive sacrificia, sive oblationes ; ita homini ex necessitate indicta, ut qui ea non exsecutus fuisset, reatum prævaricationis incurreret, quemadmodum ille qui fideliter ea coleret meritum devotionis suæ inveniret. Nusquam enim legimus quod ante legem scriptam, Deus homini dixerit, qui decimas non dederit, qui sacrificia non obtulerit : sicut postea per legem dixit : *Masculus cujus caro præputii circumcisa non fuerit, peribit anima illa de* C *populo suo (Gen.* XVII). Et sicut sub gratia terribiliter intonuit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan.* III). Unde conjicimus quod sacramenta illa prima magis ad exercendam devotionem proposita fuerant, quam ad obtinendam salutem indicta. Nam qui nihil possidebat, unde decimas offerre debebat ? qui nihil habebat, quæ sacrificia et quas oblationes offerre poterat ? *Votum vovit Jacob Deo dicens : Si Dominus Deus meus fuerit mecum (Gen.* XVIII), etc. Ac deinde subjungit : *De universis quæ dederis mihi decimas et hostias pacificas offeram tibi (ibid).* Quod ergo ex voto se facturum spopondit, quod hoc ex necessitate mandati non deberet, patenter ostendit.

D

Cap. IV. *Quod homo a Deo instructus est ad decimas offerendas.*

Probabile tamen est omnino hominem ad hæc exercenda a principio a Deo instructum et eruditum fuisse, ut primi contemptus culpam subsequentis devotionis studio aboleret, et qui in semetipso contumax exstiterat, in suis postmodum obtemperare consuesceret. Unde enim homo rerum suarum decimam potius quam nonam vel

octavam, vel aliam quamque partem offerendam esse scire potuisset, nisi a Deo doctus fuisset? Ex quo conjicimus quod Deus quidem hominem a principio ad hæc exercenda consilio erudivit, sed præcepto non obligavit, donec postea inveniret illa, in quibus homo præcepti capax, obedientiam exhiberet, et prævaricationem cavere addisceret. Primum igitur ante legem parvulos consilio nutrivit. Postea sub exercitatos præcepto tentavit. Novissime sub gratia perfectos in libertate spiritus ambulare permittit. Ut igitur breviter supradicta ad memoriam revocemus, quæ sit differentia inter sacramenta Novi Testamenti, et illa quæ vel sub lege naturali, vel sub scripta lese sacramenta fuerunt attendenda consideremus.

Cap. V. *Prima differentia, secunda differentia tertia differentia.*

Prima igitur differentia quod sacramenta Novi Testamenti primo loco gratiæ spiritualis signa sunt; et ad ipsam gratiam sanctificandis conferendam infusa sibi benedictione principaliter instituta. Illa vero, signa horum tantum; et mediantibus his quorum signa fuerunt, ne sine salute essent, qui tempus redemptionis præcesserunt, gratiam in sustentationem contulerunt. Secunda differentia est quod qui in illis sacramentis imbuebantur antiqui justi; nondum adhuc regni cœlestis januam intrare potuerunt donec salvator per carnem assumptam cœlos ascendit, et omnibus in se credentibus ac se sequentibus viam aperuit. Tertia differentia est quod sacramenta naturalis legis non ex præcepto indicta videntur, sed ex concilio ad votum proposita; sacramenta vero scriptæ legis et gratiæ necessitatem quamdam exsecutionis inducere propterea quod non ex consilio tantum, sed ex præcepto esse instituta noscuntur.

Cap. VI. *Quare prima mutata sunt per secunda.*

Sed oboritur non contemnenda quæstio, quare videlicet si eumdum salutis effectum tam per præcedentia quam per subsequentia, gratia contulit; divina jussio ritum antiquorum per institutionem subsequentium abolevit. Nam si eadem virtus in illis sacramentis fuit, quid necesse erat, ut illa cessarent et ista succederent? Sed sciendum est quod divinæ dispensationis ordo et ratio hoc proposcit, ut sicut ab initio, procurrente tempore, magis ac magis adventus salvatoris appropinquavit; sic semper magis ac magis effectus salutis cresceret, et cognitio veritatis. Propter quod et ipsa signa salutis per successionem temporum; alia post alia mutari debuerunt, ut cum effectus gratiæ divinæ in salutem cresceret, simul quoque et ipsa sanctificatio in ipsis signis visibilibus evidentior appareret. Erat quippe idem salvator, eadem gratia, eadem fides, illic venturi, hic exhibiti. Sed quia ipse per quem salus dabatur, longe erat, ejusdem salutis signa obscura esse debuerunt. Postea vero paulatim ejus adventu appropinquante, oportebat ut eodem ordine, et fides in cognitione, et gratia in salute cresceret; et eadem gratia in sacramentis foris, et signis suis, evi-

A dentius se manifestaret. Quapropter primum per oblationem; et postea per circumcisionem, ad ultimum per baptismum, expiationis et justificationis sacramentum formari institutum est, quia ejusdem mundationis forma et similitudo, in oblatione quidem occulte invenitur, in circumcisione vero evidentius exprimitur, per baptismum autem manifeste declaratur. Primam namque institutionem accepit homo ut pro remediis salutis exterioris substantiæ partem offerret Deo, partem ad usum proprium retineret, quatenus in hoc facto disceret ea quæ intrinsecus bona erant Deo tribuere, quæ vero mala, sibi imputare. Denarius quippe (quoniam perfectus numerus est) signum est bonitatis et virtutis, quæ Deo tribuitur, et in B homine a Deo cognoscitur. Nonarius autem quia minus habet a perfecto habet perfectum et vitium, et corruptionem significat, quæ merito homini deputatur. Propterea igitur homo decimam dare Deo, nonam sibi retinere præcipitur, ut quod bonum est in se a Deo esse, quod vero malum est a se esse confiteatur. Sed hoc signum quasi de lege sumptum, magis docuit hominem quid esset, quam quid fieret. Igitur cum tempus advenisset quo veritas ipsa declarari debue at, datum est remedium per circumcisionis sacramentum, ubi dum de exteriori substatia hominis pars non quidem naturaliter superflua, sed ejus quod superfluum est figura, præcipitur; jam manifestius illa peccati circumcisio, quam in interiori homine gratia perC ficit, demonstratur. Quia autem circumcisio exteres sordes et enormitates quæ foris sunt resecat; ablutio autem interiores maculas emundat: convenienter jam manifestata veritate in adventu Christi cessare debuit circumcisio, ut illud sacramentum succederet quod perfectam hominis emundationem et interiorem animæ candorem, quem in ipso et per ipsum sacramentum adipiscitur, posset declarare. Amplius autem quia circumcisio quidem sordes aufert, sed dolores infert; ablutio vero inquinatos sine dolore emundat, idcirco priori populo in timore servienti, et sub lege laboranti, circumcisio ad emundationem data est; novo autem populo in gratia per charitatem ambulanti, ablutio. Videntur ergo prima illa sacraD menta quæ sub naturali lege præcesserunt, quasi quædam umbra veritatis; illa vero quæ postea sub scripta lege secuta sunt, quasi quædam imago vel figura veritatis; ista autem quæ sub gratia novissime consequuntur non jam umbra vel imago, sed corpus veritatis. In quibus salutis effectus, quoniam et perfecte eatur et videnter ostenditur, quasi spiritus in corpore viventi, exteriori motione proditur; sic in eis invisibilis gratiæ vita clarissime demonstratur. Prima ergo sacramenta umbra fuerunt; secunda imago; tertia corpus; post quæ quarto loco sequitur veritas spiritus. Hæc in præsenti, de sacramentis naturalis legis dicta sufficire putamus, quæ tunc quidem sicut superius jam commemoratum est, ita fidei justificanti juncta fuisse credimus, ut in eis esset exercitatio devotionis, non necessitas obtinendæ salutis. Sola

enim fide ex dilectione operante, illi tunc justificabantur, qui per gratiam ad participationem futuræ redemptionis servabantur. Sed quia de primis illis sacramentis quibus devotio fidelium tunc exercebatur, jam quædam pro tempore diximus etiam de operibus aliqua dicenda putamus.

CAP VII. *De tribus generibus operum.*

Tria sunt genera operum; quædam ita bona sunt: ut nunquam licite præteriri possint: quædam ita mala, ut nunquam licite possint committi: quædam autem media sunt, quæ pro tempore et loco agi possunt et prætermitti. Sola illa igitur quæ sic se habent ut nunquam licite fieri possint, lex naturalis prohibuit; illa vero quæ nunquam licite possunt prætermitti, sola præcepit, media omnia ad utrumlibet relinquens. De prohibendis unum præceptum in corde hominis scripsit. *Quod tibi non vis fieri, alii non feceris* (*Tob.* IV). De præcipiendis similiter, unum: *Quæcumque vultis ut vobis faciant homines et vos similiter facite illis* (*Matth.* VII); ut videlicet homo ex sui consideratione disceret qualem se erga proximum exhibere deberet. Sed postea cum lex subintraret et disciplinam vivendi arctiorem proponeret; ex his quæ media fuerant, quædam excepit; alia per præceptionem, alia per prohibitionem in alteram partem deflexit, ut, quemadmodum primo homini in paradiso Deus de concessione naturali unam pro præcepto disciplinæ prohibitionem exceperat, ita modo filiis ejus non in una veritate stantibus, sed per varios errores dissipatis; non unum de concessione naturali præceptum disciplinæ quasi probandis, sed quasi corrigendis et reparandis multa formaret, ut quanto magis se in mediis temperare discerent, tanto levius inconcessa cavere valerent. Illic multa concessa, pauca sunt prohibita; hic multa prohibita, pauca concessa. Illic dictum est homini, ut de ligno scientiæ boni et mali non comederet, non quia A lignum malum erat, sed quia obedientia probanda erat. Hic dictum est ut carnem cum sanguine non comederent, ut discerent horrere crudelitatem; carnem porcinam non ederent, ut detestarentur immunditiam; in bove et asino non ararent, ut prædicationi noxiam agnoscerent pigritiam et stultitiam; et cætera similia, quæ omnia media erant. Illa vero quæ sub lege naturali in duobus præceptis clausa fuerant, per scriptam legem postea septem illis, quæ in secunda tabula proposita sunt præceptis explicata sunt et distincta, ex quibus primum erat: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram* (*Exod.* XX). Secundum: *Non occides*; tertium: *Non mœchaberis*; quartum: B *Non furtum facies*; quintum: *Non falsum testimonium dices*; sextum: *Non concupisces uxorem proximi tui*; septimum: *Non concupisces rem proximi tui.* In quibus et hoc non negligenter prætereundum est, quod ex his septem unum solummodo secundum præceptionem datum est; sex reliqua secundum prohibitionem. Primum namque peccatum hominis fuit inobedientia; et idcirco vita ista quæ homini ad pœnitentiam conceditur, tota obedientia deputatur. Quia igitur homo in malis agendis ex propria concupiscentia in diversa distrahitur; in bonis agendis sola obedientiæ regula gubernatur. Ideo in malis cavendis quæ habet ex semetipso, et per semetipsum facere potest, erat sigilatim instruendus; ad bona vero agenda ad obedientiam solum- C modo revocandus, ut ubi per sententiam alius salubrius disceret quod in se agere debuisset. Cum enim jubetur homo patri et matri honorem deferre, non hoc ad carnales parentes solum referendum est, sed potius hoc ei præcipitur, ut qui Deum aliquando in præceptis suis contempsit, nunc propter Deum homini superiori obedientiam atque honorem exhibere non dedignetur.

PARS DUODECIMA.

DE LEGE SCRIPTA.

CAP. I. *De unione populi fidelis.*

Primus status ab Adam usque ad Abraham magis proprie determinatur. Quamvis enim per Moysen lex scripta data sit; ante Moysen tamen observantia legalis in circumcisione exordium sumpsit. Primum illud sæculum sub lege naturali, quasi in confusione quadam transierat; et qui in eo fideles exstiterant, quasi pauca quædam grana in humano genere dispersa, et ab invicem discreta, sola intus fide unita fuerant. Ut ergo ad interiorem unitatem commendandam exterior conderetur, et esset in manifesto forma fidei; ad quam ex dispersione sua qui vocandi fuerant invitarentur; D propositus est unus ad quem, in uno perficiendo qui assumendi postea fuerant, omnes colligerentur. Vocatus est Abraham unus ex multis; unitas principium unionis, ut ad sinum illus colligerentur quicumque post illum fide illi et devotione jungerentur. Vocatus est ergo ut exiret de terra sua, et recederet ab illis quibus unitus fuerat, nec conjungeretur illis ad quos ibat. Et data est illi forma quam transmitteret ad omnes ex ipso nascituros; et omnes in ipsa una forma unum futuros, ut cum fidelium numerus augeretur, unitas tamen fidei non multiplicaretur, ut primum in illius forma unum essent, qui ex ipso

nascerentur, postea et unum fierent qui in eadem fide ipsi sociarentur. Ex tunc ergo unitas populi Dei incœpit, et unitas conversationis fidelis, quæ primum signata est per sacramentum circumcisionis postea signanda per sacramentum baptismatis. Primum signaculum in carne sub quo uniendi erant,qui in carne unum erant Propterea circumcisio data non erat nisi semini Abrahæ, ut in carne signarentur qui in carne unirentur. Postquam autem ad hanc unitatem accesserunt qui secundum carnis generationem ex ipso non fuerunt, positum est signaculum unionis extra substantiam carnis, quia spiritu et fide unum facti sunt, qui unum carne non fuerunt.

Cap. II. *De circumcisione.*

Mandavit itaque Deus Abrahæ ut circumcideret pellem præputii sui ; ipsi in signum,posteris in exemplum, tantum ad priorem statum superaddens, quatenus per hoc signaculum populus Dei ab infidelibus discerneretur, quousque ille veniret qui non solum de filiis Abrahæ, sed de universis gentibus fideles colligeret ; ac per hoc, sicut dictum est, non jam per signaculum carnis in genere, sed per signaculum baptismatis secernerentur in sanctificatione. Sane quicunque interim non de semine Abrahæ fideles exstiterunt ; huic præceptioni subjecti non fuerunt. Neque circumcisionis (quæ soli semini Abrahæ indicta fuerat) suscipiendæ debito tenebantur, sed fide operante per dilectionem, sicut et prius sub lege naturali priusquam circumcisio instituta fuisset ; qui justi fuerant sine circumcisione salvabantur. Modus autem circumcisionis talis erat. Præceptum fuit,ut puer masculus octavo die a nativitate sua circumcideretur in carne præputii sui (*Gen.* XVII). Et sunt qui addendum putant cultello de petra facto, quod tamen nulla alia auctoritate probant, nisi quod Sephora, uxor Moysi, territa ab angelo, auctam petram sumpsisse legitur, et ea præputium filii sui circumcidisse (*Exod.* IV). Et Josue, in terram promissionis ingressurus,secundo in populo Israel circumcisionis sacramentum cultris petrinis innovasse meratur (*Josue* V.) Sed illud in altero quidem ob festinationem magis et trepidationem ; in altero vero ob typum et significationem veri Jesu,quam per consuetudinem factum, non inconvenienter existimatur. Ut ostenderetur igitur sacramentum circumcisionis, non quemadmodum priora sacramenta ad voluntatem propositum, sed ex necessitate exsequendum, præceptum comminatione firmatur cum dicitur : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo* (*Gen.* XVII). Causa quoque subinfertur, cum dicitur : *Quia pactum meum irritum fecit*(*ibid*) Si ergo per pactum Dei irritum factum prævaricationem primorum parentum intelligimus, cum incircumcisus ob prævaricationem pacti periturus dicitur, manifeste datur intelligi saeramentum circumcisionis ad hoc institutum ut per ipsum homo a debito primæ prævaricationis liberaretur. Idem enim salutiferæ curationis auxilium circumcisio contra originale peccatum in lege cooperabatur quod nunc baptismus, excepto quod regni cœlestis januam primi patres intrare non poterant, propter quod necessaria fuit mors Christi quæ aditum vitæ patefaceret. Tres sane sunt circumcisiones : Una in carne tantum exterius, quæ sacramentum est. Duæ aliæ sunt quæ sunt res,et virtus sacramenti. Altera quæ fit in præsenti quando anima per depositionem corruptionis corpus circumcidetur ; altera quæ in futuro fiet,quando per depositionem corruptionis corpus circumcidetur. Prima igitur est in carne, secunda in mente, tertia in corpore. Octonarius vero in sacra Scriptura aliquando tempus resurrectionis significat quod post præsentem (quæ semptem diebus currit) vitam sequitur, aliquando tempus gratiæ, in quo quasi post Sabbatum legis, æterna bona servientibus Deo promittuntur. Merito igitur prima illa circumcisio quæ sacramentum erat illarum duarum ; jussa est fieri octavo die ut ostenderetur quod in tempore gratiæ corda circumcidenda erant, per emundationem iniquitatis, et in tempore resurrectionis corpora, per depositionem corruptionis. Propterea autem solis masculis data est circumcisio carnis ; quia sacra Scriptura per masculinum sexum animam, per muliebrem vero carnem significare solet, ut videlicet ostenderetur, quod illa exterior circumcisio animabus sanctificationem contulit, sed carni non abstulit corruptionem. Cultellus de petra factus, Christum significat. De quo dicit Apostolus : *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* X), de uno scriptum est : *Ecce agnus Dei,qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I.) In carne præputii jussa est fieri,quia ad remedium data est contra originale peccatum ; quod a parentibus contraximus, per illud membrum propagati. Porro feminæ in populo circumcisionis sola fide salvabantur, sacrificiis et oblationibus, aliisque legis cæremoniis purificatæ ; ipsam quoque circumcisionem fide suscipientes, et in eis qui carnem illam susceperunt, venerando participantes. Masculi qui morte præventi ad octavam diem pervenire non potuerunt,et ob hoc sine circumcisionis sacramento ab hac vita recesserunt, sola fide parentum cum oblationibus et sacrificiis intervenientibus non improbabiliter salvati existimantur, pro eo quod præceptum circumcisionis non nisi masculis ad octavum diem venientibus indictum esse videtur, ac per hoc prævaricationis reos non fuisse, qui contemptores præcepti non fuerant, quod datum non fuerat nisi pervenientibus ad diem octavum. Præcipue ne miserabilior hic sexus appareat ; et ei etiam præjudicetur in illo a quo alter sexus absolutus omnino fuisse comprobatur. Sed merito quæritur, an ii qui diem octavum negligentia sive contemptu parentum, sine sacramento circumcisienis transierunt ; postmodum eodem sacramento percepto salutis effectum consecuti sunt, cum præceptum divinum hoc sacramentum non nisi die octavo celebrandum indixerit. Et potest fortassis non irrationabiliter credi, quod si-

cut de gentibus ad ritum legis venientes, hoc sacramentum qualibet ætate ad salutem perceperunt ita etiam si qui sub lege tempore suo hoc non percepissent, ad salutem tamen et remedium eis operantum sit, si illud postmodum suscipiendo priorem negligentiam correxerunt. Sic igitur circumcisionis sacramentum semini Abrahæ sanctificando, et signando pariter datum est ; sanctificando, ut justificaretur : signando, ut a cæteris gentibus discerneretur, quatenus singularis maneret, et discreta generatio de qua Christus nasceretur. Unde consequenter colligitur probabile esse illi semini Abrahæ circumcisionem ex præcepto indictam, de qua Christus nasciturus erat, ut videlicet post Abraham Isaac, post Isaac Jacob, ac deinde duodecim tribus quæ de ipso Jacob exortæ sunt.Nam et Job secundum quosdam de Esau stirpe fuisse creditur,qui tamen circumcisus fuisse non legitur.

Cap. III. *De præparatione legis.*

Sacramentum circumcisionis ante legislationem datum est : et per ipsum quædam præparatio ad suscipiendam legem facta est. Quemadmodum enim nunc in Novo Testamento, primum homo unda baptismatis ablutus, signum et nomen professionis suæ accipit, ac deinde numero fidelium associatus, et præceptis divinis instructus ad complendam professionem suam accedit ; sic antiquus ille populus primum quidem per circumcisionem signatus est, postea per legem informatus.

Cap. IV. *De sacramentis legis scriptæ.*

Lex scripta tria continet : Præcepta, sacramenta, promissa. In præceptis est meritum, in promissis est præmium, in sacramentis est adjutorium. Per præcepta eundum fuerat ad promissa. Sed quia homo per se infirmus erat, venerunt sacramenta media, inter præcepta et promissa quæ illum adjuvarent, et ad præcepta perficienda et ad obtinenda. Sub promissa lege naturali pauca erant sacramenta, sub lege scripta utraque multiplicata sunt, et præcepta scilicet et sacramenta. Nam cum primum medicus Deus ad hominem ægrotum curandum accessisset, totum occupaverat morbus, quem totum reliquerat salus. Et apposuit in corpore generis humani in primis pauca antidota,et paucis membris, id est paucis personis, ut paulatim morbus deficeret et salus cresceret. Postea sub lege scripta, remedia plura contulit, et plures reparavit. Duo præcepta fuerunt sub lege naturali et tria sacramenta. Duo præcepta : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Tob.* IV). *Et quæcunque vultis ut vobis faciant homines*, eadem *et vos facite illis* (*Matth.* VII). Tria sacramenta : decimæ, oblationes, et sacrificia. Decimæ in portionibus, oblationes in rebus,sacrificia in animalibus. Sub lege scripta multa fuerunt præcepta, et multa sacramenta. Præcepta enim legis scriptæ, alis fuerunt mobilia, alia immobilia. Mobilia sunt quæ ex dispensatione ad tempus sunt ordinata. Immobilia sunt quæ a natura veniunt, et vel ita A mala sunt, ut nullo tempore sine culpa fieri possint, vel ita bona, ut nullo tempore possint sine culpa dimitti.

Cap. V. *De immobilibus præceptis*

Immobilia ergo sola lex naturalis habuit duobus præceptis comprehensa. In uno bona præcipiendo, in altero mala prohibendo. Hæc vero duo præcepta naturalis legis per legem scriptam latius explicata sunt et distincta, per septem illa præcepta quæ secunda tabula continebat. In quibus ostenditur qualem se exhibere debeat homo erga proximum, quemadmodum in tribus præcedentibus demonstratur, qualem se exhibere debeat homo erga Deum. Unde et prima tabula dicta est, quia excellentiora continet mandata, quæ B pertinent ad dilectionem Dei. Secunda autem quia inferioria et proxima post hæc præcepta continet quæ pertinent ad dilectionem proximi. Vel prima tabula dicitur, quia in ea continentur præcepta quæ insinuant fidem ; secunda quia in ea continentur præcepta quæ instruunt ad bonam operationem. In prima tabula tria sunt præcepta,quia quæ fide creditur Trinitas, est Deus. In secunda tabula septem sunt præcepta ; quia in præsenti vita (quæ septem tantum dierum circulo volvitur) officia humanitatis proximo exhibentur. Tria vero et septem denarium complent ; quia perfectum facit fides recta, et operatio bona. Primum præceptum primæ tabulæ ad Deum Patrem pertinet, sicut præceptum primum secundæ tabulæ ad hoC minem patrem, ut utrinque paternitas principii auctoritate honoretur. In prima tabula præceptio est et prohibitio, similiter in secunda, ut utrumque studeas et facere quod debes, et cavere quod non debes. In altero namque si offendis, delictum est. In altero vero si offendis, peccatum est. Facere enim non facienda peccatum est, facienda autem non facere, delictum.

Cap. VI. *De tribus præceptis primæ tabulæ.*

Audi Israel : *Deus tuus Deus unus est, ipsum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI). Non hoc totum de præcepto est quod dicitur, quia ante præceptum per admonitionem ad obedientiam auditoris animus præparatur. Audi, Israel, hic nota obedientiam Deus tuus, hic D nota gratiam ; Deus unus est, hic nota doctrinam, quasi diceretur : obedientiam exhibe, gratiam intellige, veritatem agnosce. Quod audis, hoc est obedientia quam exigeris ; quod Deus tuus, est gratia qua perveneris ; quod Deus unus, veritas qua illuminaris et perficeris. Deum tuum audi qui tibi misericordiam jam exhibuit, et necdum tamen a te servitium accepit, ut scias ab ipso esse utrumque ; scilicet quod a te exigit opus virtutis, et quod tibi promittit præmium retributionis. Audi Israel, hoc est, ausculta et acquiesce. Omnis enim virtus ab obedientia incipit, quemadmodum omne vitium ab inobedientia procedit. Frustra namque vel inobedienti gratia, vel contumaci doctrina, vel non intelligenti præceptum daretur. Idcirco primum dicit : Audi Israel,ut sis obediens ;

Deus tuus, ut devotus existas; Deus unus est,ut A veritatem agnosces. Deinde sequitur præceptum: Ipsum adorabis, hoc pertinet ad fidem; et ei soli servies, hoc pertinet ad operationem. Fides enim operans ex dilectione perfectum facit, quia nec opus sine fide, nec fides cui tempus suppetit accepta est sine opere. Propterea adora recte credendo, servi bene operando. Quæri autem potest an id quod dixit; ei soli ad utrumque referendum sit, ut dicatur: Ipsum solum adorabis, et ei soli servies. Sed hoc quomodo stare poterit, quia sæpe in Veteri Testamento,sanctos viros non solum angelos adorasse,sed etiam homines legimus; nec tamen propterea alicubi reprehensos invenimus? Et in Novo etiam Apostolus fideles ad serviendum superioribus et prælatis summopere exhortatur. B Sciendum ergo est quod alio modo homines, alio modo Deus adorari præcipitur. Usu namque veteri superiores quique ab inferioribus odorari dicebantur, quando eis sive incurvatione genuum, sive capitis inclinatione ab his reverentia exhibebatur. Deum autem adorare, est ei totam mentem per humilitatem ac devotionem substernere, et ipsum principium ac finem omnis boni credere. Quod ei soli nos debere nemo est sanæ mentis qui ambigat. Unde ipse quoque per prophetam de se testatur dicens: *Honorem meum [gloriam meam]alteri non dabo,et gloriam[laudem]meam sculptilibus* (*Isai.* XLII). De servitute vero ad ipsum competenter intellegi potest,quia nimirum omnis ille rectissime soli Deo servire dicitur, qui C et secundum Deum homini superiori humiliter se subjicit; et ubi causa Dei impugnatur, fideliter contradicit. Qui cavet sollicite ne in sua servitute vel per timorem hominis contra Deum quid faciat, vel terrenæ retributionis lucrum in intentione, cœlesti præmio anteponat. Sed in Græco manifestior sententia expressa est. Græca namque locutio divinam servitutem ab humana proprio vocabulo distinguit, quod latinitas non habet. Ibi enim Dei servitus latria et humana dulia vocatur. Et ob hoc idolatræ vocati sunt, qui eam servitutem quam Deo debuerunt idolis exhibebant. Sed Latina lingua utramque sub eodem nomine servitutem comprehendit, et propterea obscurior significatio facta est cum dicitur. Ei soli D servies, quod in Græco ambiguum non est. Sed cum præceptum ad Patrem pertineat, quare dictum est: ei soli servies, quasi etiam Filio et Spiritui sancto serviendum non sit? Sed quod dictum est soli non excludit communionem Filii et Spiritus sancti, sed quidquid Deus non est. Pater autem et Filius et Spiritus sanctus unus Deus est, ipse solus adorandus est, eique soli et non alteri serviendum est, ea videlicet servitute quæ ei soli debita est. Nam et in Evangelio, cum dicitur: *Nemo novit Patrem nisi Filius* (*Matth.* XI), non utique Spiritus sanctus a Patris cognitione excluditur, cum ipse etiam profunda Dei, teste Apostolo, scrutetur (*I Cor.* II). Sed est ejusmodi loquendi genus, ut dicatur [*nemo*, nisi ille videlicet qui non est, hoc quod ille. His pro brevitate transcursis ad consequens mandatum discutiendum transeamus quod tale est: *non* assumas *nomen Dei tui in vanum* (*Exod.* XX; *Deut* V.) Hoc ad simplicem litteræ sensum taliter intelligi debet, ut nomen Dei homo in vanum non assumat, id est vel ad mendacium affirmandum vel ad idolum venerandum; scilicet ut neque idola nomine divino honoret, neque falsitati nomen divinum associet. Mystice autem nomen Dei assumere in vanum, est Filium Dei visibilem per humanitatem factum, creaturam existimare. In vanum quippe nomen Dei assunit, qui Flium Dei æternum ex tempore cœpisse credit. Nomen siquidem Patris Filius dicitur, quia in Filio; et per Filium Pater invisibilis manifestatur; non solum quando mundus per ipsum factus est; verum etiam quando per ipsum homo est redemptus. Sane qui Filium Dei hominem factum confitentur, nequaquam in vanum nomen Dei assumunt, quia quem credunt hominem per id quod assumpsit ex tempore; verum Deum agnoscunt, per id quod fuit ex æternitate. Potest adhuc aliter intelligi quod dictum est: Non assumas nomen Dei tui in vanum. In vanum namque nomen Dei assumunt, qui Filium Dei ad se missum,et pro sua salute incarnatum contemnunt.Quid est ergo dicere: Ne assumas nomen Dei tui in vanum, nisi sicut veneraris et adoras eum, propter hoc quod ab eo factus es; sic adora et venerare, propter hoc quod ab eo est redemptus quia non minus tibi contulit cum redemit, quam cum creavit. Ad eumdem spectat sensum, quod ipse Filius in Evangelio discipulis, et per discipulos omnibus in se credentibus dicit: *Creditis in Deum et in me credite* (*Joan.* XIV). Modesta quinem ut decuit pium nos admonens insinuatione, ut intelligamus eum non solum adorandum a nobis in sua divinitate qua condidit, sed in humanitate etiam qua redemit. Tertium præceptum est observa Sabbatum (*Exod* XX). Quatuor Sabbata commemorare videtur Scriptura. Primum illud in quo Deus perfectis operibus suis requievisse dicitur. Secundum illud quod filiis Israel carnaliter custodiendum mandatur. Tertium illud quod populo Dei servandum præcipitur. Quartum illud quod in promissione Sabbatum pro Sabbato suis Deus dilectoribus pollicetur. Duo igitur sunt Sabbata exterius unum Dei, et unum hominis; et duo interius unum Dei, et unum hominis. Sabbatum Dei quo exterius ab opere cessare dicitur, sacramentum est illius interioris Sabbati ejus, in quo ipsius æterna immortalis que æternitas inconcussa beatitudine perfruens,nullo unquam labore fatigatur. Sabbatum hominis quod ei visibiter exterius servandum præcipitur, sacramentum est interioris Sabbati,ubi mens sancta per bonam conscientiam a servitute peccati quiescens; in gaudio Spiritus sancti jucundatur. Hoc Sabbatum quisquis in præsenti vita servaverit, ut nullis consentiat malis, perveniet in futura vita, ad illud æternum Dei Sabbatum, ubi nulla sentiet mala. Sicut dic-

tum est : *Et erit Sabbatum pro Sabbato, mensis sis pro mense* (*Isa.* LXVI). Illud itaque præceptum specialiter ad Spiritus sancti personam referri videtur, cum dicitur : Observa Sabbatum, ut videlicet in præsenti eum suscipiamus, et custodiamus intra nos in gaudium bonæ conscientiæ, quatenus eum in futuro suscipere et possidere mereamur, in gaudium vitæ. Hæc igitur sunt præcepta tria primæ tabulæ. In quibus præcipue dilectio Dei commendatur, et tota Trinitas unus Deus æqualiter adoranda et colenda præcipitur.

CAP. VII. *De septem aliis præceptis quæ sunt secundæ tabulæ.*

Septem alia, secunda tabula continebat, quæ hominem ad dilectionem proximi instituunt ; et propterea septennario distinguuntur, quia in præsenti vita tantum quæ septem diebus volvitur : nostra charitas pietatis operibus exercetur erga proximum ; postea, consummatis operibus et finitis laboribus, per contemplationem pariter cum proximo beatificanda in Deum. Amor igitur proximi et temporalis est quandum pertinet ad exhibitionem operis, et æternus quantum pertinet ad effectum dilectionis. Primum præceptum secundæ tabulæ ad patrem pertinet hominem, sicut primum primæ tabulæ ad Patrem Deum. Utrobique patenitas præponitur, utrobique principii dignitate honoratur, quia secundum quemdam modum, sic habemus principium nascendi per generationem a patre homine, sicut principium existendi per conditionem accepimus a Deo Patre; et paternitas hominis sacramentum est et imago divinæ paternitatis, ut discat cor humanum in eo principio quod videt, quid debeat illi principio a quo est, et quod non videt. Sic ergo est dictum. *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sic tibi, et sis longævus super terram* (*Exod.* XX). Sicut superius dictum est in primo præcepto primæ tabulæ, ita et hoc non totum ad pr æceptionem pertinet quod propositum ; sed ibi quod præter præceptum erat præmissum est, hic subjunctum est: *Audi, Israel*: *Deus tuus unus est*(*Deut.* VI). Hoc totum ante præceptum præmittitur, ipsum præceptum postea subinfertur cum dicitur : *Ipsum adorabis, et ipsi soli servies* (*ibid.*). Hic præceptum præcedit : Honora patrem tuum et matrem tuam (*Exod.* XX.), deinde subjungit : ut bene tibi sit, et sis longævus super terram. Quid est ergo, quod ibi ante præceptum causa præcepti præmittitur ; hic post præceptum subinfertur, nisi quia Deus diligendus est propter seipsum, et homo propter Deum ? Nam et amor parentum, si ad solam carnem respixit, spirituale præmium non acquirit. Ex Deo igitur in nobis prius est, propter quod postea diligendus est a nobis, quia ejus gratia, nostra dilectio prævenitur, et nostra dilectio per ejus gratiam excitata subsequitur. In patribus autem carnis nostræ si ad id solum beneficium nostra dilectio tenditur, quo carnaliter ab his nostrum meritum prævenitur, quia ultra carnis affectum, et supra carnis intuitum non proficit, ad perfectionem præmii spiritualis non pertingit. Ergo propter vitam æternitatis, diligendus est auctor vitæ temporalis, ut scilicet non hoc diligatur, qui hanc ab illo, imo per illum, vitam accipimus, sed quia per hanc ad illam vitam intraturi sumus. Bene ergo cum dictum esset : Honora patrem et matrem, subjuncta est causa, ut bene tibi sit, et sis longæmus super terram, scilicet viventium, quia hoc diligere debemus in auctore vitæ hujus quod ab illo per hanc vitam ad futuram vitam initiati sumus. Et pulchre honoranti principium suum, longævitas promittitur, quia Deo per dilectionem adhærentes æternitatem promerentur. Sane quantum spectat ad sensum litteræ, duobus modis parentes nostros honoraræ debemus, et obediendo eis videlicet in omnibus (exceptis his in quibus dilectio Dei Patris offenditur) et eos quantum facultas nostra suppetit, adjuvando. Sed et de patribus spiritalibus, id est prælatis nostris idipsum intelligere nihil impedit, quibus obedientiam debemus quantum nostra habet possibilitas, et auxilium imo servitium, quantum suppetit facultas. Secundum præceptum secundæ tabulæ, *Non occides* (*ibid.*) Homicidium sit multis modis, manu, lingua, consensu. Manu fit cum quis alium actualiter vita privat, vel in locum mortis ubi vita privetur præcipitat, ut in carcerem, vel alium quemlibet talem locum. Lingua fit duobus modis, id est, præcipiendo vel suggerendo. Judæi quippe Christum occiderunt, dum ut occideretur, judici suggesserunt. Consensu similiter duobus modis fit homicidium, vel dum mortem alteruis desideramus et cupimus, vel si dum eum a morte liberare possumus, vitam ejus negligimus, id est, adjutorium non impendimus.

Tertium præceptum secundæ tabulæ est : *Non mœchaberis* (*ibid.*), id est non fornicaberis. Fornicatio est omnis illicitus concubitus ; et est duplex fornicatio. Animæ, unde Propheta : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII.) Corporis, de qua hic agitur. Hoc enim præceptum et quædam alia, sub veteri lege tantum inchoata sunt, id est non plene, sed ex parte data, propter infirmitatem auditorum, quæ postea, adveniente gratia, consummata sunt. Lex enim dicit : Non mœchaberis; corporalem tantum mœchiam prohibens. Christus dicit : *Quicunque viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V) ; omnem illicitam concupiscentiam tam animæ quam corporis contradicens.

Quartum præceptum est : *Non furtum facies* (*Exod.* XX.) Furtum accipitur in hoc loco pro qualibet illicita usurpatione rei alienæ, sive occulta sive manifesta. Qui enim furtum prohibuit, rapinam non concessit, cum sit majus peccatum (ut testantur sancti) aperte et violenter rapere : quam occulte subtrahere, quia majus odium et iram excitat. Sub furto etiam comprehenditur usura.

Quintum præceptum secundæ tabulæ. *Non falsum testimonium dices* (*ibid*). Ut ergo melius liqueat, quid sit falsum testimonium, altius in-

cipiendum est, id est a mendacio. Aliud enim est simplex mendacium in falso testimonio, aliud in perjurio, aliud in voto, dum aliquis vovet quod non soluit. De quibus omnibus dicendum est. Primum autem de simplici mendacio, qua propter ponenda est descriptio mendacii, quidam mendacium sic diffiniendum putant. Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi, vel quæ præsentialiter adest, vel postea advenit. Nam si quis alteri promittens se aliquid daturum, habens voluntatem dandi cum promitteret, postea vero mutata voluntate dare nollet, mendacium esset, non quia in promissione cor duplex fuit, sed quia qui promisit postea cor duplicavit. Sic ergo intelligi potest quod dictum est. Mendacium est significatio falsa, id est oratio vel locutio per quam ille qui loquitur auditori falsum significare intendit, et putat. Nam, etsi ita sit ut dicit, mentitur tamen ille qui loquitur cum opinione et intentione fallendi. Jocosa mendacia, et ironiæ, et parabolæ mendacia non sunt; alioquin sancti reprehensisibiles invenirentur, quia in parabolis et ironis multa locuti sunt. Sed ipse Christus in parabolis loquebatur ad ipsas turbas, quas utique in sermone suo non assumpsisset, si ullum in eis mendacium constaret. Hoc tantum interest quod jocosa mendacia et si falsitatis reatum non incidunt levitatis tamen culpam non evadunt. Est adhuc aliud genus mendacii, cum aliquis quasi humilitatis causa mentiri videtur, utpote cum se peccatorem dicit, et tamen non ita sentit ut dicit de quo verissime dictum est, quia cum causa humilitatis quis mentitur, si antequam mentiretur peccator non erat; mentiendo efficitur quod non erat, quia qui peccatorem se dicit, et non ita credit, veritas in eo non est. Est aliud genus mendacii cum pro salute vel ita alterius conservanda aliquis mentitur, quod et ipsum nullo modo approbandum est. Male enim mentiendo vitam servat in alterius corpore, qui per mendacium veritatem exstinguit in suo corde. Potest tamen in hujusmodi aliquando veritas sine culpa celari, quando causa salutis nostræ sive utilitatis alienæ ratio exposcit. Longe enim aliud est, quod verum est tacere, atque aliud quod falsum est asserere. Ipsa enim veritas dicit: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI); quod utique non dixisset, si veritatem facere semper culpa esset. Falsum testimonium est cum quis alterius mendacio de veritate testimonium prehibet, qui non solum mentiendo reus efficitur, sed quia etiam ipsum mendacium contra veritatem patrocinari conatur; quod quidem se sciens fecerit damnabilis omnino malitia est; si autem ignorans, reprebensibilis negligentia. Non omne juramentum malum est, et tamen omne juramentum teste veritate a malo est. Qui enim verum jurat pro necessitate proximi, aut pro utilitate, cum scilicet is cui juraratur aut credere non potest propter ignorantiam, aut credere recusat propter malitiam; hujusmodi juramentum malum quidem non est illi qui jurat, quia ex necessitate contestatur veritati; et tamen a malo est illius cui jurat, hoc est, vel ex infirmitate si credere aliter non potest, vel si credere contemnit, ex perversitate. Qui autem sine causa jurat, etiam si verum jurat, non sine culpa est; aut quia pro levitate arguitur, aut pro contumacia condemnatur. Qui malum se facturum jurat peccat. In quo tamen melius esset juramentum frangere, quam adimplere, ita quidem ut et malum caveat quod juravit, et nihilominus culpam agnoscat, in eo quod male juravit. Perjurium est mendacium sacrosancta attestatione inducta confirmantum. Qui enim falsum jurat pejerat vel perjurat; in quo primum malum est culpa mendacii, cum id quod falsum est dicitur. Secundum autem quod ad tuendam falsitatem testimonium veritatis irreverenter usurpatur. Qui viderit alium falsum jurare volentem, particeps peccati efficitur si consentit: et si non quantum potest salva veritate ne malum perficiatur contradicendo et admonendo obsistit. Hic autem considerandum est quod peccatum fratris cum probare non possumus, publicare non debemus, ne forte videamur nolle proximum nostrum corrigere, sed magis infamare. Propterea admonitio peccantibus adhibenda est ubi negantibus testimonium convincens adduci non potest. Votum est voluntaria sponsio animi. Quisquis Deo votum vovet, reddere debet quod vovet, juxta illud Prophetæ: *Vovete et reddite Domino* (*Psal.* LXXV). Dicit autem Scriptura: Vota stultorum frangenda sunt (*Eccle.* V). Unde vota stultorum intelligimus omnia quæ vel mala sunt, vel si bona sunt ordinata tamen non sunt, et majus malum est quod est ex eis, quam bonum quod est in eis. Verbi gratia; Si mulier nolente viro aut vir nolente muliere voveret continentiam aut subjectus sine consilio et licentia prælati sui inordinatam proponeret abstinentiam, hujusmodi vota quia manifeste stulta essent; tenenda omnino non essent. Qui bonum quodcunque vovet si postea illud aut implere non potuerit, aut pro majori bono perficiendo implere noluerit; poterit secundum licentiam eorum quibus dispensatio in eum credita est, votum ejus aut laxari aut mutari, ita ut in ejus arbitrio non constet vel hoc dimittere quod faciendum vovit, vel aliud pro eo facere, etiam si majus est quod non vovit.

Sextum præceptum quod et nonum est: *Non concupices uxorem proximi tui (Exod.* XX). Septimum pæceptum quod et decimum est: *Non concupisces* rem *proximi tui* (*ibid*). Hic opponendum videtur contra hoc quod superius dictum est in eo præcepto quod superius datum est de fornicatione cavenda. Non mœchaberis, mœchiam tantum corporalem esse prohibitam; postea vero per id quod Christus in Evangelio dicit: Quicunque viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo; omnem tam corporalem quam spiritualem mœchiam esse interdictam. Quomodo enim Evangelium supplevit quod lex scripta prius, minus habuit, cum idipsum quod Evangelium adjecisse creditur, in

lege scriptum prius inveniatur ? Qui enim dixit : A Non mœchaberis corporalem mœchiam prohibens ; postea dixit : Non concupisces, spiritualem mœchiam omnino cavendam esse ostendens. Quid ergo nova lex supplevit, quod vetus minus habuit ? Lex corporalem mœchiam prohibuit, concupiscentiam prohibuit. Quid amplius habuit Evangelium, quod faceret ? Sed sciendum est quod vetus lex, quamvis concupiscentiam hominis a re aliena cohibuit, in propria tamen minime temperavit. Quia qui dixit : Non concupisces uxorem et rem proximi tui, mulierem et rem omnino concupiscendam non vetuit, sed ab aliena tantum appetitum cohibendum demonstravit. Nova autem lex et in propriis temperatum esse debere edocuit, ut omnem illicitam concupiscentiam excluderet. B Potest autem et alio intellectu convenienter dici veterem legem concupiscentiam uxoris sive rei alienæ non illam significasse, quæ sola voluntate agitur ; sed ambitionem et machinationem quæ studio quodam et ad nisu ad implendum desiderium et ad obtinendum id quod in desiderio est exterius opere exercetur. Nova autem lex non solum damnavit illicitam concupiscentiam foris in studio operis, sed intus quoque damnabilem esse ostendit in desiderio voluntatis.

Cap. VIII. *De ordine præceptorum Dei.*

Ordinem autem præceptorum Dei sine consideratione transire non opportet. Nam si ordo vivendi est, est utique et ordo præcipiendi. Primum ergo attende quod dicitur tibi, ut adores *Deum* C *tuum, et* servias *illi (Deut.* VI*)*. Hoc est primum præceptum. In adoratione agnosce fidem, in servitute intellige bonam operationem. Post hoc sequitur secundum præceptum ut *nomen Dei tui in vanum non* assumas (*Exod.* XX*)*, quatenus verbum veritatis in ore tuo sit propter veritatem, ut post fidem cordis, sequatur confessio oris. Primum devotio ad bonam conscientiam ; postea exemplum operis, ad bonam famam. Novissime verbum prædicationis ad doctrinam. Deinde sequitur tertium præceptam et dicitur tibi, ut Sabbatum observes ; boc est, mentis quietem custodias, ut non perturberis ex adversis foris occurrentibus pro veritate, sed discas esse pacificus, etiam inter eos qui pacem oderunt. Prædices veritatem, D et non omittas charitatem. Hæc sunt tria præcepta primæ tabulæ de iis quæ pertinent ad Deum.

Postea sequitur secunda tabula, de iis quæ spectant ad proximum. Primum præceptum est secundæ tabulæ in quo tibi præcipitur, ut honores principium tuum, ut vitam longævam habere possis (*Exod.* XX); quoniam qui non honorat eum a quo est, dignus est ut retinere non possit id quod est. Secundum præceptum est : *Non occides (ibid)*. Convenienter sane cui in præcedenti mandato vitæ longævitas promittitur, hic ne alienam vitam exstinguat prohibetur, ut hoc ex charitate Dei sit, quod principium suum honorans, ad vitam quæ finem nescit inhiat ; hoc vero ex charitate proximi quod ad vitæ alienæ finem nullo crudelitatis odio se relaxat. Deinde sequitur tertium præceptum : *Non mœchaberis* ; et quartum : *Non furtum facies (ibid).* Non mœchaberis, hoc pertinet ad vitam propriam. Non furtum facies, hoc pertinet ad vitam alienam. Supra enim jussus est homo et suam et alterius vitam conservare, hic jubetur et suam et alterius vitam non lædere. Justum enim est ut in via vitæ corruptionem caveat, qui in patria vitam incorruptam exspectat, et qui jam vitam proximi per apertam violentiam non opprimit, etiam per fraudem occultam in his quæ ad usum vivendi data sunt ei non noceat ; et non solum ipse per se non noceat ; sed neque nocentibus neque nocere volentibus, sua auctoritate vel attestatione fiduciam aut firmamentum præstare præsumat. Hoc enim in sequenti mandato prohibetur cum dicitur : *Non falsum testimonium dices* (*ibid.*). Et quia ab operere læsionis diu se cohibere non potest, qui mentem suam ab intentione et voluntate lædendi non cohibet, sequitur et dicit *Non concupisces uxorem proximi tui ; nec concupisces* rem *proximi tui (ibid)*. Hæc sunt decem præcepta, puæ primæ perfectionis viam, et semitam pandunt directionis. Prima enim perfectio per bonam operationem hominem in seipso dirigit. Secunda per charitatem proximi in latum expandit. Tertia per charitatem Dei in altum extollit, quia denarius primæ perfectionis lineam porrigit. Centenarius secundæ expandit latitudinem. Millenarius in altum summam tollit perfectionem. Hæc autem in præsenti, de expositione decem præceptorum legis dicta sufficiant.

Cap. IX. *De mobilibus et superadditis præceptis*

Sequitur aliud genus præceptorum quæ mobilia vocantur, quoniam naturalibus mandatis secundum dispensationem ad tempus superaddita sunt, sive pro exercitatione, sive significatione. Pro exercitatione quidem ut plurima essent in quibus erudiendorum obedientia probaretur, et devotio excoleretur. Pro significatione autem ut in eis futuræ veritatis signa præpararentur, et per ipsa quæ corporaliter agenda præcipiebantur, quæ spiritualiter agenda vel credenda erant demonstrarentur. Hæc autem omnia de mediis sumpta sunt ; hæc est de iis quæ in sua natura, nec ita bona erant ut inevitabiliter debuissent fieri ; nec ita mala ut omnino debuissent ex necessitate vitari. Omnia enim hæc quæ in hujusmodi mandatis proposita sunt quantum ad suam naturam talia fuerunt, quæ pro arbitrio agentis sine culpa possent fieri, et rursum sine culpa intermitti. Accedens autem mandatum hoc, quæ per se media erant et ad utrumlibet se habebant, sive præcipiendo, sive prohibendo in alteram partem deflexit ; ita ut jam ea quæ prohibita sunt sine culpa non possint fieri, neque rursum ea quæ præcepta sunt, possint omnino sine culpa dimitti. Quod tamen non natura rei facit : sed vis et obedientia mandati. Prohibuit lex ne caro cum sanguine comederetur ; non quia hoc quantum ad naturam rei malum erat, sed quia malum erat,

quod in isto significari debuerat. Quasi enim caro cum sanguine editur, quando quis in opere furoris et crudelitatis delectatur. Mandavit etiam eadem lex a carne porcina abstinendum ; opera scilicet immunditiæ vitanda significans. Ad hunc modum aliorum quoque animalium tam volucrum quam piscium et eorum quæ in terra versantur quædam ab esu humano excepit. Et multa alia quæ prima conditio noxia non fecerat secunda institutio per dispensationem quasi noxia vitare mandavit. Erant autem quædam alia de his mediis, quæ lex scripta magis per concessionem proposuit, quam per præceptionem vel prohibitionem quæ fortassis per se mala fuissent, si concessa non fuissent. Verbi gratia : Dicit lex ut si quis turpitudinem aliquam in sua uxore invenisset, et ob id illam odio haberet, scriberet ei libellum repudii, et sic eam dimitteret (*Deut.* XXIV) ; quia videlicet melius erat ut odio habita secundum voluntatem dimitteretur, quam contra voluntatem retenta occideretur. Dictum est etiam in lege : Juramentum tuum Deo offeras et Jurabis per Deum (*Deut.* VI, X) ; non quia videlicet jurare per Deum bonum est, sed idcirco imperfectis juramentum conceditur, ut facilius perjurium vitaretur. Simul ut etiam nomen Dei venerari discerent, cum illud frequentius in assertionem et testimonium dictorum suorum acciperent, et non cogerentur nomina falsorum deorum ad confirmanda juramenta sua assumere, quibus non solum permissum sed præceptum fuerat ; ita duntaxat si causa confirmandæ veritatis expostularet, nomen Domini ad testimonium invocare. Simile erat et hoc quod permissi sunt pro illata injuria, talionem reddere, ne forte vehementiori furore exardescentes majora illatis conarentur mala referre. multa sunt alia genera præceptorum quæ in lege scripta continentur, decentia quidem ad exteriorem conversationem, et simul apta ad spiritualem significationem. In his ergo omnibus, illam quam Apostolus posuit discretionem in elementis exordii sermonis Dei significatam notamus. Sunt enim tria hæc : elementa, exordia, sermo. In elementis sonus est, sed sensus non est unde nec exordium dicuntur, quia sensus in eis non incipit. Dictiones exordia sensuum sunt, unde et dictiones vocantur quasi jam aliquid dicentes, et primæ partes orationis, quia principium intelligentiæ ab eis oritur. In elementis ergo sonus est, et non sensus; in exordio sensus est, sed completus non est ; in sermone sensus est, et perfectus. Vide tria hæc in Scriptura Dei similia. Dixit Scriptura : Carnem cum sanguine non comedetis (*Levit.* VII ; *Deut.* XII) ; hoc est elementum. Subjunxit postea : *Non occides* (*Exod.* XX), hoc est exordium. Postea complevit etiam iram prohibens, hoc est sermo (*Matth.* V). Item dixit carnem porcinam non edendam (*Deut.* XIV), in hoc fuit elementum. Addidit post hoc : *Non mœchaberis* (*Exod.* XX), in hoc fuit exordium. Novissime apposuit : *Si quis viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V), etc. In hoc fuit sermonis completio. Præcepta igitur ad tempus, superaddita, elementa fuerunt. Præcepta decalogi, exordia. Præcepta Novi Testamenti, sermo. Prima ex institutione disciplinæ ; secunda ex veritate naturæ ; tertia ex perfectione gratiæ. Præcepta immobilia naturaliter priora sunt. Præcepta mobilia sicut dictum est, significatione præcedunt ; quia in eis primum bonitas formatur, quæ postea in illis inchoatur ; et novissime per gratiam consummatur. De præceptis superadditis et mobilibus quædam etiam nunc in tempore gratiæ pro exercitatione retenta sunt, sicut est observantia jejuniorum ; et alia quædam quæ cum superioribus temporibus fuerunt instituta, pro inde tamen ad præsentium instructionem sunt reservata ; et ea potissimum quæ ad spiritualis studii exercitationem spectant, tempore gratiæ reservantur : iis quæ ad carnales observantias pertinebant abolitis.

CAP X. *Quod tria sunt genera sacramentorum in lege.*

Tria genera sacramentorum inveniuntur fuisse sub lege scripta, quædam specialiter ad remedium, quædam vero ad obsequium, quædam ad cultum divinum. Prima pertinent ad peccatorum remissionem ; secunda ad exercendam devotionem ; tertia ad colendam pietatem.

Prima instituta fuerunt quasi ad necessitatem, ut in eis homo sanctificaretur, qualis circumcisio fuit, et hostiæ pro peccato et pro delicto et cætera ; quædam quæ sepcialiter ad emundationem et remissionem instituta fuerunt.

Secunda autem quasi ad exercitationem fuerunt proposita, ut in eis devotio fidelium exerceretur, et meritum augeretur : quales fuerunt hostiæ pacificorum, quæ offerebantur a fidelibus ad reconciliandam sibi gratiam divinam.

Tertia instituta fuerunt quasi ad præparationem quamdam, ut quasi instrumenta quædam essent ad cætera sacramenta tractanda et sanctificanda, quale fuit atrium et tabernaculum, et omnia utensilia quæ continebantur in eis ; nec non et sacra indumenta ministrantium, et cætera omnia quæ ad exornandum elementum divinum fuerunt instituta. Item sacramenta alia fuerunt quæ sanctificabantur ad emundationem ; alia quæ tractabantur ad devotionem ; tertia quæ exercebantur ad venerationem. Prima necessitatis ; secunda virtutis ; tertia laudationis. Prima suscipiebantur ad sanctificationem ; secunda tractabantur ad devotionem ; tertia exercebantur ad laudationem. Iterum sacramenta alia erant in rebus quibusdam sanctificatis, alia in sacrificiis et oblationibus, alia in ministeriis divinis. Sic res eadem multis modis ad evidentiam distingui potest. Sacrificium dicebatur, quando de animalibus fiebat immolatio. Oblatio vero aliarum quarumlibet rerum vocabatur. Sacrificiorum tria sunt genera : alia enim sunt holocausta, alia simplicia sacrificia, alia pacifica. Holocaustum vocabatur quod vel ex debito, vel sponte oblatum totum incendebatur. Sacrificium vocabatur quod pro debito institutionis oblatum partim cremaba-

tur partim reservabatur. Pacifica dicebantur quæ A sponte offerebantur, sive pro gratiarum actione, sive pro præcedentis voti adimpletione, sive pro voluntaria et spontanea devotione. Holocaustum aliquando fiebat de armentis, aliquando de pecoribus, aliquando de volatilibus. Oblatio aliquando de simila fiebat, quæ dicebatur sacrificium crudum : aliquando de clibano, aliquando de sartagine, aliquando de craticula, quod sacrificium coctum vocabatur. Sacrificia alia pro peccato erant : alia pro delecto ; pro peccato quidem, ut peccatum expiaretur ; pro delicto, ut expiaretur delictum. Peccatum est quando fit quod fieri non debet ; delictum est quando non fit quod fieri debet. Et in his quidem omnibus sacramenta constabant. Sciendum vero quod hæc omnia non talia sacramenta intelligere debemus, qualia superius sacramenta quæ proprie sacramenta dicuntur, esse debere definivimus ; sed in his et hujusmodi quædam ob hoc solummodo sacramenta vocata : quia sacrarum rerum signa fuerunt. Sic ergo aliud est sacramentum sanctificationem significans ; tantum, et sanctificatione sanctificans; aliud non sanctificans, sed significans, tantum. Et de sacramentis quidem scriptæ legis hactenus dixisse sufficiat : de promissionibus vero quas in tertia parte primæ distinctionis posuimus ; tractare propositi præsentis non fuit. Sunt igitur tria quæ lex scripta continebat : præcepta, sacramenta, promissa.

Explicit liber primus.

INCIPIT PROLOGUS SECUNDI LIBRI.

Magnæ sunt in Scripturis sacris spiritualium sensuum profunditates: sed quia non omnibus eadem intelligendi gratia data est, habet sacrum eloquium quædam in se quibus fidem simplicium pascit ; quæ quidem altioribus juncta unam veritatis regulam perficiunt. Propterea in sacri eloquii tractatione, non eadem intendendi forma ubique servanda est, quia altiora fidei sacramenta excellentiori sermone et digno sanctis reverenter tractanda sunt : minora autem sacramentorum divinorum instrumenta, pro capacitate simplicium humiliori locutionis genere explananda, ut constet quod scriptum est : *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus* (*Psal.* XLIV). Sicut enim sancta electorum Ecclesia morum bonorum ac virtutum varietate pulchre adornatur, ita sacra Scriptura unde ipsa Ecclesia sancta vivendi formam sumit, in suo sermone pulchra varietate contexitur ; in qua tamen varietas ipsa apta est, ut schisma non generet ; et diversitas concors, ut adversitatem non pariat. Neque enim in ea, magna modica despiciunt, neque rursus modica magnis associari indignata sunt, sed ornant se invicem in una veritate, quæ propter veritatem placent omnia. Nemo igitur miretur si post magna et inter magna fidei sacramenta, eorum quæ in suo ordine inferiora videntur mentio fit, quia se non obhorrent simul, quæ in veritate unum sunt. Nam ipse Deus humiliari dignatus est, ad humana descendens, ut hominem postmodum ad divina sublevaret.

LIBRI SECUNDI PARTES SUNT XVIII.

TABULA LIBRI SECUNDI.

CAPITULA SEPTIMÆ PARTIS.

CAPITULA PARTIS OCTAVÆ.

CAPITULA PARTIS NONÆ.

CAPITULA PARTIS DECIMÆ.

CAPITULA UNDECIMÆ PARTIS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

DE INCARTIONE VERBI ET TEMPORE GRATIÆ.

PARS PRIMA.

CAP. PRIMUM SEU PROLOGUS.

In superiori parte operis hujus conditionem omnium rerum a principio primo cum lapsu hominis et his quæ postea ad restaurationem ejus usque ad adventum Verbi præparata sunt, summatim deduxi, nunc ea quæ sequuntur usque ad finem et consummationem omnium, ordine contingere libet. Tempus gratiæ ab adventu Filii Dei in carnem exordium sumpsit, sicut scriptum est : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I). Gratia quippe Dei redemptio est generis humani ; quæ dum per adventum Christi perficitur, veritas promissionis Dei in exhibitione gratiæ ejus adimpletur.

CAP. II. *Quare Filius missus est potius quam Pater vel Spiritus sanctus.*

Ideo autem Filius missus est, non Pater aut Spiritus sanctus, quia conveniens non erat ut Pater ab alio mitteretur, qui non erat ab alio. Si enim ab alio mitteretur, ab alio venire haberet a quo mitteretur, et esset illi quasi quoddam principium ab illo a quo mitteretur. Propterea ergo Pater ab alio mitti habet, quia ab alio esse non habet. Missus est autem primum Filius qui a solo Patre est ; deinde etiam Spiritus sanctus qui est a Patre et Filio. Primum Filius venit ut homines liberarentur ; postea Spiritus sanctus venit, ut homines beatificarentur. Primum ille a malo liberavit, postea hic ad bona revocavit. Ille abstulit quod sustinebamus, hic reddidit quod perdideramus. Venit Filius naturalis missus a Patre, ut adoptandos in hæreditatem vocaret, et consensum suum in gratia adoptionis comprobaret. Neque enim sine consensu Filii, a Patre alieni in hæreditatem ducendi erant. Misit ergo Pater pro filiis, venit Filius pro fratribus ; quia in Patre et Filio paternitatis et filiationis nomen constat, ut filii nomen adoptandi perciperent, et per illum cujus erat, et ab illo a quo erat. Venit sapientia ut hostis ratione vinceretur ; et ut habitaculum suum ipsa vindicaret ; quod malitia possidebat. Qui enim astutia vicerat, justum fuit ut non fortitudine, sed prudentia vinceretur, ut in eodem in quo se victor erexerat, victus sterneretur. Factus est Filius Dei, Filius hominis, ut filios hominum, filios Dei faceret ; et ne filii nomen ad alteram transiret personam, et essent in Trinitate duo filii, et confunderetur Trinitatis discretio. Si enim Pater carnem assumpsisset, idem ipse et Pater et Filius esset. Pater Filii quem genuit ex æternitate ; et Filius matris a qua genitus esset ex tempore. Si autem Spiritus sanctus carnem assumpsisset ; duo filii in Trinitate essent. Alter Filius Patris sine matre ; alter filius matris sine patre. Ne ergo incommunicabile nomen divideretur, solus Filius carnem suscepit, ut unus et idem esset et Filius Dei et Filius hominis. Filius Dei

secundum divinitatem genitus a Patre; filius hominis secundum humanitatem natus ex matre.

CAP. III. *Quomodo solus Filius carnem suscepit.*

Sed forte erunt aliqui qui dicant: Si inseparabilia sunt opera Trinitatis, ergo quidquid facit Filius, facit Pater. Si autem omne quod Filius, facit et Pater; ergo si Filius carnem assumpsit, et Pater carnem assumpsit ; quia Filius sine Patre carnem assumere non potuit, si nihil sine Patre facere potuit. Sed hic primo considerandum est quod cum dicitur Filius facere omne quod Pater facit, de illa nimirum operatione intelligendum est, qua creaturam suam condit et regit et disponit conditor et opifex Deus. In qua operatione Pater et Filius et Spiritus sanctus. omnino separari non possunt; quia in divinitate una in qua et per quam operantur, unum sunt. Hæc autem idcirco de divina operatione distinguimus, ne quis contra id quod dictum est, omnia *quæ* facit *Pater, hæc et Filius facit* (*Joan.* v), oppenendum putet; quod Pater gignit, quod Filius non facit; et Filius gignitur quod Pater non facit. Si enim Filius sicut Pater gigneret, Pater esset ; et si Pater sicut Filius gigneretur, Filius esset. Itaque ne quis propterea quia Filius non gignit: quod Pater facit, existimaret Filium non facere quæcunque Pater facit; dicimus quod hoc de illa operatione intelligendum est, qua vel creaturam operatur, ut quod non erat, esse incipiat, vel in creatura operatur, ut quod factum est in eo quod factum est subsistat. Ibi enim tota Trinitas inseparabiliter operatur, ubi nec Pater a Filio, nec Filius a Patre, nec Spiritus sanctus ab utroque in operatione separatur. In opere quippe operatio proprie designatur. Nam in eo quod factum non est quod est Deus ; non facit ipse, sed tantum est. In eo autem quod factum est, ab illo utique factum est, a quo factum est, omne quod factum est. Hic ergo omnia quæ fecit Pater, et Filius facit similiter. In hac itaque operatione qua carnis assumptio invenitur, quomodo soli Filio conveniat, et non Patri ; non inconvenienter quæritur. Cum enim dicitur quod Filius carnem assumpsit, opus utique significatur quod Filius fecit; a quo opere si Pater excluditur, non omnia quæ facit Filius, Pater facit vel operatur. An forte quia dictum non est : Omnia quæ facit Filius, Pater facit ; sed : Quæcunque Pater facit. hæc et Filius facit; existimandum est omnia quidem Filium facere quæ Pater facit ; quædam autem Filium facere quæ Pater non facit ? Absit! Sed omnia quæ Pater facit Filius facit, et omnia quæ Filius facit, Pater facit; quia in eo quod deitate unum sunt, in operatione separari non possunt. Omne ergo quod Filius facit, Pater facit, quia in divinitate qua Filius est Patris, quia cum Patre unum est nihil facit sine operatione Patris. Fecit quædam in humanitate secundum quam Filius Patris non erat; quia illam nascendo, a Patre non acceperat, quæ propterea ad solam personam Filii referuntur, quia ea quæ in illa et secundum illa naturam fecit, quam cum Patre

A communem non habuit, sed solus ex tempore propriam singulariter accepit. Verumtamen omnia quæ in divinitate fecit, ideo solus non fecit; quia in divinitate solus non fuit, sed idem cum ipso fecit. qui cum ipso idem fuit. Si ergo Filius in divinitate humanitatem assumpsit, quomodo in eadem divinitate Pater idem cum ipso non fecit, qui cum ipso idem fuit ? An forte cum dicitur : Filius carnem assumpsit, ex vi occultæ relationis qua intelligitur, quia sibi univit : idem de Patre non dicitur, quia si idem diceretur, non idem sed aliud intelligeretur ? Si enim diceretur Pater carnem assumpsit, intelligeretur similiter quod Pater sibi carnem univit, quod jam idem non esset, sed aliud. Aliud quippe esset, si Patri caro unita di-

B ceretur quam cum Filio unita dicitur, quia sicut alius est in persona Pater, alius Filius, sic aliud dicitur cum Filius incarnatus dicitur, quam diceretur, si Pater incarnatus diceretur. Non igitur consequens est si Filius carnem assumpsit ; idcirco carnem assumpsisse et Patrem: sicut consequens non est, si Filius sibi carnem univit, carnem sibi unisse et Patrem. Consequens autem est, quod si Filius carnem sibi univit, eamdem carnem ipsi Filio, uniisse et Patrem ; quia, dum una utriusque operatio ostenditur, nec Filius sine Patre, nec Pater sine Filio operatus demonstratur. Si autem Pater carnem sibi induisset, et Filius sibi, non hoc idem esset, sed aliud; quoniam in eo ipso non eadem demonstraretur operatio, quod

C non ad eumdem utrinque facta probaretur relatio. Nunc autem assumptionem sive unionem carnis, et Pater operatus est, quia carne induit Filium ; et Filius operatus est, quia carne induit semetipsum, et fuit una unio, et operatio una. Propterea unio una, quia quod unitum est, uni unitum est. Propterea operatio una; quia quod factum est, in uno factum est. Tres operabantur et non tria, sed unum operabantur ; et quod fiebat et unius erat quantum ab illum solum factum est ; et trium erat, quantum ab illis factum est. Legitur in libro Judicum (*cap.* XIV), quod Manue uxorem accepit Samsoni filio suo, nec tamen uxorem accepit sibi qui filio uxorem accepit. Et postulat Filius Patrem, ut sibi uxorem accipiat, quasi per se solus

D hoc facere non possit, et nemo est qui argumentetur ut dicat: si Pater Filio uxorem accepit, ergo uxorem accepit Pater, et contendat uxoratum esse Patrem, quia Filio accepit uxorem. Quare ergo incarnatus ese dicatur Pater, quia Filio suo carnem univit, sicut ipse Filius incarnatus dicitur, quia sibi carnem copulavit? Sponsa quippe Verbi caro est, et assumpsit illam Verbum sibi, et Pater Verbi similiter Verbo suo univit eam, et operati sunt duo unum ; et fuit in uno operatio duorum una. Propterea ait : Quæcunque facit Pater, hæc et Filius facit similiter ; hæc, inquit, similiter et Filius facit. Quid est hæc ? non alia. Quid est similiter? non aliter. Non poterat unitas operationis perfectius demonstrari. Non alia ; non aliter ; eadem et eodem modo. Si eadem operaretur, et non eodem modo operaretur : operatio una non

esset, quia aliter esset. Si eodem modo operaretur, et non eadem operaretur operatio una non esset, quia illia esset. Nunc autem et eadem, et eodem modo operatur, ut nihil sit; aut aliud, aut aliter in operatione illius. Ostende mihi aliquid quod facit Pater si tamen quærendum est quid facit, qui totum facit. Pone tamen exempli causa unum aliquod ex omnibus quæ facit Pater, dico quod Filius hoc ipsum facit. Nec ita hoc ipsum dico, quasi simile illi, sed idem ipsum. Cum enim dico: Idem facio quod tu facis, quia forte domum ædifico, sicut tu ædificas domum, et cum alia sit domus tua quam tu ædificas, et alia domus mea quam ego ædifico; tamen idem me facere dico, quod tu facis, quoniam id quod facio ego secundum aliquid, simile est illi quod tu facis. Non sic intelligo cum dico, quod Filius hoc ipsum facit quod Pater facit. Si autem ergo domum ædificarem, et tu eamdem mecum ædificares domum, dico quod idem faceres quod ego; etiam verius unum, quia idipsum et non aliud: nec tamen vere adhuc unum, quia tu partem unam et ego alteram: tu instrumentis tuis, ego instrumentis meis; tu manibus et lacertis tuis, ego meis; denique tu viribus tuis, ego meis, et jam non vere unum, sed in alio et per alia. Nunquid sic dico, cum dico, quod Filius hoc ipsum facit quod Pater facit? Ergo alia est manus Filii et alia est manus Patris, aliud brachium Filii, et aliud brachium Patris, alia virtus Filii, et alia virtus Patris, cum ipse Filius et manus, et brachium, et virtus sit Patris. Sicut idem est quod homo manu facit, et quod manus hominis facit, et quod homo brachio facit, et quod brachium hominis facit, et quod homo fortitudine facit, et quod fortitudo hominis facit, sic idem est quod Pater facit, et quod Filius facit; quia omne quod Pater facit, per Filium facit. Si essentia una est, si natura una, si fortitudo una, si voluntas una, quomodo non est operatio una? Dicis quod hoc facit Pater, et ego dico quod hoc ipsum facit Filius. Hoc ipsum Pater, hoc ipsum Filius. Totum Pater, et totum Filius. Ipsum facere Patris, Filii est. Noli pensare quasi duas actiones, unam majorem, et unam minorem. Aut forte similis ponderis æquales duas. Unitas ibi est, nihil multiplices. Una est actio duorum, imo trium actio una, sicut deitas una, et in una actione tres non tres agentes sunt, sed unum agens, sicut in deitate una, tres, non tres dii sunt, sed unus Deus. Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres personæ sunt, sed tres dii non sunt, nec tres creatores, nec tres factores, quia in eo quod unum sunt dividi non possunt. Quæcunque ergo facit Pater, hæc et Filius facit similiter. Quid magis simile esse potest quam unitas? Quomodo potest dividi quod multiplicari non potest? Aut quomodo a se recedere potest, quod unum est? Ne ergo mireris si assumptionem carnis quæ ad solum Filium refertur, non solus Filius operatus est, sed cum Filio Pater etiam, et Spiritus sanctus. Neque idcirco tres incarnatos dixeris, quia incarnationem unius tres operati sunt, quia unitas naturæ inseparabilem fecit operationem, et proprietas personæ singularem assumptionem.

Cap. IV. *De discretione trium personarum in deitate una.*

Quia vero infirmitas humanæ intelligentiæ ad ea quæ credere jubetur comprehendenda non sufficit, sacri eloquii auctoritate interim fovenda est, non ratione humana discutienda. Qua propter ea quæ a sanctis Patribus de discretione trium personarum, in deitate una, secundum catholicæ veritatis firmitatem jam dicta sunt, in medium proferre libet, nihil de nostra adjicientes, utpote, qui nec sufficientes invenimur ad ea, quæ dicta sunt ab illis. Augustinus adversus impietatem Arii. Patres novum nomen Homousion condiderunt, sed non novam rem tali nomine signaverunt. Hoc enim vocatur Homousion, quod est *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X); unius videlicet ejusdemque substantiæ. Idem. Omnes catholici qui de Trinitate ante me scripserunt, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, unius ejusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate, divinam insinuant unitatem. Ideoque non sunt tres dii, sed unus est Deus, quamvis Pater Filium genuerit; et ideo Filius non sit qui Pater est. Filius a Patre genitus sit: et ideo Pater non sit qui Filius est. Spiritus quoque sanctus nec Pater sit, nec Filius; sed tantum Patris et Filii Spiritus, et Patri et Filio coæternus, ipse coæqualis; et ad Trinitatis pertinens unitatem, nec tamen eam Trinitatem natam de virgine Maria, sed tantum Filium. Nec eamdem Trinitatem descendisse in specie columbæ, sed tantum Spiritum sanctum. Nec eamdem dixisse de cœlo. *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III); sed tantum vocem Patris ad Filium fuisse, quamvis Pater et Filius et Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, sic inseparabiliter operantur. Nam quo intellectu homo Deum capit, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere nondum capit? Intelligamus autem Deum si possumus et quantum possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine ambitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat et nondum potest omnino invenire quid sit; pie tantum cavet quantum potest aliquid de illo sentire, quod non sit. Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur essentia, quam Græci οὐσίαν vocant.

Idem in libro contra Maximinum: nulla sit partium divisio in unitate Deitatis: unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, hoc est ipsa Trinitas unus est Deus. Tres enim personæ sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus; et hi tres quia unius substantiæ sunt, unum sunt et summe unum, ubi nulla naturarum; nulla est diversitas voluntatum. Si autem natura unum essent et consensione non: non summe unum essent. Si

vero natura dispares essent unum non essent. Hi ergo tres quia unum sunt, propter ineffabilem conjunctionem Deitatis quia ineffabiliter copulantur, unus Deus est. Sed Christus una persona est geminæ substantiæ, nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest; alioquin Filius Deus antequam susciperet formam servi non erat totus, et crevit cum homo divinitati ejus accessit. Quod si in una persona absurde dicitur quia pars illius rei esse non potest Deus, quanto magis Trinitatis esse pars non potest quicunque unus in tribus? In trinitate ergo quæ Deus est, Pater est Deus, et Filius est Deus, et Spiritus sanctus est Deus, et simul hi tres unus Deus. Nec hujus Trinitatis tertia pars est unus, nec major pars duo quam unus est ibi; nec majus aliquid sunt omnes quam singuli, quia spiritualis, non corporalis est magnitudo. *Qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX); qui non potest credat et oret, ut quod credit intelligat. Pater et Filius et Spiritus sanctus, et propter individuam deitatem unus est Deus, et propter uniuscujusque proprietatem tres personæ sunt, et propter singulorum perfectionem, partes unius Dei non sunt. Virtus est Pater, virtus est Filius, virtus est Spiritus sanctus. Idem libro de Trinitate. Si solus Filius intelligit sibi et Patri et Spiritui sancto, illud consequitur, ut Pater, non sit sapiens de seipso sed de Filio, nec sapientia sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse quam genuit. Ubi enim non est intelligentia, nec sapientia esse potest. Ac per hoc si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri: profecto Filius Patrem sapientem facit. Et si hoc est Deo esse quod sapere, et illa ea essentia est quæ sapientia, non Filius a Patre quod verum est, sed a Filio potius Pater habet essentiam, quod falsum est. Est ergo Deus Pater sapiens ea quæ ipse est sua sapientia, et Filius sapientia Patris, de sapientia quæ est Pater, de quo genitus est Filius. Quare et intelligens est Pater ea (quæ ipse est) sua intelligentia; Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus quæ est Pater. Idem. Non quoniam Deus Trinitas est ideo triplex putandus est, alioquin minor esset in singulis, quam in tribus pariter. In hac quoque Trinitate cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris: quia persona Patris non aliud est quam ipse Pater. Ad se quippe dicitur persona, non ad Filium, vel ad Spiritum sanctum sicut Deus et similia. Hoc enim solum nomen est quod cum dicatur de singulis ad se, pluraliter non singulariter accipiatur in summa. Dicimus namque quod Pater est persona, et Filius persona, et Spiritus sanctus persona. Pater tamen et Filius et Spiritus sanctus non una persona, sed tres. Verum cum dicimus tres personas unam essentiam, neque ut genus de speciebus, neque ut speciem de individuis prædicamus. Videtur posse dici ut tres homines una natura, sed plus sunt duo homines quam unus: sed non major est essentia Pater et Filius, quam solus Pater, aut solus Filius. Et tres illæ personæ, si ita dicendæ sunt, æquales

A sunt in singulis, quod *animalis homo non percipit* (*I Cor.* XXI). Cur ergo latinitas hoc ita inusitate posuit, nisi quia voluit hoc unum nomen servire huic significationi, quo intelligitur Trinitas, nec omnino taceremus quod tres, cum tres esse fateremus: quo nomine non diversitatem intelligi sed singularitatem voluit. Ita et illa tria et a se invicem determinari videntur, et in se infinita sunt, et ita singula sunt in singulis, et omnia in omnibus singulis, et singula in omnibus, et unum omnia. Idem: Denique si qua est Deo cum aliis alicujus nominis communio, valde procul dubio intelligenda est diversa significatio. Sed hoc potentiori ratione oportet ostendere. Si nullius accidentis susceptibilis est, quomodo dicitur justa

B vel sapiens vel aliquid hujusmodi divina natura? Sed certum est quod summa natura ideo vere est; quia per se est quidquid est, nihil autem justum est nisi per justitiam. Igitur si non est justa nisi per justitiam: et non potest esse justa nisi per se, quid consequentius quam ut eadem sit ipsa justitia per quam justa est? Quapropter si quæratur quid sit ipsa summa natura, quid rectius respondeatur quam justitia? Et cum creatura dicatur justa in eo quod quale est: eo quod habet justitiam, ipsa (scilicet divina justitia) non proprie dicitur, habens justitiam: sed existens justitia. Et ideo non in eo quod quale, sed in eo quod quid sit dicitur, nihilque in ea differt, sive dicatur justa sive justitia, quod vero in exemplum justitiæ

C ratum esse conspicitur: hoc de omnibus quæ similiter de summa natura dicuntur intellectus per rationem sentire constringitur. Quidquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis vel quanta; sed magis quid sit monstratur. Quidquid enim est quale vel quantum, est etiam in eo aliud quod est, unde non simplex, sed compositum est. Nam cum aliquis homo dicatur corpus et rationalis et homo, non uno modo vel una consideratione hæc tria dicuntur; secundum aliud enim corpus, et secundum aliud rationalis est, et singulum horum non est totum quod homo. Illa summa essentia, summa vita, summa justitia, summa sapientia, summa magnitudo, summa æternitas; et alia similiter quæcunque sint in vocabulis multiplicia; non

D plura significant, sed unum.

Idem: Neque persona Patris neque Spiritus sancti, sed sola Filii persona carnem suscepit, et ut hoc intelligas comparationibus utar, ut ex creatura creatorem intelligas. In anima est ratio: et cum sint unum, aliud anima agit aliud ratio: Anima vivimus, ratione sapimus: ita Pater et Filius et Spiritus sanctus, cum sit una substantia: tota Trinitas operata est hominem quem assumpsit, eumque non tota Trinitas assumpsit, sed sola persona Filii. Idem in libro quinto de Trinitate: Deo aliquid accidere non potest. Dicitur ad aliquid: sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod accidens non est, quia ille semper Pater, et ille semper Filius. Si vero Pater ad seipsum diceretur, secundum substantiam diceretur. Item, quamvis diversum sit esse Patrem et esse Filium,

non est tamen diversa substantia, quia hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum : quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile. Item, non secundum hoc quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri : restat ergo ut secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quidquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur. Restat ergo ut secundum substantiam sit æqualis. Eadem igitur utriusque substantia. Cum vero ingenitus dicitur Pater non quid sit, sed quid non sit dicitur. Cum autem relativum negatur: non secundum substantiam negatur, quia ipsum relativum non secundum substantiam dicitur. Idem : Quid tres ? Magna prorsus laborat inopia humanum eloquium. Dictum est tres personæ: non ut illud diceretur, sed ne taceretur. Idem : Trinitas nullo modo Filius potest dici. Idem: Fatendum est Patrem et Filium principium Spiritus sancti. Idem: Filius non tantum ut Filius, quod relative dicitur: sed omnino ut sit ipsa substantia nascendo habet. Idem: Cum conaretur humana inopia loquendo proferre quod tenet de Domino Deo, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. Idem : Ideo dicimus tres personas non ut aliqua intelligatur diversitas essentiæ, sed ut vel uno vocabulo responderi possit cum dicitur, quid tres, vel quid tria.

Hieronymus. Unum in tribus personis fatemur Deum, tres personas expressas sub proprietate distinguimus ; non nomina tantummodo, sed et nominum proprietates, id est personas : vel ut Græci exprimunt ὑποστάσεις id est subsistentias confitemur, nec Pater Filii aut Spiritus sancti personam, aliquando excludit : nec rursus Filius aut Spiritus sanctus, Patris nomen personamque recipit: sed Pater semper Pater est, Filius semper Filius est, Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Itaque substantia unum sunt : personis ac nominibus distinguuntur.

Ambrosius de Trinitate : Assertio nostræ fidei hæc est, ut unum Deum esse dicamus, non duos aut tres. Tres deos esse dicit qui divinitatem separat Trinitatis. Nos autem Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum esse confitemur, ita ut in Trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis et unitas potestatis. Deus enim unus est. Deus nomen est magnificentiæ, non potestatis. Si ergo unus Deus, unum nomen, una potestas, una Trinitas. Denique dicit : *Ite baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii). In nomine itaque, non in nominibus. Unum nomen est ubi est una substantia, una divinitas, una majestas. Hoc *nomen est in quo* oportet omnes *salvos fieri* (*Act.* iv). Idem : Ego et Pater unum sumus. Unum dixit ne fiat distinctio potestatis, sumus addidit, ut personas cognoscamus. Non enim Pater ipse qui Filius, sed ex Patre genitus Filius. Ex Deo Deus, ex pleno plenus Non sunt igitur hæc nuda nomina, sed virtutis indicia. Plenitudo divinitatis in Patre, plenitudo in Filio: sed non discrepans nec confusum quod unum est,

A nec multiplex quod indifferens. Quomodo Filius a Patre genitus sit, impossibile est scire, mens deficit, lingua silet, non hominum tantum, sed et angelorum. Supra angelos, supra cherubim, supra seraphim, supra omnem sensum: credere jubemur, non discutere permittimur. Aufer argumenta ubi fides quæritur. Credimus unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Patrem, eo quod habeat Filium; Filium eo quod Patrem ; et Spiritum sanctum eo quod sit ex Patre et Filio. Pater ergo principium divinitatis, qui sicut nunquam fuit non Deus, ita nunquam fuit non Pater. A Patre Filius natus: ab eo vero et a Filio procedit Spiritus sanctus. Pater æternus, eo quod habeat Filium æternum, cujus æternus sit Pater. Filius B æternus eo quod sit Patri et Spiritui sancto coæternus. Spiritus sanctus æternus, eo quod Patri et Filio sit coæternus. Non confusa, ut Sabellius dicit. Trinitas in una persona, neque separata, aut divisa in natura divinitatis, ut Arius blasphemat; sed alter in persona Pater, alter Filius, alter Spiritus sanctus ; unus in natura, in Trinitate, Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus.

Idem : Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum, ut qui erat in Deitate Patris Dei Filius, ipse fieret in homine hominis Filius, ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset nativitate Filius. Dei ergo nativitate Filius, hominis factus est Filius, natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius ; C et secundum veritatem naturæ ex homine hominis Filius, ut veritas geniti non adoptione nec appellatione, sed in utraque nativitate Filii nomen nascendo haberet ; et esset verus Deus et verus homo unus Filius.

Idem: Non ergo duos Christos, neque duos filios, sed Deum et hominem unum Filium, quem propterea unigenitum dicimus manentem in duabus substantiis, sicut ei naturæ veritas contulit non confusis naturis, neque immistis. Ita enim Filius assumpsit hominem, ut qui suscepit et quod suscepit una esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto, quaternitas facta est; sed Trinitas mansit ; assumptione illa ineffabiliter faciente, personæ unius in Deo et homine veritatem. D Quoniam non Deum tantum, nec hominem tantum dicimus Christum, sed Deum verum natum de Deo Patre, et verum hominem natum de homine matre. Nec ejus humanitatem qua minor est Patre, minuere aliquid ejus divinitati qua æqualis est Patri Hoc ergo utrumque unus est Christus qui et secundum Deum dixit : *Ego et Pater unum sumus*, et secundum hominem: *Pater major me est* (*Joan.* xiv). Ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei Filius ; et hic unigenitus, et propter Deum verbum quod illo suscepto Verbum caro factum est, ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona Verbum et homo.

Idem : Christus Jesus Dei Filius est, et Deus et homo. Deus, quia Dei Verbum ; homo, quia in unitate personæ, accessit Dei Verbo anima ratio-

nalis et caro. Et qui unicus Dei Filius est, est etiam Filius hominis, idem ipse. Utrumque, ex utroque, unus Christus, unus Dei Filius; non duo filii Deus et homo, sed unus Filius. Idem: Deus hominem assumpsit, homo in Deum transivit, non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione, ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam assumendo hominem, nec homo in divinam glorificatus in Deum; quia mutatio vel versibilitas naturæ, vel diminutionem vel abolitionem facit. Creditur a nobis sine confusione conjuncta Trinitas, sine separatione distincta.

Idem: Nihil creatum, aut serviens, in Trinitate credendum est; nihil inæquale, nihil gratiæ æquale; nihil anterius, posteriusve, nihil majus aut minus: nihil extraneum aut officiale alteri; nihil sibi invisibile, nihil creaturis visibile; nihil moribus vel voluntate diversum; nihil de Trinitatis essentia ad creaturaram naturum deductum; nihil officio singulare nec alteri communicabile; nihil confusum sed totum perfectum, quia totum ex uno, et unum, non tamen solitarium.

Idem: Homousion ergo idem in deitate Patris Filius; homousion Patri et Filio Spiritus sanctus; homousion Deo et homini unus Filius manens Deus in homine suo in gloria Patris desiderabilis videri ab angelis. Sicut Pater et Spiritus sanctus adoratur ab angelis et omni creatura; non homo propter Deum, vel Christus cum Deo, sed homo in Deum, et in homine Deus.

CAP. V. *Quod Verbum carnem assumpsit cum pœna sine culpa; cum mortalitate sine iniquitate.*

Multi quærant de carne illa quam verbum assumpsit qualiter a peccato munda fuerit, et qualiter sine peccato pœnam peccati portaverit. Et de eo quidem qualiter a peccato vel munda fuerit, vel mundata, quorumdam existimationem tacere non debemus, ne forte si non exponatur, non videatur, et si non videatur quod est, credatur quod non est. Quidam putant carnem illam quæ assumpta est a Verbo ita ab initio et in primo parente quando tota massa naturæ humanæ per peccatum corrupta est, a contagione et a corruptione peccati immunem fuisse custoditam; et ab ipso primo parente usque ad susceptionem sui a Verbo, liberam ab omni peccato; et mundam deductam, ut nunquam sub peccato fuerit, et ideo a peccato non liberatam, sed liberam. Aiunt enim quod illa pars naturæ humanæ sub peccato esse non debuit, per quam ipsa natura humana ubi obnoxia peccato fuerat, a peccato liberanda erat. Ad comprobandam eamdem existimationem adducunt illud quod apostolus: Cum novum sacerdotium veteri præferendum assereret, Melchisedech qui typum ipsius Christi ac novi sacerdotii gerebat, ab Abraham decimas accipisse ostendit (*Hebr.* VII), in qua decimatione etiam Levi a quo veteris sacerdotii ministros descendisse dubium non est, decimatum comprobavit; ac per hoc vetus sacerdotium quod in Levi decimas dedit inferius; novum autem quod in Melchisedech, qui forma Christi est, decimas accepit, superius et dignius existimandum. Ubi tamen Christum qui tunc secundum carnem similiter ut Levi in lumbis Abrahæ fuit decimatum non dicimus, ne simili ratione novum quoque sacerdotium quod in Christo est, ibidem decimas dedisse convincamur. Quomodo autem Levi qui secundum carnem in lumbis Patris tunc fuit, decimatus est; et Christus qui secundum carnem ibidem fuit decimatus non est, nullam causam aliam inveniri posse putant nisi quia caro Levi cum culpa ibi fuit, caro Christi non fuit. Atque ideo quod peccato obnoxium erat expiatione eguisse, quod autem mundum atque a peccato liberum erat, non eguisse. Tali ergo se ratione probare putant quod caro illa quæ a Verbo assumpta est, nunquam obnoxia peccato fuit; sed ab initio sive in eo a quo descendit, sive in iis per quos descendit, munda servata sit a peccato, ut aliquando esse posset hostia pro peccato. Sed catholicæ veritatis definitio Filium Dei (qui pro peccatoribus et de peccatoribus natus est) de carne obnoxia peccato, carnem assumpsisse asserit liberam a peccato, et ideo liberam; quia liberam. Ideo liberam, non quia sub illo nunquam fuerit, sed quia sub illo esse aliquando cessavit. Quando assumpta est, mundata est. Per eamdem quippe gratiam natura humana mundata est, ut Verbo Dei libera a peccato uniretur, per quam Christianus a peccato liberatur, ut eidem naturæ in Christo capite suo societur. Appareat itaque nobis, sicut dicit beatus Augustinus, gratia in Christo capite nostro, unde secundum unius cujusque mensuram se per cuncta membra ejus diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ; homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus; de ipso spiritu et hic renatus, de quo est ille natus. Eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum. Sic ergo factum est per gratiam, ut caro illa a peccato (sub quo ab origine sua erat) mundaretur; et mundata in illo (qui liber ab omni peccato in ea futurus erat) a peccato libera assumeretur, ut nec gratia corruptioni naturæ præjudicium faceret, nec corruptio naturæ gratiam impediret. Quomodo ergo, inquiunt, Christus in lumbis Abrahahæ decimatus non fuit, si caro ejus ibi peccato obnoxia fuit? Sed sciendum est quod, licet caro Christi sicut caro Levi adhuc in lumbis Abrahæ sub peccato fuit, tamen ipsum peccatum ejus non fuit, sub quo caro ejus fuit. Hoc enim solum ejus ibi fuit, quod inde futurum ejus fuit. Quapropter Levi illic, et naturam et culpam habuit; quia inde per propagationem originis, et naturam et culpam trahere debuit. Quia ergo Christus in lumbis Abrahæ solam naturam habuit: propterea quod ipsam solam inde accepturus fuit, procul dubio oblatione non eguit, quæ pro eo quod ejus solum ibi erat necessaria non fuit. Oblatio enim non pro natura, sed pro culpa offertur, qui si culpa non esset, natura oblatione opus non haberet. Sic ita-

que Levi in lumbis Abrahæ decimatus est, quia et naturam et culpam ibi habuit, quia et naturam et culpam inde accepturus fuit. Christus vero decimatus non est, qui propterea quod inde solam naturam accepturus erat, illam etiam tunc ibi culpam non habuit, cum ipsa quæ ejus futura erat sine culpa natura, in sua origine culpæ obnoxia non fuit.

CAP. VI *Quod Verbum cum carne rationalem animam assumpsit; et qualis fuit anima illa in sapientia et virtute et justitia et bonitate et merito.*

Quidam hæretici fuerunt qui putaverunt in Christo cum carne a Verbo rationalem animam assumptam non fuisse, sed solam carnem Verbo unitam; et ipsam divinitatem Verbi carnem loco animæ vivificasse, eamdemque divinitatem ab ipsa carne quando in cruce mortua est recessisse, rursumque ad ipsam quando resuscitata est, vivificandam, et resuscitandam rediisse. Sed Catholica fides habet totum quod hominis erat, præter culpam, Deum assumpsisse, quia nec aliter verus homo esse potuisset, nisi totum quod ad veritatem humanæ naturæ pertinebat, assumpsisset. Accepit ergo cum carne et in carne ipsa animam rationalem, quæ et carnem ipsam vegetaret, et sensificaret ad vitam, et secundum liberam voluntatem peccatum respueret et sectaretur justitiam. Cui et hoc ex societate divinitatis collatum est, ut spontanea quidem libertate bonum faceret, sed ad malum faciendum nulla prorsus necessitates vel infirmitate declinare potuisset. Dicit quippe beatus Augustinus: De Spiritu sancto ex virgine Maria, Dei Filius unicus natus est; non carnis cupidine, sed solo Dei munere. Libera in illo voluntas erat, ac tanto magis erat, quanto magis servire peccato non poterat. Multa autem quæruntur de illa anima rationali, e quibus unum est. Utrum videlicet æqualem cum divinitate habuit scientiam, de qua quæstione in alio opusculo quod de anima Christi titulum habet, prolixius disputavit. Hic vero hoc solum commemorare sufficit, quod eadem anima sicut plenam et perfectam Dei sapientiam unitam habuit, ita plene et perfecte ex ipsa et per ipsam sapientiam sapiens fuit nec tamen ipsi sapientiæ natura æqualis fuit, quia longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse. Ex quo enim humanitati divinitas conjuncta est; ex ipsa divinitate humanitas accepit per gratiam, totum quod divinitas habuit per naturam, ita ut secundum illam ineffabilem unionem; et Dei esset in humanitate sua totum quod humanitatis erat, et hominis esset in divinitate sua totum quod divinitatis erat. Sic ergo humanitatem Verbi in anima rationali a prima conceptione sua; ex ineffabili unione divinitatis plenam et perfectam sapientiam, et potentiam et virtutem et bonitatem accepisse credimus; et ipsam sicut in unione divinitatis inseparabiliter, sic in ipsa quæ ex unione divinitatis erat plenitudine virtutis incommutabiliter permansisse confitemur. Neque enim idcirco Deus homo inter homines conversari voluit, ut quasi per intervalla temporum sapientia aut virtute proficiens meritum sibi compararet, et seipso melior fieret; sed ut ea sapientia et bonitate quam ipse in divinitate sua plenam et perfectam semper habuit, et in humanitate sua plenam et perfectam semel et simul accepit, dispensationem salutis humanæ secundum ineffabilem ordinationem suam compleret. Quapropter id quod dicit Evangelista, quod *proficiebat Jesus ætate, sapientia, et gratia* (*Luc.* III), non ita accipitur quasi in semetipso melior factus, sed quia hominibus quam ipse habebat sed latebat sapientiam et gratiam, prout ratio temporum postulabat, magis semper ac magis aperuit. Ita apud homines ipse proficiebat, quando homines ipsi in ejus cognitione profecerunt. Apud Deum autem profecit in eo quod dum se sapientia et gratia Dei plenum ostenderet, eos ad laudem. Dei Patris, a quo hoc esse testabatur, magis semper ac magis provocavit. De merito etiam Christi prætereundum non est quod quidam minus considerate dicere solent, quod scilicet Christus homo aliter ad gloriam immortalitatis pervenire non potuisset, nisi prius per passionem merendo mortem sustinuisset. Non enim attendunt hi quia quod Deus homo mortalis fuit, non necessitatis erat; sed voluntatis. Nam si primus homo sine morte ad immortalitatem pervenire potuisset; si se ab inobedientiæ culpa custodire voluisset, quanto magis Christus homo qui non solum sine peccato homo justus, sed supra hominem Deus fuit, carni suæ quam ad consortium Deitatis conceptione sublimaverat, gloriam incorruptionis dare potuisset, etiam si illam ad tolerantiam passionis et mortis humiliare noluisset? Si enim Christus ad gloriam resurrectionis nisi moriendo pervenire non potuit, ergo pro se mortuus et Christus; et necesse habuit mori, ut vivere posset. Quid autem dicit? « Vado, inquit, immolari pro vobis. » Hic intendite: « Vado immolari pro vobis. » Quare non dicit Christus vado immolari pro vobis et pro me? Si enim pro nobis tantum mortuus est, ubi est quod dicitis mortuum pro se? Audite ergo: Christus dicit quod pro nobis mortuus est; et nos si dicimus quod pro semetipso mortuus est, beneficium negamus, quia gratias referre nolumus. Si pro se mortuus est, quid ei debemus? Ipse igitur sibi congratuletur. Pro se sustinuit, sibi recepit. An forte et sibi et nobis? Quare ergo tacuit sibi, et dixit vobis? An forte erubuit de necessitate, et gloriabatur de pietate? Ergo ipse erubuit manifestare; tu non erubescis improperare. Sed dicunt: Si Christus per tolerantiam passionis gloriam resurrectionis non meruit, quid est quod Apostolus dicit: *Christus factus* est pro nobis *obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philip.* II). Ecce manifeste dicit Apostolus, quia propterea per resurrectionis gloriam Christus meruit exaltari; quia prius per obedientiam passionis usque ad mortem non respuit humiliari. Si ergo propter

hoc exaltatis quia humiliatus; ergo exaltationis causa, humilatio fuit. Ergo in humiliatione meruit qui in exaltatione humiliationis præmium recepit. Si autem merendo ad gloriam pervenit, quomodo ad illam pervenire potuisset, si non meruisset? Sic ergo isti argumentando de propositione erroris ad conclusionem mendacii perveniunt. Fallit quippe eos quod meriti nomen non discernunt. Et propterea quia dicere non audent Christum nihil meruisse, ne forte ab eo facta apud Deum nullius virtutis aut pretii fuisse dicere videantur, dum cadere timent, præcipitant se asserentes quod Christus patiendo gloriam meruit, ita ut si passus non fuisset, illam nec habere potuisset nec debuisset. Si enim dicimus quod nihil meruit, consequens esse putant opera virtutis, aut justitiæ eum non fecisse. Si autem dicimus quod meruit, statim inferunt aliquid eum prius non debitum sibi operando obtinuisse, quod est dicere quod Christus aut bona opera non fecit; aut aliquid quod sibi prius non debebatur operando promeruit. Sed videte quam stulta sit ista assertio. Quid enim? Ergo Deus bonum opus facere non potest, quia nihil non debitum sibi promereri potest? Aut ideo operando non mereretur, quia ipsi debetur etiam si non operetur? Quando nobis beneficia impendit Deus, et dona munificentiæ largitur; nonne hæc ipsa faciendo a nobis pro beneficiis suis amari et laudari meretur? Aut quia meretur, ideo prius dignus non fuit aut minus fuit et opere temporali crevit meritum Dei, et melior seipso factus est Deus? Nunquid non melius est et multo melius, ut dicamus quod æterna bonitate quæ in ipso nunquam crevit (quia plena in ipso et perfecta semper fuit) plene semper et perfecte bonus fuit, et dignus laudari et amari? Et quando opus temporale facit, et nobis bene facit, amari et laudari a nobis meretur; et est meritum operis in illo æternum, quod nobis temporaliter exhibetur. Neque ideo modo non meretur quia prius dignus fuit, neque quia modo meretur prius dignus non fuit. Est ergo meritum in opere, quia quod fit opus est bonitatis, et ipsum meritum tamen cum opere et in operante non incipit, quoniam et ante exhibitionem operis, bonitas fuit operantis. Similiter Deus homo, qui sicut in divinitate sua ab æterno perfectam bonitatem habuit; imo ipse perfecta bonitas fuit, ita in humanitate sua a prima conceptione, plenam et perfectam bonitatem accepit; non tunc primum obedientiam patiendi et moriendi habere cœpit, quando pati et mori cœpit. Ecce concedimus quod Christus propterea exaltatus est a Patre, quia obediens factus est Patri. Ecce concedimus quod obedientia meritum est, exaltatio præmium. Quid ergo? Si obedientia meritum est, nonne ex quo obedientia cœpit, meritum cœpit? Factus est, inquit, obediens. Quis factus est? Christus. Secundum quid factus est? Secundum humanitatem. Secundum humanitatem factus est obediens, secundum divinitatem subesse non potuit in qua æqualis fuit. Alia Scriptura dicit: *Didicit ex his*

A *quæ passus est, obedientiam* (*Hebr.* v). Didicit quod nescivit. Quid nescivit? Obedientiam. Subesse nescivit; non potuit in eo quod æqualis erat esse inferior. Propterea didicit quod nescivit, quia id quod in excellentiam Deitatis expertus non fuit, per inferiorem naturam in usum assumpsit. Factus est obediens. Ex quo factus est homo, factus est obediens. Ex quo homo esse cœpit, subjectus esse cœpit. In quantum homo dignitate, in quantum bonus voluntate. Hic est meritum. Si voluntas semper perfecta fuit; et meritum semper perfectum fuit. Ex quo Deus cœpit esse homo, et homo cœpit esse Deus. Deus cœpit esse homo subjectus, et homo cœpit esse Deus perfectus. Si Deus humiliatus est quantum potuit in
B homine, homo sublimatus non est quantum potuit in Deo? si Deus in eo quod homo esse cœpit, passibilis et mortalis esse cœpit, et homo in eo quod Deus esse cœpit, justus et bonus et perfectus esse cœpit. Sicut enim Deus quando homo esse cœpit quod hominis erat accepit, sic et homo quando Deus esse cœpit quod era accepit Quapropter sicut Deus perfecta sapientia et potestas et bonitas est, ita homo ex quo Deus factus est, perfecte potens et sapiens et bonus in Deo factus est. An putas Christum hominem tunc primum plenam et perfectam potentiam divinitatis accepisse quando dicit: *Data est nihil omnis potestas in cœlo et in terra?* (*Matth.* XXVIII). Unde ergo prius dæmonibus imperavit, angelos minis-
C tros habuit, elementa ad nutum imperii sui inclinavit? An forte quia orantem legis quasi precibus obtinuisse putas quod prius ipse non potuit? *Pater*, inquit, *clarifica Filium tuum* [*nomen tuum*]. *Et ecce vox facta est de cœlo dicens*: *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII, XVII). Audistis Filium postulantem, Patrem annuentem. Putas quod precibus obtinuerit quod non obtinuisset si preces non fudisset? Audi quod sequitur: *Non propter me*, inquit, *facta est vox ista, sed propter vos* (*Joan.* XII). Si responsio propter me facta non est, nec postulatio propter me facta est. Sicut ergo responsionem Patris non accipio, ut me exauditum intelligam, sic nec preces Patri fundo, ut quod non possum obtineam. Ego enim
D totum possum. Totum quod Pater potest ego possum qui Filius sum Patris. Omnia enim quæ Pater facit, hæc et Filius facit similiter *(Joan* v). Ex quo enim ut Filius Dei Patris, essem homo accepi, totum quod Deus pater potest posse accepi. Videtis ergo quomodo Christus homo in eo quod Filius Dei fuit, et ex quo Filius Dei fuit, divinam sapientiam et potestatem et bonitatem habuit; et plene ac perfecte habuit, quia plene ac perfecte fuit. Aut ideo ab initio hoc non fuit, quia ab initio hoc non dixit? *Hæc*, inquit, *ab initio non dixi vobis* (*Joan* XVI). Ergo ab initio Christus homo esse ex quo homo cœpit Deus non fuit; quia ab initio ex quo homo esse cœpit, hoc non dixit? Diu fuit Christus homo inter homines, priusquam Deum se diceret vel probaret, et quando hoc dicere cœpit, cum magna modestia ac reverentia

hoc dixit : ne scandalizarentur, qui mirarentur, nec susciperent qui non caperent. Ideo reverenter se suggessit, non præcipitanter ingessit. *Quem*, inquit, *dicunt homines esse Filium hominis?* (*Matth*. xvi) Non prædicavit, sed interrogavit. Dici voluit, sed dicere noluit, ne non veritatem docere, sed gloriam quærere videretur. *Creditis in Deum et in me credite* (*Joan* xiv). Considera quomodo modeste se adjungit, quia sciebat extra intelligentiam hominis esse ut homo Deus crederetur. Propterea humanæ intelligentiæ adhuc subtus erat homo, neque in fide hominis adhuc ut Deus crederetur, ascenderat. Ideo dubitanti et amanti dixit : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan*. xx). Propter hoc ergo quia sciebat in conscientia humana se subtus esse, et ut æqualis crederetur eidem conscientiæ longinquum et extraneum esse, paulatim illam fovebat, ut ad veritatem assuefaceret, ut veritas illam illuminaret, non novitas scandalizaret. Sic ergo Christus homo inter homines conversando secundum dispensationem saluti humanæ congruum per temporum intervalla quod in se simul erat aperuit, et quod ipse ab initio plenum et perfectum habebat humanæ cognitioni per quosdam profectus revelationis se habere, magis ac magis prout oportebat ostendit.

Sed dicunt : Si in Christo homine ab initio ex obedientia suscipiendæ passionis meritum fuit, in hoc ipso jam constat quod, si passurus non fuisset ab initio, meritum obedientiæ patiendi habere non potuisset. Si enim futura passio non fuisset, obedientia patiendi nulla fuisset. Si obedientia non fuisset, meritum obedientiæ non fuisset. Sic itaque ad obtinendam gloriam incorruptionis inducere conantur necessitatem passionis. Sed minus considerant quia eadem bonitate qua se ad obedientiam passionis spontaneum exhibuit; quia pati voluit, justus et bonas et gloria dignus fuisset, etiam si pati noluisset; si enim pati voluisset ad patiendum obediens non fuisset, non tamen inobediens fuisset, quia voluntati Patris hoc nolens non contradixisset, quoniam hoc et ipse Pater noluisset. Nam sicut obediens fuit quia volenti volens consensit, ita procul dubio obediens fuisset, si nolenti hoc Patri idem et ipse nolens consensisset. Itaque semper obediens fuisset, etiam si passus non fuisset, neque merito ejus quidquam minueretur, etiam si ad passionem (quam non ex debito, sed ex dignatione suscepit) non humiliaretur. Unum tamen, inquiunt, est quod Christus per passionem obtinuit, quod utique habere non potuisset, si passus non fuisset. Patiendo quippe omnibus credentibus factus est exemplum passionis, sicut resurgendo omnibus patientibus forma glorificationis. Hoc ergo lucratus est patiendo, quod ipsum magistrum et doctorem sequuntur omnes qui bene patiuntur. Magnum quid lucratus est. Quid ipsi hoc prodest ? Præcedit, et omnes sequuntur. Cujus bonum est hoc? Errantes inveni, præcessi ut viam docerem, omnes secuti sunt. Mihil quid prodest ? Ego viam sciebam, per me incedere poteram; sed

A non erat causa pergendi, si compassio non esset subveniendi. *Stulti et tardi corde ad credendum, nonne opportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam ?* (*Luc*. xxiv.) Intendite : Oportuit itaque, inquit, pati Christum, et ita intrare in gloriam suam. Quid est ita ? Per passionem. Post passionem, glorificationem. Quid ? Ergo Christus non potuit intrare in gloriam, nisi transiret per pœnam? Quid est enim oportuit, nisi quia aliter non potuit ? Quomodo ergo suam, si oportuit ; et quomodo oportuit, si suam ? Si gloria ejus fuit quomodo ut ad illam intraret, pati oportuit ? Sed suam propter se, oportuit propter nos. Poterat quidem Christus si voluisset alia via intrare in gloriam suam ; et quomodo vellet illam B accepisse, quemadmodum si vellet nunquam caruisset, sed semper habuisset. Sed voluit propter nos per pœnam ire in gloriam suam, ut moriens timorem tolleret passionis ; resurgens redderet spem glorificationis. Hac via ire voluit, quia nos hac via ire debuimus, qui alia non potuimus. Nos volumus, sed non possumus. Ipse potuit, sed noluit; quia si aliter ivisset, pervenisset, sed non subvenisset. Qui ergo Christum in passione aliquid meruisse asserit, ita ut eadem passionne bonum aliquod ad commodum vel utilitatem vel gloriam suam eum obtinuisse contendat, quod juste habere non potuisset, si passus non fuisset, Christum plane in necessitatem passionis ducit, et pariter redemptionis gratiam quæ in morte ipC sius exhibita est imminuere, vel potius evacuare convincitur; qui causam passionis ejus non nostram, sed ipsias necessitatem fuisse probare conatur. Ergo Christus non meruit quasi sibi indebitum aliquid acquirens ; et tamen meruit opus virtutis dignum remuneratione perficiens. Neque enim ideo quia prius ipse dignus fuit opus; virtutis postea exhibitum remunerabile non fuit ; neque rursum quia pro opere virtutis remuneratus dicitur, prius etiam quam operaretur dignus fuisse negatur. Meruit ergo quantum ad virtutem operis, quia pro opere, remuneratione dignus fuit; nec tamen sic meruit quasi dignus non fuisset, etiam si operatus non fuisset. Pater familias laborat in vinea sua, et post cum ad refectionem D venit postulat cibum, bene se meruisse dicit quod accepturus est. Sed aliter mercenarius meretur aliter dominus. Mercenarius meretur quia ei non deberetur, si non operaretur, Dominus autem etiam si non operatur, panem suum manducat, quia suus est; et non opus habet si vult pro eo laborare, quia suus est et sine opere. Multa sunt quæ dici potuissent super his, sed hæc præsenti abbreviationis sufficiant. Novissimo quærant de anima illa rationali quam verbum cum carne in unitatem personæ assumpsit, utrum sicut eam ex ineffabili unione divinitatis perfectam sapientiam ; et virtutem et bonitatem accepisse dicimus ; ita quoque ab initio priusquam gloriam resurrectionis per immortalitatem carnis indueret ex eadem unione divinitatis, plenam quoque beatitudinem habuisse dicamus. Quod si concedimus, objiciunt, quod ani-

ma illa ante resurrectionem passiones et dolores A sustinuit; ac per hoc plena beatitudo esse non potuit, ubi pœna et dolor fuit. Sed non attendunt quod anima illa secundum aliud carni unita fuit, et secundum aliud divinitati. In eo quod carni unita fuit, vita carnis ipsa fuit. In eo autem quod divinitati unita fuit, vita ipsius divinitas fuit. In eo autem quod carni jungebatur, recedente anima ipsa caro moriebatur. In eo autem quod divinitati jungebatur, etiam a carne recedens ab ipsa divinitate non separabatur. Quæ igitur in sensu carnis ad tempus dolorem sustinuit, in societate Deitatis plenum et perfectum gaudium semper possedit. Ubi enim perfecte jungebatur, plene et perfecte beatificabatur. Ubi autem ad tempus minus habuit ex dispensatione, postea B suppletum est in glorificatione. Ita tamen ut quod in parte sublimiori habebat verum bonum, nec aliquando redderetur, quia nunquam fuit amissum; nec suppleretur, quia ex quo datum est, semper mansit perfectum.

CAP. VII. *De carne quam Verbum assumpsit, qualis fuit secundum passibilitatem; et sensum et affectum.*

De carne verbi hoc primum commemorare oportet quod illam ab ipsa conceptione, Spritus sancti operatione ita mundatam credimus, ut eam verbum ipsum liberam prorsus, et immunem ab omni peccato assumeret; pœna tamen peccati voluntate non necessitate assumentis remanente, ut, dum ista in Salvatore sine culpa pateretur, illa C quæ in salvandis pro culpa pœnæ obnoxia fuerat, liberaretur. De hac itaque pœna passibilitatis sive mortalitatis quærunt quidam, quomodo in carne Salvatoris erat. Sed facile est scire quomodo caro illa, quandiu in massa generis humani sub originali debito fuit, pœnam quoque prævaricationis qua totum tenebatur in toto ipso ex necessitate sustinuit. Postquam autem a toto ipso singulariter divisa est, ut nec in ipso esset, nec cum ipso in causa participaret, jam nihil pœnæ debuit, quia culpæ nil habuit. Itaque quantum in ipsa fuit, non debuit sustinere pænam, quando jam non habuit culpam. Poterat ergo juste Salvator in carne sua quam sine culpa assumpsit, pœnam quoque mortalitatis et passibilitatis infirmitatem non D assumpsisse, sed eam non solum supra id quod nos summus mortales, quia peccator non erat, sed supra id etiam quod primus homo ante peccatum fuit, quia probandus non erat a prima conceptione gloria immortalitatis induisse. Primus quippe homo quia probandus erat, talis esse debuit qui et peccare et non peccare potuisset, ut voluntatis non necessitatis esset utrumque. Neque enim vel obedienti meritum, vel non obedienti culpa esse potuisset nisi et obedientia et prævaricatio voluntaria fuisset. Itaque quia ad probationem utrinque voluntas ejus exspectabatur, ad utrumque ei possibilitas præstabatur. Quia vero peccandi et non peccandi possibilitatem habuit, oportebat ut et moriendi et non moriendi possibilitatem haberet. Si enim ex necessitate immortalitas fuisset, et prævaricator et peccator mori non potuisset, atque ita inobedientia pœnam debitam non haberet, nec se recognosceret aliquando peccator si mortuus intus, foris semper viveret. Item si ex necessitate mortalis fuisset, etiam in obedientia persistens, mori debuisset; et injuste sine culpa puniretur, si non peccans moreretur. Quapropter quia probandus erat, et utrum in obedientia persisteret exspectabatur, carne quoque illius et secundum aliquid mortalis erat; quia scilicet mori poterat; et secundum aliquid immortalis erat quia poterat non mori, quatenus ex eo quod mori poterat moreretur si peccaret, et ex eo similiter quod mori non poterat, non moreretur si in obedientia perseveraret. Christus autem homo quia perfectus a principio et probatus inventus est, ad perfectionem vel ad probationem exspectatus non est. Et idcirco sicut liberum arbitrium habuit, nec tamen ita ut peccare posset, ita quoque et immortalitatem quantum in se erat habere debuit, et ita ut mori omnino non posset. Unde constat quod Christo homini a principio non solum ea immortalitas debebatur, quam primus homo habuit ante prævaricationem; sed illa quoque quam nunc secundus habet post resurrectionem ut videlicet sicut ex consortio Deitatis spiritu confirmatus erat ad veritatem, ut peccare non posset, ita quoque ex merito virtutis carne confirmatus esset ad incorruptionem, ut mori non posset. Sed quia caro peccatrix a pœna peccati liberari non potuit, nisi caro ejus quæ sine peccato erat pateretur, infirmitatem passibilitatis et mortalitatis in carne assumpta retinuit potestate, sustinuit voluntate, non passus est necessitate. De sensu autem passionis in carne Christi, quidam male sensisse inveniuntur. Asserentes carnem illam in omnibus iis quæ in ea et circa eam exhibita sunt passionis genera; similitudinem quidem passionis et doloris suscepisse, sed nullum omnino dolorem aut passionem sustinuisse. Sed non attendunt quanta absurditas hujusmodi assertionem consequitur. Quomodo enim in Christo vera compassio fuit, si vera passio non fuit? Quomodo stabit quod dicit propheta : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit?* (*Isa.* LIII). Si Christus in cruce dolorem passus non fuit, quare tantopere calicem passionis transferri a se postulavit? Quid sibi voluit sanguis desudans augustiam imminentis mortis contestatus? Quid sibi voluit quod ipse Christus et infirmitatem secundum quam caro passionem timuit, et voluntatem secundum quam spiritus promptus fuit exponens, ait : *Spiritus quidem promptus est, cavo autem infirma? (Matth.* XXVI; *Marc.* XIV.) Isti ergo qui negant in Salvatore secundum infirmitatem carnis veram fuisse passionem, quantum in se est eam quæ per passionem Christi facta est, negare convincuntur redemptionem. Sunt alii qui non minori dementia de affectibus humanis in Christo (quos secundum veritatem naturæ cum humanitate et in humanitate suscepit) quædam non solum falsa, sed horrenda etiam blasphemare non timue-

runt. Quia enim Apostolus ait. *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia* (*Hebr.* IV); asserunt humanum affectum in Christo; motus etiam vitiorum sensisse, absque consensu tamen rationis, secundum eam concupiscendi infirmitatem qua nos qui peccatores sumus ex illa originali corruptione quam portamus, illicitos appetitus, et motus concupiscentiæ surgentis, et vitii tentantis delectationem etiam inviti sentire solemus. Hos autem motus idcirco Christum in carne sua voluntarie sustinuisse, ut quasi illi tentantibus resistendo victor existeret, quatenus et sibi tentationem vitiorum superando præmium justitiæ acquireret, et nobis in tentatione positis resistendi et vincendi in semetipso exemplum formaret. Sed absit a sensu Christiano ut ullam in illa carne sacrosancta agni immaculati inordinatæ delectationis et concupiscentiæ illicitæ titillationem aliquo modo fuisse, aut dicat, aut credat; quia si vel aliquam pravæ delectationis radicem aut motum concupiscendi inordinatum in illa fuisse diceremus, profecto ab omni vitio liberam negaremus. Quomodo autem vitium mundaret, si vitium portaret? Motus quippe inordinatus ex infirmitate concupiscendi, surgens cum ipsa tantum corruptione de qua oritur non solum pœna est, sed culpa; quæ tamen in baptizatis ad damnationem non imputatur: quia per gratiam novæ regenerationis excusatur. Sicut dicit Apostolus: *Jam nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu* (*Rom.* VIII). Hec tamen corruptio per gratiam sacramenti non quidem accipit ut culpa non sit, sed ut damnabilis non sit, quia si culpa omnino non esset, non haberet excusari, quia non deberet imputari. Quapropter illam infirmitatem humanæ naturæ quæ pœna est, solum cum susceptione carnis Christum assumpsisse veraciter dicimus; illam vero quæ sic pœna est ut etiam culpa sit, nullatenus admisisse indubitanter affirmamus. Neque enim sic victorem vitiorum dicere volumus, ut cum ipsa quæ vinceret vitia portasse aliquando ac sensisse dicamus. Propterea enim per solam pœnam infirmari consensit, ut eos qui et in culpa et in pœna ægrotabant: primum a culpa justificaret, postea a pœna liberaret.

CAP. VIII. *Quomodo intelligendum sit quod scriptum est: « Conceptus est de Spiritu sancto. »*

Cum sicut superius dictum est incarnationem Filii cum ipso Filio; Pater simul et Spiritus sanctus operatus sit, merito quæritur quare in Scriptura sacra singulariter de Spiritu sancto conceptus memoratur. Hæc quidem sicut et cætera quæ de ipso dicuntur humana intelligentia timide contingit; sed devotio fidei amplius præsumens secundum puram conscientiam fidenter inquirit. Quærendum itaque in primus est quomodo intelligi oporteat quod dictum est beatam Mariam de Spiritu sancto concepisse. Scimus namque et omnes jam frequentissimo usu naturæ didicimus, quod cum mulier a viro concepisse dicitur, non aliud nisi substantiam carnis ad generandam carnem per carnis coitum suscepisse memoratur. Et hæc quidem carnis substantia de carne viri per ipsum carnis coitum transfusa, cum carne mulieris una caro efficitur, ut id quod nasciturum est ex utriusque substantia veraciter originem sumens ab illo, per istam etiam ab ista generetur. Ergo mulier a viro concipit, cum a carne viri per coitum carnis semen suscipit, ad generandam carnem. Nec aliud concipit quam ille est a quo concipit: aut ipsa quæ concipit et quod concipit, hoc parit. Quid ergo dicemus? Nunquid Spiritus sanctus de sua substantia semen partus infudit alvo virginis? Quomodo ergo semen carnis ministrare potuit substantia spiritualis? An forte semen carnis non fuit quod conceptum est; et caro fuit quod natum est. Quid dicemus? Quomodo Maria de Spiritu sancto concepit? Et si de Spiritu sancto concepit, quomodo Spiritus sanctus pater Christi non fuit? Hæc omnia magna consideratione indigent, ne forte in re difficili et valde obscura, humanus sensus aliquid amplius sua possibilitate præsumat. Nec ideo de his dubitandum est quia obscura sunt, nec ideo aliquid temere definiendum, quia credenda sunt. Quæramus ergo quid concepit Maria. Aut carnem non concepit, et carnem non genuit, aut si carnem genuit carnem concepit. Quod enim concepit, hoc genuit. Sed quomodo carnem ministrare potuit non caro? aut non carnem gignere caro? Ista perplexa inquisitio sive quærendi ratio, quemadmodum sane et competenter intelligi valeat consideremus. Et primum in ea quæ secundum solitam et usitatam naturæ operationem peragitur conceptione, ejusdem naturæ opus quomodo compleatur intueamur. In parentibus carnaliter generantibus, et per carnis coitum nascituram carnem ex carne fabricantibus, utrobique natura substantiam ministrat partui creando, ut ex utriusque carne procedat, quæ solum in unius carne formanda est caro. Tamen hoc vectigal quod natura quasi debitum quoddam ex instituto Creatoris, ad fabricam humani corporis absolvendam impendit, ita prorsus sine ulla necessitate, aut coactionne ab ea requiritur, ut nisi sola dilectione, et, ut sic dixerim, spontanea charitate, ad tribuendum id non inclinetur. Nihil enim est præter solam dilectionem, quod hoc debitum a natura extorquere possit, sed cum spontanea fuerit charitate persuasa, tunc nimirum sibi ad invicem ad opus consummandum ex utraque parte libenter atque gratanter occurrit. Sane quidquid violenter nolenti arripitur; ad ejusmodi causæ effectum incongruum prorsus atque inefficax demonstratur. Sola ergo dilectio est quæ naturam persuadere, et volentem quodammodo cogere potest ad seminandum partum. Et quidem in muliere amor viri, in viro autem amor mulieris, idem agere solet, ut quia in altero solum natura sibi sufficiens non est; alterutrum sibi per dilectionem subveniat, ut quod in neutra per se potuit, in utraque per se cum altera possit. Igitur

semen humani partus a sola muliere formandum A concipitur, quod simul a viro et muliere seminatur. Quod quidem, sicut jam dictum est, in muliere per amorem viri; et in viro per amorem mulieris, natura operatur. Propter quod etiam mulier non nisi a viro concipere dicitur, licet tam de se quam de viro accipiat, unde fecundatur. Et recte de solo viro concipit, quia id quod concepit, in altero quidem de carne viri sumitur, in altero autem per amorem viri ministratur. Non itaque hoc solum de viro concipit, quod de viro accipit; sed hoc etiam de viro concipit, quod ex se de amore viri accipit. Hoc præmittere voluimus, propter id quod dictum est Mariam de Spiritu sancto concepisse. Concepit ergo Maria de Spiritu sancto, non quod de substantia Spiritus sancti semen partus B acceperit, sed quia per amorem et operationem Spiritus sancti, ex carne virginis divino partui natura substantiam ministravit. Nam quia in corde ejus amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. Cujus dilectio in corde illius non suscepit socium, ejus operatio in carne illius non habebat exemplum. Hoc igitur solum virgo concepit, quod de sua carne per amorem et operationem Spiritus sancti accepit, de quo etiam solo, sine virilis seminis admistione filium genuit. Non ergo libido carnis conceptionem in virgine operata est, quæ nec de carne viri semen accepit, nec de sua carne per amorem viri concepit, sed per amorem et opetionem Spiritus sancti. Nec ipse Spiritus sanctus C idcirco pater Christi dicendus est, quia ejus amor conceptionem virginis operatus est, quia non de sua essentia virgini semen partus tribuit; sed ipsi de carne propria virgini per amorem suum atque virtutem, substantiam ministravit. Christus ergo et de virgine natus est, quia de carne virginis carnis substantiam accepit; et de Spiritu sancto conceptus est, quia ipsa eum virgo ex sola carne sua sine admistione virilis seminis, per Spiritus sancti operationem amoremque concepit. Hinc est quod eidem virgini parituræ per Angelum dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. I)*. Spiritus santus namque virgini supervenit, ut per ejus operationem caro Christi de carne virginis formaretur, D et virtus Altissimi obumbravit ei ne substantiam carnis ministrans carnali concupiscentia uteretur.

CAP. IX. *De unione verbi, animæ, et carnis.*

Quæritur etiam utrum Verbum carnem simul et animam assumpserit, an carnem prius quam animam sive animam prius quam carnem. Sed verissime et absque omni dubitatione creditur quod ex quo hominem Deus assumpsit, totum assumpsit; quia ex quo hominem assumpsit, sicut homo Deus: sic et Deus verus homo fuit. Verus autem non fuisset in sola carne, aut in amima sola, quia homo est et caro et anima. Itaque quando hominem assumpsit, simul utrumque assumpsit. Assumpsit autem carnem et animam, id est hominem, naturam non personam. Neque enim assumpsit hominem personam; sed assumpsit hominem in personam. Ideo autem hominem assumpsit; quia carnem humanam et animam humanam assumpsit. Ideo vero personam non assumpsit, quia caro illa et anima illa priusquam verbo unirentur in personam, non erant unita ad personam. Una unio fuit, et ad unum unio fuit, et verbi et carnis et animæ. Non prius verbum et caro, nec prius verbum et anima, nec prius anima et caro sed simul verbum et anima et caro. Sed erat quidem Verbum ante hanc unionem persona quia Filius erat qui persona erat, sicut Pater persona erat, et persona Spiritus sanctus erat. Et erat persona æterna sicut Verbum æternum erat, et Filius æternus erat. Nec cœpit esse persona Verbum, quando homo esse cœpit; sed assumpsit hominem, ut homo persona esse inciperet, nec alia persona quam illa erat, quæ eum acciperet. Itaque Verbum persona accepit hominem, non personam, sed naturam, ut qui suscepit et quod suscepit una esset in Trinitate persona. Neque enim assumpto homine quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, quia homo assumptus ex quo Deus esse cœpit, non alia persona esse cœpit, quam illa quæ eum suscepit. Qui ergo hominem assumptum negat personam esse, negat hominem in personam assumptum esse. Si enim illud nunquam futurus esset, frustra ad illud aliquando assumptus esset. Nunc igitur homo assumptus persona est, et non alia; sed ipsa illa persona a qua assumptus est, quia et assumens et assumptus una persona est. Deus, homo est. Verum est propter humanitatem suam. Homo, Deus est. Verum est propter divinitatem suam. Deus humanitatem suscepit; homo divinitatem accepit. Et est Deus homo propter humanitatem quam suscepit, et habet; et homo Deus propter divinitatem, non de duobus dicitur, sed de uno; quia Deus et homo non duo sed unus est Jesus Christus. Sed dicis: Quomodo unus? Dic mihi qualis unio; et ego tibi dicam qualiter unus. Si vere ineffabilis est unio Dei et hominis; ineffabiliter non duo sunt, sed unus Deus et homo. Tamen non omnino duo sunt: Deus et homo, sed unus Jesus Christus. Qui est Deus, ipse est homo; et qui est homo, ipse est Deus; non alter et alter sed ipse unus et idem. Quia significat homo? naturam. Quem significat homo? personam. Si quæris quid significat homo aliud significat homo: et aliud Deus. Homo enim significat humanitatem; Deus significat divinitatem. Si quæris quem significat homo, eumdem significat quem Deus, quia idem est et homo et Deus. Quid est homo? Si naturam quæris: corpus et anima Bene dico, quia hoc est homo; hoc esse hominis est, quia hoc esse hominem facit. Quid est homo? Si personam quæris Deus est. Quare homo Deus est? Quia huminatitas divinitati personaliter unita est. Natura Dei divinitas, natura hominis humanitas; et divinitas quidem humanitas non est, Deus tamen homo est. Natura diversa, persona una. Quia autem unita est na-

tura, una est persona; et quia persona Dei et hominis una est; Deus et homo unus est. Propterea quod facit Deus facit homo, et quod facit homo facit Deus; quia non duo, sed unus, Deus et homo. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis; qui est in cœlo* (*Joan.* III). In terra loquebatur, et in cœlo se esse testabatur. Utrobique enim erat. In terra per humanitatem, in cœlo per divinitatem. Idem qui in cœlo erat, in terra erat. Per humanitatem in terra et tantum in terra, per divinitatem in cœlo et in terra. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Mirum est. Homo in cœlo dominabatur; et Deus in cruce moriebatur. Si potuit homo in terra positus per humanitatem, in cœlo esse per divinitatem, potuit et Deus in cœlo regnans per divinitatem, in terra mori per humanitatem. Sed dicis. Quomodo Deus mori potuit? Deus qui immortalis est, quomodo mortuus est? Hoc ego sciebam, quia essent qui hoc dicerent. Deus mori non potuit: homo mortuus est, Deus mortuus non est. Quare ergo negatis Deum mortuum esse? Quia, inquiunt, divinitas mori non potest. Si propterea Deus mortuus non est, quia secundum divinitatem mortuus non est; ergo nec de virgine Deus natus est, quia secundum divinitatem de virgine natus non est: nec inter homines Deus conversatus est, quia secundum divinitatem inter homines Deus conversatus non est, et cætera omnia quæ in carne operatus est Salvator. Si ergo Deus hæc non fecit, quis ille fuit, qui hæc fecit? Nos putavimus Deum fecisse hæc omnia. Vos dicitis, quod Deus hæc non fecit. Dicite ergo: Quis ille fuit qui hæc fecit? Christus, inquiunt, hæc omnia fecit. Ergo Christus hæc fecit, et Deus non fecit. Videte ne forte dicatur vobis. Si Christus hæc fecit, et Deus hæc non fecit; ergo Christus Deus non fuit. *Nolite tangere christos meos; et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV). Vos tangitis Christum, et in propheta malignamini. Non dicitis Christum Deum non esse, et tamen dicitis quod si verum esset, Christus Deus non esset. Ergo tangitis Christum. Non aperte negatis, sed occulte necatis. Non, inquiunt, negamus aut necamus: Sed ideo dicimus Deum mortuum non fuisse, quia secundum divinitatem Christus mortuus non fuit. Ergo dicite, quando Christus ambulavit in terra Filium hominis in cœlo non fuisse, quia secundum humanitatem in cœlo non fuit. Si autem non ideo homo in cœlo non fuit, quando in terra ambulavit Christus; quia secundum humanitatem in cœlo non fuit, neque ideo mortuus non fuit Deus, quando in cruce pependit Christus, quia secundum divinitatem mortuus non fuit. Quid enim? Si secundum hoc aut hoc non est ergo non est? Si secundum hoc non est tamen est; quia secundum aliud est. Auctoritatem vultis Audite lucernam, si non creditis luci. Augustinus dicit: Si propter hominem mortuus est Deus, non est homo victurus cum Deo? Non est mortalis victurus in æternum, propter quem mortuus est, qui vivit in æternum? Sed quomodo mortuus est

A Deus? Unde mortuus est? Et potest mori Deus? Accepit ex te, unde moreretur per te. Idem iterum: Verbum, inquit, crucifixum est, sed non mutatum est in hominem. Et iterum: Per id ergo quod homo erat mortuus est Deus; et per id quod Deus erat excitatus est homo. Et quidquid passus est homo, non potest dici non passus Deus; quia Deus erat hominem assumens, sed non est mutatus in hominem. Videte adhuc. Quis fuit ille qui dixit: *Antequam Abraham fieret ego sum?* (*Joan.* VIII). Nonne homo? Quis fuit ille qui dixit: *Pater, clarifica me claritate quam habui priusquam mundus esset apud te?* (*Joan.* XVII). Nonne homo? Ergo homo vere dixit: Priusquam Abraham fieret ego sum. Ergo homo vere dixit:

B Pater clarifica me claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Quid? Hoc vos scandalizat? Hoc vos movet quod illos movebat qui dicebant: *Quinquaginta annos nondum habest et Abraham vidisti?* (*Joan.* VIII). Quare non? Nonne et illi verum dicebant qui hæc dicebant? Paulo ante Evangelista dixerat quia *ipse Jesus incipiens erat quasi annorum triginta* (*Luc.* III). Pauca tempora ab illo fluxerant usque ad hoc. Nondum quadraginta anni completi erant quanto magis quinquaginta non erant? An forte verum dicebat; qui triginta annorum illum esse dicebat; quia hoc erat, et non verum dicebant qui eum nondum quinquaginta annos habere dicebant; quoniam et hoc amplius erat? Qui enim triginta annos

C nominabat quod amplius erat, non negabat. Qui autem quinquaginta annos non credabant; multo magis quod amplius erat non concedebant. Quid ergo? Quando triginta annos evangelista nominabat, nihil nobis certum determinare voluit de spatio temporis ætatis Jesu; hoc est, hominis Christi usque ad quod nostra cogitatio iret et ultra non procederet? Si amplius habuit in eo quod hoc habuit, quare evangelista amplius non dixit? sed non amplius habuit in eo quod hoc habuit. Triginta annorum erat Jesus, homo triginta annorum erat, quia ætas hominis triginta amorum erat. Triginta anni jam fluxerant et non amplius: ex quo homo esse cœperat. Propterea homo triginta annorum erat et non plus. Et quid? Si homo

D trigenta annorum tantum erat, nonne similiter Deus triginta tantum annorum erat qui homo triginta tantum annorum erat? Quam recens Deus. Quam parvam ætatem habuit Deus? Vera parvam, quia parvus factus. Parva ætas in parvo, magna æternitas in magno. Tamen plus temporis non habuit ubi temporalis fuit. Ubi enim æternus fuit, nec trigenta annorum fuit, nec viginti, nec decem, nec quinque, nec unius. Illic enim non fuit annuus, sed æternus. Ubi autem temporalis fuit, non plus fuit. Ubi æternus fuit, quid dicam? Plus fuit? Patrum est hoc. Tempus enim nequaquam ad comparationem æternitatis accedere potest. Ergo æternitas fuit, et tringinta tantum annorum fuit, et in tempore cœpit, et ante tempora fuit: et in eo quod cœpit in tempore factus est homo: et in eo quod fuit ante tempora factor est

Deus. Et cum cœpit esse homo ex tempore; non tamen cœpit, quasi prius non fuisset. Et similiter cum factus est homo; non tamen factus est, quasi prius non exstinuisset. Propterea eos qui Christum creaturam esse dixerunt, fides catholica condemnavit, quia Christus quamvis in tempore esse cœpit, non tamen omnino esse cœpit, quia supra tempora et ante tempora idem ipse semper Deus fuit. Hoc est autem creaturam esse, aliquid de nehilo esse,hoc est esse aliquid et fuisse nihil. Non autem omnis qui aliquid esse incipit, ideo esse incipit quia aliquid esse incipit; sicut qui aliquid esse desinit, non ideo esse desinit, quia aliquid esse desinit. Non enim aliquid ita esse desinit,ut nihil sit,sed solum ut id quod esse desinit jam non sit.Sic non semper qui aliquid esse incipit, ita aliquid esse incipit, quasi esse incipiat ut aliquid sit;sed ut aliquid quod prius non fuit esse incipiat,ut jam sit.Ita Christus,quando homo esse incœpit, aliquid esse incœpit, nec tamen ita aliquid esse incœpit,quasi prius non fuisset aliquid, quia et priusquam hoc fuit quod aliquando esse cœpit, fuit aliquid quod semper fuit et nunquam esse cœpit. Itaque Deus homo factus est,et tamen Deus creatura non est. Quia quod factus est pro eo factus est, quia temporaliter assumpsit, quod semper non habuit; sed ex tempore non accepit, quod semper habuit. Tamen postquam Deus factus est homo, et homo et Deus, unus fuit,et non duo, homo Deus. Et propter ipsam ineffabilem unionem qua Deus et homo unus fuit, sicut Deus per humanitatem suam se veraciter temporalem exhibuit, sic et homo per divinitatem suam ante tempora se fuisse non fallaciter prædicavit. Si Deus æternus triginta tantum annorum aliquando fuit propter humanitatem, quare similiter homo temporalis æternus non fuit propter divinitatem? Ergo, inquiunt, homo ab æterno fuit; et homo mundum creavit, et homo fuit antequam homo esset. Pueri estis et adhuc involumentis infantiæ expediri non potuistis. Nondum in vobis exercitati sensus creverunt, qui lacte opus non habent, sed solido cibo. Quid enim sunt verborum involucra nisi quædam involumenta intelligentiæ, quibus quandiu sensus humanus obvolvitur, nunquam cordis oculus ad veritatis lumen perfecte aperitur? Quæritis an fuit homo ante tempora, et ego vos interrogo an Deus cœpit in tempore? Si æternus factus est temporalis, temporalis factus non est æternus? An forte ideo Deus propter humanitatem in tempore fuit, quia homo fuit, quando homo in tempore fuit, sed homo propter divinitatem ante tempora non fuit,quia quando Deus ante tempora fuit, homo adhuc Deus non fuit? Fortasse aliquid rationis erit, propter quod ejusmodi lucutiones caveatis; salva tamen integritate fide Christianæ ut unum eumdemque ipsum esse credatis, qui et in tempore homo fuit, propter humanitatem suam; et ante tempora Deus propter divinitatem suam. Et idcirco ipse idem veraciter se dixit, et in tempore venisse hominem, et ante tempora fuisse Deum. Cum autem hoc et hoc dixit:non alius et alius dixit, sed secundum aliud et aliud dixit. Quod Deus dixit, homo dixit; et quod homo dixit, Deus dixit,quia et homo Deus, et Deus homo unus fuit. Quando dico homo, naturam significo humanam, id est animam et carnem. Quando dico Deus naturam significo divinam, id est Verbi divinitatem. Item quando dico homo, personam significo ex anima et carne.Item quando dico Deus, personam significo in divinitate. Non amplius notat homo in natura, quam animam et carnem, neque in persona, quam ex anima et carne. Neque amplius Deus notat in natura quam divinitatem, neque in persona quam in divinitate; et tamen in Christo persona ex anima et carne, et persona in divinitate non duæ sunt personæ, sed una persona est. Quæ est natura hominis? humanitas. Quæ est natura Dei? divinitas. Ex humanitate est homo, ex divinitate est Deus. Quod homo est, ex anima et carne est; hoc est esse ejus; quia natura ejus est. Quod homo est, ex eo est quod hominis est. Quod Deus est, ex eo est quod Dei est. Et enim quod Deus est, ex divinitate est: hoc esse ejus est, quia natura ejus est. Et ideo quod Deus est, ex eo est quod suum est. Quod homo est, ex eo est quod hominis est. Quapropter quia Deus et homo ex eo quod hominis est,homo est; et homo ex eo quod Dei est, Deus est; profecto et Deus homo, et homo Deus est. Item quia non ex alio homo Deus,quam Deus, neque ex alio Deus homo, quam homo; non alius, sed idem est Deus et homo. Tamen quod homo in suo est conditione; Deus in eodem est dignatione; et quod Deus in suo est per naturam; homo in eodem est, per gratiam. Sic itaque in Christo aliam dicimus esse humanam naturam, et aliam divinam; sed non alium dicimus esse hominem, et alium Deum; sed Deum et hominem unum Jesum Christum. Quid est Jesus? salvator. Quid est Christus? unctus. Aliud notat Jesus, aliud Christus; et non alium tamen significat Jesus, quam Christus; quia unus est Jesus Christus. Augustinus dicit: Aliam significationem habet Jesus, et aliam significationem habet Christus, cum sit unus Jesus Christus Salvator noster. Jesus tamen proprium nomen est illi, quomodo Moyses nomine proprio appellatus est, quomodo Elias quomodo Abraham. Sic tanquam proprium nomen et Dominus noster Jesus Christus autem sacramenti nomen est quomodo si dicatur propheta, quomodo si dicatur sacerdos. Lege sermonem Augustini in epistolam Joannis, ibi hoc reperies. Idem in libro De prædestinatione sanctorum: Ille, inquit, nos credire in Christum fecit qui nobis fecit in quem credimus Christum. Hoc itaque dicit Augustinus: Vis ergo adhuc plenius audire, quomodo aut secundum quod Dominus Jesus Christus factus est, aut infectus? Ambrosius in libro quem De Trinitate scripsit, ita dicit; Dicimus igitur, inquit, factum esse hominem: et ad hominem hoc esse referendum. Denique et alibi habes: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I). Secundum carnem utique ex semine David factus

est. Deus autem ante sæcula ex Deo natus est. A Nec tamen factum esse semper ad creationem refertur. Scriptum est enim: *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX). Et paulo post: Ergo si factum esse frequenter ad aliquid, non ad naturam refertur, etiam creatum ad causam refertur. Unde intelligimus illud quod de incarnatione Domini scriptum est: *Dominus creavit me principium viarum suarum, in opera sua* (*Prov.* VIII); id significare quod ad redimenda opera patris Dominus Jesus ex virgine sit creatus. Idem in eodem: Paulus, inquit, prohibet me creaturæ servire, et Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus. Paulus, inquit, *Servus Christi Jesu* (*Rom.* I), et bonus servus, qui Dominum recognoscit. Ipse creaturæ servire nos B prohibet. Quemadmodum ergo ipse Christo serviret, si Christum creaturam putaret? Vide ergo quomodo Christum et factum et creatum secundum aliquid affirmat: quem tamen creaturam esse negat. Idem quoque in eodem libro Christum non adoptivum: sed naturalem Filium esse testatur dicens: Per adoptionem nos filii dicimur: ille per veritatem naturæ. Quomodo ergo ex nihilo qui ex nihilo fecit omnia: Ita oportet secundum testimonia Scripturarum fidei vestigia formare, ut rectæ credulitati sinceræ confessionis puritatem adjungamus.

CAP. X *De separatione animæ et carnis in Christo.*

Quidam putaverunt in morte divinitatem a Christo homine recessisse, et mortem hominis C aliud quam separationem divinitatis a carne non fuisse. Invenerunt enim quædam verba in quibus ita dictum esse videtur, et invenientes hujusmodi litteræ adhærent, non pertingentes ad spiritum. Beatus quoque Ambrosius tale aliquid videtur dicere in expositione psalmi illius quem ipse Dominus in passione sua de se scriptum esse ostendit dicens: *Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII; *Psal.* XXI; *Marc.* XV.) Super enim hunc locum Ambrosius dicit. Clamat homo separatione divinitatis moriturus, et alia quasi ad ipsum probandum adducta; quia scilicet Deus vita est, et ubi vita fuit, mors esse non potuit. Ac propterea nisi vita prius recessisset, mors venire non potuisset. Scriptum quippe D est: quia Jesus clamans magna voce dixit: Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me? Clamat homo se derelictum esse a Deo, et conqueritur Deum a se recessisse, et quasi ideo se moriturum esse quod Deus ab ipso recesserit. Ideo dixit, quia clamat homo separatione divinitatis moriturus. Sed videte quod dicitur. Si enim agitur de illa separatione divinitatis, pro qua Christus homo in cruce clamabat; illa utique jam facta erat. Non enim derelinquendum, sed derelictum jam se protestabatur dicens: Deus meus utquid dereliquisti me? Si ergo de illa separatione divinitatis agitur, jam recesserat Deus quando homo in cruce pendens derelictum se a Deo vociferabatur. Et utique adhuc Christus in carne vivebat, quando sic Deus ab eo recesserat. Respondeant ergo. Si mors esse non poterat nisi prius vita discederet, quomodo vita manere potuit postquam vita recesserat? Jam enim sic recesserat Deus, et adhuc Christus vivus in cruce pendebat, cum se derelictum causatur. Si ergo in hac recessione Dei, et in hac divinitatis separatione, illam quæ inter divinitatem et humanitatem constabat unionem personæ solutam dicunt, fuit quoddam tempus quando Christus adhuc vivus homo erat, et Deus non erat. Sed quis hoc dicat? Quis sanæ fidei concordans non abhorreat Deo imponere, quod assumptum hominem usque ad mortem quidem comitando perduxit, et in morte quando majori periculo jam imminente magis auxilium necessarium erat, deseruit? Quare ergo tantopere mercenarii, improperat, quod lupo veniente oves quas custodire debuerant, fugientes deserunt, cum ipse unicam illam ovem, et agnum illum ovis virginis filium, quem non solum custodiendum, sed etiam glorificandum suscepit, lupo veniente deseruit? Ovis prius de pastore secura veniente lupo non timuit dicens: *Venit princeps mundi hujus et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Nunc autem a pastore derelicta, causando et conquerendo clamat, quare dereliquisti me? Solus homo fuit, et Deus non fuit, et jam Deus homo non fuit, quia jam ab homine recesserat Deus, nec homo Deus fuit, quia adhuc vivus in cruce pendens a Deo derelictus fuit. Jam non solum ergo in morte; sed et ante mortem divinitas ab homine recesserat, quando homo adhuc Deum a se recessisse, ac per hoc, ut isti aiunt, Deum se non esse, plangebat. Quis hoc dicat? Quomodo, inquiunt, intelligendum est, quod Christus a Deo derelictum se esse clamat, et quod Scriptura hominem separatione divinitatis moriturum clamasse affirmat, si Deus ab homine non recesserat? Quid ergo? Non potuit divinitas humanitatem et secundum aliquid deseruisse, in quantum videlicet eam potestati inimicorum expositam ad tempus non defendit, et secundum aliquid non deseruisse, in quantum scilicet etiam tunc ab ea per præsentiam majestatis non recessit? Dereliquit illis, sed sibi non dereliquit. Dereliquit, quia auxilium non contulit, sed non dereliquit quia præsentiam non abstulit. Subtraxit protectionem, sed non separavit unionem. Separavit se foris ut ad defensionem contra inimicos non adesset, sed non separavit se intus, ut illi ad unionem personæ deesset. Sic ergo dereliquit ut non adjuvaret, sed non dereliquit ut recederet. Vado per viam, mecum pergis, pariter ambulamus. Securus sum quasi amicum mecum habens. Venit hostis meus et irruens inermem et resistere non valentem vulneribus afficit. Tu me plagari cernens nihil moveris, sed patienter sustines, et stas juxta quasi non curans vulnera mea, et dico: Utquid dereliquisti me? adhuc stas juxta me, et causor te recessisse a me. Juxta es loco, sed longe auxilio. Juxta fuisti quando te præsentem exhibuisti in dilectione. Longe factus es quanda in periculis constituto,

te subtraxisti a compassione. Sic ergo humanitas a divinitate in passione derelictam se clamabat, quia eam inimicorum potestati ad crucifigendum concesserat, sicut scriptum est : *Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi datum fuisset desuper* (*Joan.* XIX). Quam tamen mortem quia non pro sua iniquitate, sed pro nostra redemptione sustinuit in cruce pendens : quare sit derelicta requirit, non quasi adversus Deum de pœna murmurans, sed nobis innocentiam suam in pœna demonstrans, causam quærebat qui peccatum nesciebat.

CAP. XI. *Quod Christus separata anima a carne et persona fuit et Deus et homo*

Scriptum est : *Et clamans Jesus voce magna tradidit spiritum* (*Matth.* XXVII). Quis tradidit? Jesus. Quid tradidit? Spiritum. Cui tradidit? Patri. Non Judæus ejecit, neque pater extraxit, sed ipse sponte tradidit. Non violenter ablatus est, sed sponte datus : *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* X). Ipsa anima, ipse est spiritus. Ipsa ergo anima emissa est potestate morientis, non violentia occidentis. Emissa est anima. Ille emisit, cujus fuit. Unde emisit? Ex carne. Quo emisit? Ad Patrem. Recessit anima, et mortua est caro. Mortuus est Christus, quia caro Christi mortua est. Sicut mortuus est Deus, quia mortua est humanitas Dei, ita mortuus est homo quia mortua est caro hominis. Sola caro mortua est, et carne mortuus est homo, cujus caro fuit, mortuus est etiam Deus, quia Deus homo fuit. Separatio animæ mors carnis fuit. Sola caro mortua est, a qua anima separata est, anima mortua non est, nec divinitas mortua est, sed sola caro mortua est, quia separata est anima ab ea vita ejus. Anima ad infernum descendit, caro in sepulchro jacuit, divinitas cum utroque permansit. Neque enim caro et anima personam destruere potuerunt separata, quam non fecerant et conjuncta. Verbum persona æterna fuit. Neque tunc persona esse cœpit, quando animam et carnem in personam accepit. Accepit animam et carnem, ut in se persona essent, non ut se personam facerent. Quia ergo anima et caro in eo personam esse acceperunt, quod verbo personæ uniri cœperunt ; semper quidem cum verbo una et eadem persona permanserunt ; quia nunquam postea a verbo vel inter se divisa recesserunt. Fuit ergo verbum persona æterna propter divinitatem æternam et ipsa persona Deus fuit propter divinitatem, et homo fuit propter unitam verbo humanitatem. Ergo Christus persona ad infernum descendit, sed secundum solam animam ; quia sola anima ad infernum descendit ; et Christus persona in sepulcro jacuit et secundum solam carnem ; quia sola caro in sepulchro jacuit et Christi persona ubique fuit, et secundum solam divinitatem quia sola divinitas ubique fuit. Neque anima in sepulcro jacuit, nec caro ad infernum descendit, neque caro vel anima ubique fuit. Corpus solum in sepulchro jacuit, et propter partem istam hominis Christus homo in sepulcro jacuit. Dicunt

A hoc quædam scripturæ, quod cum Christus in sepulcro jacuisse dicitur : totum pro parte ponitur ; quia non totus homo in sepulcro jacuit, sed una pars hominis tantum corpus. Hic intendite. Non totus homo, sed pars hominis. Quis homo? Christus. Totus homo, totus Christus. Pars hominis, pars Christi. Christus in sepulcro jacuit, totum in parte ponitur. Ergo non totum jacuit sed pars. Quid est totum? Christus. Quid est pars? Corpus. Ergo vel Christus non jacuit in sepulcro ; si Christus in sepulcro jacuisse dicitur, et est figura dicendi qua totum pro parte ponitur, et in toto pars intelligitur. Ergo nec Christus vere ad infernum descendit, sed pars Christi tantum, anima sola. Aliquis scrupulositatis in-

B currit. Suspecta quippe sunt hæc catholicæ veritatis, et non recipit aut approbat ut dicatur Christum non vere in sepulcro jacuisse, nec vere ad infernum descendisse. Quid enim? Si ideo non vere in sepulcro jacuit, quia solum corpus in sepulcro jacuit, nec vere ad infernum descendit, quia anima sola ad infernum descendit, ergo nec vere mortuus fuit, quia sola caro mortua fuit, non anima vel divinitas. Quid est quod scriptum est? Quia cum Christus in sepulcro jacuisse dicitur totum pro parte positum est? An aliud est totum pro parte poni, atque aliud totum in parte operari? Quando enim totum pro parte ponitur, ipsum quidem totum nominatur sed non ipsum intelligitur, sed pars

C ejus sola, pro qua ponitur. Quando vero totum in parte operari dicitur, ipsum quod dicitur aliud intelligitur, nec pro ipso quod dicitur intelligitur, quamvis secundum aliud, id est secundum partem operari intelligatur. Quando enim totum in parte operatur, ideo vere totum operatur, quia et totum cum parte est, et pars in toto est, quando et totum et pars operatur. Quando simul sunt simul operari possunt. Tunc quippe operatio partis recte totius dicitur, quando totius est, et in tote est ipsa pars quæ operatur. Quando vero totum destractum est, et jam totum non est, non proprie totius dicitur, quod extra totum pars sola operatur. Quid ergo? Nunquid secundum hoc dicemus quando caro Christi mor-

D tua est, ideo Christum vere mortuum fuisse, quia homo in parte sua sustinuit passionem, quando vero corpus Christi in sepulcro jacuit ; ideo Christum non vere jacuisse, quia pars ipsa quæ jacuit a toto jam divisa fuit? Ergo Christus vere mortuus est, sed vere sepultus non est. Absit! Sed vere mortuus est, et vere sepultus ; vere ad infernum descendit et vere in cœlum ascendit. Quomodo ergo totum positum est pro parte, quando scriptum est Christum jacuisse in sepulcro? Quod est totum, et quæ est pars? totum enim ad partes dicitur, et partes ad totum referuntur. Fortassis ergo cogitas quasi tria quædam : divinitatem, animam, et carnem Christum composuisse ; et Christum esse totum quoddam tribus partibus compositum : divinitate et carne, et anima. Ergo tertia pars Christi Verbum est?

Absit! Non enim pars Christi Verbum est, sed ipse Christus Verbum est. Totus Verbum, sicut totus Deus; non dimidia pars Christi Verbum, et dividia pars homo; sed totus Christus Verbum et totus Christus homo, quia idem ipse Deus et homo. Intelligis quid dico? Si non intelligis, crede tamen. Credi potest, si intelligi non potest. Verum tamen est, quod Christus idem ipse et Deus et homo fuit; nec tertia pars Christi Verbum fuit, nec aliquid ex carne, et anima, et verbo, quasi ex partibus compositum totum fuit, quia totum ipsum Verbum fuit. Ubi ergo totum fuit, compositum ex partibus? Ubi partes fuerunt in toto et totum fuit ex partibus? Divinitas autem pars non fuit, ut ex ipsa totum esset majus ipsa, nec in ipsa pars fuit, ut in ipsa aliquid esset minus ipsa. In humanitate sola partes invenimus, et totum ex partibus constat. Homo quoddam totum est duabus partibus constans, anima et carne. Istæ sunt duæ partes hominis, et in his duabus partibus constat totus homo. Natura divina simplex est, natura humana duplex; propterea partes hominis duæ sunt quia in natura hominis duo sunt: anima et caro. Ubi hæc duo sunt, totus homo est. Ubi alterum horum est, pars hominis est. Propter hoc igitur Verbum totum hominem assumpsit; quia totum quod hominis erat assumpsit, animam et carnem. In sepulcro autem non totus homo jacuit, sed pars hominis tantum, hoc est caro. Similiter ad infernum non totus homo descendit, sed pars hominis tantum, hoc est anima. Si enim in sepulcro totus homo jacuisse diceretur, profecto a carne mortua anima recessisse negaretur. Similiter si totus homo ad infernum descendisse diceretur, caro utique pariter cum anima illuc descendisse affirmaretur. Itaque pars hominis tantum in sepulcro jacuit, et non totus homo; et dum Christus in sepulcro jacuisse dicitur, propter solam carnem quæ ibi jacuit, verum esse probatur. Dum enim Christus in sepulcro fuisse dicitur, totus homo in sepulcro fuisse dicitur; totus homo in sepulcro fuisse dicitur; quia cum Christus dicitur, totus homo dicitur; quoniam totus homo Christus. Et verum est quod Christus in sepulcro jacuit, nec tamen homo totus in sepulcro jacuit, quamvis totus homo Christus fuit. Ideo quippe totus homo Christus fuit; quia anima et caro Verbo in personam unita fuit. Christus autem propterea vere in sepulcro jacuit, quia caro ejus ibi jacuit. Et idcirco Verbum persona deesse non potuit ubi caro erat, quæ ipsi Verbo personaliter unita fuit. Sic itaque Christus in sepulcro fuit quando caro ejus ibi fuit, et totus tamen homo ibi non fuit; quia non anima et caro simul, sed sola caro ibi fuit. Quod autem homo dicitur homo, et persona homo, propter totum hominem dicitur, et propter totum quod hominis est dicitur, non id dico modo quod homo a parte de humo sumpta denominatur, sed cum dicitur homo et intelligitur persona totum quod homo est, a toto dicitur quod hominis est. Aliud vero est cum homo dicitur es-

A se id quod homo est, atque aliud cum dicitur esse id quod est in homine. Cum enim dicitur esse homo propter totum hominis esse dicitur, id est animam et carnem. Cum vero dicitur esse id quod est in homine, propter partem hominis dicitur, hoc est propter solam animam vel propter solam carnem. Cum homo dicitur homo, dicitur persona; cum dicitur id quod est in homine dicitur quod est in persona. Dicitur quippe homo sapiens, et non dicitur tamen propter totum quod est homo, sed propter partem quæ est in homine; quia sapientia non in anima et in carne est, sed in anima sola. Item cum dicitur homo candidus aut niger, non propter totum quod est homo dicitur, sed propter partem quæ est in ho-
B mine; quia candor et nigredo non in anima et carne est, sed in sola carne. Et si forte totus homo hoc esse dicitur, non tamen ita dicitur, quasi totum quod hominis est hoc sit; sed quia id quod in homine esse debet, totum hoc sit. Dicitur quippe totus homo albus, quando totum corpus hominis album est; non quia totum quod hominis est album est, sed quia totum quod in homine album esse potest, album est. Itaque et Christus, cum dicitur homo, propter totum dicitur quod est homo, id est animam et carnem. Cum autem mortalis vel mortuus vel sepultus dicitur, propter partem hominis dicitur id est solam carnem; quia sola caro et mortalis fuit, quando corruptionem passibilitatis portavit; et
C sola mortua fuit, quando in cruce anima sine vita sua pependit.

Et sola sepulta fuit, quando anima cum ipsa in sepulcro mortua jacente non fuit. Et tamen Christus hoc totum quod sola caro fecit, veraciter et ipse fecit, qui per divinitatem suam personaliter præsens erat, in carne, et cum carne quæ hoc fecit. Similiter cum Christus spiritu exultasse dicitur sive affectum aut desiderium, vel timorem habuisse dicitur, secundum solam animam hoc habuisse intelligitur; quia sola anima hoc habuit, et ipse per animam veraciter habuit cujus divinitati ipsa anima personaliter unita fuit, habuit quippe anima illa secundum affectus naturæ cum quibus assumpta fuit, et desiderium et
D gaudium, et dolorem et timorem passionis, pro carne sua; quæ omnia ad tempus rationabiliter admissa sunt, potestate facientis et voluntate patientis. Et cum timuit pœnam suæ carnis et dolores refugit, secundum affectum naturæ fecit, quo nemo carnem suam odio habuit, cujus malum aliquando ex ratione sustinere potest; amare autem nunquam potest. Sic itaque in Christo secundum affectum naturæ quem anima in carne et pro carne habuit, voluntas quædam erat, secundum quam et mortem et dolorem, et passionem horruisse et noluisse veraciter dicitur. Quam tamen voluntatem, superior vol .ntas spiritus quæ ad obediedientiam paternæ jussionis prompta fuit, dirigebat. Voluntas quippe spiritus, in Christo quasi medio quodam loco constituta, voluntatem carnis subjectam, per rationem mode-

rabatur, et voluntati Patris superiori per obedientiam subjiciebatur dicens : *Non mea voluntas sed tua fiat* (*Luc.* XXII). Ita ergo Christus quod dicitur, aliquando secundum personam dicitur, aliquando secundum id quod fuit in persona ; et similiter quod secundum hominem dicitur, aliquando secundum ipsum hominem dicitur, aliquando secundum ipsum quod fuit in homine. In natura autem divinitatis ubi multiplicitas, aut diversitas nulla est, persona, et id quod est in persona diversum esse non potest. In sola humanitate ubi multiplicitas invenitur ; aliud totum, et aliud pars esse ostenditur. Totum persona est, pars in persona. Totum est anima et caro; pars anima sola, aut sola caro. Dicit autem Scriptura : « Sicut anima rationalis et caro unus homo, ita Deus et homo unus est Christus. » Videte similitudinem. Bene dico anima et caro est homo ; et iterum bene dico homo est persona. Et rursum bene dico, anima et caro est una persona. Non autem similiter dicere possum, sola anima est homo aut sola caro est homo. Et idcirco dicere non possum, sola anima est persona, aut sola caro est persona. In Christo autem dicere possum Deus et homo est Christus, et dicere possum similiter, Deus est Christus, et iterum homo est Christus. Et rursum dicere possum, Deus et homo una est persona, et item Deus est persona, et homo est persona. Qualis ergo est similitudo hæc cum dicitur : « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus et Christus ? » Si enim omnimoda similitudo est, quare sicut in Christo dicitur Deus, et homo Christus : et homo Christus et Deus Chistus ; non ita etiam in homine dicitur, sicut caro et anima simul homo, ita etiam sola caro per se homo, aut sola anima per se homo ; vel sicut in homine anima quidem et caro simul homo dicitur, nec anima per se sola homo dicitur, nec caro per se homo dicitur, sic in Christo Deus quidem et homo simul Christus dicitur, ita tamen ut nec homo solus per se, nec Deus solus per se Christus dicatur ? Magna involutio dicendi est circa hæc ; et laborat homo in suo, qui pene nihil intelligere novit, nisi hoc et secundum hoc quod dicere novit. Quærunt hi quotidie homines quid dicendum sit, et quid credendum raro. Quærunt an locutio illa bona est, et an locutio illa recipienda est, et an probanda est locutio illa. In moneta verborum positi sunt, et concurrit multitudo magna sermonum, et infinita perplexio ; quia judicium spiritus a littera trahere volunt, non judicium litteræ a spiritu. Nesciunt enim quia spiritus litteram judicare debet, non littera spiritum. Sicut scriptum est : *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II). Laborant ergo in judicio dicendi, quia spiritum non habent intelligendi. Volunt habere judicium, et spiritum habere nolunt, sine quo recte judicare non possunt. Propterea laborant in dicendo, et veniunt alia et alia dicenda de illo quod unum intelligendum eum. Quærunt quid sit persona, et

A adducunt deinde definitionem personæ, sicut a quibusdam facta est et probata, quia persona est individuum rationalis substantiæ. Ecce dicamus secundum nos quod persona hoc est. Bene diffinitum est secundum nos quid sit persona. Secundum nos ita dicamus. Nam quod supra nos est, dici omnino non potest. Indicibile est, quia incomprehensibile est. Secundum nos ergo dicamus : Persona est individuum rationalis substantiæ. Quæ est rationalis substantia nisi spiritus rationalis ? Hæc est enim proprie rationalis substantia, spiritualis substantia quæ sola rationis capax est ; quia in ea sola ratio esse potest. Nam si homo rationalis substantia esse dicitur, non propter totum dicitur, sed propter animam solam quæ pro-
B prie rationalis substantia dicitur. Homo enim secundum animam tantum rationalis est ; quia ipse animam rationalem habet. Anima autem secundum se rationalis est ; quia ipsa in se rationem vel rationalitatem, id est rationis capacitatem habet. Sic itaque rationalis substantia proprie et secundum se non est, nisi spiritus rationalis ? qui individuum vere est, et in quantum natura simplex est : compositionem partium non habens, et naturæ simplicis est ejusdem proprietatis plura non continens. Hic itaque spiritus rationalis proprie persona dicitur, et numero discretus, et ratione discernens. Sic enim quidam personam dictam esse voluerunt, quasi per se sonantem, et quasi singulariter discernentem, ut
C in quantum numero discreta est per se, in quantum ratione discernit sonantem, vel pronuntiantem, vel judicantem se intelligamus. Ecce ergo secundum hanc diffinitionem proprie dicimus, quod spiritus rationalis persona est, per se discernens se. Non est hic magna quæstio neque ambiguitas intelligendi, ubi quod est totum unum est. In homine autem non eadem ratio occurrit, ubi duo quidem sunt, et tamen personæ duæ non sunt, sed una persona caro et anima. Hic autem quidam tam multipliciter delirasse inveniuntur, solis verbis adhærentes, ut non facile verborum involucra judicari potuissent, nisi in fine error se manifestus ostenderet. Dicunt hominem totum quoddam esse compositum ex anima et corpore,
D aliud omnino et diversum ab anima et corpore, ita ut hoc totum nec anima sit, nec corpus sit, nec similiter anima et corpus; non enim totum ista esse, sed ex istis esse dicunt. Hoc igitur totum hominem esse putant, et ipsum hominem qui hoc totum est rationalem esse, rationalitate quæ in ipso toto est, diversa a ratione, sive a rationalitate partis id est animæ, sicut ipsum totum diversum est a parte. Postremo omnia quæ in toto sunt diversa esse omnino ab his quæ in partibus constant, sicut ipsum totum partibus diversum est. Itaque sicut rationalitas hominis alia est quam rationalitas animæ ; quia una totius est, et in toto est ; altera partis est in parte est ; ita et bonitatem totius quæ in toto est, aliam esse dicunt, et bonitatem partis aliam, quia partis est et in parte tantum. Similiter et malitiam hominis aliam, quia in to-

to est ; et malitiam animæ aliam, quia in parte est. Postremo quotiescunque totum facit, et pars facit, quamvis simul operentur ; aliam tamen esse actionem partis, quæ in parte est, et aliam esse actionem totius quæ in toto est, sicut totum ipsum aliud est, et aliud pars ejus. Ad hunc modum igitur quoties homo peccat, vel bene facit, peccatum vel justitiam in homine esse, quæ toti ad accidunt ad proprietatem, et iterum peccatum sive justitiam in anima esse, quæ parti accidunt ad proprietatem contendunt. Quapropter quando homo moritur, et anima a carne separatur, divisis partibus, totum ipsum quod ex eis compositum fuerat, jam nihil esse, ac per hoc ipsum hominem, qui hoc totum erat, similiter nihil esse, nec alicubi esse. Et modo interim nec peccatum ejus puniri; nec justitiam remunerari, animam tantum in judicio esse, ut homo secundum meritum suum, vel pœnam vel gloriam recipiat, donec tandem in novissimo anima ad corpus revertente, rursum homo esse incipiat ; et tunc secundum meritum suum, ipse quoque remunerationem accipiat. Tales modos loquendi homines confingunt, et per falsas fictiones sermonum ad veras deceptiones errorum ducuntur. Quid enim stultius est quam dicere quod tunc homo esse desinat quando vere esse incipit, et tanto utique verius est, quanto est verius in quo esse incepit ? Non, inquiunt, sed figura est, quando sancti cum Christo esse dicuntur. Bene. Quando vobiscum sunt veritas est, et quando cum Christo sunt figura est. In hoc vobis credite. Nos enim non credimus. Nos scimus quia Christus veritas est. Qui ad Christum vadunt, non ad figuram vadunt, sed ad veritatem vadunt, et figuram evadunt. Quid tantopere homines sancti mori desideraverunt, si post mortem nihil futuri fuerunt ? Cupio, inquit Apostolus, *dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I). Quid cupis ? Mori et cum Christo esse. Imo mori et nihil esse. Hoc isti dicunt, quia nihil eris post mortem. Si istis credis, mortem non optas, nisi forte si non esse desideras. Si boni homines post mortem nihil futuri sunt, quomodo de iniquis et pravis hominibus vere dictum est, esse nihil cupiunt, nec tamen esse queunt ? Desinant ergo nunc et boni sperare et mali timere, quia non erunt aliquid cum hinc exierint, ut vel mala vel bona sentire possint. Sed bene inquiunt sperent et timeant, quamvis non pro se, tamen pro animabus suis, quia cum ipsi non erunt, animæ ipsorum erunt, quæ vel gloriabuntur pro justitia, vel cruciabuntur pro culpa. Ideo ergo, inquiunt, sperent et timeant pro animabus suis. Utinam tam recte discretis quam rectum dicitis ! Bene enim dicitis, cum homini sperandum et timendum pro anima sua dicitis ; si tamen intelligeretis quod nunquam melius aut verius pro se timet homo, quam cum timet pro anima sua. Quid enim magis est homo quam anima ? Non hæc putas quicunque es, qui te figuris sermonum munieras. Novum aliquid illatum est auribus tuis, cum dictum est

A hoc potius esse hominem, quod potius hominis est. Audi ergo. Tu Christianus nescis quod ethnicus ille testatus est. Mens, inquit, cujusque, is est quisque : ergo ethnicus ille te Christiano religiosior fuit, qui veritatem confessus est, quam tu negas. Ergo, inquis, homo est anima ? Quidni ? Nonne tu dicis quod homo est corpus, et dicere times, homo est anima ? Paulo ante argumentando occurristi, quia omnis homo est corpus. Omnis homo est animal, et omne animal est corpus. Igitur omnis homo est corpus. Nullam contradictionem hic esse putas. Auctoritas enim hoc dicit : Producis auctores ethnicos, ut probes quod omnis homo est corpus, et ethnicis auctoritatibus credere non vis, quod omnis homo est anima. B Fortassis quia magis placet tibi hoc esse hominem, quam illud ; quia hoc tibi magis placet quam illud. Sed ego, inquis, de toto loquor, cum dico omnis homo est corpus non de parte totius quæ corpus est, neque de parte quæ anima est ; hoc enim totum homo est, non pars ejus aliqua. De hoc ergo toto dico quod corpus est. Dic ergo hoc totum quare magis dicis esse corpus quam animam, cum ex anima simul et corpore constet ? Si propter partem unam quia corpus est totum, ipsum corpus dicitur ; nonne multo magis dicendum est anima propter partem alteram quæ anima est ? Si enim a parte totum natura et nomen trahere dicitur, ab illa procul dubio parte quæ melior est et dignior, rectius et naturam et no- C men trahere dicetur. Sed non habet usus loquendi, inquis, ut homo anima dicatur. Ecce concedo secundum usum loquendi. Dic quodlibet, ut tamen secundum regulam credendi sentias id quod negari non debet. Usus loquendi ab hominibus inventus est, et propter homines inventus est, et ideo ea potius in dicendo hominibus forma esse debet, quam sensus humanus in rebus percipiendis et cognoscendis habet. Scimus quippe quod vere unum nihil est nisi id solum quod unitate unum est ; id enim solum ratio vere unum discernit, in quo totum quod est unum esse invenit. Quæcunque ergo numero plura sunt, etsi aliquando uniantur, vere tamen unum esse non possunt, quia tamen ea quæ in una compositio- D ne uniuntur, quodammodo ad se invicem accedunt et appropinquant sibi, ut quantum possunt unitatem imitentur ; idcirco secundum quemdam modum, et ipsa quæ simul juncta sunt unum esse dicuntur. Nam sicut ratio id quod vere unum est in percipiendo non dividit, ita quoque sensus quod simul junctum est et unitum, in percipiendo non discernit. Et quemadmodum illic ratio in eo quod unum est totum, non dividit essentiam, ita quoque sensus hic in eo quod unitum est totum non dividit formam. Illic ratio percipit simul quod unum est, quia non in eo aliud et aliud ; hic vero sensus simul percipit quod unitum est, quia non est in eo alibi et alibi. Tamen quæ unita sunt plura, non vere unum sunt, quamvis simul conveniant, et quodammodo appropinquent ad unitatem, nec tamen ita vere aut ita proprie. Quid

enim proprius esse potest quam unitas sibi? Quando ergo unum dicuntur plura propterea quia unita sunt, non proprie dicuntur, quia non vere sunt id quod dicuntur, sed secundum quemdam modum tantum similia. Verumtamen sciendum est quod aliter uniuntur ea quæ ad unionem faciendam pariter conveniunt, ut ex eo quod simul esse incipiunt unam quodammodo esse incipiant; aliter vero illa ubi ante unionem unitas præcessit; et quod additum est de reliquo ad ipsam unitatem per unionem accessit. Aliud quippe est aliqua simul per unionem ad unitatem componi, atque aliud aliqua per unionem unitati apponi. Quando enim aliqua per unionem ad unitatem componuntur, nomen totius partis communicare non possunt; quia non habent singula separatim in se unionem quam faciunt simul ex se. Quando vero aliqua alicui unitatem suam habenti per unionem apponuntur; in participationem illius transeunt cui apponuntur, ut nomen quoque cum illo participare incipiant, sicut per unionem suam unitatem illius participare incipiunt. Verbi gratia: Paries, tectum et fundamentum, tria quædam sunt, et nullum horum per se domus est. Quando ergo conveniunt ut hæc esse incipiant, tria simul componuntur, non duo tertio apponuntur. Non autem sic juncta sunt corpus et anima. Anima quippe in quantum est spiritus rationalis, ex se et per se habet esse personam, et quando corpus ei sociatur non tantum ad personam componitur, quantum in personam apponitur. Ut in eo quod per unionem quodammodo unum sit cum illa, eadem quæ ipsa est persona esse incipiat, cum illa. In quantum ergo corpus cum anima unitum est, una persona cum anima est, sed tamen personam esse anima ex se habet, in quantum est rationalis spiritus. Corpus vero ex anima habet in quantum unitum est rationali spiritui. Quia vero sensus hominis in homine vivente corpus et animam simul percipit; non animam per se aut corpus per se, sed animam simul et corpus personam dicere humanus sermo consuevit. Hæc autem persona quæ in animam quidem proprie una est per unitatem; inter corpus vero et animam, una per unionem, secundum usum loquendi diversis nominibus appellatur. Quorum quædam a parte sumpta sunt, quædam vero ab iis quæ constant in parte. Nam quod persona rationalis homo dicitur, vel anima vel corpus a parte sola vocabula sumpta sunt; quia in homine solum corpus hominis esse corpus et ab humo sumptum esse, et ex conjunctione animæ sensificatum esse invenitur. Hæc ergo vocabula a parte hominis sumpta sunt. Quando autem albus dicitur esse homo, aut niger, aut magnus, aut parvus; vocabula sumuntur ab iis quæ in parte constant, quia in solo corpore hominis et non in anima ejusmodi proprietates inveniuntur. Quando autem rationalis dicitur homo, aut sapiens, aut justus ab iis quæ solum in parte sunt nomina ad totum sumuntur, quia non corpus hominis, sed sola anima rationalis, et sapiens,

A et justa invenitur. Itaque nomen hominis aliquando a corpore sumitur; aliquando ab iis quæ sunt in corpore; aliquando autem sumitur ab iis quæ sunt in anima, nunquam autem sumitur ab anima, ab illa quippe parte hominis humana locutio homini potissima vocabula formavit, quam primum et principaliter in homine sensus humanus agnovit. Et debuisset homo quidem a meliori parte sua nomen potius sumpsisse, nisi quia sermo aliter ad intelligentiam homini famulari non potuisset, nisi prius eum quem sensus humanus in percipiendo habuit, modum in dicendo tenuisset. Itaque quia id quod ab humo erat evidentius in homine videbatur; ab illo potius homo dicebatur. Sic quidem ex infirmitate sentiendi,
B confusio dicendi orta est; et debemus propter usum in loquendo, modum dicendi servare, nec tamen propter consuetudinem loquendi, a veritate credendi recedere. Propterea quippe Scriptura sacra, ne verba hominum in veritate Dei errare nos faciant, personam ipsam proprie ipsum spiritum rationalem esse testatur. Quæ persona licet propter id quod de humo sumptum est, homo dicatur: tamen verissime et quando illi sociata est; sola bene vel male operatur, et quando ab illo separata est, sola in pœna vel gloria remuneratur. Et sicut in corpore posita quædam sola cogitatione et voluntate facit sine corpore quædam post voluntatem et secundum voluntatem in operatione per corpus, ita quoque pro meritis præ-
C mium percipit primum, separata a corpore sine corpore: postea unita corpori in corpore. Ecce ergo dicamus. Homo est animal. Verum est, propter id quod in homine sensificatum est ab anima. Homo est corpus. Verum est, quia id quod sensificatum est in homine et de humo sumptum est, ipsum est corpus. Homo est persona. Verum est, quia id quod ab humo sumptum est animæ junctum est in persona. Hoc totum usus dicendi habet, et secundum eum modum quo vere dicitur, sine inconvenientia pro veritate recipi potest. Iterum dicamus homo est animal. Non hoc usus loquendi recipit, qui formatus est secundum modum sentiendi. Solum enim corpus in homine videtur, et in solo corpore homo videtur; et idcirco
D a corpore homini nomen sumitur quoniam propter corpus homo vocatur. Iterum quia in eo quod videtur aliud esse percipitur quod non videtur; duo in homine esse deprehenduntur, id est corpus et anima, quæ quoniam simul juncta et unita inveniuntur; ejusdem unionis in homine corpus et anima partes nominantur; ecce igitur concedamus quod usus loquendi affert. Homo est corpus et homo non est spiritus. Homo est animal, et homo non est anima. Nunquid similiter concedemus homo mortuus non est homo: homo enim vivens est homo. Si autem homo mortuus non est homo, ergo homo quando vivere desinit homo esse desinit. Sed quid est quod vivere desinit, nisi quod moritur? Quid autem moritur, nisi solum corpus quod ab anima deseritur? Anima enim non moritur, nec vivere desinit, etiam quan-

do vivificare desinit. Ergo solum corpus moritur. Sed homo, inquit, id est ipsa persona moritur. Quid est persona ? Nonne individuum rationalis substantiæ ? Si ergo individuum rationalis substantiæ persona est ; rationalis utique spiritus, qui et simplicitate unus est, et natura rationis capax, proprie personam esse habet ; ex se quidem in quantum spiritus rationalis est per se autem quando sine corpore est. Quando autem corpus illi unitum est in quantum cum corpore unitum est ; una cum corpore persona est. Quando vero a corpore separatur ; persona tamen esse non desinit ; et ipsa eadem persona quæ prius fuit, quoniam corpus a societate spiritus decedens, eidem spiritui personam esse non tollit, sicut prius quando jungebatur ipsi ut persona esset non dedit. Remanet itaque separata anima a carne, eadem persona spiritus rationalis, quæ licet fortassis secundum usum loquendi homo jam dici non possit ; quia id quod de terra sumptum erat, jam sibi unitum non habet, non tamen ideo minus persona est, et eadem persona quæ prius fuit, quando et illud sibi unitum habuit ; et propter ipsam unionem una cum illo persona fuit.

Sicut ergo corpus rationali spiritui junctum, non dat illi ut sit persona, sed junctum illi accepit ab illo ut ipsum sit una persona cum illo ; sic humanitas juncta verbo non quidem illi dedit ut esset persona, sed unita illi accepit ab illo ut una esset persona cum illo.

Considerandum vero est quod cum verbum et homo una sit persona in Christo ; recte tamen per se dicimus verbum est persona ; et iterum recte per se dicimus, homo est persona.

Et recte dicimus, quod simul homo et verbum non duæ sunt sed una persona. Quia enim verbum et ante assumptum hominem persona fuit ; et post assumptum hominem persona fuit ; et post assumptum hominem persona esse non desinit, ideo recte per se dicimus verbum est persona ; et quia rursum inter hominem assumptum et verbum major et excellentior quam inter animam et corpus unio fuit, nihilominus recte per se dicimus, homo est persona. Homo quippe, id est corpus et anima simul injuncta, persona esse habet, non tamen alia quam verbum, quia una persona homo et verbum. Unio quippe unum facit. Caro namque et anima simul juncta persona fuissent, si una cum verbo persona non fuissent. Propterea recte dicimus, quod et verbum et est persona et iterum recte dicimus quod homo est persona ; et similiter recte dicimus, quod verbum et homo non sunt duæ, sed una persona. Iterum recte dicimus quod verbum ex quo homo factum est, nunquam postea homo esse desiit ; quia se nec in morte carnis suæ ab assumpta humanitate unquam divisit. Quapropter Christus etiam in morte carnis suæ nec Deus esse desiit ; quia in vera Deitate immortalis permansit : nec persona esse desiit, quia verbum fuit ; nec homo esse dessiit, quia divinitas ejus ab humanitate sua non recessit. Sola anima a carne ad tempus divisa est, sed divinitas nec ab anima nec a carne separata est ; Christus ergo et vere mortuus fuit propter mortuam carnem, et vere vivus permansit propter immortalem divinitatem; et verus Deus simul et verus homo fuit propter separabilem divinitatis et humanitatis unionem.

Cap. XII. *Quod per hominem Verbo unitum Deo uniuntur omnes qui membra sunt illius.*

Apostolus diciti : *Mediator non est unius ; Deus autem unus est* (*Galat.* III). Duo enim erant Deus et homo : diversi et adversi. Deus erat justus ; homo erat injustus : in hoc nota adversos. Homo erat miser, Deus beatus, in hoc nota diversos. Sic igitur homo et adversus Deo erat per injustitiam, et diversus a Deo per miseriam. Propter hoc necesse habuit homo, primum quidem justificari a culpa, ut reconciliaretur, postea vero liberari a miseria ut reformaretur.

In hoc ergo mediatore eguit homo ad Deum ut reconciliaretur illi, et reduceretur ad illum, sed causam dissidentium agendam convenienter suscipere non posset, qui non aliqua societatis ac pacis amicitia utrique familiaris, atque propinquus existeret. Propter hoc ergo Filius Dei factus est homo ; ut inter hominem et Deum reconciliationis et pacis mediator esse posset. Suscepit humanitatem per quam hominibus appropinquaret. Retinuit divinitatem per quam a Deo non recederet. Factus homo, sustinuit pœnam, ut demonstraret affectum ; servavit justitiam, ut conferret remedium. Verbum quippe quod cum Patre Deo unum erat per ineffabilem unitatem, cum homine assumpto unum factum est per admirabilem unionem. Unitas in natura, unio in persona. Cum Patre Deo unum in natura, non in persona, cum homine assumpto unum in persona, non in natura. Quid magis unum quam unitas ? Quod unitate unum est summe unum est.

Verbum et Pater unitate unum erant ; quia natura unum erant ; et voluit ipsum Verbum nobiscum unum fieri, ut nos in se et per se unum faceret, et cum illo cum quo ipsum unum erat.

Assumpsit ergo ex nobis nostram naturam, ut eam sibi sociaret per unionem in persona, quæ sociata non erat per unitatem in natura, ut per id quidem quod de nostro unum secum fecerat nos sibi uniret, ut cum ipso unum essemus ; per id quod nostrum sibi unitum erat ; et per ipsum unum esse cum Patre, cui cum ipso unum erat. *Pater*, inquit, *sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Non pro eis autem rogo tantum : sed pro eis qui credituri sunt per Verbum eorum in me : ut et ipsi in nobis unum sint : et mundus credat, quia tu me misisti ? Sed ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti* (*Joan.* XVII). Rogat unitas pro unione. Verbum cum Patre unum in natura, homo cum Verbo, unum in persona. Membra cum capite unum, primum in jus-

titia, postea in gloria. Ut enim in justitia unum sint, *cognoscat mundus quia tu me misisti* (*ibid.*) ; ut autem in gloria unum sint : *volo ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi* (*ibid*).

Cap. XIII. *Quod Christus secundum humanitatem in cœlo est, secundum divinitatem ubique.*

Quæris quomodo *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I Tim.* II), nunc esse credatur in cœlo, aut quia Deus ubique sit, hominem quoque illum qui in Deo sit ubique diffusum, ex hoc nimirum intelligi volens etiam in paradiso esse potuisse qui ubique sit. Noli itaque dubitare ibi nunc esse hominem Jesum Christum unde venturus est. Memoriter quoque recole et fideliter tene Christianam confessionem, quoniam « resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Patris. » Nec aliunde quam inde venturus est, ad vivos et mortuos judicandos, et sic venturus est illa angelica voce testante : Quemadmodum visus est ire in cœlum (*Act.* I), id est, in eadem forma carnis atque substantia. Cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non enim est consequens ut quod in Deo est, ita sit ubique sicut Deus. Nam de nobis veracissima Scriptura dicit, quod *in illo vivimus et movemur et sumus* (*Act.* XVII); nec tamen sicut ille, ubique sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter et Deus ille in homine proprio quodam et singulari modo. Una enim persona est Deus et homo et utrumque unus est Jesus Christus, ubique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. Est ergo Deus per cuncta diffusus. Ipse quippe ait, per Prophetam. *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII). Sed quod paulo ante posui de sapientia ejus. *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII). Itemque scriptum est. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I); eique dicitur in quodam psalmo. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero ad infernum ades* (*Psal.* CXXXVIII). Sed sic est Deus ubique per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens et sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius atque ita per totum totus et in cœlo solo totus, et in sola terra totus, et in cœlo et in terra totus ; et nullo loco contentus, sed in seipso ubique totus. Ita Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus, ita Trinitas unus Deus. Verum illud est multo mirabilius quod cum Deus ubique sit totus, non tamen in omnibus habitat. Non enim omnibus dici potest quod ait Apostolus, vel quod jam dixi, vel etiam illud. *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* (*I. Cor.*

A III.) Unde e contrario de quibusdam dicit idem : *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus (Rom.* VIII). Quis porro audeat opinari (nisi quisquis inseparabilitatem Trinitatis ignorat penitus) quod in aliquo habitare possit Pater, aut Filius, in quo non habitat Spiritus sanctus, aut in aliquo Spiritus sanctus in quo non et Pater et Filius? Unde fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam sed non ubique per divinitatis et inhabitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem ubi procul dubio gratia dilectionis ejus agnoscitur, non dicimus Pater noster qui es ubique, cum et hoc verum sit, sed *Pater noster qui est in cœlis* (*Matth.* VI), ut templum ejus in oratione potius commemoremus

B quod et nos ipsi esse debemus; et in quantum sumus in tantum ad ejus societatem et adoptionis familiam pertinemus. Cum igitur qui ubique est non in omnibus habitat; etiam in quibus habitat non æqualiter habitat. Nam unde est illud quod Eliseus poposcit ut dupliciter in eo Spiritus Dei fieret qui erat in Elia ? (*II Reg.* II.) Et unde in omnibus sanctis sunt alii sanctiores nisi abundantius habendo habitatorem Deum? Quomodo ergo verum est quod superius diximus, quod Deus ubique sit totus, quando in aliis est amplius, in aliis minus ? Sed non est negligenter intuendum quod diximus : In seipso est ubique totus ; non ergo in eis, quia alii plus eum capiunt, alii minus. Ideo enim ubique esse dicitur, quia nulli parti

C rerum absens est. Ideo totus, quia non uni parti rerum partem suam præsentem præbet ; et alteri parti alteram partem ; æquales vero æqualibus : minori vero minorem majorique majorem. Non solum universali creaturæ, verum etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest. Porro etiam quod parum distincte putavimus posse intelligi, cum diceremus Deum esse ubique totum, nisi adderemus in seipso ideo diligentius exponendum. Quomodo enim ubique in seipso ? Ubique scilicet, quia nusquam est absens, in seipso autem quia non continetur ab eis quibus est præsens, tanquam sine his esse non possit. Sicut autem nec ab illo abest in quo non habitat, et totus adest, quamvis ille eum non habeat, ita et in illo in quo habitat

D totus est præsens, quamvis non ex toto eum capiat. Neque enim ad habitandum dividit se per hominum corda seu corpora ; aliam sui partem huic tribuens ; illi aliam ; sicut lux ista per aditus et fenestras domorum sed potius si quemlibet sonum (cum res corporea et transitoria sit) surdus non capit, surdaster non totum capit, atque in his qui audiunt cum pariter ei propinquant, tanto magis alius alio capit, quanto est acutioris, tanto autem minus quanto est obtusioris auditus, cum ille non varie magis minusve sonet, sed in eo loco in quo sunt omnes æqualiter præsto sit. Quanto excellentius Deus natura incorporea et immutabilis et viva, qui non sicut sonus per moras temporum tendi et dividi potest ; nec spatio aereo tanquam loco suo indiget ubi præsentibus præsto sit, sed æterna stabilitate ipse in se manens totus

adesse rebus omnibus potest, et singulis totus, A quamvis in quibus habitat habeant eum pro suæ capacitatis diversitate, alii amplius, alii minus; amplius quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ædificat. Habitare etiam in hominibus adhuc animalibus, nondum spiritualibus, ideo dicitur Deus, quia in eis occulte agit ut sint templum ejus, idque in proficientibus et proficiendo perseverantibus perficit. Quamobrem Deus qui ubique præsens est, et ubique totus non in omnibus habitat, sed in eis tantum quos efficit beatissimum templum suum, vel beatissima templa sua, eruens eos a potestate tenebrarum, et transferens in regnum claritatis suæ quod incipit a regeneratione. Cum igitur habitationem ejus cogitas: unitatem cogita congregationemque sanctorum maxime in cœlis ubi propterea præcipue habitare dicitur; quia ibi fit voluntas ejus perfecta eorum in quibus habitat obedientia; deinde in terra ubi ædificans domum suam habitat in fine sæculi dedicandam. Christum autem Dominum nostrum unigenitum Dei Filium æqualem Patri, eumdemque hominis Filium quo major est Pater, et ubique non dubites esse totum præsentem tanquam Deum; et in eodem templo Dei esse totum præsentem tanquam inhabitantem Deum; et in loco aliquo cœli propter veri corporis modum.

PARS SECUNDA.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

CAPUT PRIMUM. *De gratia quæ per Christum* B *datur, et spiritu a capite in membra diffuso.*

Scriptum est quod *lex neminem ad perfectum duxit* (*Hebr.* VII). Lex enim ignorantiam docere potuit infirmitatem, adjuvare non potuit. Duo hic mala in homine fuerunt, et ex his cætera mala hominis omnia processerunt. Unum fuit ignorantia, alterum concupiscentia; ignorantia boni, concupiscentia mali. Ex ignorantia venit delictum, ex concupiscentia peccatum. Hæc igitur duo in homine ab initio fuerunt; sed ut cognosceret homo morbum suum, dimissus est totus sibi: ne forte gratiam superfluam judicaret; si prius infirmitatis suæ defectum non agnosceret. Positum est ergo tempus naturalis legis ut natura per se operaretur, non quod per se quidquam posset, sed C ut se non posse agnosceret. Illa ergo sibi relicta errare cœpit a veritate per ignorantiam, et convicta est de cæcitate; postmodum etiam convincenda de infirmitate. Data est lex scripta ut ignorantiam illuminaret, sed infirmitatem non corroboraret ut in ea parte homo qua defectum suum agnovit juvaretur. Ubi autem per se stare putavit, relinqueretur. Accepta ergo scientia veritatis per legem conari cœpit ut perficeret sed pressus concupiscentia quia gratiam adjuvantem non habuit, ab opere virtutis defecit. Convictus igitur in utroque est quia videlicet per se nec verum potest agnoscere nec bonum perficere. Post hæc itaque convenienter gratia data est quæ illuminaret cæcum, et sanaret infirmum; illuminaret igno- D rantiam, refrigeraret concupiscentiam; illuminaret ad cognitionem veritatis; inflammaret ad amorem virtutis. Propterea Spiritus in igne datus est ut lumen haberet, et flammam; lumen ad cognitionem, flammam ad dilectionem. Porro sicut spiritus hominis mediante capite ad membra vivificanda descendit sic Spiritus sanctus per Christum venit ad Christianos. Caput enim est Christus, membrum Christianus. Caput unum, membra multa, et constat unum corpus ex capite et membris et in uno corpore Spiritus unus. Cujus plenitudo quidem in capite est participatio in membris. Si ergo corpus unum est, et spiritus unus qui in corpore ipso non est, a Spiritu vivificari non potest sicut scriptum est: *Qui non habet Spiritum Christi hic non est ejus* (*Rom.* VIII). Qui enim non habet Spiritum Christi non est membrum Christi. In corpore uno spiritus unus. Nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum. Per fidem membra efficimur, per dilectionem vivificamur. Per fidem accipimus unionem; per charitatem accipimus vivificationem. In sacramento autem per baptismum unimur, per corpus Christi et sanguinem vivificamur. Per baptismum efficimur membra corporis, per corpus autem Christi efficimur participes vivificationis.

CAP. II. *De Ecclesia, quid sit Ecclesia.*

Ecclesia sancta corpus est Christi uno Spiritu vivificata, et unita fide una, et sanctificata. Hujus corporis membra singuli quique fidelium existunt; omnes corpus unum, propter spiritum unum, et fidem unam. Quemadmodum autem in corpore humano singula quæque membra propria ac discreta officia habent, et tamen unumquodque non sibi soli agit quod solum agit, sic in corpore sanctæ Ecclesiæ dona gratiarum distributa sunt, et tamen unusquisque non sibi soli habet, etiam id quod solus habet. Soli enim oculi vident; et tamen sibi solummodo non vident sed toti corpori. Solæ autem aures audiunt nec tamen sibi solummodo audiunt, sed toti corpori. Soli pedes ambulant et non sibi tamen solummodo ambulant, sed toti corpori. Et ad hunc modum unumquodque quod habet solum in se non habet solummodo propter se quatenus secundum dispositionem optimi largitoris, et distributoris sapientissimi, singula sint omnium, et omnia singulorum.

Quisquis ergo donum gratiæ Dei percipere meruit sciat non ad se solum pertinere quod habet, etiam si solus habet. Hac itaque similitudine Ecclesia sancta, id est universitas fidelium, corpus Christi vocatur propter Spiritum Christi quem accepit, cujus participatio in homine designatur quando a Christo Christianus appellatur.

Hoc itaque nomen signat membra Christi participantia Spiritum Christi ut ab uncto sit unctus; quia a Christo dicitur Christianus. Christus

quippe unctus interpretatur; illo videlicet oleo lætitiæ,quod præ cunctis participibus suis secundum plenitudinem accepit et cunctis particibus suis quasi caput membris secundum participationem transfudit: *Sicut unguentum in capite, quod descendit* a capite *in barbam* et deinde usque *in oram* (*Psal.* CXXXII); hoc est, in extremitatem vestimenti defluxit ut ad totum efflueret, et totum vivificaret. Quando ergo Christianus efficeris, membrum Christi efficeris, membrum corporis Christi participans Spiritum Christi. Quid est ergo Ecclesia nisi multitudo fidelium, universitas Christianorum?

CAP. III. *De duobus parietibus Ecclesiæ, clericis et laicis.*

Universitas autem hæc duos ordines complectitur, laicos et clericos, quasi duo latera corporis unius. Quasi enim ad sinistram sunt laici qui vitæ præsentis necessitati inserviunt.

Non ita dico ad sinistram quemadmodum illi ad sinistram statuentur, quibus dicetur: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Absit a me ut bonos laicos ibi statuere præsumam! Nam qui boni erunt sive laici sive clerici ibi non erunt; et qui mali erunt sive laici sive clairici ibi erunt.

Non ergo ad illam sinistram laicos Christianos, qui veri Christiani sunt, constituo; sed ad illam sinistram de qua dicitur: *In dextera ejus longævitas vitæ; in sinistra autem ejus divinitiæ et gloria* (*Prov.* III). Quod enim ad sinistram in corpore est de corpore est et bonum est quamvis optimum non sit.

Laici ergo Christiani qui terrena et terrenæ vitæ necessaria tractant, pars corporis Christi sinistra sunt. Clerici vero quoniam ea quæ ad spiritualem vitam pertinent dispensant, quasi dextera pars sunt corporis Christi.

Sed constat his duabus partibus totum corpus Christi quod est universa Ecclesia. Laicus interpretatur *popularis*; Græce enim λαὸς Latine dicitur populus. Unde et βασιλεύς basileus rex dictus putatur; quasi βασις λαοῦ basis laoy, id est sustentamentum populi. Clericus dicitur a κλῆρος Græce, quod Latine interpretatum *sortem* sonat, sive quod ipse sorte sit electus a Deo ad servitium Dei, sive quod ipse Deus sors illius sit; et quod portionem aliam in terra habere non debeat; clericus nisi Deum et ea quæ ad partem Dei spectant, cui statutum est dicimis et oblationibus quæ Deo offeruntur sustentari. Laicis ergo Christianis fidelibus terrena possidere conceditur, Clericis vero spiritualia tantum committuntur, quemadmodum olim in illo populo priore cæteræ tribus quæ typum laicorum præferebant; portiones in hæreditate acceperunt. Sola tribus Levi quæ ecclesiasticos figurabat, decimis et oblationibus et sacrificiorum victimis pascebatur.

CAP. IV. *Duas esse vitas, et secundum duas vitas duos populos; et in duobus populis duas potestates, et in utraque diversos gradus et ordines dignitatum; et unam inferiorem, alteram superiorem.*

Duæ quippe vitæ sunt: una terrena, altera cœlestis; altera corporea, altera spiritualis. Una qua corpus vivit ex anima, altera qua anima vivit ex Deo. Utraque bonum suum habet quo vegetatur et nutritur ut possit subsistere. Vita terrena bonis terrenis alitur; vita spiritualis bonis spiritualibus nutritur. Ad vitam terrenam pertinent omnia quæ terrena sunt. Ad vitam spiritualem quæ spiritualia sunt bona omnia. Ut autem in utraque vita justitia servetur, et utilitas proveniat; primum utrinque distributi sunt, qui utriusque bona secundum necessitatem vel rationem studio ac labore acquirant.

Deinde alii qui ea potestate officit commissi secundum æquitatem dispensent, ut nemo fratrem suum in negotio supergrediatur; sed justitia inviolata conservetur. Propterea in utroque populo secundum utramque vitam distributo; potestates sunt constitutæ. In laicis quippe ad quorum studium et providentiam ea quæ terrenæ vitæ necessaria sunt, pertinent, potestas est terrena. In clericis autem ad quorum officium spectant ea quæ spiritualis vitæ sunt bona, potestas est divina. Illa igitur potestas sæcularis dicitur, ista spiritualis nominatur. In utraque potestate diversi sunt gradus, et ordines potestatum; sub uno tamen utrinque capite distributi, et quasi ab uno principio deducti, et ad unum relati. Terrena potestas caput habet regem. Spiritualis potestas habet summum pontificem. Ad potestatem regis pertinent quæ terrena sunt, et ad terrenam vitam facta omnia. Ad potestatem summi pontificis pertinent quæ spiritualia sunt, et vitæ spirituali attributa universa. Quanto autem vita spiritualis dignior est quam terrena, et spiritus quam corpus, tanto spiritualis potestas terrenam sive sæcularem potestatem honore, ac dignitate præcedit.

Nam spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet, ut sit, et judicare habet si bona non fuerit. Ipsa vero a Deo primum instituta est, et cum deviat, a solo Deo judicari potest, sicut scriptum est: *Spiritualis dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur (I Cor.* II). Quod autem spiritualis potestas (quantum ad divinam institutionem spectat) at prior sit tempore; et major dignitate; in illo antiquo veteris Instrumenti populo manifeste declaratur, ubi primum a Deo sacerdotium institutum est; postea vero per sacerdotium (jubente Deo) regalis potestas ordinata.

Unde in Ecclesia adhuc sacerdotalis dignitas potestatem regalem consecrat, et sanctificans per benedictionem, et formans per institutionem. Si ergo, ut dicit Apostolus, qui benedicit major est, et minor qui benedicitur (*Heb.* VII), constat absque omni dubitatione quod terrena potestas, quæ a spirituali benedictionem accipit, jure inferior existimetur.

CAP. V. *Quod omnis administratio ecclesiastica constat in tribus, hoc est in ordinibus, in sacramentis, in præceptis.*

Omnis ecclesiastica administratio in tribus constat: in ordinibus, in sacramentis, in præceptis. Ordines consideramus in personis prælatorum:

sacramenta in ministerio eorum. Præcepta in A conversatione subjectorum. Quæ singula propria consideratione egent. De ordinibus hoc primum attendum est, quod alii sunt secundum gradum differentem, sicut est diaconus et sacerdos; alii in eodem gradu secundum potestatem excellentem, sicut diaconus et archidiaconus. Unus gradus est in sacramento; non tamen una potestas in ministerio. Diaconus enim sacerdoti ministrat in sacramento corporis et sanguinis Christi. Archidiaconus autem hoc plus habet, quod præter ministerium altaris sub episcopo et vice episcopi curam habet Ecclesiarum; et causas ecclesiasticas examinat et ministeria dispensat. Similiter sacerdos et pontifex sive summus sacerdos unus gradus et in sacramento, diversa tamen potestas in ministerio; quia cum utrisque corporis et sanguinis Christi consecrandi, baptizandi, catechizandi, prædicandi, ligandi, solvendi, una quodammodo sit dignitas, pontificibus tamen Ecclesias dedicandi, ordines faciendi, manus imponendi, sacri chrismatis consecrandi, communem super populum benedictionem faciendi, singularis data est potestas. Sic itaque alia est, differentia graduum in sacris ordinibus; alia est in eodem gradu differentia dignitatum. Ordo autem alius est in potestate terrena vel sæculari, et alius in potestate spirituali.

Cap. VI. *De potestate terrena.*

Potestas terrena pertinet ad vitam terrenam. Et omnia quæ ad terrenam vitam spectant subjecta sunt terrenæ potestati. Hæc autem omnia dupliciter pertinent ad jus terrenæ potestatis, ut videlicet ipsa terrena potestas hæc et possidentibus secundum justitiam distribuat; et contra injustitiam impugnantium defendat. Sicut autem prælatorum debitum est subjectis possidenda juste dispensare, et eos contra injustitiam defendere, sic subjectorum debitum est secundum instituta legum et rationabiles consuetudines, prælatis et in se et in suis servitium exhibere.

Est autem servitium aliud determinatum, sicut census et tributum quæ annuatim solvuntur. Aliud fortuitum quod videlicet pro culpis ex casu accidentibus exigitur. Quod et ipsum licet secundum mensuram peccati legibus determinatum sit; in hoc tamen quodammodo determinatum non est, quia eventus ejus certus non est, neque exigi jure potest, nisi cum acciderit culpa pro qua persolvendum est. Hæc ergo est discretio terrenæ potestatis, ut sciatur quod Prælati subjectis, vel quod subjecti prælatis exhibere debent pro ipsa terra vel terrena substantia circa quam utrique debitum pensatur.

Cap. VII. *Quomodo Ecclesia terrena possideat.*

De his autem terrenis bonis ad terrenam vitam pertinentibus, quæ vel possident prælati in subjectis, vel subjecti possident a prælatis; quædam Ecclesiis Christi devotione fidelium concessa sunt possidenda; salvo tamen jure terrenæ potestatis. Sic enim rationabile est et bonum; quia Deus noster pacis amator est, et nihil inordinatum approbare potest vera justitia. Spiritualis siquidem potestas non ideo præsidet ut terrenæ in suo jure præjudicium faciat, sicut ipsa terrena potestas quod spirituali debetur, nunquam sine culpa usurpat. Sic igitur, quando hujusmodi quæ ad terrenam spectant potestatem Ecclesiis Christi conceduntur, ii quidem largitores sunt muneris, hoc solum concedere possunt in ea quod possident; quia nec subjecti id quod suis superioribus debetur ad aliam possunt transferre potestatem, nec prælati in his quæ juste a subjectis possidentur alienos possessores inducere. Hoc est ut nec prælati id quod subditorum est aliis tribuant, nec subjecti id quod prælatorum est immutare præsumant. B Notandum tamen quod principes terreni in terrenis possessionibus quas vel in subjectis, vel sine subjectis possident, Ecclesiæ aliquando concedunt solam utilitatem; aliquando et utilitatem et potestatem. Utilitatem sine potestate concedunt, quando fructum quidem possessionis ad usum Ecclesiæ transferri decernunt; sed potestatem justitiæ exercendæ in ipsa possessione ad ejus jurisdictionem transire non permittunt. Aliquando et potestatem et utilitatem simul tribuunt. Ubi tamen diligenter attendum est, quod licet Ecclesia fructum terrenæ possessionis in usum accipiat; potestatem tamen exercendæ justitiæ per ecclesiasticas personas, aut judicia sæcularia non potest exercere; potest tamen ministros habere laicas personas C per quas jura ac judicia ad terrenam potestatem pertinentia secundum tenorem legum, et debitum juris terreni exerceat. Sic tamen ut et ipsum quod potestatem habet a principe terreno se habere agnoscat; et ipsas possessiones nunquam ita a regia potestate elongari posse intelligat, quando si ratio postulaverit et necessitas, et illis ipsa potestas debeat patrocinium, et illi ipse posessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim regia potestas patrocinium quod debet alteri non potest dare; sic ipsa possessio etiam ab ecclesiasticis personis obtenta, obsequium quod regiæ potestati pro patrocinio debetur jure negare non potest. Sicut scriptum est: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII).

D Cap. VIII. *Quod modis in sæculari potestate determinanda est justitia.*

Sciendum vero est quod justitia illa quæ terrenæ potestati in subjectis data est, quinque modis determinatur, secundum personam, secundum causam, secundum modum, secundum locum, et secundum tempus. Nam quod aliquo modo licet, non statim omni modo licet, et ipsa justitia nisi juste exhibita fuerit, justitiæ nomen amittit. Quapropter quod licet perspiciendum est diligenter quomodo licet, et considerandi sunt modi quibus justitiæ forma determinatur. Secundum personam aliquid licet; et aliquid non licet quemadmodum sæculari judici in personam laicam si peccaverit manum mittere licet, in clericum non licet. Secundum causam justitia determinatur, ut videli-

cet negotia sæcularia a potestate terrena; spiritualia vero et ecclesiastica a spirituali potestate examinentur. Secundum modum sive mensuram justitia determinatur, cum videlicet quælibet culpa congrua et sibi convenienti pœna multatur, ut nec privatus amor in vindicta æquitatis aliquid subtrahat, neque odium privatum adjiciat debitæ severitati. Secundum locum et tempus determinatur justitia; si ubi et quando convenit judicium exercetur, et profertur veritatis sententia. Secundum personam ergo justitia violaretur; si judex sæcularis in ecclesiasticam personam manum mitteret. Secundum causam, si ecclesiastica negotia examinanda susciperet. Secundum mensuram, si mendacium vel maledictum suspendio puniret. Secundum locum, si loca sacra violare præsumeret; et confugientibus ad illa etiam reis et pro suis sceleribus condemnandis inordinate violentiam inferre tentaret. Secundum tempus si sacris et solemnibus diebus reverentiam non exhiberet, quando et his parcendum est quibus pro culpis suis supplicia debentur. His igitur modis secularis potestas justitiam exercere debet, legum instituta sequens, et nihil præter justitiam et veritatem approbans in judicando. Sæcularis autem potestas caput habet regem sive imperatorem ab illo per subjectas potestates duces, et comites et præfectos, et magistratus alios; descendens qui tamen omnes a prima potestate auctoritatem sumunt in eo quod subjectis prælati existunt.

Cap. IX. *De ornamentis regiis.*

Habet autem potestas sæcularis ornamenta quædam dignitatis suæ, quibus et excellentia ordinis ostenditur, et sacramentum ministerii figuratur. Annulus fidem, armilla bonam operationem, sceptrum justitiam, gladius vindictam, purpura reverentiam, diadema gloriam designat. Et hæc quidem in præsenti de sæculari potestate dicta sufficiant.

PARS TERTIA.

DE ECCLESIASTICIS ORDINIBUS.

Caput primum. *De potestate spirituali et ejus corona.*

Spiritualis potestas in clero ordinatur habens gradus et ordines dignitatum differentes. Primum signaculum clerici est corona, qua signatur ad partem sortis ministerii divini; cui servire regnare est. Corona quippe regale decus significat. Sic dicit beatus Petrus apostolus: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II). Propter hoc igitur coma capitis clerico in modum coronæ tondetur, et ipsa eapitis summitas desuper nudatur et revelatur, ut per hoc detur intelligi, quod ad regiam in Christo potestatem assumitur; et quod inter ipsum et Deum deinceps velamen esse non debet, ut revelata facie, et pura mente Domini sui gloriam contempletur. Summum capitis summum est mentis. Denudatio capitis illuminationem significat mentis.

Cap. II. *De Clericis.*

Clericus quippe secretorum Dei non ignarus esse debet, quia nuntius ejus est ad populum. Tondentur etiam capilli capitis usque ad apertionem et revelationem sensuum, id est oculorum et aurium ut eum ab audiendo et intelligendo verba Dei, terrenorum occupatio, quæ per capillos significantur, non impediat. Postquam autem clericus factus est debet deinceps de stipendiis Ecclesiæ sustentari, et sub tutela et custodia spiritualium magistrorum, scientia divina ecclesiastica disciplina erudiri, quatenus ad sacros ordines ministerii divini cum ratio poposcerit digne possit accedere. Nemo ad clerum assumendus est, nisi sub titulo certo. Qui enim caput non habent acephali sunt, non clerici.

Cap. III. *De tonsura Ecclesiastica.*

Tonsuræ autem ecclesiasticæ usus a Nazaræis exortus esse putatur, qui prius crine servato, denique ob vitæ continentiam caput radebant, et capillos in igne sacrificii ponebant. Hinc ususab apostolis introductus est, ut cui divinis cultibus mancipati Deo consecrantur quasi Nazaræi, id est sancti, crine posito inveniantur, sicut ad Ezechielem dicitur: *Tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, et duc super caput tuum et barbam* (*Ezech.* V; *Act.* XVIII). Hoc etiam in Novo Testamento Nazaræos illos Priscillam et Aquilam in Actibus apostolorum primum fecisse legimus. Paulum quoque apostolorum et quosdam discipulorum Christi qui in hujus modi cultu imitandi extiterunt, scilicet ut hoc signo vitia in corde et opere pullaulantia præcidenda doceantur.

Cap. IV. *Quomodo ordines sacris in monachis sint.*

Quidem volunt coronam aliquando pro signo accipiendam pœnitentiæ, quemadmodum in ordine monachorum, quibus est cæteri ordines sacri qui in clero sunt proprii, secundum indulgentiam conceduntur. Non enim in populo præesse possunt, nec spiritualis dignitatis in Ecclesia curam suscipere, donec ad clerum assumantur. Propterea quod in illis et sacri signaculi, ad indulgentiam est, non pro potestate prælationis in populo Dei, sed ne in ipso quoque habitu pœnitentiæ quo se sponte propter Deum sequestraverunt, sacrosanctam corporis et sanguinis Christi communionem vel habere non possint, vel extra ad impedimentum quietis suæ requirere compellan-

tur. Ut ergo intrinsecus quietius vivant, ordines ministerii divini per indulgentiam ipsis conceduntur; non ad exercendam prælationem in populo Dei, sed ad celebrandam intrinsecus communionem sacramenti Dei, quod tamen principio non ita fuisse dicunt. Monachi quippe et ermeum habitantes olim presbyteros habuisse leguntur.

Cap. V. *De septem gradibus sacris.*

Primum igitur signaculum clerici corona est, quo in partem ministerii sacri consignatur. Sequuntur deinde septem graduum promotiones, in quibus per spiritualem potestatem altius semper ad sacra tranctanda conscendit, primus gradus est ostiariorum; secundus lectorum; tertius exorcistarum; quartus acolytharum; quintus subdiaconorum; sextus diaconorum; septimus sacerdotum. Hic gradus dispares in eodem ordine habet dignitates. Nam post sacerdotes altiores sunt principes sacerdotum, id est episcopi. Supra quos iterum sunt archiepiscopi; et supra illos qui dicuntur primates, supra quos quidam patriarchas constituere volunt; alli eosdem primates et patriarchas dicunt. Nos tamen quatuor tantum ex antiquo Ecclesiæ usu patriarchas nominatos invenimus. Primum Alexandrimum, secundum Hierosolymitanum; tertium Antiochenum; quartum Aquileiensem, qui post Grandensis dictus est, nisi forte secundum proprietatem linguarum iidem ipsi alibi patriarchæ; alibi primates appellati sint. Post hos omnes sequitur summus pontifex quem papam, id est patrum Patrem consuetudo ecclesiastica nominare instituit. Hic est principalis et maximus sedis apostolicæ in Ecclesia Romana successor, unde et ipsum specialiter apostolicum sancta Ecclesia nominare cousuevit. Cui vice Petri principis apostolorum præsidenti, omnis ecclesiasticus ordo obtemperare debet, qui solus prærogativa dignitatis claves habet ligandi omnia et solvendi super terram. Isti ergo ordines sacri diversis locis per orbem terrarum (quacunque sanctæ Ecclesiæ corpus diffusum est) disponuntur; non solum voluntaria ordinatione spiritualium Patrum, sed ex ipso quoque gentilitatis usu convenienti ratione assumpta. In illis siquidem civitatibus ubi olim gentiles flamines suos constituere consueverant; ibi nunc episcopi sunt ordinati. Ubi vero archiflamines dispositi fuerant archiepiscopi successerunt. Lege librum Clementis, illic invenies quomodo beatus Petrus per diversa orbis terrarum loca principes ecclesiarum disponi instituit. Septem ergo spiritualium officiorum gradus proinde in sancta Ecclesia secundum septiformem gratiam distributi sunt, quos Dominus Jesus Christus ejusdem spriritus plenitudinem habens, omnia in semetipso exhibuit; et corpori suo, id est Ecclesiæ imitanda reliquit, cui ipsius spiritus participationem concessit.

Cap. VI. *De ostiariis.*

Inter hos septem gradus spiritualis officii primus est eorum quo ostiarii dicuntur, qui in Veteri Testamento olim janitores vocabantur. Ad A officium ostiarii pertinent claves ecclesiæ, ut claudat et aperiat horis competentibus templum Dei, et omnia quæ sunt intus extraque custodiat, fideles recipiat, excommunicatos et infideles ejuciat. Ostiarius cum ordinatur postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradit ei episcopus claves Ecclesiæ de altario dicens ei: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ his clavibus recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes et ementes de templo ejecit. Ipse quippe ostiarius dicit: *Ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur, et ingredietur, et ingredietur et* B *pascua inveniet* (*Joan.* x).

Cap. VII. *De lectoribus.*

Secundus gradus est lectorum, qui formam et initium a prophetis accepit. Sunt enim lectores qui Verbum Dei annuntiant, quibus dicitur; *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isai.* LVIII). Hi cum ordinantur primum de vita ipsorum, et fide, et ingenio, episcopus ad populum Verbum facit; deinde eis vidente populo ab episcopo codex traditur divinarum lectionum, et dicitur eis: Accipite et estote Verbi Dei relatores, habituri (si fideliter et utiliter impleveritis officium) partem cum his qui verbum Dei ministraverunt. Ex hoc ergo potestatem habent in Ecclesia coram populo propheticas et apostolicas lectiones reci- C tandi. Hi quidem qui ad hunc gradum promoventur litterarum scientia debent esse instructi ut eorum quæ legunt sensum intelligant; in pronuntiatione vim accentuum agnoscant, distincte legant, ne confusione pronuntiationis intellectum auditoribus tollant. Considerant quid sit indicave legendum, quid sub interrogatione pronuntiandum, ubi sit in oratione distinctio, vel media distinctio, media facienda, quia et hæc male servata intellectum perturbant, et grammaticorum typum gerentes ad irrisionem provocant. Vox lectoris auribus et cordi consulere debet, non oculis, ne motu vel gestu indisciplinato spectatores magis ex seipso faciat, quam auditores, æque effractum et femineum quam agrestem et D rusticum sonum devitans. Lectores enim olim præcones vel proclamatores vocabantur, quia in populo vocem faciunt. Hoc officium Dominus in propria persona ostendit, quando in medio seniorum librum Isaiæ prophetæ aperiens, distincte ad intelligendum legit: *Spiritus Domini super me evangelizare pauperibus misit me* (*Luc.* IV; *Isa* LXI). Ex quo lectoribus intelligi datur, quod gratia spirituali clarere debent, qui populo verbum Dei annuntiant.

Cap. VIII. *De exorcistis.*

Tertio loco sequitur ordo exorcistarum, qui super catechumenos faciunt sacramentum apertionis, et habent spirituale imperium super spiritus immundos, ut eos de corporibus obsessis ejiciant. Debet autem habere spiritum mundum qui spiritibus immundis imperat, ut vita ab officio non

discordet, et malignum quem per acceptum officium expellit de corpore alieno, per munditiam vitæ expellat de corde suo. Hi cum ordinantur accipiunt de manu episcopi librum exorcismorum, et dicitur eis: Accipite et memoriæ commendate, et habetote potestatem imponendi manus super energumenos, sive catechumenos.

Exorcistæ in ordine et ministerio Ecclesiæ constituti sunt secundum officia quæ in templo Salomonis erant disposita. Quæ posterius sunt ab Esdra dispertita. Leguntur enim sub esdra fuisse actores templi filii servorum Salomonis, qui actum templi totius sub cura sua haberent; aut sacris oblationibus deservirent. Et cum fuissent ex ordine in ministerio templi, longe tamen fuerunt ab officio altaris Dei. Neque enim psalmistis, id est cantoribus, nec ostiariis, nec sacrarum servis attingere licebat ad munera altaris, nisi tantummodo levitis. Quasi ergo actores quidam spirituales templi Dei exorcistæ sunt in populo Dei, qui de substantia Domini sui sibi in donis sprititualibus tradita, in spiritualibus ædificiis dilapsa restituant, et reparent dissipata. Exorcistas significat Apostolus cum dicit: *Nunquid omnes donationes habent sanationum?* (*I. Cor.* XII.) Hoc officio usus est Deus quando saliva sua tetigit aures et linguam surdi et muti, dicens: *Ephpheta, quod est adaperire* (*Marc.* VII); hoc exemplo nos docens spiritualiter aperire debere aures præcordiorum hominum, ad intelligendum, et ora ad confitendum, ut, expulso dæmone, Spiritus sanctus vas suum recipiat. Similiter hoc officium exhibuit, quando de Maria Magdalena septem dæmonia ejecit (*Marc.* XVI; *Luc* VIII).

Cap. IX. *De acolythis.*

Quarto loco succedunt acolythi, qui Latine dicuntur ceroferarii, quia accensos cereos deferunt, dum legitur evangelium, vel dum offertur sacrificium. Non ut tenebras hujusmodi aeris illuminent, sed ob hoc ut sicut visibile lumen manibus gestant, ita opera lucis proximis ostendant, et more lucis, errantibus viam in tenebris palpantibus ducatum præbeant. Hi cum ordinantur postquam edocti fuerint ab episcopo qualiter in officio suo agere debeant, accipiunt ab archidiacono ceroferarium, id est candelabrum cum cereo, ut sciant se ad accedenda luminaria mancipari. Accipiunt et urceolum vacuum ad infundendum vinum in calicem, quo consecrandus est sanguis Christi, ut sit commemoratio sanguinis de Christi latere profluentis, et aquæ inde procedentis. Quæ duo ideo in calice commiscentur, quia Christi sanguine sumus redempti, et aqua baptismatis a peccatis abluti. Hoc officium se habere Dominus in Evangelio testatur, dicens: *Ego sum lux mundi qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII.)

Cap. X. *De subdiaconis.*

Quinto loco est ordo subdiaconorum qui apud Græcos ὑπο διάκονοι vocantur. Isti sunt qui in Esdra Nathanei, id est in humilitate Domino servientes appellantur, ex quorum ordine fuit ille

A Nathanael, qui in Evangelio Salvatorem confiteri, et ab ipso meruit collaudari, dicente Domino: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I). Isti subserviunt levitis, et vasa corporis et sanguinis Christi ipsis ad altare deferunt, et iterum referunt.

De quibus quidem Patribus placuit, ut cui sacra mysteria contrectant, legem observent continentiæ, sicut scriptum est: *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII). Hi in templo Domini oblationes suscipiunt a populis. Ad istorum provisionem pertinet tantum de oblationibus ponere in altari, quantum sufficere possit populo Dei. Similiter ipsi corporales pallas et substratoria lavare, et aquam in baptisterium vergere debent;

B urceum quoque et aquam manile et manutergium tenere, episcopo et presbytero, et levitis, pro lavandis manibus ante altare aquam præbere. Hi cum ordinantur sicut sacerdotes et levitæ manus impositionem non accipiunt, sed tantum calicem vacuum et patenam vacuam de manu episcopi.

De manu vero archidiaconi urceolum cum aqua manile seu mantile, et manutergium, quibus mundare debent manus sacerdos et levita tractaturi divina sacramenta. Hoc officio usus est Dominus, quando facta cœna cum discipulis linteo se præcinxit, et mittens aquam in pelvim pedes discipulorum lavit, et linteo extersit (*Joan* XIII).

Cap. XI. *De Diaconis.*

C Diaconorum ordo sexto sequitur loco, non sine aliquo senarii mysterio, in quo propter perfectionem sui significatur operum perfectio. Hic ordo in veteri Testamento a tribu Levi habuit exordium. Præcepit enim Deus Moysi ut post ordinationem Aaron et filiorum ejus, rursus tribus Levi ad divini cultus ministeria ordinaretur, et consecraretur Domino, et servirent pro Israel coram Aaron et filiis ejus in tabernaculo Dei; ipsique gestarent arcam et tabernaculum, et omnia vasa ejus, et in circuitu tabernaculi ipsi castra constituerent, et in transportando tabernaculo ipsi deponerent, rursusque ipsi componerent. A viginti autem annis et supra jussi sunt servire in tabernaculo. Quam regulam etiam sancti Patres

D in Novo Testamento constituerunt, quoniam hæc ætas ad portanda onera robusta est, quod illi ordini a Moyse institutum est. Quod etiam in Novo Testamento repræsentatur, cum diaconis supra sinistrum humerum stola ponitur, et casula in diebus jejunii super eumdem humerum complicatur; quia quidquid laboris et sustinentiæ in hac vita toleramus, tanquam in sinistra portamus, donec in dextera; hoc est, in æternitate requiem habeamus. Hic ordo in Novo Testamento ab apostolis initium sumpsit, quando sic legitur in Actibus apostolorum. Apostoli *septem viros boni testimonii plenos Spiritu sancto* (*Act.* VI) ad hoc officium elegerunt: *et oratione præmissa manus eis imposuerunt* (*ibid.*). Et exinde apostoli et eorum successores decreverunt, ut in omni matrice Ecclesia septem diaconi circa Aram Christi subli-

minori gradu, tanquam columnæ altaris assisterent, etiam non sine aliquo septenarii mysterio. In quo figuratur ut septiformis gratiæ spiritu fulgentes, sancti sint corpore et spiritu. Hi sunt septem angeli in Apocalypsi tuba canentes (*Apoc.* VIII) Hi sunt septem candelabra aurea (*Apoc.* I). Hi voces tonitruorum (*Apoc.* IV). Ipsi enim clara voce in mundum præconis admonent cunctos, sive ad orandum, sive ad genua flectenda, sive ad psallendum, sive ad legendum, et audiendum verbum. Ipsi evangelizant, ipsi sacramenta Dei dispensant. Sine ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti. Ipsis etiam sacerdotibus propter præsumptionem non licet calicem domini in mensa tollere, nisi traditus eis fuerit a diacono. Levitæ hostias super altare ponunt, ipsi mensam Domini componunt. Levitæ operiunt arcam testamenti, quia non omnes videre debent aut possunt alta mysteriorum quæ operiuntur a levitis. Ipsi albis induti vestibus assistunt altari, ut candore vestis munditia vitæ significetur, nitidique ad hostias et immaculati accedant. Tales enim Dominum decet habere ministros, qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed perfecta mentis et corporis castitate splendeant. Quales enim diaconi ordinandi sint, Apostolus plenissime docet scribens ad Timothæum (*I Tim.* III). Nam cum præmisisset de sacerdotum electione, continuo subjunxit: *Diaconos similiter* irreprehensibiles; hoc est, sine crimine: sicut episcopos *pudicos*, hic est a libidine continentes: *non bilingues*, ne turbent habentes pacem: *non multo vino deditos*, quia ubi ebrietas, ibi libido et furor dominatur: *non turpe lucrum sectantes*, ne de cœlesti militia lucra terrena sectentur. Post hoc subjecit: *Hi autem probentur primum; et sic ministrent nullum crimen habentes.* Et hi itaque sicut episcopi ante ordinationem probari debent; et si digni inventi fuerint, sic demum ad sacrum ministerium admitti. Hi cum ordinantur, solus episcopus manus eis imponit, quia ad ministerium non ad sacercerdotium applicantur, ponitur eis orarium, id est stola super sinistrum humerum ab episcopo, ut hoc agnoscant se accepisse jugum Domini; quo omnia ad sinistram, id est, præsentem vitam pertinentia adversa fortiter tolerent, et divino timori subjiciant. Accipiunt et textum Evangeliorum de manu episcopi, per quem intelligant se esse præcones Evangelii Christi. Nam sicut lectoribus Vetus Testamentum, ita diaconis novum prædicare præceptum est; præcipue evangelium quod solis ipsis in Ecclesia pronuntiare licet. Ad ipsos pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena et calice. Oblationes etiam inferre et disponere in altari, componere etiam mensam Domini atque vestire, crucem ferre et prædicare Evangelium et apostolum. Ad ipsos quoque pertinet officium precum, et recitatio nominum. Ipsi præmonent aures ad

A Dominum, ipsi hortantur orare. Ipsi clamant, et pacem ipsi annuntiant. Hoc officio usus est Dominus, quando post cœnam proprio ore et propriis manibus sacramenta confecta dispensavit, et quando apostolos dormitantes ad orationem incitavit, dicens: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI).

CAP. XII. *De presbyteris.*

Septimo loco subsequitur ordo presbyterorum, qui in Veteri Testamento a filiis Aaron sumpsit initium. Nam qui tunc secerdotes vocabantur, hi sunt qui nunc appellantur presbyteri, et qui tunc dicebantur, principes sacerdotum, nunc episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur *seniores*, quia seniores Græci presbyteros vocant.
B Debent enim presbyteri seniores esse in populo Dei; non tantum ætate corporis, quantum prudentia morum et maturitate bonæ conversiationis, sicut scriptum est: *Senectus venerabilis est, non diuturna neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV). Distat autem hoc tantum inter pontifices, et hujus temporis sacerdotes, quod solis pontificibus addita est clericorum ordinatio. Basilicarum dedicatio, sacri chrismatis consecratio, manus impositio, et communis super populum benedictio. In aliis autem sacramentis sive scilicet catechizandi, sive baptizandi, sive missam celebrandi, et consecrandi corporis sanguinis Christi sacramentum, sive in Ec-
C clesia verbum faciendi, communis est utrisque dispensatio. Summis ergo sacerdotibus supradicta idcirco singulariter reservata sunt ne eadem prorsus auctoritas potestatis ab omnibus passim vindicata, inferiores erga superpositos insolentes redderet, et soluto obedientiæ vinculo scandalum generaret. Presbyteri successores et vicarii sunt septuaginta discipulorum qui præcedebant Dominum Jesum in omnem civitatem et locum quo ipse erat venturus (*Luc.* X). Ita quippe presbyteri qui adjutores sunt episcoporum, rudes populo catechizando initiant, baptizando unitati Ecclesiæ incorporant, et in sacramentis usque ad manus impositionem populo Dei ministrant. Episcopi vero successores sunt apostolorum, qui ex neces-
D sitate ad adjutorium et supplementum sui officii, in tanta multitudine populorum regendorum ministerium sibi expetunt sacerdotum. Sicut Moyses in eremo septuaginta viros elegit prudentes, quorum consilio et auxilio multitudinem tantam facilius gubernaret. Sive inferioris sive superioris sint ordinis sacerdotes, id est sive presbyteri sive episcopi, vicem gerunt summi pontificis, dum populos delinquentes ad pœnitentiam vocant, et orationum suarum medicamento sanant. Unde Apostolus dicit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Obsecramus ergo pro Christo reconciliamini Deo* (*II Cor.* V). In hoc igitur vice mediatoris funguntur sacerdotes, quod Deum pro peccatis populi exorant, et pœnitentes absolvendo reconciliant. Quapropter convenit ut

tanquam boni mediatores inter homines et Deum, A et præcepta Dei ad populum deferant, veritatem prædicando, et preces populi Deo offerant pro peccatoribus intercedendo. *Mediator autem*, ut ait Apostolus, *unius non est* (*Galat.* III), quia discordes reconciliare non potest, qui utrinque societatis pace, et amicitiæ vinculo concors non est; sed idcirco sacerdotes cum Deo pacem habere per eminentiam sanctitatis, et cum proximis concordiam servare debent, per affectum compassiones. Quales ergo debeant esse presbyteri Apostolus scribens ad Titum insinuat, dicens: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros quemadmodum tibi disposui. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir habet filios fideles, non in accusatione luxu-* B *riæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum esse sine crimine* (*Tit* I). Qua sententia ostendit etiam presbyteros sub episcoporum nomine taxari. Unde et ad Timotheum de ordinatione episcopi et diaconi scribit de presbyteris tacens, quos sub nomine episcoporum intelligendos reliquit. Quapropter tales etiam in Ecclesia presbyteros constituendos esse, sicut episcopos, et Apostolus asserit et canones apostolicam auctoritatem secuti testantur. Presbyteri cum ordinantur; episcopo eos benedicente, et manus super capita eorum tenente, omnes presbyteri qui præsentes sunt manus juxta manum episcopi super capita eorum levant, et Spiritum sanctum super eos qui ordinantur invocant. Unguntur presbyteris manus C sicut episcopis, ut cognoscant se hoc sacramento gratiam consecrandi accipere, et opera misericordiæ erga omnes pro viribus exercere debere. Unctio capitis specialiter ad episcopum pertinet, ut intelligat se vicarium illius esse de quo scriptum est: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ* (*Psal.* XLIV). Hi post invocationem sancti Spiritus stolam super utrumque humerum accipiunt, quæ in modum sustentaculorum dextrum latus munit et sinistrum, ut ex hoc intelligant se per arma justitiæ a dextris et a sinistris esse munitos, ut eos nec adversa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt et calicem cum vino, et patenam cum hostiis de manu episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, D placabiles Deo hostias offerendi. Ad ipsos pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, et benedicere dona Dei. Hoc officio usus est Dominus noster Jesus Christus, quando post cœnam panem et vinum in corpus et sanguinem suum commutavit, ut in memoriam suæ passionis idem facerent discipulos moriens instituit. Hoc quoque excellenter officium implens exhibuit, quando ipse sacerdos et hostia seipsum in arca crucis propter peccata generis humani obtulit, et proprium sanguinem sancta æterna ingrediens cœlestia et terrena pacificavit. In quo apparet quanta sit excellentia sacerdotalis officii, per quod quotidie in altari passio Chisti celebratur, et reus quisque a peccatis conversus Deo reconciliatur. Quibus omnibus de sacerdotali officio breviter pertractatis admonendi sunt Christi sacerdotes, quatenus sicut excellunt ordinis dignitate, sic excellant vitæ sanctitate, ut plebs eis commissa atque eorum disciplinis edocta, gratanter eis obediat, et eorum imitatione de die in diem proficiat.

Cap. XIII. *De episcopis.*

Sacri canones definiunt nullum in episcopum eligendum, nisi qui prius in sacris ordinibus religiose fuerit conversatus. Sacros autem ordines diaconatus et presbyteratus tantum appellandos censent; quia hos solos primitiva legitur Ecclesia habuisse, et de his solis præceptum habemus apostoli. Subdiaconos tamen quia et ipsi sacris altaribus administrant, opportunitate exigente in episcopos eligi concedunt. Sed rarissime et ipsum non sine Romani pontificis sive metropolitani licentia; si tamen spectatæ sit religionis, et probabilis scientiæ. Ad episcopum specialiter pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris, et confectio chrismatis, manus impositio, et communis super populum benedictio. Ipse prædicta officia et ordines ecclesiasticos distribuit, ipse sacras virgines benedicit. Dum enim præcessit unusquisque in singulis, iste præordinator est in cunctis. Nullus episcopus alium in episcopum sine metropolitani consensu consecrare debet, nec metropolitanus ordinare episcopum nisi tribus ad minimum episcopis præsentibus, aliis omnibus qui in eadem provincia sunt episcopis assensum dantibus. Cum vero ordinatur, duo episcopi ponunt et tenent Evangeliorum codicem super caput, et super verticem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi qui absunt manibus suis caput ejus tangunt. Ungitur autem sacra unctione caput ejus, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cujus virtus invisibilis in ipsa Chrismatis sancti unctione, et significatur, et confertur. Ordinando autem pontifex manum imponit. Evangelicam vero lectionem diaconus legit; confirmationis autem epistolam notarius scribit. Denique et ordinator et ordinatus in ipsa ordinatione uterque missam celebrare debet. Et hæc quidem forma consecrandis pontificibus a sanctis Patribus tradita est.

Cap. XIV. *De archiepiscopis.*

Sed quando archiepiscopus electus ordinandus fuerit, omnes ejusdem provinciæ episcopi ad sedem metropolitanam convenire debent, ut ab omnibus ipse ordinetur. Oportet enim ut ipse qui illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur et ordinetur, alioquin cassa judicatur consecratio. Statutum est autem ut archiepiscopus intra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam et pallium suscipiendum ad apostolicam sedem mittat, quod amplius habere episcopo dignoscitur. Archiepiscopus enim episcopis præest, et pallium portat.

Cap. XV. *De summo pontifice.*

Quia sedes apostolica cunctis in orbe terrarum

præfertur Ecclesiis, atque supra se metropolitanum habere non potest: cardinales episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum antistitem ad apostolici culminis apicem provehunt. Facta autem electione si forte casus vel violentia aliqua obstiterit, ut is qui electus est in apostolica sede juxta consuetudinem inthronizari non valeat; electus tamen quemadmodum statutum est, sicut papa, auctoritatem obtinere debet regendi sanctam Romanam Ecclesiam et disponendi facultates illius.

Cap. XVI. *De cæteris officiis quæ sunt in clero.*

Hi sunt ordines et ministeria clericorum. Quæ tamen in auctoritatem pontificalem, in archidiaconi curam, et primicerii ac thesaurarii sollicitudinem dividuntur.

Cap. XVII. *De archidiaconis.*

Archidiaconus imperat subdiaconis et levitis, ad quem ista pertinent ministeria. Sollicitudo parochiarum et ordinatio, et jurgia ad ejus pertinent curam. Pro reparandis diœcesanis basilicis ipse suggerit sacerdoti, ipse inquirit parochias cum jussione episcopi, et ornamenta vel res basilicarum, vel parochiarum; gesta libertatum ecclesiasticarum episcopo idem refert, collectam pecuniam de communione ipse accipit et episcopo defert, et cætera quædam episcopalis providentiæ ministeria sub episcopo quasi in partem curæ advocatus, in causis ecclesiasticis examinandis dispensat.

Cap. XVIII. *De primicerio.*

Ad primicerium pertinent acolythi, exorcistæ, lectores atque psalmistæ, id est cantores. Signum quoque dandum pro officio clericorum, pro vitæ honestate, et officium cantandi peragendi sollicite: lectiones, benedictiones, psalmos, laudes, offertorium et responsoria: quis clericorum dicere debeat. Ordo quoque et modus psallendi in choro pro solemnitate et tempore. Ordinatio quoque pro luminaribus deportandis, si quid etiam necessarium est pro reparatione basilicarum, quæ quales sunt in urbe, ipse denuntiat sacerdoti. Epistolas episcopi pro diebus jejuniorum parochianis per ostiarios dirigit. Clericos quos delinquere cognoscit, ipse distringit; quos vero emendare non valet, eorum excessum ad agnitionem episcopi defert. Basilicarios ipse constituit, et matriculas ipse disponit. Quando autem primicerius absens est, ea quæ prædicta sunt ille exquirit, qui ei aut lege est proximus, aut eruditione his explendis certus.

Cap. XIX. *De thesaurario.*

Ad thesaurarium pertinent ostiarii, basilicarum ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, præparatio luminarium in sacrificio et sacrificiis.

Cap. XX. *Quando et quomodo ordinationes sint faciendæ.*

Ordinationes autem sacras, scilicet presbyterorum et diaconorum non nisi certis temporibus A fiari debere sancti Patres decreverunt, id est jejunio quarti mensis et septimi, et decimi, et initii quadragesimalis ac medianæ quadragesimæ die Sabbati circa vesperam jejunio celebrato. Quando vero episcopus ordinationes facere disponit, omnes qui ad sacrum ordinem accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem evocandi sunt ad civitatem, una cum presbyteris qui eos præsentare debent. Tunc ergo episcopus e latere suo eligere debet sacerdotes, et alios prudentes viros, gnaros legis divinæ, et exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum et vitam et scientiam sine favoris gratia, aut numeris cupiditate, secundum veritatem diligenter investigent, ut sic per tres continuos dies diligenter examinati, B Sabbato tandem qui probati fuerint episcopo consecrandi præsententur: benedictiones vero pontificum diebus tantum Dominicis celebrandas esse sacri canones sanxerunt.

Cap. XXI. *Quæ ætate ordinandi sunt qui ordinantur.*

(4) De ætate vero ordinandrum talem nobis definitio sacræ Scripturæ discretionem reliquit. Ut subdiaconus quidem non ordinetur ante quartuordecim annos; nec diaconus ante viginti quinque, nec presbyter ante triginta, quatenus deinceps si dignus inventus fuerit in episcopum eligi possit.

Cap. XXII. *Quod sine certo titulo ordinandi non sunt sacerdotes.*

Quod autem sine certo titulo presbyter aut diaC conus ordinari non debeat, dicere quid refert, cum etiam si perfectionem ecclesiasticæ disciplinæ sequeremur aliter in clerum assumendus non esset.

Cap. XXIII. *Quales sunt eligendi ad sacros ordines et quales non.*

De vita autem et conditione eorum qui ad sacros ordines eliguntur multa nobis patres documenta reliquerunt.

Nam quid a sacris ordinibus non impediat eos qui probatæ fuerint conversationis placuit definire. Qui a medicorum incisione forte claudi efficiuntur, vel pro ægritudine sive per violentiam absciduntur; et qui non sponte, sed casu aliquod membrum sibi amputaverunt; si tamen tale fuerit ut ab opere administrationis non impediat, et laici qui non concubinam nec pellicem norunt, D nec bigami exstiterunt, et in cæteris sine crimine vixerunt; liberi quoque qui a dominis suis ita manumissi sunt, ut in eis nullum obsequii jus aut potestatem observaverint et sine crimine vixerint, hos in clerum assumi posse sine contradictione sanxerunt. Publice vero pœnitentes, criminosos, illiteratos, bigamos, repudiatarum maritos, ex adulterio natos, ab hæreticis baptizatos, et qui seipsos absciderunt, a sacris ordinibus arcendos, et energumenos in clerum non recipiendos. Sed et filios presbyterorum ad sacros ordines non admittendos, nisi quos vel habitus religionis, vel spiritualis vitæ honestas commendat. Pœnitentes vero si necessitas exegerit inter ostiarios deputari,

(4) Vide concilium Tridentinum, sess. 23 in decreto de reformatione, capp. 12, 13 et 14.

A vel inter lectores, ita ut Evangelium vel Epistolam non legant. Si autem ordinatii sunt inter subdiaconos haberi concedunt, ita ut manum non imponant, nec sacra contingant. Pœnitentes autem dicimus eos qui post baptismum pro homicidio, aut pro diversis criminibus, aut gravissimis peccatis, publicam gerentes pœnitentiam sub cilicio, divino fuerint altario reconciliati. Similiter transmarinos et incognitos homines, sive clericos aliarum ecclesiarum, neque ordinari neque ordinatos recipi concedunt, sine commendatitiis litteris episcoporum suorum.

CAP. XXIV. *Qua ratione mutatio possit fieri ordinatorum.*

Mutatio episcoporum de suis locis ad alia loca
B nulla ratione debet fieri, nisi pro magna utilitate vel necessitate cogente. Et hoc quidem non per ipsos fieri oportet, sed consilio et invitatione cœpiscoporum, atque auctoritate Romani pontificis. Mutatio similiter clericorum sive presbyterorum non sine magna discretione fieri debet, cum consilio et auctoritate episcoporum suorum. Clericum etiam in Ecclesiis duarum civitatum ascribi sacri canones vetant. Presbyteros quoque relicta cura Ecclesiarum suarum profectionem suscipere, sive ad orationes sive quolibet, inconsulto episcopo non oportere testantur. Determinant quoque quæ sint quæ necessario presbyteros scire oportet, scilicet librum sacramentorum, lectionarium, baptisterium, compotum, canonem, pœnitentialem, psalterium, homilias, per circulum anni Dominicis diebus et singulis festivitatibus aptas, et multa alia quæ de vita et conversatione sacrorum ordinum, vel rationabiliter dicta sunt, vel necessario facienda.

PARS QUARTA.

DE INDUMENTIS SACRIS.

CAP. I. *Quot et quæ sunt indumenta sacra.*

Nosse oportet Christi sacerdotes et ministros, quoniam idcirco singularis eis in sacro ministerio habitus attribuitur, ut per id quod foris apparet, quales intus esse debeant, ostendatur. Sacrarium autem vestium ritus : partim a Veteri Testamento assumptus est, partim a Patribus novis adjectus. Legimus (*Lev.* VIII) quod Moyses Aaron fratrem
C suum cum filiis suis ad ostium tabernaculi testimonii sanctificandum applicuit, et lotum aqua, tunica byssina vestivit: deinde zona præcinxit, et vestivit eum tunicam interiorem, et imposuit ei superhumerale, et cinxit eum secundum facturam superhumeralis, et imposuit super eum logion, id est rationale, in quo erat manifestatio et veritas; sed mitram imposuit super caput ejus, et super mitram in fronte ipsius laminam auream, in qua scriptum erat nomen Dei. Septem si prædicta enumeres instrumenta pontificicalis ornatus invenies scilicet tunicam byssinam, zonam, tunicam interiorem, superhumerale, rationale, mitram, et laminam auream, quibus si feminalia linea, quæ ritu sacro circa renes pontificis stringebantur, adjeceris, octo sunt sacerdotalia indumenta.

D CAP. II. *De tunica byssina.*

Tunica byssina est quæ Græce ποδήρης, id est talaris appellatur; quia a collo usque ad talos extenditur, quæ in novo quidem sacerdotio non de bysso solum, sed etiam de lino contexitur; quæ membris corporis modificata atque aptata, nihil superfluum aut dissolutum in vita sacerdotis esse debere ostendit. Hæc ob speciem candoris nomen Albæ sortitur, quo munditiam significat ministrorum Dei. Sicut scriptum est : *Byssinum sunt justificationes sanctorum* (*Apoc.* XIX). Caro quippe hominis munditiam quam ex natura non habet, studio bono adnitente acquirit per gratiam, ut secundum Apostolum minister Christi, corpus suum castiget, et in servitutem redigat (*I Cor.* IX), quemadmodum byssus vel linum candorem quem ex natura non habuit, per studium et industriam multis tunsionibus et quasi quadam vexatione attritum acquirit.

CAP. III. *De zona.*

Hæc vestis, id est tunica linea circa renes fortiter astringitur, ut castitas sacerdotis nullo incentivorum æstu dissolvatur, sicut scriptum est : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* V). Vestis quippe candida munditiam, zona vero continentiam significat, ut illic non sordescat, hic non effluat vita spiritualis. Hæc zona in Veteri Testamento quatuor coloribus distincta invenitur, id est bysso, purpura, hyacintho, cocco, quos varia interpretatione sive ad quatuor elementa, quorum complexione natura humana constat, ut totum quod hominis est stringatur et cohibeatur a fluxu vitiorum, sive quatuor principales virtutes animi, quibus homo ex omni parte cingi debet et muniri, referendos existimant.

CAP. IV. *De feminalibus lineis.*

Ob ejusdem castitatis et continentiæ signum quæ per tunicam et zonam designatur, hoc est etiam quod inter cætera sacra indumenta, feminalia linea circa renes ad sacrum ministerium ingredientium applicari jubentur; non tam ad turpitudinis velandæ (quæ solitis quotidiani usus indumentis tegebatur) necessitatem, quam ob conservandæ castitatis et munditiæ significationem. Neque vero existimandum in illo priori populo viros discooperta, aut non velata carne pu-

doris solitos incedere, ut intraturi ad sancta tunc A demum verenda tegere juberentur. Sed voluit sermo Dei in sacro officio ministros Dei ad tegenda infirma corporis proprium ac singulare operimentum habere, ut per hoc ostenderet pudicitiam et castimoniam illorum præcipue cum sancta tractarent, unicam et singularem esse debere. Unde ministri novi sacerdotii hoc operimentum in sacro officio singulare non assumunt, quibus est injuncta servandæ castitatis quotidiana necessitas, sicut quotidie est offerendi concessa potestas. Ministri vero veteris figuræ, tempore offerendi sacrificii femoralia sumunt, quæ ministerio expleto iterum solvunt: quoniam a contactu carnis vetus lex sancta tractaturos prohibuit, quos rursus expleta vice ad operam B carnalis commercii relaxavit. Reliqua autem duo, id est tunica linea et zona, Veteris et Novi Testamenti sacerdotibus communia esse noscuntur, quamvis nostrum sacerdotium zonam quatuor coloribus inter textam non requirat, fortassis superstitionis vitandæ causa aut inopia artificii inductum, contentum pura ac simplici continentia.

Cap. V. *De interiori tunica.*

Sequitur quartum indumentum, tunica interior, sive hyacinthina, qua in Veteri et in Novo Testamento soli utuntur pontifices. Et merito pontifex duabus induitur tunicis, qui debet de thesauro suo proferre nova et vetera: propter quod et ipsa tunica secunda interior appellatur, vel hyacinthina cujus color speciem cœli sereni imitatur, ut per C hoc intelligi detur, quod pontifex plus debet de cœlestibus cogitare quam de terrenis. Rectus ordo: prius in tunica linea et zona et feminalibus exprimitur munditia carnis: deinde per tunicam interiorem vel hyacinthinam significatur munditia cordis.

Cap. VI. *De superhumerali.*

Quinta vestis est superhumerale, quod Hebraice vocatur *Ephot*. Hoc in Testamento Veteri soli pontifices utebantur; eisdem quibus et zona fuerat distincta coloribus. Sub gratia autem hoc vestimentum tam sacerdotibus quam pontificibus commune est. Quod autem per quatuor colores in zona significari diximus, idipsum in superhumerali per eosdem quatuor colores significatum in- D venimus. Significat autem superhumerale fortitudinem operum, et patientiam laborum, pro eo quod ad portanda onera humeri supponuntur. Idcirco in ipso superhumerali duobus lapidibus pretiosis, quorum unus a dextro humero, alter vero a sinistro superpositus fuerat; nomina duodecim patriarcharum inscripta erant, sex in uno, et sex in altero, quia per nomina patriarcharum memoria sanctorum intelligitur, quam sacerdos a dextris et a sinistris, id est in prosperis et adversis cordi impressam semper habere et portare debet. Nostrum vero sacerdotium superhumerale similiter intextum non habet ut vetus, pro eo quod Christiana religio magis simplici veritati studere debeat quam superstitioni.

—

Cap. VII. *De rationali quod Græce logion dicitur.*

Sequitur deinde rationale sive logion, quod pectori pontificis superimponitur, ut in ejus corde sapientiam et discretionem inesse debere ostendatur. In ipso autem rationali posita sunt manifestatio et veritas, ut in doctrina sua pontifex nec aliud quam veritas suggerit, efficere præsumat, neque id quod a veritate intus hauserit ratione et opere approbare et manifestare desistat. Notandum vero quod ad invicem concatenantur rationale et superhumerale, quia cohærere et concordare debent, ratio et opera, ut quod mentis intellectu percipimus opere impleamus. Deinde etiam quia non prius rationale quam superhumerale nominatur, quoniam in schola virtutum opera præcedunt, ut sapientiam apprehendas, sicut scriptum est: *A mandatis tuis intellexi (Psal.* CXVIII). Et iterum: *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Postea manifestatio sequitur post rationale, ne docere præsumas quod prius non didiceris. Huic etiam concordat quod in ipso rationali duodecim lapides inserti erant duodecim patriarcharum nomina inscripta in se continentes, quia pontifex sanctorum Patrum exempla impressa memoriæ habere debet, et secundum ipsa facta sua moderari.

Cap. VIII. *De mitra quæ cydaris dicitur vel tiara, et de lamina aurea.*

Post cætera ornamenta superimponitur capiti pontificis mitra, quæ alio nomine cydaris vel tiara vocatur; qua quinque sensuum qui in capite sedem habent regimen significatur. Minister ergo bene vitam suam regens caput suum Christum ornat. Quia autem sicut ait Apostolus: *Caput Christi Deus est* (*I Cor.* XI); convenienter ornamento capitis; novissime lamina aurea superimponitur, cui inscriptum est nomen Dei, quod Hebraice *ineffabile* vocatur. Ut per hoc significetur Deum sicut conditorem omnium ita etiam rectorem esse universorum; et ad honorem et gloriam ejus referendum quidquid a sacerdotibus et ministris sacris bene fuerit dispensatum. Hæc igitur indumenta octo esse debere Moyses in Exodo *(cap.* XXVIII) constituit. Sed in Levitico *(cap.* VIII) de eisdem indumentis tractans de octavo, id est de feminalibus, tacuit; fortassis quia ad genitalia nostra et verecunda lex manum non mittit, qui voluntarium Deo castitatis sacrificium offerre debemus, sicut scriptum est; *De virginibus præceptum Domini non habeo* (*I Cor.* VII). Et ipse Deus de voluntariis ennuchis loquens adjecit: *Qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX). Ac si diceret: feminalibus ego non vestio, nec cuiquam necessitatem impono. Qui vult esse sacerdos ipse se vestiat, et ingressuris ad sancta, ad verenda legenda voluntarie munimentum castitatis assumat. Notandum vero quod sacerdotibus inferioris ordinis, neque tunica datur hyacinthina, neque superhumerale, neque rationale, neque lamina aurea; quibus soli utuntur pontifices, id est summi sacerdotes; sed tantum poderis et mitra et zona qua stringitur poderis ipsa, id est tunica

byssina; quia frunguntur quidem sacerdotio, sed non in illa dignitate qua funguntur sacerdotio qui octo indumentis decorantur.

CAP. IX. *De indumentis novi sacerdotii.*

Hæc sunt autem indumenta quæ a Veteri instrumento novum sacerdotium assumpsit. Tunica linea, zona, superhumerale, tunica interior, rationale, et mitra ; sed tunica interiori, rationali soli utuntur pontifices. Laminam auream novum sacerdotium non habet, pro qua nunc frontibus fidelium signum crucis imprimitur ; quoniam auro legis sanguis Evangelii pretiosior est.

CAP. X. *De stola vel orario.*

Hæc sunt quæ veteribus nova institutio adjecit. Stola quæ alio nomine orarium vocatur, quæ collo sacerdotis superimponitur, ut eum jugum Domini assumpsisse significet, quæ a collo per anteriora descendens dextrum latus ornat et sinistrum, ut doceat ipsum per arma justitiæ a dextris et a sinistris, id est in prosperis et in adversis debere esse munitum, sicut scriptum est : *Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones (Hebr.* x*)*. Et iterum : *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (*Matth.* x, xxiv). Inde est quod stola cum zona poderis quibusdam nexibus colligatur, quia virtutes virtutibus socientur, ne aliquo tentationis impulsu moveantur.

CAP. XI. *De planeta vel casula.*

Sic igitur sacerdote Domini ornato, per tunicam munditia, per zonam continentia, per superhumerale justitia, per stolam patientia, cunctis postremo casula superponitur, quæ charitatem significat, sicut scriptum est : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro (I Cor.* xii). *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam nihil sum*, etc. (*I Cor.* xii).

CAP. XII. *De mappa vel manipula.*

Quia vero mentibus bene compositis, et divino cultui mancipatis aliquoties negligentia subrepit, necesse est ut ad eam detergendam jugis adhibeatur diligentia, qua velut quædam ab oculis demergens pituita sæpius emundetur. Propter quod in sinistra manu quædam apponitur mappula, quæ sæpe fluentem oculorum pituitam tangat, et oculorum lipitudinem abstergat.

CAP. XIII. *De dalmatica.*

Utuntur præterea levitæ alio indumento quod dalmatica dicitur, a regione quidem ubi primus ejus usus institutus putatur nomen, a colobio vero quo apostoli et quidam apostolorum successores usi fuisse leguntur, adjectis manicis formam trahens. Significat autem dalmatica propter sui latitudinem curam proximorum, quæ se extendit per dilectionem, ut pluribus proficiat. Ad unum ergo finem tendit, et significatio dalmaticæ in levitis et significatio casulæ in presbyteris ; quia utrisque cura et sollicitudo proximorum injungitur, per dilectionem adimplenda.

CAP. XIV. *De standaiis et caligis byssinis sive lineis.*

Utuntur autem episcopi et cardinales presbyteri sandaliis, quæ calceamenta sunt prædicatorum. Habent autem hæc desubtus soleam integram, ne pes terram contingat ; desuper vero constant ex corio per loca perforato, quia gressus prædicatorum et subtus muniti esse debent ne terrenis polluantur, et desuper aperti, ut ad cœlestia cognoscenda revelentur. Quod autem locis quibusdam aperiuntur, hoc significat quod evangelica prædicatio nec omnibus revelari debet, nec ab omnibus abscondi, sicut scriptum est : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Luc.* viii). Illic quippe sandalia aperiuntur, ubi mysteria regni Dei cognoscuntur. Prius autem quam sandalia in pedibus assumant, induuntur caligis byssinis vel lineis usque ad genua protensis, et ibidem constrictis per quod significatur quod rectos gressus debent facere pedibus suis ; et genua debilia, id est negligentiis resoluta roborare, et sic ad prædicandum Evangelium festinare.

CAP. XV. *De baculo episcopi, et annulo*

Utuntur pontifices baculis et annulis. Baculus per rectitudinem suam justitiam significat prælatorum, qua subjectos regere debent. Qui idcirco subtus acumen habet, ut rebelles per increpationem pungat ; desuper recurvus est, ut per consolationem mites trahat. Annulus sacramentum fidei significat, quo sponsa Christi Ecclesia subarrata est, cujus custodes et prædagogi episcopi sunt et prælati, pro signo ferentes hoc in testimonium illi.

CAP. XVI. *De pallio archiepiscopi.*

Archiepiscopi utuntur pallio quod significat torquem auream, quam solebant legitime certantes accipere. Circulo autem quo humeri constringuntur, timor et disciplina Domini intelligitur, quo se et subditos sibi regere debent. Per duas vero lineas ex utraque parte, id est, ante et retro a summo deorsum pendentes ; prædicatio utriusque Testamenti, vel dilectio Dei et proximi figuratur.

CAP. XVII. *De vasis sacris.*

Hæc autem sunt quæ de vasis sacris in ministerio divino breviter attigimus. Ara crucem significat ; calix sepulcrum ; patena lapidem ; corporalis palla sindonem qua involutum est corpus Christi.

PARS QUINTA.

DE DEDICATIONE ECCLESIÆ.

CAP. I. *De dedicatione Ecclesiæ.*

Post ordines quos in prima parte ecclesiasticæ administrationis posuimus ad sacramentorum considerationem transimus. Et primum quidem de sacramento dedicationis Ecclesiæ, in qua cætera omnia sacramenta celebrantur, loquendum nobis videtur. Superius in ea quam generaliter de sacramentis præmisimus tractatione, distinximus, sacramenta alia esse salutis, alia administrationis, alia exercitationis. Prima ad remedium; secunda ad officium; tertia ad exercitium. Et illa quidem quæ administrationis sive præparationis sunt ordinibus cohærent, quoniam et ipsi ordine sacramenta sunt, et quæ circa ordines considerantur, qualia sunt indumenta sacra et vasa, et cætera hujusmodi. Hæc omnia quia, ut dictum est, circa ipsos ordines considerantur, divisim tractari non debuerunt. Alia vero sacramenta omnia ad quæ conficienda et sanctificanda universa hæc quasi quædam instrumenta præmissa sunt, subsequenter tractari exposcunt. Et primum sicut dictum est de dedicatione Ecclesiæ, quasi de primo baptismate, quo ipsa quodammodo Ecclesia primum baptizatur, ut in ea post modum homines ad salutem regenerandi baptizentur. Quasi enim primum sacramentum in baptismo cognoscitur, per quod fideles omnes inter membra corporis Christi per regenerationis novæ gratiam computantur. Idcirco hoc primum tractandum occurrit. Primum in dedicatione figuratum Ecclesiæ, deinde in sanctificatione animæ fidelis exhibitum. Quod enim in hac domo orationis visibiliter per figuram exprimitur, totum in anima fideli per invisibilem veritatem exhibetur. Ipsa enim verum templum Dei est confœderatione virtutum, quasi quadam structura lapidum spiritualium ædificata ubi fides fundamentum facit, spes fabricam erigit, charitas consummationem imponit. Sed et ipsa Ecclesia ex multitudine fidelium in unum congregata: domus est Dei vivis lapidibus constructa, ubi Christus fundamentum angulare positus est; duos parietes Judæorum et gentium in una fide conjungens. Hujus itaque sacramenti quod in dedicatione Ecclesiæ exhibetur formam primum proponimus, ut deinde mysticam intelligentiam fidei quæ in illo formatur exquiramus.

CAP. II. *De his quæ visibiliter aguntur in ea.*

Primum pontifex aquam benedicit, typicum sal admiscens, deinde Ecclesiam ipsam extrinsecus ter gyrando aspergit, clero et populo subsequente. Interim vero in circuitu dedicandæ Ecclesiæ intrinsecus duodecim accensa sunt luminaria. Per singulas autem vices ad portam basilicæ veniens (quam ob sacramenti figuram clausam esse oportet) percutit virga pastorali superliminare ipsius, dicens: *Tollite portas principes* A *vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ (Psal.* XXIII). Cui diaconus intus positus respondet: *Quis est iste rex gloriæ?* (*Ibid.*) Pontifex autem: *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* (*ibid*). Tertia demum vice reserato ostio intrat pontifex cum clero et populo, dicens ter: *Pax huic domui* (*Luc.* X). Deinde cum sacerdotibus et levitis et clericis ad orationem prosternitur, pro sanctificatione ipsius domus dedicandæ. Postea consurgens ab oratione nondum salutans populum dicendo: *Dominus vobiscum (Ruth.* II); tantummodo hortatur cunctos ad orandum. His completis, incipit de sinistro angulo basilicæ ab oriente per pavimentum scribere alphabetum usque in dextrum angulum occidentis, atque iterum a dextro angulo orientis B usque in sinistrum angulum occidentis. Dehinc ad altiora conscendit; et stans ante altare Deum sibi in adjutorium invocat, dicens: *Deus in adjutorium meum intende. Domine, ad adjuvandum me festina* (*Psal.* LXIX). *Gloria Patri. Sicut erat in principio, et nunc et semper*, etc., sine *Alleluia*. Post hoc aquam benedicit, salem et cinerem admiscens, et faciens ter signum crucis super ipsam, cui misturæ vinum etiam additur. Posthæc tingit digitum in aqua, et facit crucem per quatuor cornua altaris. Inde venit ante altare, et circuiens aspergit illud septem vicibus, aspersorio facto de hyssopo. Circuit dehinc totam Ecclesiam, intrinsecus aspergens parietes ipsius eadem aqua faciens hoc et C tertio. Interim vero cantatur psalmus: *Exsurgat Deus* (*Psal.* LXVII), cum antiphona. Cantatur etiam antiphona: *Qui habitat in adjutorio Altissimi* (*Psal.* XC). Circuit interim ipse pontifex, transiens per mediam ecclesiam et cantans: *Domus mea, domus, etc.(Isa.* LVI; *Matth.*XXI) Et iterum: *Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio ecclesiæ laudabo te* (*Psal.* XXI). His autem paractis, pontifex se ad orationem confert, petens ut omnes qui eamdem domum oraturi intraverint, exauditos se esse gaudeant. Completa itaque expiatione, convertitur ad altare incipiens antiphonam: *Introibo ad altare Dei* (*Psal.*XLII); cum ipso psalmo; et quod reliquum est de aqua D purificationis ad basim altaris effundit. Deinde ipsum altare linteo extergitur, et pontifex incensum defert super illud. Postea facit crucem in medio altaris et per quatuor angulos ejus, de oleo sanctificato. Deinde in circuitu ecclesiæ duodecim cruces chrismantur in parietibus, ab ipso pontifice tres per singulos figuratæ. Reversus deinde iterum ad altare accensum thus super illud offert in modum crucis, et sic peracta denique consecratione ipsum altare albis velaminibus operitur.

CAP. III. *Quod sit mysterium supradictorum.* A

Multa in his omnibus latent profunda mysteria, ex quibus pauca ad memoriam excitanda attingimus. Domus dedicanda, anima sanctificanda est. Aqua pœnitentia est, sordes abluens peccatorum. Sal sermo divinus increpatione mordens et condiens corde insipida. Trina aspersio trina mersio est purificandi per aquam. Duodecim luminaria apostoli sunt, ecclesiam per quatuor mundi partes illuminantes, et crucis mysterium per totum mundum efferentes. Pontifex Christus est, virga potestas. Trina superliminaris percussio, cœli, terræ inferni damnatio. Interrogatio inclusi, ignorantia populi; apertio ostii, sublatio peccati. Pontifex ecclesiam ingrediens pacem domui imprecatur; quia Christus mundum ingrediens pacem inter B Deum et hominem fecit. Prostratus pro sanctificatione domus orat, et Christus humiliatus pro discipulis et pro credituris omnibus Patrem orabat, dicens : *Pater, sanctifica eos in nomine tuo* (*Joan* XVII). Surgens autem ab oratione populum non salutat, quoniam qui nondum sanctificati sunt, applaudendum non est ipsis, sed orandum pro ipsis. Descriptio alphabeti, simplex doctrina fidei. Pavimentum, cor humanum. In pavimento alphabetum describitur, quando carnalis et rudis populus prima ac simplici doctrina fidei initiatur. Ductus a sinistro angulo orientis in dextrum occidentis, et item a dextro angulo orientis in sinistrum occidentis, formam crucis exprimit, quæ mentibus hominum per fidem Evan- C gelicæ prædicationis imprimitur; et quia primum fides in Judæis fuit, et postea ad gentes transivit, et rursum in fine *plenitudo gentium* intraverit; *tunc omnis Israel salvus erit* (*Rom* XI). Utriusque ergo populi collectionem hi duo versus significant in crucis effigie compacti; hoc est quod Jacob filios Joseph benedicens, cancellatis manibus formam crucis exprimens; dextram manum super caput Ephraim, et sinistram super caput Manasse posuit; quia priori populo abjecto, junior ad dexteram collocatus est (*Gen.* XLVIII). Cambuca sive virga pastoralis qua Scriptura figuratur, ministerium significat doctorum, quorum studio et prædicatione et conversio gentium facta est, et perficienda est Judæorum. Quod stans ante altare, Deum in adjutorium vocat, significat eos qui D percepta fidei cognitione, se ad bona opera et ad luctam contra invisibiles hostes accingunt; et quia de suis viribus minime præsumunt, divinum auxilium sibi adesse deposcunt. In quo quia certantium labor exprimitur, quasi inter suspiria et gemitus nondum *Alleluia* nominatur. Post hæc aqua benedicitur cum sale et cinere, addito vino aquæ misto. Aqua populus est, sal doctrina; cinis passionis Christi memoria; vinum aqua mistum Christus Deus et homo. Vinum divinitas, aqua mortalitas. Sic enim populus sanctificatur doctrina fidei et memoria passionis Christi : unitus capiti suo Deo et homini. Post hæc Ecclesia intus aqua sanctificata aspergitur, ut et intus et exterius anima sanctificanda ostendatur. Aspersorium hissopy humilitatem Christi significat, qua aspersa sancta mundatur Ecclesia. Circuit pontifex altare, et ecclesiam totam aspergendo, quasi omnes lustrando, et curam imponendo omnibus verbo et exemplo communem se præbens universis. Propter quod etiam opus oratione consummat, orans ut exaudiantur ibi justa petentes; quoniam opus hominis sine divino adjutorio esse potest, fructuosum esse non potest. Novissime completa expiatione pontifex ad altare convertitur, quod reliquum est de aqua purificationis ad basim ejus effundens, quasi committens Deo quod super est vires suas excedens in perfectione sacri ministerii. Dehinc linteo altare extergitur. Altare Christus est super quem offerimus Patri nostræ devotionis munus. Linteum caro ejus, tunsionibus passionis ad candorem incorruptionis perducta. Incensum, orationes sanctorum significat. Oleum autem gratiam sancti Spiritus demonstrat, cujus plenitudo in capite præcessit, dehinc participatio ad membra defluxit. Propter hoc a sacrato altari duodecim cruces parietibus chrismantur, quia spiritualis gratia a Christo in apostolos descendit, ut crucis mysterium per quatuor mundi partes cum fide Trinitatis prædicarent. Candidum velamen quo post consecrationem altare operitur, gloriam incorruptionis designat, qua post passionem consumpta mortalitate Jesu humanitas induta est, sicut scriptum est : *Conscidisti saccum meum, et lætitia me circumdedisti* (*Psal.* XXIX).

PARS SEXTA.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CAP. I. *Quare sit primum, et quæ de eo inquirenda.*

Sacramentum baptismi primum est inter omnia sacramenta, in quibus salus constare probatur. De ipso namque Dominus dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum* [*Dei*] (*Joan.* III). Et iterum : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (*Marc.* XVI). Hæc sunt igitur quæ de sacramento baptismi principaliter inquirenda proponimus. Primum quid si baptismus; secundum quare institutus sit baptimus vel quare circumcisio mutata sit, et cætera quædam Veteris Legis sacramenta; tertium quando institutus sit baptismus, et de tribus temporibus. Primo quando circumcisio statum habuit ante baptismum. Ultimo quando baptismus statum habuerit post circumcisionem. Medio quando circumcisio et baptismus simul cucur-

rerunt; altera ut finiretur, alter ut confirmaretur. Item quando homines obligari cœperunt præcepto suscipiendi baptismi. Item quid distat inter baptismum Joannis et Christi. Item quæ fuerit forma baptismi Joannis. Item quæ sit forma baptismi Christi. Item utrum nullus salvari potest nisi actualiter percepto sacramento baptismi. De his omnibus multa quærenda restant; sed nos interim pro tempore pauca secundum nostram possibilitatem prosequamur.

CAP. II. *Quid sit baptismus, et de nomine Dei in quo fit baptismus, et de fide et verbo sanctificante.*

Si ergo quæritur quid sit baptismus, dicimus quod baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei. Aqua enim sola elementum esse potest, sacramentum esse non potest, donec accedat verbum ad elementum, et sic sacramentum. Per verbum enim elementum sanctificatur, ut virtutem sacramenti accipiat. Ut quemadmodum elementum ex naturali quadam qualitate repræsentat, ex superaddita institutione significat, sic ex sanctificatione contineat (quæ sanctificandis per eam impertienda est) gratiam spiritualem. Verbum autem quo elementum sanctificatur ut sit sacramentum; ipsum intelligimus de quo dictum est: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Nomen ergo Patris, et Filii et Spiritus sancti, ipsum est Verbum Dei, per quod sanctificatur elementum, ut sit sacramentum. Et recte per verbum Dei sanctificatur quæ per verbum Dei creata subsistunt: *Ipse dixit et facta sunt* (*Psal.* CXLVIII). Per verbum creare potuit, et per verbum sanctificare non potest? Quibus per verbum subsistentiam dedit; putas quod per ipsum verbum gratiam apponere non possit? Ne ergo mireris si per verbum Dei sanctificatur, quod ad remedium salutis institutum est sacramentum. Sed forte dicit cogitatio tua: quod est istud verbum Dei? Quod est hoc nomen Patris, et Filii et Spiritus sancti, in quo baptizari jubemur? Nunquid vocem aliquam hoc cogitare oportet et sonum ad aures humanas prolatum? Si vocem aliquam intelligi oportet nomen Trinitatis, ipsam quam aut qualem intelligi oportet? Si dicimus quod hæc vox Deus in nomine isto intelligenda est, consequens est ut ubi sonus iste super aquam sanctificandam prolatus non fuerit sacramentum baptismi esse non possit. Quid ergo? Mersisti hominem et dixisti: *Baptizo te in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.* Et dicis mihi: Christianus est hic homo. Baptizatus est in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego illum mersi tertio in aquam. Ego dixi cum mergerem illum: «Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.» Ego igitur testis assisto, quod baptizatis est hic in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Baptizatus est in nomine Trinitatis. In quo nomine? Tu mihi dixisti quod nomen Trinitatis est Deus. Hoc nomen ego hic non audivi cum dixisti. « In nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti. » Quod ergo nomen dicere voluisti? Dixisti te baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritu sancti. Et illud nomen de quo dixisti, non dixisti; quomodo ergo sanctificata est aqua in nomine quod dictum non est? Quod si putas te in hoc dixisse nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quod dixisti: «In nonime Patris, et Filii, et Spiritus sancti; » et sic esse intelligendum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, pro eo quod nomen Patris ibi dicitur, in eo quod *Patris* dicitur; et nomen filii ibi dicitur, in eo quod *Filii* dicitur; et nomen *Spiritus sancti* ibi dicitur in eo quod Spiritus sanctus dicitur: ergo multa sunt nomina non unum nomen. Ego præceptum Domini accepi ut baptizarem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; tu autem in nominibus multis baptizasti. Pater, et Filius, et Spiritus sanctus: tria nomina sunt et trium nomina sunt, non unum nomen, nec unius nomen. Quia tres unus non sunt, quamvis unum sint tres. Ipse vero non dixit in nominibus, sed « in nomine, » inquit, «Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » quia unum est nomen, ubi est una natura, una substantia, una divinitas, una majestas. Hoc nomen autem est in quo omnes salvos fieri oportet (*Act.* IV.) Velim ergo ut mihi ostendas ubi protuleris hoc unum nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum mergens hominem dixisti: « Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Si ergo tale aliquid in cogitatione concipias et doceri expostules, quod sit nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Si ergo tale aliquid in cogitatione concipias et doceri expostules, quod sit nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in quo baptizamur et remissionem peccatorum consequimur, ego diligentiam fidei tuæ nequaquam contemnendam existimo. Quomodo enim in ipso nomine baptizare possumus, si ipsum nomen ignoramus? Clamamus quotidie: *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI). Sed quomodo in nobis sanctificatur, si a nobis ignoratur? Et si vocem sanctificari petimus dicat qui potest, quomodo in voce salvari rogamus? *Deus,* inquit, *in nomine tuo salvum me fac* (*Psal.* LIII). Si igitur in voce salus est, ergo tacentes, vel potius loqui non valentes salvari non possunt, quia loqui non possunt. Quis hoc dicat? Ergo nomen Dei in quo nos sanctificari et salvari oportet, extra vocem quærere oportet, ne forte, si illud in sola voce ponimus, scandalum veritati faciamus. *Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus* (*Psal* LXXV) Ergo ubi notitia est, ibi nomen est, quia et ipsa notitia nomen est. Dicit aliquis: Magni nominis est homo ille, et homo ille magnum nomen habet in populo. Forte quia multas syllabas habet nomen ejus, ideo magnum est nomen ejus. Ergo nomen Dei parvum est, quia duas syllabas tantum complectitur, et duabus syllabis formatur nomen Dei. Vides modo ubi sit magitudo nominis Dei. Ubi enim magnitudo nominis est, ibi et ipsum nomen considerare oportet; si ergo magnitudinem nominis, magnitudinem famæ; et notitiæ

magnitudinem convenienter intelligimus, nomen ipsum ipsam famam et notitiam magis quam vocem aliquam vel sonum vocis ad aures venientem intelligere debemus. Ergo fama ejus et notitia ejus ipsum est nomen ejus. Et rursum ipsa notitia ejus non est aliud quam fides ejus; quia per fidem solam nunc interim cognoscitur Deus; postmodum etiam cognoscendus per speciem. Fides ergo Dei ipsa est nomen Dei per quam nunc in nominibus notitia ejus habetur, ubi adhuc ab hominibus præsentia ejus non videtur. Puto jam obscurum vel ambiguum non esse, quemadmodum in nomine Dei salvatur, qui in eo quod de ipso sentire potuit, et sentiendo credit, justificatur et justificatus liberatur. Rursus qualiter nomen Dei sanctificatur quando ab iis a quibus cognoscitur Deus honoratur: hoc dubium non est, si ei quem jam per fidem cognoscere meruimus: casti timoris et dilectionis reverentiam exhibemus. Quid tibi videtur? Si nomen Dei est notitia ejus, et fides ejus in nobis est, nonne in nomine ejus baptizantur qui in fide baptizantur Patris, et Filii, et Spiritus sancti? Hoc est enim unum nomen et unius nomen, quo Trinitas prædicatur, et unitas non negatur. Quando ergo baptizas in fide Patris, et Fili et Spiritus sancti, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti baptizas. Et hoc nomen, id est hanc fidem confiteris cum dicis: «Baptizo te in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.» Ut impleatur quod scriptum est: *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x.) Sed forte quia dixit Dominus Jesus Christus. Baptizate in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Si ipsum nomen notitia et fides intelligenda est Trinitatis, sufficiet ad formam sacramenti complendam et sanctificationem perficiendam sine verborum prolatione cum sola fide baptizandum immergere. Qui enim dixit ut in fide Trinitatis homines baptizarentur: non quid dicatur docuit, sed quid credatur ostendit. Quapropter ne forte in sanctificatione sacramenti fidei professio supervacua esse videatur, oportet nos in eo quod dictum est in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; amplius aliquid intelligere quam si dictum fuisset: in fide Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Plus enim aliquid habere videtur nomen quam fides. Nam fides intus est, et latet occulta donec nominari incipiat, et venire in manifestationem. Tunc quippe nomen esse incipit quando nominari incipit et notificari ut cognoscatur. Et sic quidem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizamus, quando baptizamus in confessione fidei Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ipse enim dixit: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Docete et baptizate; si tingis et taces, tingis et non doces. Habes baptizate, sed docete non habes. Crede ergo et confitere; loquere et merge, ut in confessione laventur quæ mundanda sunt. Sed forte quæris ipsam professionis fidei formam in perficiendo baptismatis sacramento, qualem intelligi oporteat. Ad quod bre-

A viter respondendum puto, illam esse baptizandi formam quam Dominus Jesus Christus cum discipulos suos ad baptizandum omnes gentes mitteret tradidit, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ergo recte feceris, si quod ille præcepit tu confiteris. Ille jussit ut in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizares. Tu mergis hominem et dicis: « Ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Bene sequeris formam institutionis divinæ, facis quod jussit, profiteris quod instituit. Sed dicis: quid ergo? Si quis forte per ignorantiam sine conscientia erroris, horum verborum formam non tenens; tamen cum plena fide hominem baptizaret, di-
B cens; Baptizo te in nomine Patris omnipotentis, sive in nomine Filii Dei; sive in nomine Spiritus sancti; sive etiam quod in Actibus apostolorum legimus: *in nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Act.* II); sive aliud aliquid simile, quod quidem quantum ad expressionem vocis a supradicta dicendi forma diversum esset; sed quantum ad professionem veritatis non esset, contrarium: An ne verum baptismatis sacramentum in illo constare deberet? Poterant fortasse ad hanc quæstionem tuam solvendam plurimæ hinc inde rationes conduci et ostendi, quod ubi eadem fides constat, diversitas sermonis ab ipsa duntaxat sinceritate et unitate fidei non discrepans, nihil officiat. Sed in hac parte visum est mihi auctori-
C tate potius quam mea ratione interrogationi tuæ respondendum. Beatus Ambrosius in libro quem de Trinitate scripsit, sic ait: Illi qui negaverunt se scire Spiritum sanctum, quamvis baptizatos se dicerent in Joannis baptismo, baptizati sunt postea: quia Joannes in remissionem peccatorum, in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine: et ideo Spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Joannes baptizare solebat acceperant. Joannes enim licet non baptizaret in spiritu; tamen et Christum prædicabat et spiritum. Denique cum interrogaretur ne forte ipse esset Christus, respondit: *Ego vos aqua baptizo. Venit autem fortior me, cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos*
D *baptizabit in spiritu sancto et igne* (*Matth.* III). Ergo isti qui nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus sancti baptizati fuerunt, non potuerunt accipere baptismatis sacramentum. Baptizati sunt itaque in nomine Jesu Christi, nec iteratum est in his baptisma, sed novatum. Unum enim baptisma. Ubi autem non est plenum baptismatis sacramentum, nec principium vel species aliqua baptismatis existimatur. Plenum autem est Patrem, et Filium, Spiritumque sanctum confiteri. Si unum neges totum subruis, et quemadmodum si unum in sermone comprehendas aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges: plenum est fidei sacramentum. Ita etiam quamvis et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum dicas et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti

minuas potestatem: vacuum est omnino mysterium. Denique et illi ipsi qui dixerant: *Nec si Spiritus sanctus sit audivimus (Act. XIX)*: baptizati sunt postea in nomine Domini Jesu Christi, et hoc abundavit ad gratiam, quia jam Spiritum sanctum Paulo prædicante cognoverant. Nec contrarium debet videri; quia, quamvis etiam postea tacitum sit, de Spiritu tamen creditum est. Et quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide. Cum enim dicitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, per unitatem nominis impletum est mysterium. Nec a Christi baptismate Spiritus separatur, quia Joannes in pœnitentia baptizavit, Christus in spiritu. Nunc consideremus utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum; ita etiam sancto Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Et rationem sequamur, quia qui unum dixerit Trinitatem signavit. Si Christum dicas et Deum Patrem a quo unctus est Filius; et ipsum, qui unctus est, Filium, et Spiritum ut manes unctus est designast. Scriptum est enim: *Hunc Jesum a Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto*(*Act*. X). Et si Patrem dicas, et Filium ejus, et Spiritum oris ejus pariter indicasti, cum id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas et Deum Patrem a quo procedit Spiritus, et Filium (quia Filii quoque est Spiritus), nuncupasti. Unde ut rationi copuletur auctoritas, in Spiritu quoque recte baptizari nos posse Scriptura indicat, dicente Domino: *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto (Act. I; Matth.* III). Et apostolis ait: *Omnes enim in ipso corpore in unum Spiritum baptizati sumus* (*I Cor*. XII). Unum opus, quia unum mysterium; unum baptisma, quia mors una pro mundo. Unitas ergo operationis, unitas prædicationis quæ non potest separari. Hucusque verbo beati Ambrosii qualiter de recta baptizandi forma sentiendum sit manifeste explanatit. Vides ergo qualiter in fide Trinitatis solo Patre vel Filio vel Spiritu sancto nuncupato plenum sit baptismatis sacramentum, et quemadmodum sine fide Trinitatis etiam tribus simul nominatis imperfectum. Sicut enim ubique fides integra quæritur, sic eadem fidei integritate manente sine detrimento salutis sermo variantur. Verumtamen ecclesiastica consuetudo hanc potissimum in baptizando formam tenere elegit, quam ab ipso sanctificationis auctore ex prima institutione servandum accepit. Si quis forte quærat utrum in articulo necessitatis sufficere possit ad plenum baptismi sacramentum, si fuerit quis in fide Trinitatis sine prolatione verborum baptizatus, vel quia is qui baptizavit loqui non potuit, sive quia ob festinationem vel stuporem immimentis periculi sive alia quacunque causa præventus dum baptizaret, locutionis memor non fuit. Si quis ergo forte hoc quærat, ego de his quæ occulta sunt judicare nolo, præcipue quia nomen Trinitatis hic non audivi. Ubi etsi vera fides fuit, confessio tamen fidei non fuit. Et hæc quidem de eo quid sit sacramentum baptismatis, et de verbo sanctificante in præsenti dicta sufficiant.

CAP. III. *Quare institutum sit sacramentum baptismi.*

Nunc restat demonstrare quare institutum est baptismi sacramentum, et quare circumcisio, quæ loco illius olim posita fuisse putatur, succedente baptismo ablata sit, vel mutata. Nam si olim per circumcisionem similiter, ut nunc per baptismum peccata dimittebantur, quid necesse fuit ut ipsa circumcisio succedente baptismi sacramento mutaretur? Cur autem accepta minus profuisse credatur, quæ neglecta non minus nocuisse affirmatur. Sicut enim nunc per Evangelium dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum Dei* (*Joan*. III); ita olim per legem dicebatur: *Masculus cujus caro præputii circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo* (*Gen*. XVII). Nisi forte in hoc quod ille qui non est baptizatus a regno Dei excludendus dicitur; ille vero qui non est circumcisus periturus memoratur: quis velit intelligere propterea baptismum aliquid amplius conferre quam circumcisionem, quia circumcisio suscepta a perditione tantum potuit liberare; baptismus vero renatos etiam ad gloriam perducere potest. Nam illi antiqui patres qui sacramenti circumcisionis justificationem perceperant, a perditione quidem servabantur, sed ad gloriam regni non ducebantur, donec veniret ille qui sanguine fuso rhomphæam igneam exstinguens; aditum paradisi rursum patefaceret, et credentibus in se omnibus regni cœlestis januam præcedens ipse primus aperiret. In hoc ergo baptismus amplius confert, quod renatos hinc exeuntes statim ad regnum mittit, quod tamen ex virtute sanguinis fusi ipsam aquam sanctificantis condonatur. Si igitur quis dicere velit idcirco circumcisionem baptismo mutatam, ut in baptismo perficeretur, quod circumcisio implere non potuit, fortassis videbitur convenienter illi responderi posse, quod hoc quod amplius nunc in baptismo est, ex baptismo non est, sed ex passione Christi baptismum sanctificante impletum. Idem vero circumcisionem facere potuisse, si illi passio Christi in cooperationem sanctificationis adjuncta fuisset. Nam in baptismo, quantum scilicet spectat ad virtutem baptismi, similiter ut in circumcisione remissio tantum peccatorum percipitur; quia, sicut dictum est, quod justificatis postea aditus patriæ cœlestis panditur, cruce Christi condonatur. Propter hujusmodi rationem aliam mutatæ circumcisionis causam commodiorem fortasse et manifestam magis proponendam putamus. In præcedentibus quodam loco cum de sacramentis tractaremus, diximus sacramenta omnia signa quædam esse ejus (quæ per illa datur) gratiæ spiritualis. Oportere autem ut secundum processum temporum spiritualium gratiarum signa; magis semper ac magis evidentia ac declarantia formarent, ut cum effectu salutis, cresceret cognitio veritatis. Itaque sub lege naturali primum data sunt sacramenta, decimationes, sacrificia et oblationes, ut in decimatione quidem peccatorum remissio; in sacrificiis vero carnis mortificatio; in oblatione autem boni operis exhibitio signaretur. Sed erat obscura significatio hæc in sacramento decimationis, ubi

homo de iis quæ possidebat partem obtulit, partem retinuit, ut ad hunc modum in eo quod erat, quod imperfectionis et defectus fuit, sibi tribueret, quod vero ad bonitatem spectabat, Deo imputaret. Hoc sibi voluerunt novem partes retentæ, quia novenarius signum imperfectionis est, a denario perfecto deficiens. Propterea autem quia obscurum signum fuit emundationis in decimatione, data est circumcisio ut virtutem justificationis evidentius demonstraret, quando dictum est homini, ut portionem carnis suæ, non quidem superfluam, sed illius quod superfluum erat in homine, signum auferret, ut per hoc agnosceret quod culpam quam natura per illam partem corporis traheret, gratia per sacramentum circumcisionis emundaret. Sed quia circumcisio eas tantum quæ foris sunt enormitates amputare potest, eas vero quæ intrinsecus sunt pollutionum sordes mundare non potest, venit post circumcisionem lavacrum aquæ totum purgans, ut perfecta justitia signaretur. Rursus quia prioris populi qui sub timore serviebat mundatio laboriosa fuit, propterea sacramentum circumcisionis in carne quæ dolorem habet illi datum est. Novo autem populo qui voluntate et dilectione servit, sacramentum justificationis in lavacro aquæ, quæ suavem habet purificationem propositum est; et sic quidem rationem reddendam existimamus pro eo quod sacramentum circumcisionis mutatum est, et sacramentum baptismi institutum.

CAP. IV. *Quando institutum sit sacramentum baptismi.*

Quæritur etiam quando institutum sit sacramentum baptismi, ex quo deinceps licitum non fuit illud negligere, quando illud suscipere debitum fuit. Et sunt quidem super hoc diversæ plurium opiniones. Alii dicunt ex eo institutum baptisma, quo Christus Nicodemo nocte ad se venienti modum novæ regenerationis insinuans, ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (Joan.* III). Alii dicunt institutionem baptismi ex eo cœpisse, quo Christus post resurrectionem suam in cœlum ascensurus discipulos ad prædicandum misit, dicens : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Quidam institutionem baptismi ex eo cœpisse putant, quo Joannes in aqua baptizare cœpit, prædicans baptizaturum in Spiritu. Alii in passione Christi quando dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX) ; omnia Veteris Testamenti sacramenta finem accepisse, et novi exordium putant. Commodius autem videtur ut dicamus baptismum prius per Joannem, et deinde per Christum, sive per discipulos Christi aliquandiu, solum ne a consuetudine abhorreret in usum productum: novissime autem quando universum mundum prædicatores baptizare missi sunt, generaliter institutum. Videntur autem hic tria tempora distinguenda. Primo enim ante baptismum circumcisio sola statum habuit, et suscipiebatur ad justificationem sine baptismo. Novissime autem nunc post circumcisionem solus baptismus statum habet, et celebratur ad salutem sine circumcisione.

A Fuit autem medium tempus quoddam, quando et circumcisio et baptismus simul cucurrerunt. Altera, id est circumcisio ut fineretur ; alter, id est baptismus ut confirmaretur. Oportuit enim ut et illa quæ finienda erant nequaquam subito vel præcipitanter, sed paulatim et quasi cum quadam reverentia dimitterentur, ut ostenderentur bona fuisse tempore suo. Et similiter quæ incipienda erant non subito in auctoritatem assumerentur, sed cum mora et gravitate inchoarentur, ne velut aliena et præter rem aliunde inducta subito putarentur. Illa igitur dimissa sunt, non projecta; et ista instituta sunt, non usurpata, ut divini consilii auctoritas ubique servaretur, et humana causatio ne divina opera reprehendere auderet, admoneretur. B Quamvis ergo in passione Christi per quam consummata sunt omnia, veteris figuræ status finem acceperit, et novi sacramenti constitutio exordium, tamen et prius aliquando tempore; et nova inchoata sunt ad consuetudinem, et vetera postmodum aliquandiu tolerata secundum dispensationem. Simul ergo fuerunt utraque tempore illo, sive ante passionem, sive post, ab eo quando inchoata sunt nova, donec postmodum vetera sunt interdicta. Et in isto medio tempore quod fuit baptismus cum circumcisione, ab inchoatione sua usque ad passionem Christi ; hoc fuit circumcisio cum baptismo post passionem Christi, usque ad illud tempus quo ipsa circumcisio cœpit prohiberi. C Sicut enim ante passionem ipsa circumcisio in statu suo ad remedium suscipiebatur ; et tamen etiam tunc baptismus sine periculo salutis non contemnebatur, ab iis quibus prædicabatur, ita post passionem baptismus quasi in statu suo percipiebatur ad salutem; et tamen etiam tunc circumcisio sine periculo salutis non contemnebatur ab his quibus finis ejus nondum manifestabatur. Postquam autem dictum est. *Si circumcidimini Christus vobis nihil prodest* (*Galat.* V), jam deinceps non poterat circumcisio ad salutem percipi, sicut prius postquam dictum fuerat : *Masculus cujus caro præputii circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo* (*Gen.* XVII) ; non potuit circumcisio ab iis præsertim quibus injuncta fuerat, sine periculo salutis contemni. D Rursus quemadmodum in principio baptismus a Joanne secundum solum sacramentum dabatur, ut ii baptizandi usum non noverant, erudirentur; sic in novissimo a quibusdam fidelibus circumcisio dispensatorie secundum solum sacramentum suscipiebatur, ne ii qui circumcidi consueverant scandalizentur.

CAP. V. *Quando homines obligari cœperunt præcepto percipiendi baptismi.*

Si ergo quæritur quando homines obligari cœperunt debito percipiendi baptismi, hoc veritati et rationi consentaneum esse probatur; ex eo unumquemque obligari cœpisse debito baptismatis suscipiendi, ex quo vel post institutionem præceptum vel ante institutionem consilium percepit baptizandi. Qui enim nec prius contemptor consilii, nec post prævaricator præcepti exstitit culpandus non

fuit, nisi forte quis aut prius aut postea ignorans fuisse dicatur, ad quem divinæ institutionis notitia pervenisset, nisi ejus culpa obstitisset. Quando igitur Christus Nicodemo nocte ad se venienti dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei* (*Joan.* III) ; amico revelatum est consilium. Quando vero postea dixit : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII) ; informandis omnibus expositum est præceptum. Ubi quidem generalis institutio facta est quæ ex eo unumquemque debitorem habuit, quod ad ipsum prædicantibus apostolis nuntiis verbi præceptum institutionis pervenit. Qui autem interim longe positi, aut prope in occulto constituti, nondum cognita institutione divina forte ab hac vita subducti sunt, hoc de ipsis mihi sentiendum videtur; quod et de illis qui ante ipsam institutionem, sive in præputio, sive in lege fuerunt, quia quod illis fecerunt tempora, hoc istis operata est absentia. Si quis autem pertinax esse velit et adhuc hujusmodi aliquos in ignotis regionibus, et remotis terrarum sedibus degere contendat, qui forte mandatum divinum de percipiendo baptismatis sacramento non acceperint, ego vel neminem talem esse, vel si forte aliquis est, si ejus culpa non obstitisset, audire et scire potuisse ac debuisse sine cunctatione affirmo, maxime cum Scriptura evidenter clamet: *In omnem terram exivit sonus eorum ; et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Si igitur in omnem terram sonus eorum, et in omni terra quidem vel auditi sunt, et contemptores condemnatur, vel auditi non sunt pro culpa sua, et ignorantes ignorantur, et non salvantur. Et hæc de tempore institutionis baptismi, et de debito percipiendi baptismi dicta sunt.

CAP. VI. *Quid distet inter baptismum Joannis, et Christi; et de forma baptismi Joannis, et Christi.*

Inter baptisma Joannis et baptisma Christi, hæc distantia est quod in baptismo Joannis per intinctionem aquæ solum sacramentum dabatur, in baptismate vero Christi cum sacramento etiam res sacramenti percipitur Joannes enim peccatores aqua tinxit, et peccata confitentibus pœnitentiam injunxit; Christus baptizat et peccata dimittit. Ille baptizans venturum et baptizaturum in spiritu prædicavit, hic baptizans, ad remissionem peccatorum spiritum infundit. Illic homines baptizabantur in nomine venturi, hic homines baptizantur *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Sacramentum ergo utrobique quantum ad formam exteriorem idem fuit, sed quantum ad effectum idem non fuit, quia illic sacramentum solum fuit ; nam remissio peccatorum non fuit : hic autem et sacramenti forma proponitur, et virtus sacramenti pariter in remissionem peccatorum condonatur.

—

A CAP. VII. *Utrum post datum præceptum baptismi aliquis salvari possit nisi actualiter percepto sacramento baptismi.*

Solent quidam sive curiose, sive studiose inquirere, utrum aliquis post indictum et publice propositum baptismatis sacramentum salvari possit, nisi actualiter ipsum sacramentum baptismi percipiat. Videntur enim rationes manifeste esse, et habent auctoritates multas, si tamen habere dicendi sunt, qui non intelligunt. Primum quia dictum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (*Joan.* III). Et iterum alibi : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (*Marc.* XVI). Et sunt alia multa talia, quibus quasi astrui videtur B nullo modo salvari posse eum qui hoc sacramentum non habuerit ; quidquid præter hoc sacramentum habuerit. Si fidem perfectam habuerit : si spem, si charitatem habuerit, etiamsi cor contritum et humiliatum habuerit quod Deus non despicit; veram pœnitentiam de præteritis, firmum propositum de futuris, quidquid habuerit salvus esse non poterit si hoc non habuerit. Et hoc totum ita ipsis videtur, propter hoc quod scriptum est : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum Dei. Et tamen si quis quærat quid factum sit de illis qui pro Christi sanguine effuso sive sacramento aquæ ab hac vita transierunt, dicere non audent ejusmodi salvos non esse. Et cum ostendere non possit hoc in eo C quod supra memoratum est scriptum esse, dicere tamen non audent, quia ibi scriptum non est, ideo negandum esse. Qui enim dixit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto ; non addidit, vel effuso sanguine vice aquæ, et tamen verum est quanquam hic scriptum non est. Nam si salvus est qui propter Deum aquam suscepit, quare non multo magis salvus est, qui propter Deum sanguinem fudit ? Plus enim est sanguinem dare quam aquam accipere. Illud enim quod quidam dicunt : propterea salvos esse qui sanguinem fundunt, quia cum sanguine etiam aquam fundunt, et in ipsa aqua quam fundunt baptisma percipiunt, quam sit frivolum patet. Si enim propter humorem aquæ, qui cum sanie cruoris de vulne- D ribus manat baptizati dicuntur, qui interficiuntur, ergo qui suffocantur vel submerguntur, vel alio quolibet genere mortis (ubi sanguis non funditur) occiduntur, baptizati non sunt in sanguine suo, et frustra mortui sunt pro Christo, quia humorem aquæ quem intra corpus habuerunt non effuderunt. Quis hoc dicat ? Ergo in sanguine baptizatur, qui pro Christo moritur ; qui et si sanguinem non effundit ex vulnere, dat vitam quæ pretiosior est sanguine. Nam sanguinem fundere posset ; et si vitam non daret, et minus esset sanguinem fundere quam vitam dare. Bene ergo sanguinem fundit, qui vitam ponit pro Christo, et habet baptisma suum in virtute sacramenti, sive qua sicut sacramentum ipsum accepisse non prodest; ita cum illa habetur, sacramentum habere non posse, non nocet. Verum ergo est (quamvis ibi

dictum non est) quod qui pro Christo moritur, in Christo baptizatur. Ita, inquiunt, verum est quamvis ibi dictum non est, et ideo verum est quia alibi dictum est; etiam si ibi dictum non est. Qui enim dixit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei; idem ipse alibi dixit : *Qui me confessus fuerit coram hominibus: confitebor et ego eum coram patre meo* (*Matth.* x). Quod ergo ibi dictum non est subintelligendum tamen est, quamvis dictum non est, quoniam alibi dictum est : Videte ergo quid dicunt : Ideo inquiunt quod dictum non est; subintelligendum est ubi dictum non est, quoniam alibi dictum est. Si ergo hoc in hoc loco subintelligendum est ubi dictum non est, quoniam alibi dictum est, quare similiter etiam de fide subintelligendum non est; quoniam alibi dictum est : *Qui credit* inquit, *in me mortem non videbit in æternum ?* (*Joan.* xi.) Item qui dixit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei; ipse dixit : *Qui credit in me, non morietur in æternum* (*ibid.*). Aut ergo nega fidem, aut concede salvationem. Quid tibi videtur? Ubi fides est, ubi spes est, ubi charitas est ; denique ubi plena et perfecta virtus sacramenti est, salus non est; quia solum sacramentum non est, et ideo non est, quia haberi non potest : Qui crediderit, inquit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Ecce ergo dubium non est, quin ubi fides est et baptismus est, salus sit. Et quid sequitur? *Qui vero non crediderit, condemnabitur* (*Marc.* xvi). Quare ita dicere voluit ? Quare non dixit : Qui non crediderit et baptizatus non fuerit condemnabitur, sicut dixerat : Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ? Quare, nisi quia credere voluntatis est, et quia fides credere volenti deesse non potest. Et idcirco in eo qui non credit semper prava voluntas arguitur ubi necessitas nulla esse potest, quæ ad excusationem prætendatur. Baptizari autem in voluntate esse potest, etiam quando non est in possibilitate; et idcirco juste bona voluntas cum devotione fidei suæ non despicitur, quamvis ab eo quod foris est sacramento aquæ percipiendo articulo necessitatis præpediatur. Vis nosse plenius an ne ratio hæc alicubi auctoritate manifestiori se probet, quamvis et illæ quas supra commemoravimus auctoritates tam manifestæ videantur, ut de veritate ipsarum dubitari non possit ? Audi tamen adhuc aliud si forte evidentius tibi demonstrari possit, de quo dubitari non debes. Beatus Augustinus in libro De unico baptismo sic ait : Etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod deerat baptismo posse implere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Vides quoniam manifeste testatur fidem et cordis conversionem, bonæ voluntatis ad salutem posse sufficere, ubi visibile sacramentum aquæ ex necessitate contigit haberi non posse. Sed ne forte contrarietas aliqua tibi esse videatur, in eo quod

A postea in libro retractationum exemplum de latrone quod ad hanc sententiam in qua dixerat effusionem sanguinis, sive fidem et cordis et conversionem. vicem baptismi implere posse, comparandam assumpserat, improbavit dicens : In quarto libro cum dicerem vicem baptismi posse habere passionem, non satis idoneum posui illius latronis exemplum, qui utrum fuerit baptizatus incertum est. Sed considerare debes quod in hoc loco exemplum tantum quod ad probationem sententiæ adduxerat correxit ipsam sententiam, non reprobavit. Quod si putas idcirco sententiam illam improbandam quia exemplum correctum est, ergo falsum est quod dixerat effusionem sanguinis vicem baptismi posse habere, quoniam ad illud

B probandum exemplum ipsum positum est. Non enim ait cum dicerem vicem baptismi posse habere fidem, sed cum dicerem, inquit, vicem baptismi posse habere passionem, quamvis utrumque in ipsa una sententia posuisset. Si ergo ad id quod dixit vicem baptismi posse habere passionem exemplum positum est cum ipsum sine ambiguitate ulla verum esse constet, patet quod exemplum postmodum correctum est, sed sententia non est improbata. Oportet ergo ut aut confitearis vicem baptismi, in articulo necessitatis fidem veram et confessionem cordis implere posse, aut ostendas qualiter fides vera et charitas non ficta haberi possit, ubi salus non sit. Nisi forte dicere velis neminem, fidem veram et charitatem veram ha-

C bere posse, qui visibile sacramentum aquæ non sit habiturus. Quod tamen qua ratione vel auctoritate probes ignoro. Sed nos interim non contendimus utrum aliquis qui baptismi sacramentum percepturus non est; ista habere possit, hoc solo duntaxat constante, quod si quis esset qui hæc haberet etiam sine visibili sacramento aquæ perire non posset. Multa sunt alia quæ semper hoc approbandum adduci potuissent, sed nos quæ superius in tractatu sacramentorum ad idipsum probandum posuimus : nequaquam iterum replicanda putamus.

Cap. VIII. *De sacramentis neophytorum.*

Neophytus *novitius* interpretatur. Neophytus vocatur nuper ad fidem conversus, sive rudis in

D disciplina religiosæ conversationis. Noviter ad fidem conversi visibilibus sacramentis instruendi sunt, ut per ea quæ vident, intelligant quæ non vident. Admonendi sunt hujusmodi ut considerent novam non esse fidem, in qua novi sunt ipsi ; quoniam ab initio mundi sicut nullo tempore defuerunt fideles et justi membra Christi, ita ab initio nunquam defuerunt sacramenta salutis quæ precesserunt in præparationem et signum redemptionis, quæ completa est in morte Christi. Prima namque ætate Abel agnum obtulit in sacrificio figuram mortis Christi. Secunda ætate Noe arcam in diluvio gubernavit, sicut Christus Ecclesiam inter fluctus tentationum regens mergi non sinit. Tertia ætate Abraham pro filio oblato arietem mactavit, sicut Deus Pater Verbum suo pro salute mundi obtulit. In quo tamen di-

vinitate inviolabili permanente sola humanitas dolorem mortis sustinuit. Postea eductus est populus Israel de Ægypto per mare Rubrum in columna ignis et nubis, sicut fideles Dei de tenebris peccati liberantur, renovati per sacramentum baptismi Christi sanguine consecratum ; ipsum fide sequentes in quo est et nubes humanitatis et ignis divinitatis. Quarta ætate in Jerusalem regnum populi Dei sublimatur temporale, præfigurans æternum ; in quo *princeps pacis, pater futuri sæculi* (*Isa.* IX), fideles suos ad visionem æternæ pacis introducet. Hujus autem regni exordium David exstitit, qui per multas tribulationes probatus, et glorificatus, pacis successorem Filium reliquit, ut ostendatur quod ad futuræ pacis quietem pervenire non possint, qui in præsenti vita contra tentationes et tribulationes vincendas fortes non fuerint. Propter hoc qui in Sabbato sancto paschalis solemnitatis baptizandi sunt, quarta hebdomada quadragesimalis observantiæ, quæ continentiæ nobis arma ministrat et in quarta ejusdem hebdomadæ feria catechizandi deferuntur ad ecclesiam: ibi audituri et instruendi qualiter contra spirituales nequitias sunt pugnaturi. Sed tamen usque in Sabbatum Paschalis solemnitatis eorum baptismus differtur, hoc attendente Ecclesia quod quid ad agnitionem in præsenti vita vocantur, in spe futuræ quietis baptizantur. Quinta ætate populus propter peccata sua in Babylonem captivus ducitur, et rursus Deo miserante post septuaginta annos soluto captivitatis jugo ad terram suam revocatur. Quoniam populus Dei qui in hac vitæ quæ septenario dierum volvitur, vanitati et confusioni subjectus, mortalitatis jugum portat, post finem ejus a corruptione liberatur. Sic igitur ab initio nullo tempore sacramenta Dei defuerunt, quibus fidelis populus ad perceptionem invisibilium nutriretur, et exercitaretur ad cognitionem, ad ultimum sexta ætate de virgine natus est Christus, sicut sexta die de terra virgine primus homo est plasmatus. Ipse ergo quasi consummaturus omnia cum ad virilem ætatem pervenisset, tricesimo ætatis suæ anno a Joanne baptizatus est; non necessitate, sed dispensatione, ut lavacrum emundadis sanctificaret. Dehinc apostolos ministros Evangelii convocans regnum cœlorum venturum prædicare cœpit; et novissime in consummationem omnium semetipsum hostiam pro mundi redemptione in ara crucis Patri offerens mortem sustinuit, ut credentibus in se mortis timorem tolleret, et a morte resurrexit ut pro se morientibus spem vitæ et resurrectionis daret. Postea ascensurus in cœlos discipulos in mundum universum misit docere et baptizare omnes gentes, ut vocarentur qui præcedetem sequerentur ad vitam. Hæc sunt sacramenta fidei Christianæ ab initio condita in fide credenda, sine fine profutura. Hæc sunt quibus catechizandos imbuimus, et eorum qui sacramento novitatis regenerandi sunt, fidem salutari confessione promerendam exigimus.

Cap. IX. *De catechizatione.*

Catechumenus *instructus* vel *audiens* interpretatur, catechizare enim est instruere, quoniam baptizandi prius instruuntur et docentur quæ sit forma fidei Christianæ, in qua eos salvos fieri et sacramentum salutis suscipere opportet, sicut scriptum est : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Prius docete, postea baptizate. Docete ad instructionem, baptizate ad emundationem. Docete ad fidem, baptizate ad peccatorum remissionem. Idcirco docete quid qui crediderit, ideo baptizate ; quia *qui baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Hæc igitur forma catechizationis a primis temporibus Christianæ fidei instituta est. Quæ tunc quidem necessario servabatur quando adultis et intelligentiam habentibus priusquam ad baptismi sacramentum accederent, regula fidei Christianæ nuntiabatur, ut vel sponte fidei acquiescentes digni regeneratione spirituali judicarentur, vel credere nolentes merito a perceptione sacramenti Dei velut indigni repellerentur. Ad obtinendam quippe salutem idcirco arbitrium hominis consulendum est, quoniam opus salutis voluntarium esse oportet. Et hoc quidem a principio sic factum est. Postquam autem ad fidem multitudo gentium introivit jam nunc etiam in iis qui a fidelibus generantur parvulis ; eadem forma servatur, quos et ipsos mater Ecclesia provida dispensatione sacramento salutis interim carere non vult, ne forte ipsa dilatione, a salute alieni fierent, si non percepto sacramento salutis subito ab hac vita exirent. Congrue ergo provisa est in illis medicina salutis, ut in sacramento fidei baptizentur, et per alterius fidem Deo reconcilientur, quos per alterius peccatum alienatos constat esse a Deo. Institutum est itaque ad hoc novum sacramentum ad catechizandos parvulos, exorcizandos, initiandos et deinde baptizandos, in quibus pro parvulis audit Ecclesia, et ad interrogata respondet et spondet donec ipsi ad intelligibiles annos perveniant, et sacramenta fidei et charitatis et spei per se intelligere valeant et servare.

Cap. X. *De exorcismo.*

Exorcismus de Græco in Latinum *adjuratio* dicitur. Exorcistæ enim sunt qui super catechumenos sive super energumenos ; id est eos qui habent spiritum immundum, invocant nomen Domini Jesu divina virtute objecta ; adjurantes eum ut egrediatur ab illis. Recte ergo post catechizationem exorcismus sequitur, ut ab eo qui jam fide instructus est, adversaria virtus pellatur. Tria quippe sunt usque ad susceptionem novitatis perficienda, quibus baptizantus quasi concipitur et nutritur, et usque ad integritatem novæ vitæ promovetur. Hæc autem sunt catechismi, exorcismi, orationes. Primum itaque catechizatur baptizandus, ut ad fidem proprio moveatur voluntatis arbitrio. Deinde exorcisatur ut ab eo diaboli potestas iniqua pellatur. Additur etiam oratio ut gratia preveniat et subsequatur, quæ vires præbeat libero arbitrio, et qua procul fiat universa maligni spiritus illusio. Forma igi-

tur exorcismi in hunc modum perficitur. Signa- A tur primo baptizandus crucis signaculo in fronte, in pectore, in oculis, in naribus, in auribus, in ore, ut totius corporis sensus hoc signaculo muniantur, cujus virtute omnia nostra sacramenta complentur, et omnia diaboli figmenta frustrantur. Postea datur sal benedictum in os ejus, ut sapientia conditus fetore careat iniquitatis, et ultra non putrescat a vermibus vitiorum. Deinde exsufflatur malignus fortis, ut spiritus spiritu pellatur. Postea tanguntur ei aures et nares saliva, ut tactu supernæ sapientiæ, et aures ejus aperiantur ad audiendum verbum Dei, et nares similiter ad discernendum odorem vitæ et mortis Hoc est sacramentum apertionis quod Dominus in Evangelio significavit, quando aures et os te- B tigit surdi et muti, dicens ; *Ephpheta, quod est adaperire* (*Marc.* VII).

Cap. XI. *De his quæ post exorcizationem sequuntur in baptismo.*

His ergo completis, venit sacerdos ad fontem : consecratur fons *In nomine Patris, et Filii, et Spiritu sancti* ; ut sanctitas sacramenti non ex eo qui ministrat, sed ex eo qui sanctificat constare sciatur, sicut scriptum est: *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I). Sic enim nec a bono melius datur, nec a malo pejus accipitur, quia sanctitas sacramenti non in merito ministrantium, sed in Dei sanctificantis virtute perficitur. Traditur etiam novæ vitæ auditoribus symbolum fidei, in quo apostolicæ doctrinæ forma consistit. Postremo C oblatus ad baptismum parvulus, et interrogatus a sacerdote an abrenuntiet Satanæ, et omnibus operibus ejus, atque omnibus pompis ejus, per ora gestantium respondet, ut quis aliena iniquitate obligatus est, aliena fide et confessione salvatur. Post abrenuntiationem factam, ungitur oleo sacro in pectore tanquam muniatur adversus hostem, ne ei deinceps immunda et noxia persuadere possit. Ungiter et inter scapulas, ubi vigor portandi operis est, ut fortitudinem accipiat ad portandum onus Domini. Deinde interrogatur an credat in Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unam esse Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum et vitam æternam. Sub hac igitur fidei responsione, trina mersione D a sordibus vetustatis abluitur, et novum hominem indutus triduanæ morti Christi consepelitur, sicut ait Apostolus : *Quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI). Trina enim immersio, trina est cogitationis, locutionis et operationis emundatio. Completis autem baptismi sacramentis, postquam baptizatus a fonte ascendit, sacro chrismate in vertice ungitur, ut spiritum Christi participando merito deinceps Christianus appelletur, cohæres regni et gloriæ sacra unctione effectus. Exinde traditur Christiano vestis candida, ut qui primæ nativitatis decorem vetustatis pannis obfuscaverat, habitu regenerationis, gloriæ præferat indumentum. Tegitur etiam post sacram unctionem ejus caput sacro velamine, ut intelligat se diademate regni et sacerdotali dignitate potiri. Ad ultimum datur cereus accensus in manum ejus, quatenus implere doceatur illud evangelicum quo dicitur : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V). Hanc igitur lampadem si inexstinguibilem servaverit, inter virgines sapientes cum sponso cœlesti ad nuptia introibit.

Cap. XII. *De patrinis.*

Patrini vocantur qui parvulos ad baptismum offerunt, et pro ipsis spondendo quasi fidejussores ad Deum fiunt. Hi propterea patrini vocantur, quia regenerandos ad vitam novam offerunt et quodammodo auctores fiunt ipsius regenerationis novæ. De quibus placuit patribus ut per singulos baptizandos patrini singuli admitterentur, id est unus tantum, sive vir sive mulier. Propterea fortassis ne spiritualis cognatio, cui reverentiam exhibere oportebat, passim diffusa, in matrimonii copula obesse potuisset. Sed quædam Ecclesiæ hanc consuetudinem non servant, plures ad susceptionem parvulorum admittentes. Hoc similiter sancitum est, ut alium in baptismo vel in chrismate, hoc est confirmatione, in filiolum non suscipiat, is qui baptizatus non est vel confirmatus. Sed nec monachi compatres aut commatres facere possunt, quibus ejusmodi commercia familiaritatis prohibentur. Patrini fidejusseres sunt, pro iis quod in baptismo susceperunt, ut eos, cum ad legitimam ætatem pervenerint, admoneant fidem rectam et conversationem bonam custodire. Ante omnia symbolum et orationem Dominicam ipsi teneant, et eis insinuent, pro quorum fide sponsionem fecerunt.

Cap. XIII. *De rebaptizatione.*

Apostolus dicit : *Unus Deus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV). Quod ergo unum, geminari non potest, quapropter valde rationabili definitione a sanctis Patribus institutum est, ut qui semel baptismi sacramentum percepisse cognoscitur, nulla ratione illud iterato accipiat sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam, hoc est a Catholico, sive ab hæretico, sive denique a fideli, sive ab infideli, cujuscunque conditionis, ætatis, aut sexus persona illud acceperit, modo tantum secundum rectam Catholici baptismatis formam acceperit, ratum constare debebit, nec ulla ratione poterit iterari. Quod enim bonum accepit, quare bonum non judicetur etiamsi a bono non accepit ? Non enim illius erat a quo accepit, vel potius per quem accepit, qui bonus non fuit, sed illius in cujus nomine accepit qui semper bonus, malum dare non potuit. Propter hoc eos qui ab hæreticis in nomine Trinitatis baptizati sunt, cum ad unitatem Ecclesiæ redeunt non rebaptizari, sed vel unctione chrismatis, vel impositione manus reconciliari catholicæ Ecclesiæ antiqua Patrum traditio instituit, sicut pridem arianos,

per impositionem manus occidens, per unctionem vero sacri chrismatis ad ingressum Catholicæ Ecclesiæ oriens reformavit. Nam qui solum sacramentum foris acceperunt, intus per impositionem manus spiritum accipiunt. Placuit tamen eos qui se baptizatos nesciunt, et sui baptismatis testes non habent, sine cunctatione baptizari; quia iteratum dici non debet, quod factum esse nescitur. Quæritur etiam de iis qui mimice, id est jocose baptizantur, utrum verum et plenum sacramentum baptismi percipiant. Sed sciendum quod aliud est aliquid jocose vel lusorie dare, sive accipere; et tamen velle dare aut accipere, et hoc omnino intendere, ut detur et accipiatur, quod jocose vel datur vel accipitur. Aliud autem aliquid agere quod formam illius in opere habeat; et tamen hoc nolle agere neque intendere ut hoc agatur, sed aliud aliquid quodcunque. Ubi ergo intentio baptizandi est, etiam si reverentia debita in agendo non est, sacramentum quidem est, quia omnino agitur, et hoc intenditur; nec tamen sine culpa agentis, quia quod agitur et intenditur non digne agitur. Ridiculum autem omnino est ut, ubi intentio agendi nulla constat, opus esse dicatur, propter speciem quamdam assimilitam operi, non propter hoc assumptam, sed forte provenientem ex alio quocunque. Ejusmodi est quod quidam imperiti existimant verba illa quæ ad conficiendam Eucharistiam instituta sunt: a quacunque persona sive in quocunque loco et qualicunque intentione super panem et vinum prolata, effectum consecrationis et sanctificationis habere, quasi sacramenta Dei sic instituta sint, ut nullam operandi rationem admittant; sed tumultuosa quædam et violenta atque irrationabili pertinacia sine omni intentione aut voluntate operantium ad effectum procedant. Ego filium meum forte ad balnea tuleram. Veni ad aquam non ut baptizarem, sed ut balnearem: non ut sacramentum darem, sed ut sordes abluerem, vel carnem foverem. Posui parvulum meum in aquam, sed quia volui ut bene cresceret, et prodesset, dixi forte sicut dixissem in manducando et bibendo, sicut in arando et seminando, sive aliud quodcunque agendo dixissem, dixi: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Tu venis et dicis mihi, quod baptizatus est filius meus. Ego balneatum scio, baptizatum nescio. Quod si idcirco baptizatum putas, quia cum mergerem dixi: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; » ergo et offa baptizata est quia cum mergerem illam dixi: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Vide ergo et considera quod rationale esse oportet opus ministeriorum Dei, nec propter solam formam præjudicare ubi intentio agendi nulla est.

Cap. XIV. *Quare in sola aqua baptismus celebratur.*

Sciendum est etiam quod in solo elemento aquæ sacramentum baptismi consecrari institutum est, quia sola hæc plenam habet et perfectam mundationem. Alii vero liquores omnes aqua purificantur. Et si quid alio quolibet liquore tactum fuerit, aqua abluitur, ut emundetur. Propterea in sola aqua sacramentum emundationis constat, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan.* III).

Cap. XV. *De forma baptismatis.*

Baptismi forma jam olim in diluvio præcessit, ubi in figura salvandorum octo animæ per lignum salvatæ sunt. Similiter et in mari Rubro, ubi aqua baptismum, et rubor sanguinem præferebat. Similiter in aqua aspersionis cui cinis rufæ vitulæ miscebatur, quæ carnem Christi figurabat, quæ feminino sexu designatur propter infirmitatem, rufa propter sanguinem.

PARS SEPTIMA.

DE CONFIRMATIONIS.

Cap. I. *De chrismate et ejus usu.*

Chrismatis unctionem jam ab antiquo in Veteri Testamento institutam legimus, qua tunc quidem reges solum et sacerdotes liniebantur. Quorum unctione singularis ille unctus præfigurabatur, qui præ cunctis participibus suis unctus est (*Heb.* I), ut cum illo participerant in nomine, qui participes illius esse mererentur in unctione. A chrismate enim Christus dicitur, et a Christo Christianus nominatur. Propterea ex quo nomen omnes communicare cœperunt omnes unctionem accipere debuerunt, quia *in Christo omnes genus electum sumus, et regale sacerdotium* (*I Pet.* II). Chrisma ex oleo et balsamo conficitur, quia per oleum infusio gratiæ, per balsamum odor bonæ famæ designatur.

Cap. II. *Quod impositio manus per solos pontifices celebratur.*

Manus impositio quæ usitato nomine confirmatio vocatur, qua Christianus unctione chrismatis per impositionem manus in fronte signatur; solis episcopis apostolorum vicariis debetur, ut Christianum consignent, et spiritum Paracletum tradant; sicut in primitiva Ecclesia Spiritum sanctum per impositionem manuum dandi soli apostoli potestatem habuisse leguntur.

Cap. III. *De eo quod Sylvester papa instituit ut presbyter baptizatum chrismate in vertice liniat*

In gestis pontificalibus legitur quod Sylvester papa constituit ut baptizatum presbyter in vertice chrismate liniat, propter occasionem quidem mortis, ne forte per absentiam episcopi, et difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret. Quod quidem omnino periculosum esset. Quia sicut in baptismo remissio peccatorum accipitur, ita per manus impositionem Spiritus Paracletus datur; illic gratia attribuitur ad remissionem

peccatorum, hic gratia datur ad confirmationem. A Quid autem prodest si a lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris ? Propterea timendum est iis qui per negligentiam amittunt episcopi præsentiam, et non suscipiunt manus impositionem, ne forte propterea damnentur ; quia festinare debuerunt dum potuerunt. Propter eos enim qui articulo temporis præveniuntur, instituta est illa qua sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri chrismatis unctio,ut in hoc ipso ostendatur quantum sacramentum istud necessarium sit ad salutem, cum tam sollicite universis cavetur ne forte sine ipso ab hac vita subtrahantur. Manifestum est autem quod primis temporibus omnis unctio chrismatis per solos pontifices fiebat. Sed et posteaquam institutum est, ut baptizatum sacerdos in vertice liniat, B consignatio tamen frontis solis pontificibus reservatur. Solus enim pontifex frontem consignare et linire potest, et Spiritum sanctum tradere.

Cap. IV. *Utrum majus sacramentum sit, impositio manus an baptismus.*

De sacramento confirmationis,id est impositionis manuum etiam quæritur utrum majus sit sacramentum quam baptismus. Sed sicut sacri canones definiunt, utrumque magnum omnino est sacramentum, et summa devotione pensandum. Quamvis tamen alterum, id est impositio manuum in eo quod a solis pontificibus celebratur, majori videatur reverentia colendum, sed hæc duo ita conjuncta sunt in operatione salutis, ut nisi morte interveniente omnino separari non possint. C

Cap. V. *Quod non debeat interari manus impositio sicut nec baptismus, et quod a jejunis celebranda sit.*

De sacramento impositionis manuum definitum est, ut nulla ratione teretur, sicut nec baptismus; et si forte id factum fuerit gravi pœnitentia est plectendum. Hoc quoque statutum est,ut impositionis manuum sacramentum,non nisi a jejunis,vel detur vel accipiatur; filii qui accipiunt perfectæ ætatis fuerint, ut mundi donum Spiritus sancti accipiant. Sicut enim duobus temporibus in Pascha videlicet et Pentecoste baptisma, quod illis solum temporibus generaliter celebrandum est, a jejunis celebrari debet, ita etiam donum Spiritus sancti per manus impositionem a jejunis pontificibus et a jejunis solum convenit celebrari, exceptis infirmis, et morte periclitantibus.

Cap. VI. *Quanto tempore debeant esse sub disciplina chrismatis qui manus impositionem acceperunt.*

Solent quidam quærere quando tempore debeant unctionem chrismatis observare in capite ut scilicet capita non lavent qui accipiunt manus impositionem, absque tempore baptisterii. Quibus responderi potest conveniens esse, ut tanto tempore adventus Spiritus sancti apud unumquemque qui eum accepit celebretur, quanto tempore generaliter ab Ecclesia celebratur adventus Spiritus sancti super apostolos, hoc est septem diebus. Et merito ; quia septem sunt dona Spiritus sancti ; et in septem comitibus ad hospitem suum Spiritus sanctus venit. Et dignum est ut habeat unusquisque diem suum et unicuique in die suo convivium præparetur. Alium diem habet sapientia, alium intellectus, alium consilium, alium fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium timor. Talia convivia Christus apud hospites suos exercet : talia et Spiritus sanctus.

PARS OCTAVA.

DE SACRAMENTO CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI.

Cap. I. *De ejus excellentia.*

Sacramentum corporis et sanguinis Christi unum est ex his in quibus principaliter salus constat, et inter omnia singulare; quia ex ipso omnis sanctificatio est. Hæc enim hostia semel pro mundi salute oblata, omnibus præcedentibus et subsequentibus sacramentis virtutem dedit, ut ex illa sanctificarent per illam liberandos omnes.

Cap. II. *Quando institutum sit sacramentum corporis et sanguinis Christi.*

Sacramentum corporis et sanguinis sui ipse Dominus Jesus Christus instituit, quando post cœnam veteris paschæ panem et vinum in corpus et sanguinem suum divina potentia transmutans apostolis sumendum tribuit, et ut idem post hoc in memoriam sui agerent præcepit.

D Cap. III. *Utrum mortale an immortale corpus suum in cœna Christus discipulis tradidit.*

Solent quidem quærere quale corpus suum discipulis suis Dominus Christus tradidit. Hoc est passibile an impassibile, mortale an immortale, et cætera quæ ad hanc quæstionem pertinent. Ego in ejusmodi (sicut et in aliis professus sum) divina secreta magis veneranda quam discutienda censeo. Simplicitati fidei hoc sufficere puto, si dicimus quod tale dedit quale voluit, et rursum quale dedit ipse novit. Ideo enim tale dedit quale voluit, quia omnipotens erat; et potuit omne quod voluit. Ideo autem ipsa novit quale dedit, quia sapientia erat ; et non potuit ignorare quod fuit, propterea levius se quætione absolvit, et fortassis tutius in semetipso subsistit, qui non dicit mor-

tale dedit, ne videatur dicere contra sacramenti A dignitatem. nec dicit immortale dedit, ne existimetur credere contra eam quæ in Chisto ante resurrectionem fuit mortalis corporis veritatem. Propter hoc fortassis melius est, ut neutrum definire præsumamus. quamvis tamen alterum fuisse credamus. Sic itaque non dicatur hoc vel hoc fuit, quamvis tamen credatur quod alterum fuit. Quod si alterum dicendum est ergo absque præjudicio veritatis magis sensu ad illud accedo, ut illud impassibile et immortale, quantum scilicet pertinet ad sanctificationem sacramenti tradidisse dicatur. Si quis autem objiciendum putet, quod ante resurrectionem Dominus Jesus Christus corpus mortale portabat, et hoc ipsi indubitanter profitemur mortalem fuisse Dominum Jesum secun- B dum susceptam humanitatem; quia si mortalem fuisse non crederemus, mortuum negaremus. Humana ergo natura in Christo mortalis fuit, sed voluntate, non necessitate. Ex eo enim quo per gratiam ab omni peccato munda verbo Dei in unitatem personæ juncta est, ab omni mortis necessitate et debito libera facta est, ut nihil morti deberet pro eo quod peccati nihil haberet. Sustinuit tamen sponte mortalitatem, quia mortem sustinere volebat; qui si mortalitatem non sustinuisset mori omnino non potuisset. Sic ergo sponte mortalitatem portavit, quousque mortem gustaret, et ita mortalitatem deponeret. Quia ergo voluntate non necessitate mortalis fuit, ipsius mortalitatis proprietatem, secundum quod ratio et ordo tem- C poris postulabat, priusquam eam per mortem totam exueret, aliquando ex parte quando voluit deposuit, et rursum quando voluit recepit. Ut in hoc ipso probaret, quod inquantum eam sustinuit, ex necessitate non esset, qui sic pro potestate inquantum voluit eam non habere, sustinere omnino non posset. Legitur in Evangelio quod Dominus Jesus Christus cum verbum vitæ prædicaret, et ad vitam mortales et morituros invitaret, zelantes hostes quem ratione convincere non poterant, furore exstinguere valebant. Itaque quasi in eum qui nihil amplius mortali haberet: *Manus injecerunt in ipsum, et duxerunt eum in supercilium montis,* ut illinc *eum præcipitarent* (*Luc.* IV). Ipse autem ut ostenderet se quidem mortalem D esse, sustinuit ut teneretur; et ut iterum demonstraret, quod voluntate non necessitate mortalitatem et passibilitatem ferebat, non sustinuit ut præcipitaretur. Cum esset ducendus, teneri se patienter tolerabat. Cum autem esset præcipitandus, potenter per medium illorum transibat. Quando voluit tenebatur, et quando voluit non tenebatur. Quantum voluit et quando voluit naturam mortalitatis admisit. Quantum autem eam sustinere noluit, et quando noluit, eamdam a se potestate removit. *Transiens,* inquit, *per medium illorum ibat* (*ibid.*). Nunquid putas quod Christus luctando se de manibus inimicorum subtraxerit, cum ab eis teneretur ut transiens liber per medium illorum iret? Ergo fortitudo corporis sola in eo laudanda est, non virtus Deitatis? Non ita convenit, sed exhibuit se qualem voluit admittens ad se, ex eo quod sponte portabat quantum voluit. Si ergo Christus naturam mortalitatis secundum rationem dispensationis divinæ priusquam eam perenniter victurus exueret secundum tempus aliquando ex parte deposuit, et iterum cum tempus postulabat assumpsit, quid mirum est si dicitur aliquando pro causa et ratione temporis, secundum aliquid et totam deposuisse, in qua tamen adhuc cum tempus postulabat passurus fuit? Si ergo hoc esse potuit, ut ipse seipsum manibus gestaret, et discipulis sine corruptione sui edendum distribueret; et tamen ipse qui dedit et qui dabatur qui portavit, et qui portabatur idem esset, quid mirum est si dicitur, quod ipse in eo quod dabat, mortalis fuit, et in eo quod dabatur immortalis fuit, et tamen ipse qui mortalis dabat, et qui immortalis dabatur non duo, sed unus ipse fuit? Quomodo mortalis non dabatur qui invisibiliter sumebatur, et incorruptibiliter manducabatur? invisibiliter sumebatur quantum ad formam dico propriam corporis sui, non quantum ad speciem sacramenti sui. Invisibiliter enim sumebatur, quia in eo quod sumebatur quod ipse erat non videbatur. Christus enim sumebatur et species panis et vini tantum videbatur. Ideo dice invisibiliter sumebatur, et quod erat non videbatur. Si ergo in eo quod dabat, quod ipse erat videbatur, et in eo quod dabatur, quod ipse erat non videbatur, etsi in eo quod dabat tenebatur et crucifigebatur, et in eo quod dabatur frangebatur et non dividebatur, edebatur et non corrumpebatur: quid miraris si in eo quod dabat mortalis dicitur, in eo quod dabatur immortalis et impassibilis fuisse prædicatur? Hoc tamen sic dicta sint ut nemini in eo quod latet præjudicium fiat.

Cap. IV. *Utrum corpus Christi fuit quod Judas per intinctam buccellam accepit.*

Quærunt et hoc utrum corpus Christi illud fuisse credendum sit quod ipse traditori suo per intinctam buccellam porrexit. *Cum intinxisset,* inquit, *Jesus panem, dedit Jidæ Simonis Iscariotis* (*Joan.* XIII). Sed, ut dicit beatus Augustinus, non sicut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum est enim quod jam eis omnibus distribuerat sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut sanctus Lucas evidentissime narrat. Ac deinde ad hoc ventum est ubi secundum narrationem Joannis apertissime per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem: fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem. Non enim omnia quæ tinguntur abluuntur, sed ut inficiantur nonnulla tinguntur. Si autem bonum aliquod significat hæc tinctio, eidem bono ingratum non immerito est secuta damnatio. Et hæc quidem verba sunt beati Augustini super eo quod quæsitum est, an Judas in buccella corpus Christi accepit. Ex eo tamen quod traditori suo Dominus, ad notandum eum, buccellam intinctam dedit, consuetudo habeat ut corpus Christi fideles intinctum non accipiant.

Cap. V. *Quod agnus paschalis figura corporis Christi fuit.*

Sicut circumcisio olim quantum ad effectum remissionis peccatorum baptismi vicem gerebat, mare Rubrum autem ejusdem similitudinem et figuram præferebat, ita agnus paschalis cujus carnes a populo edebantur, et sanguine postes domorum signabantur, in figura sacramenti corporis Christi præcessit. Postquam autem veritas venit, signum e medio sublatum est, ex quo jam non erat res quæ futura significaretur, sed quæ præsens perciperetur. Mansit tamen figura quandiu res nondum fuit, et exhibitum prius est in similitudine quod postmodum complendum erat in veritate. Ægyptus, mundus; exterminator Deus, agnus Christus; sanguis agni, passio Christi; domus animarum, corpora; domus cogitationum, corda. Hæc sanguimus per passionis fidem, illa sanguine tingimus per passionis imitationem : crucis signum intus et foris opponentes contra adversarias potestates. Denique carnes agni comedimus, quando in sacramento verum corpus ejus sumendo, per fidem et dilectionem Christo incorporamur. Alibi quod manducatur incorporatur. Quando autem caro Christi manducatur, non quod manducatur, sed qui manducat ei quem manducat incorporatur. Idcirco voluit Christus a nobis manducari, ut nos sibi incorporaret. Hoc est sacramentum corporis Christi, et res sacramenti corporis Christi. Qui manducat et incorporatur, sacramentum habet, et rem sacramenti habet. Qui manducat et non incorporatur, sed sacramentum habet, sed rem sacramenti non habet. Sicut qui incorporatur etiam si manducare non contingat, rem sacramenti habet quamvis sacramentum non habeat. Qui sumit sacramentum habet, qui credit et diligit, rem sacramenti habet. Melius ergo est illi qui credit et diligit, etiam si sumere et manducare non possit, quam illi qui sumit et manducat et non credit, nec diligit; vel si credit non diligit.

Cap. VI. *Quod sacramentum altaris et figura est quantum ad panis et vini speciem, et res est quantum ad corporis Christi veritatem.*

Sunt qui ex quibusdam Scripturarum locis munimentum erroris ducere putaverunt, dicentes in sacramento altaris veritatem corporis et sanguinis Christi non esse, sed imaginem illius tantum et speciem et figuram. Propterea quod scriptura aliquoties dicat id quod in Eucharistia altaris sumitur, imaginem illius esse, vel speciem quod in participatione Jesu Christi percipietur. Qui profecto hunc erroris laqueum non inciderent, si vel sacramenta Dei recta et humili fide susciperent, aut Scripturas convenienti intelligentia tractarent. Nunc autem quia in sacramentis Dei sensum suum fidei præferant in Scripturis sacris, sanam interpretationis formam tenere contemnunt; et fit ut sermo veritatis amplius eos caligare faciat dum non recte intellectus errorem pro veritate ministrat. Quod tamen Scripturæ vitium non est, sed legentium et non intelligentium cæcitas. Neque sacramentorum Dei confusio, sed præsumentium pra-

A vitas. Hic autem periculose erraverunt tot manifestis sententiis et assertionibus non dubiis; quædam ambigua præferentes, et in ipsis magis mendacium quam veritatem eligentes. Non quia hoc ibi magis dicebatur, sed quia hoc ab illis magis credebatur. Quid enim! Nunquid ideo sacramentum altaris veritas non est, quia figura est? Ergo nec mors Christi veritas est, quia figura est, et resurrectio Christi veritas non est, quia figura est. Nam et mortem Christi et resurrectionem figuram esse, et imaginem, et similitudinem, et sacramentum, et exemplum, Apostolus manifeste declarat dicens : *Christus mortus est pro debitis nostris et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV), ut peccatis mortui justitiæ
B vivamus. Et apostolus Petrus dicit : *Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (I Pet.* II). Ergo mors Christi exemplum fuit, ut peccato moriamur, et resurrectio ejus exemplum fuit, ut justitiæ vivamus. Nunquid ideo veritas non fuit? Ergo Christus vero mortuus non est, et vere non resurrexit; si mors ejus vel resurrectio vera non fuit. Absit! Nam de ipso scriptum est : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII). Ergo mors Christi vera fuit; et tamen exemplum fuit, et resurrectio ejus vera fuit, et exemplum fuit. Quare ergo altaris sacramentum similitudo esse non potest, et veritas? In alio quidem similitudo, in alio veritas.

C Cap. VII. *Tria esse in sacramento altaris : panis et vini speciem, corporis Christi veritatem, gratiam spiritualem.*

Nam cum unum sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur : species videlicet visibilis, et veritas corporis, et virtus gratiæ spiritualis. Aliud est enim visibilis species quæ visibiliter cernitur; aliud est veritas corporis et sanguinis quæ sub visibili specie invisibiliter creditur, atque aliud gratia spiritualis quæ cum corpore ut sanguine invisibiliter et spiritualiter percipitur. Quod enim videmus, species est panis et vini; quod autem sub specie illa credimus, verum corpus Christi est, et verus sanguis Jesu Christi quod pependit in cruce, et qui fluxit de latere. Nec per panem et
D vinum corpus et sanguinem tantum significari credimus; sed sub specie panis et vini verum corpus et verum sanguinem consecrari, et speciem quidem visibilem sacramentum esse veri corporis et veri sanguinis; corpus autem et sanguinem sacramentum esse gratiæ spiritualis. Et quemadmodum species illic cernitur, cujus res vel substantia ibi esse non creditur; sic res ibi veraciter et substantialiter præsens creditur, cujus species non cernitur; videtur enim species panis et vini, et substantia panis et vini non creditur; creditur autem substantia corporis et sanguinis Christi et tamen species non cernitur. Quod ergo videtur secundum speciem sacramentum est, et imago illius quod creditur secundum corporis veritatem; et quod creditur secundum corporis veritatem, sacramentum est illius quod percipitur secundum gratiam

spiritualem. Sacramentum ergo altaris et Eucharistia divina in vero corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi imago est, secundum speciem panis et vini in qua cernitur; et res est secundum substantiæ suæ veritatem, in qua creditur illic atque percipitur. Et rursum quod nunc visibiliter secundum sacramenti speciem et corporaliter secundum carnis et sanguinis Christi veritatem Christum in altari sumimus, sacramentum est, et imago quod ipsum eumdem invisibiliter et spiritualiter secundum gratiæ infusionem et Spiritus sancti participationem in corde sumere debemus. Ergo divinissima Eucharistia quæ in altari et secundum panis et vini speciem et secundum corporis et sanguinis Christi veritatem visibiliter et corporaliter tractatur, sacramentum est et signum; et imago invisibilis et spiritualis participationis Jesu, quæ intus in corde per fidem et dilectionem perficitur.

CAP. VIII. *Quare in specie panis et vini Christus sacramentum corporis sui et sanguinis instituit.*

Voluit enim sapientia Dei, quæ se per visibilia manifestat ostendere quod ipsa animarum refectio est et cibus, et propterea carnem assumptam in edulium proposuit, ut per cibum carnis ad gustum invitaret divinitatis. Sed ne rursum humana infirmitas tactum carnis in assumptione horreret, consueti et principalis edulii speciem illam velavit: et sic sumendam proposuit, ut sensus in uno foveretur, et fides in altero ædificaretur. Fovetur enim sensus in uno dum solita tantum et consueta percipit. Ædificatur autem fides in altero, dum in eo quod videt quale sit illud quod non videt agnoscit. Proponitur agitur species panis et vini, ut doceatur plena et perfecta refectio esse in assumptione corporis et sanguinis Christi, ex divinitate Christi. Plena autem refectio cibus et potus est; cibi autem et potus panis et vinum substantia principalis est. Et proponitur species ex principali substantia refectionis, ut in ea sumatur, et per eam veritas corporis et sanguinis Christi significetur. Sicut ipse testatur, dicens: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI). Quæ tamen corporis et sanguinis sumptio quia sola sine spirituali effectu salutem non conferat, ipse idem Salvator manifestat, dicens: *Caro nihil prodest; spiritus est qui vivificat* (*ibid.*). Virtus ergo et plenitudo spiritualis refectionis, quæ in corpore Christi et sanguine est, per speciem quidem panis et vini significatur; in perceptione autem gratiæ, infusione internæ et externæ refectionis perficitur. Et sic quidem cum tria in uno ibi sint; in primo quidem signum invenitur secundi; in secundo autem causa tertii; in tertio vero virtus secundi, et veritas primi: et hæc tria in uno sunt, et unum sacramentum. Claret itaque quod divinissimæ Eucharistiæ assumptio sacramentum est, et imago participationis Jesu; quia hoc quod ejus sacramentum visibiliter percipimus signum est quod ei spiritualiter uniri debemus. Ipsa autem Eucharistia, id est bona gratia; ipsa scilicet hostis sacra

A divinissima vocatur: quoniam divinos facit, et participes divinitatis eos qui se digne participant. Et quia ipsa signum est et veritas, in qua vera caro Christi sub specie panis sumitur; et in carne ejus digne sumpta, ipsius etiam divinitatis susceptio et participatio et consortium condonatur; propterea divinissima et sanctissima et sanctificans sanctificantia omnia et sancta.

CAP. IX. *Qualis intelligenda est mutatio panis et vini in corpus Christi.*

Per verba sanctificationis vera panis et vera vini substantia, in verum corpus et sanguinem Christi convertitur, sola specie panis et vini remanente, substantia in et substantiam transeunte. Conversio autem ipsa non secundum unionem, sed
B secundum transitionem credenda est; quoniam nequaquam essentiæ in augmentum accidit, ut per id quod accedit, id ad quod accedit majus fiat; sed transitione, ut id quod accedit, cum illo ad quod accepit, unum fiat. Nec sic in pane corpus Christi consecrari dicimus, ut de pane corpus Christi esse accipiat, nec quasi novum corpus subito factum de mutata essentia, sed in ipsum corpus verum mutatam essentiam. Nec ipsam substantiam panis et vini in nihilum redactam quia desiit esse quod fuit; sed mutatam potius, quia cœpit esse aliud quod non fuit, et ipsum quod cœpit esse esse non accepit, quia panis fuit; sed ipsa ejus esse accepit quando desiit esse quod fuit. Hoc expressius distinximus propter eos qui ex sua
C ratione fidei præjudicium faciunt, et sensu suo incedentes asserere nituntur, vel hoc esse solum ex ea quod cernitur; vel tale esse quod creditur, hoc est, quia sola panis et vini species cernitur, solam ibi esse panis et vini substantiam, vel quia substantia corporis et sanguinis Christi creditur, possibiliter et inesse speciem et qualitatem panis et vini quæ cernitur, quasi non possit species apparere, cujus non adsit substantia; vel substantia latere, cujus non appareat forma.

CAP. X. *Quid significant tres portiones illæ quæ de corpore Christi in sacramento altaris fiunt.*

Tres portiones illæ quæ in altari fiunt de corpore Christi, mysticam significationem habent. Est enim corpus Christi universa Ecclesia, caput sci-
D licet cum membris, et inveniuntur in corpore isto quasi tres partes, ex quibus totum corpus constat. Una pars est ipsum caput. Caput enim et caput est, et pars similiter corporis. Itaque caput ipsum pars corporis una est. Alia pars corporis est in membris illis, quæ jam secuta sunt caput; et sunt cum ipso capite ubi est ipsum caput. Sicut scriptum est: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV; *Luc.* XVII). Illi ergo qui jam de hac vita exierunt, quorum corpora in sepulcris requiescunt, et animæ cum Christo sunt; isti sunt pars corporis altera, et sunt quasi simul duæ partes istæ: caput scilicet et hæc altera pars corporis. Propterea in altari duæ partes seorsum reservantur extra calicem, quasi extra passionem. Quoniam ipsum caput jam immortale et impassibile de morte re-

surrexit amplius moriturum, neque passurum amplius. Et similiter illi qui de hac vita sancti egressi sunt et cum ipso capite suo jam gloriantur, et gaudent, exspectantes et ipsi resurrectionem carnis suæ et immortalitatem, jam neque dolorem neque passionem sentiunt ullam, et sunt simul istæ duæ partes extra calicem et extra passionem, quoniam hæc priora transierunt. Tertia pars in calice ponitur, significans eos qui adhuc vivunt in passione; donec et ipsi ab hac vita exeant et transeant ad caput suum, ubi amplius nec moriantur nec patiantur.

Cap. XI. *Quod corpus Christi quando dividi videtur secundum solam speciem dividitur, secundum se autem integrum manet, sic in singulis partibus totum, sicut in diversis locis unum et idem ipsum est.*

Noli autem putare quando partes vides in sacramento altaris, quasi divisum sit vel separatum a se, aut velut per membra discerptum corpus Christi. Ipse integer manet in se, nec dividitur, nec partitur. Sed tibi secundum speciem exhiberi oportebat, quod ad mysticam significationem pertinuit. Monstrat ergo tibi foris speciem in qua sensus tuus erudiatur. et servat intus corporis sui incorruptionem, in qua unitas ejus non dividatur. Videtur pars una et quasi pars esse videtur, et totum ibi est, et pars altera videtur et quasi altera videtur et idem est et totum ipsum. Etsi tertia pars videtur similiter, idem ipsum est et totum. Totum hic et totum ibi. Nec minus in parte, quam in toto nec in toto majus quam in parte. Quotcunque partes feceris, in singulis totum est. Nec mireris, opus Dei est hoc. Si in diversis locis potest esse unus; quare etiam non in singulis partibus potest esse totus? utrumque mirum est, sed non ideo falsum est, quia mirum est. Et verum est quia mirum est; nec tamen sit mirum, quia opus Dei est. Non est mirum si mirabilis mirabilia operatur. Quomodo, inquis, corpus unum eodem tempore in diversis locis esse potest? Hic est, ibi est. Et totum utrobique est et in multis locis similiter. Noli mirari. Qui locum fecit, corpus fecit, et locum in corpore, et corpus in loco. Et qui fecit ut corpus unum in loco uno esset, fecit sicut voluit; et si voluisset, aliter facere potuisset. Nam et quando vult aliter facit, et est sicut ipse vult semper. Quia autem sic ipse fecit ut corpus unum in loco uno esset; tu quod factum est vidisti, et nescis aliud nisi quod factum est quod vidisti. Idcirco miraris quando aliud vides vel audis, quam videre et audire consuevisti. Ipse autem non miratur quando aliud facit quam quod facere consuevit; quia quando illud fecit scivit, et tunc quod aliter facere potuisset, si voluisset. Idcirco cum quod mirari cœperis, et dixerit forte tibi cogitatio tua quomodo hoc esse possit, cogita scientem, et dessinet esse mirabile, quidquid illud fuerit. Et si forte mirabile esse non deserit, tamen incredibile non erit. Si factor omnipotens cogitatur, non erit impossibile quidquid erit.

—

A Cap. XII. *Quod ea quæ in corpore Christi indigna videntur secundum speciem solam fiunt.*

Quod sit contingat aliquando sicut contingere solet, ut videas aliqua fieri in hoc sacramento, quæ minus digna esse videbuntur, noli horrere. Sola species quæ apparet hoc habet. Tibi monstrat speciem, sibi servat veritatem. Exhibet sensui tuo similitudinem sibi corporalis, ut sensus tuus per omnia in suo erudiatur. Servat corpori suo veritatem naturæ inviolabilis et immortalis, ne in suo corrumpatur. Si in aliquo a similitudine recederet, verum sacramentum non esset, et proderet se ibi, et tolleret locum fidei, neque jam crederetur. Sed videretur; quod fieri nod oportet. Itaque quantum ad nos servat per omnia corruptibilis cibi similitudinem; et tamen non amittit quantum ad se inviolabilis corporis veritatem. Videtur corrodi, et manet incorruptus. Videtur affici vel maculari, et perseverat inviolatus. Sustinet hæc fieri circa se, ne sensus noster aliquid alienum percipiat, sed non recipit hæc in se, ne incorruptibilis natura sinceritatem suam amittat. Tanta est dignitas et munditia corporis Christi, ut nec corruptione aliqua offici possit, nec sordibus maculari. Itaque si quando hæc fieri videris, noli timere ipsi, sed sollicitus esto tibi. Ipse lædi non potest; tu noceri potes, qui male credere potes.

Cap. XIII. *Quid fiat de corpore Christi et corporali præsentia ejus post sumptionem sacramenti.*

Sed fortassis iterum dicit tibi cogitatio tua quid fiat de corpore Christi postquam sumptum fuerit et comestum. Tales sunt cognitationes hominem. ut vix quiescere velint in his maxime quæ quærenda non sunt. Dicit ergo tibi cor tuum: Quid factum est de corpore Christi, postquam illud sumpsit et manducavi? Audi ergo. Corporalem præsentiam Christi quæris? In cœlo quare. Ibi Christus est ad dexteram Dei Patris sedens. Tecum ad tempus esse voluit, quando et quandiu necesse fuit. Exhibuit tibi ad tempus corporalem præsentiam suam, ut te ad spiritualem excitaret. Ideo corporaliter ad te venit, et exhibuit tibi ad tempus corporalem præsentiam suam ut per illam spiritualis inveniretur, quæ non auferetur. Ita per carnem assumptam olim in mundum venit, et secundum præsentiam corporalem ad tempus cum hominibus conversatus est, ut eos ad spiritualem præsentiam quærendam et inveniendam excitaret. Postea completa dispensatione secundum corporalem præsentiam recessit, et secundum spiritualem præsantiam remansit. Nam ut ostenderet, quod secundum spiritualem præsentiam non recedebat, quando secundum corporalem præsentiam abire disponebat, ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Sic ergo in sacramento suo modo temporaliter venit ad te, et est eo corporaliter tecum, ut tu per corporalem præsentiam ad spiritualem quærendam exciteris, et inveniendam adjuveris. Quando in

manibus sacramentum ejus tenes, corporaliter tecum est. Quando ore suscipis, corporaliter tecum est. Quando manducas, et quando gustas, corporaliter tecum est. Denique in visu, in tactu, in sapore, corporaliter tecum est. Quandiu sensus corporaliter afficitur, præsentia ejus corporalis non aufertur. Postquam autem sensus corporalis in percipiendo deficit, deinceps corporalis præsentia quærenda non est, sed spiritualis retinenda, dispensatio completa est perfectum sacramentum virtus manet: Christus de ore ad cor transit. Melius est tibi ut ea in mentem tuam, quam in ventrem tuum. Cibus iste animæ non corporis est. Noli in ipso quærere consuetudinem cibi corporalis. Venit ad te ut comedatur, non ut consumatur. Venit ut gustetur, non ut incorporetur. Augustinus vocem de cœlo audivit, quia hoc a terrenis illi diciaut responderi non potuit. Cibus sum grandium, cresce et manducabis me: non ut me mutes in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Itaque prudenter discerne, qui in sacramento Dei sensui exhibitum sit; quid spiritui accommodatum, etiam ut si solet post completam perceptionem aliquid iterato senseris: in hoc quoque species ad proprietatem sensui famulatur, ut veritas similitudinis ubique conservetur. Nam si in aliquo quantum scilicet sensui exhibidum est similitudino deficeret, illic procul dubio sacramentum non esset. Sed res ipsa proderetur et manifestaretur evidendi miraculo, quod non convenit quandiu fides locum habet. Post hæc ergo si corporalem præsentiam Christi quæris in cœlo quære. Ibi quære ubi et prius fuit, quam per sacramentum suum corporaliter tecum esse inciperet, et unde non discessit quando ad te venit.

CAP. XIV. *Quod celebratio conserationis corporis Christi misset vocatur, et quando missa, et a quo primum est instituta unde missa dicitur.*

Celebratio missæ in commemorationem passionis Christi agitur: sicut ipse præcepit apostolis tradens eis corpus et sanguinem suum, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII). Hanc missam beatus Petrus apostolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebrasse; in qua tres tantum orationes in initio fidei dicebantur, incipientes ab eo loco ubi dicitur: *Hanc igitur oblationem*. Cætera aut postea a sanctis Patribus diversis temporibus, diversa adjecta sunt. Missa autem dicta est quasi transmissa, vel quasi transmissio, eo quod populus fidelis per mysterium sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum et homines, preces et vota et oblationes Deo transmittat. Ipsa etiam hostia sacra missa, vocari potest, quia transmissa est primum scilicet a Patre nobis ut nobiscum esset; postea a nobis Patri, ut apud Patrem pro nobis intercederet. Primum a Patre nobis per incarnationem, postea Patri a nobis per passionem. Modo in sacramento. Primum a Patre nobis per sanctificationem, qua nobiscum esse incipit, postea Patri a nobis per oblationem, qua pro nobis intercedit. Vel missa dicta est sicut quidam putant ab emittendo; quia tempore quo sacerdos incipit consecrare corpus Domini, catechumeni foras emittuntur. Lecto enim evangelio diaconus clamat: Si quis catechumenus adest exeat foras. Catechumeni sacris mysteriis interesse non debent, quæ non nisi baptizatis et Christianis committuntur, sicut de quibusdam qui catechumenorum et nondum renatorum typum gerebant, scriptum est: *Ipse autem Jesus non credebat se illis* (*Joan.* II).

PARS NONA.

DE MINORIBUS SACRAMENTIS ET SACRIS.

CAP. I. *De sacramentis quæ ad exercitationem instituta sunt, et quod omnia sanctificantur per verbum Dei.*

Sunt quædam sacramenta in Ecclesia in quibus, etsi principaliter salus non constet, tamen salus ex eis augetur, in quantum devotio exercetur. Hæc licet in præsenti omnia enumerari non possint, quædam tamen intermittere non oportet pro exemplo universorum. Ex his igitur sacramentis alia constant in rebus, qualia sunt aqua aspersionis, susceptio cineris, benedictio ramorum et cereorum, et cætera talia. Alia autem constant in factis qualia sunt signaculum crucis, exsufflatio exorcizationis, expansio manuum, incurvatio genuum, et alia hujusmodi. Alia in dictis constant, sicut Trinitatis invocatio, et quæcunque in hunc modum. Hæc autem omnia per verbum Dei sanctificantur sive per prolationem verborum divina virtute invocata sanctificentur, sive sola fide exhibita per eamdem divinam virtutem sanctificationis effectum accipiant. Ubi enim vera fides est, verbum Dei deesse non potest; quia ipsum verbum fide concipitur, et per fidem operatur. *Omnia*, inquit Apostolus, *quæcunque facitis, in nomine Domini facite* (*Colos.* III). Non autem consequens est ut intelligamus Apostolum præcepisse, quod in omnibus operis nostris verba proferremus, sed ut in omnibus operibus nostris fidem rectam teneremus. Ille enim nomine Domini omnia quæ facit operatur, qui per rectam fidem agnoscit se, nec sine illo aliquid boni posse facere, et si quid fecerit laudabile extra illum gloriari non debere. Qui fideliter in omni opere suo et ante factum ab illo auxilium quærit, et post factum totum quod operatus est bonum, ad laudem et gloriam ejus convertit. Sicut ergo omnia

quæ facimus sola fide etiam sine prolatione verborum, in nomine Domini recte fieri dicuntur; sic et quædam sacramenta sine prolatione verborum per solam fidem sanctificantur. Nam ipsa verba aliquando sacramenta sunt, quæ tamen ex aliis verbis sanctificationem non accipiunt. Nullum tamen sacramentum sine illo verbo sanctificatur, quod sive sola fide, sive ex fide, et prolatione verborum invocatum, omnem sanctificatione operatur.

Cap. II. *De aqua aspertionis quæ cum sale benedicitur.*

Alexander papa quintus a beato Petro constituit ut sal et aqua benedicerentur ad aspergendum populum et habitacula eorum. Illo utique exemplo quo Elisæus propheta sal in aquam misisse legitur, ut hoc condimento fontes amari in dulcedinem verterentur. Hac igitur aqua sanctificata fideles asperguntur, et habitacula fidelium lustrantur ab illusione et infestatione malignorum spirituum. Hæc est autem significatio hujus sacramenti, quod aqua pœnitentiam significat de præteritis sal discretionem et cautelam de futuris, quæ duo si simul misceantur, amara conscientia in dulcedinem vertitur, atque illæsiones et infestationes dæmonum amplius ei non dominantur. Nos itaque supradictam institutionem secuti, per singulos dies dominicos sal et aquam simul miscendo benedicimus, ut hac aspersione fideles et habitacula fidelium contra spirituales nequitias muniamus.

Cap. III. *De susceptione cineris.*

Ecclesiastica institutio habet, ut per singulos annos in initio quadragesimæ, quod caput jejunii dicitur, quarta feria quando jejunium votivum suscipitur, cinis consecratus capitibus fidelium imponatur scilicet ob recordationem mortalitatis nostræ, ut mortalis tunc homo qui ex habitu pœnitentiæ et recordatione et peccatorum suorum ad devotionem compungitur, etiam per memoriam conditionis suæ humilietur. Propter quod ei dicitur: *Memento quia* cinis *es, et in* cinerum *reverteris* (*Gen.* III).

Cap. IV. *De ramis palmarum et de frondibus benedicendis.*

Habet etiam ecclesiastica consuetudo ut in Dominica quæ proxima est ante solemnitatem paschalem, rami palmarum et frondes arborum benedicantur, et populo portandi distribuantur, in figuram eorum qui domino Jesu eodem die Jerosolymam ascendenti cum ramis palmarum et frondibus arborum virentibus cantantes et laudantes occurrerunt (*Matth.* XXI). In quo non solum nobis id quod illi tunc corporaliter fecerunt corporaliter faciendum proponitur, sed id potius quod vel in illo vel in isto corporali facto spiritualiter imitandum significatur. Palma quippe signum victoriæ est, rami autem virentes bona opera significant. Tunc igitur Christos cum ramis palmarum et frondibus occurimus laudantes quando ipsum mortis triumphatorem bonis operibus et digna gratiarum actione laudamus.

Cap. V. *De cereo qui in sancto Sabbato benedicitur, et de agnis qui benedicuntur in pascha.*

Zozimus papa constituit cereum magnum in Sabbato sancto paschæ benedici, quem diaconus accepta benedictione a sacerdote benedicit. Hic cereus Christum designat. In cera humanitatem, in igne divinitatem. Qui catechumenos ad baptistmum præcedit illuminans, sicut olim columna ignis filios Israel mare Rubrum transeuntes præcessit, per ignem illuminans, et obumbrans per nubem (*Exod.* XIV). Sub eadem figura juxta consuetudinem antiquam in die paschali in Ecclesia Romana agni cerei benedicuntur, et populo distribuuntur.

Cap. VI. *De signis quorum sonitu fideles in unum convocantur.*

Signorum usus a veteri Testamento assumptus est, ubi tubæ argentæ a Domino ductiles fieri præcipiuntur quibus multitudo populi convocari debuisset. Ad similitudinem harum tubarum signa ex metallo æris in Ecclesia facta sunt ad corda fidelium excitanda, ut per ea signum detur quando debeant in unum convenire (*Num.* X). Vasa ista metallina oro prædicantium significant. Plectra ferrea quo interius tunduntur, ut sonum emittant, linguæ sunt eorumdem. Funis autem mensura vitæ est, et conversationis modus qui in Scriptura proponitur. Funis manu tenetur, quando scriptura opere adimpletur. Funem sursum sequitur, qui ductu Scripturæ sacræ ad bona elevatur. Funem deorsum trahit qui eadem docente quantum in malis pressus jaceat agnoscit. Iste aptus est populum Dei in unum convocare, qui et elevatus opere exempla bonitatis ostendit, et inclinatus humilitate infirmitatem suam veraciter agnoscit. Signa ergo evangelica durabiliora sunt, et longius audiuntur quam tubæ legis, quia vox Veteris Testamenti ad tempus Judæis tantum insinuit. Sonus autem evangelicæ prædicationis in omnes gentes ad fines orbis terrarum exivit et usque in finem sæculi non cessabit.

Cap. VII. *De cortinis.*

Cortina quæ ante sancta, id est inter populum et clerum pendet velamen litteræ significat, per quod iis qui sub lege erant veritas adhuc Evangelii tegebatur. Cortina illa quæ inter sancta et Sancta sanctorum, hoc est inter clerum et sanctuarium suspensa est, significat velamen mortalis naturæ; per quod a nobis etiam sub gratia positis adhuc secreta cœlestia absconduntur. Primum velamen est quod in morte Christi scissum legitur (*Matth.* XXVII; *Marc.* XV). Secundum velamen usque ad tempus resurrectionis non auferetur. Propter hoc in tempore Quadragesimæ quæ vitam præsentem significat, unum tantum velamen inter nos et Sancta sanctorum oppanditur, quod usque ad diem resurrectionnis non auferetur; quia nunc littera quidem revelata est, sed mortalitas nondum ablata, quæ tamen omnis in futuro e medio tollenda erit, cum mortale hoc immortalitatem et corruptibile incorruptionem induerit. Tunc quippe revelata facie ingrediemur vel potius

egrediemur ad gloriam Domini contemplandam, ut eum quem nunc per solam fidem agnoscimus, facie ad faciem videndo sicuti est agnoscamus.

CAP. VIII. *De aliis sacramentis quæ in factis constant.*

Multa sunt alia Ecclesiæ sacramenta rebus vel factis expressa, quæ omnia hic enumerari non possunt ; multa enim sunt, et ideo præsentis sermonis brevitas ea non capit. Insufflatio in exorcizatione virtutem Spiritus sanctis significat, qua veniente fugatur et subruitur spiritus malignus. Sicut scriptum est : *Flavit spiritus tuus et operuit eos mare ; submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus* (*Exod.* XV). Signaculum crucis virtutem passionis Christi ostendit. Hoc ergo quando fronte imprimitur, Christianus munitur. Quando contra imminens periculum opponitur, adversaria virtus fugatur. Primum ad arma, secundum ad tela. Primum ad defensionem ; secundum ad impugnationem. Tunsio pectoris compunctionem cordis designat. Pectus tunditur, ut cogitationes vanæ et desideria prava de corde pellantur. Inclinatio capitis, genuum curvatio, sive prostratio, humilitatem et reverentiam, sive etiam veniæ postulationem significant. Expansio manuum charitatem et affectus boni amplitudinem demonstrat.

CAP. IX. *De his sacramentis quæ verbis constant.*

Alia item sunt sacramenta in sola verborum prolatione expressa, quæ et ipsa variam significationem ostendunt. Cœlestinus papa instituit, ut ex psalmis David ante sacrificium antiphonæ canerentur, quem introitum dicimus. Collectas diversi composuerunt, præcipue Gelasius et Gregorius. *Dominus vobiscum* (*Ruth.* II), ab antiquo usu assumptum est ; Booz messores suos salutans, hac salutatione usus est ; et propheta in Paralipomenon Asa regem, et qui cum eo erant salutat, dicens : *Dominus vobiscum* (*II Paral.* XV). Primis temporibus ab epistola Pauli missa incipiebatur, post quam evangelium sequebatur, sicut nunc hymnus angelicus qui ad officium missæ in solemnibus diebus recitatur, ab angelis primum decantatus legitur (*Luc.* II) ; cui ea quæ adjecta sunt, a beato Hilario Pictaviensi addita creduntur, a quo auctus est, et sicut nunc canitur consummatus. Symmachus autem papa in ordine quinquagesimus tertius, instituit, ut hic hymnus diebus Dominicis et in natalitiis martyrum in ecclesia ad officium missæ decantetur. Responsorium Itali tradiderunt, quod operationem et vitam activam per asperitatem cantus significant. *Alleluia*, lætitiam signat. Per jubilum in quo finitur, ineffabile gaudium in fine venturum exprimitur ; Tractus aliquoties tribulationem significat, ut *De profundis*, *Commovisti*. Aliquando lætitiam, ut *Jubilate*, *Laudate*. *Credo in unum Deum*, censum quinquaginta Patres in Constantinopolitano concilio contra hæresim Macedonii ejusdem urbis episcopi, qui Spiritum sanctum creaturam asseruit, composuerunt. Sixtus papa instituit ut ante consecrationem post hymnum A *Sanctus, sanctus, sanctus* cantaretur, quæ trina repetitio Trinitatis est confessio. Secreta vocatur quia secreto dicitur, ne villescat. Olim alta voce dicebatur : sed legitur quod pastores dum illam usu quotidiano audiendi cognitam in agro decantarent, divinitus percussi sunt, unde et consuetudo mutata putatur. Papa Pelagius docet ab universi orbis communione separatos esse, qui qualibet dissentione inter sacra missarum mysteria apostolici pontificis memoriam secundum consuetudinem frequentant. *Te igitur in primis*, hanc obsecrationem et consecrationem sanctus Gelasius papa ex majori parte composuit. Beatus Gregorius addidit, *diesque nostros in tua pace disponas*, et orationem Dominicam censuit super B corpus Christi recitari, sicut in vita illius legitur. *Qui pridie quam pateretur*, usque *in mei memoriam facietis*, Apostoli in usu habuerunt, et in his verbis corporis Christi sacramentum celebraverunt. Alii Alexandrum papam hæc addidisse ferunt. Leo papa constituit intra actionem dicere, sanctum sacrificium immaculatam hostiam. Felix papa constituit supra memerias martyrum missas celebrari. Gregorius papa constituit in canone dici : *Quorum solemnitates hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur* : *Domine Deus noster, in toto orbe terrarum, intra quorum nos consortium.* Sergius papa constituit, ut *Agnus Dei* in fractione Dominici corporis cantaretur. Innocentius papa ad Decentium : « Pacem C asseris ante confecta mysteria quibusdam populus impertiri, vel sibi inter se sacerdotes tradere, cum præter omnia quæ aperire non debeo pax sit necessaria indicenda per quam constet populum ad omnia quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentes signaculo demonstrentur. » *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.* Trecenti decem et octo episcopi in Nicæna synodo composuerunt, contra hæresim Arii, qui Filium Patre et Spiritum sanctum utroque minorem asserebat. Hunc hymnum postea Hieronymus Damaso papæ de Græco in Latinum transtulit, et addidit : *Sicut erat in principio et nunc et semper. Pater noster* D (*Matth.* VI) ipse Christus tradidit discipulis suis. Unde specialiter oratio Dominica vocatur in qua septem discretæ petitiones septiformis gratiæ sacramentum sunt. Symbolum fidei, id est *Credo in Deum* apostoli duodecim dictaverunt, totidem sentetiis comprehensum, qui numerus apostolicæ fidei sacramentum constat. *Quicunque vult* beatus Athanasius composuit. Et multi alii sancti Patres alia atque alia in celebratione divini officii, ad Ecclesiæ decorem et eruditionem fidelium ac devotionem addiderunt.

CAP. X. *De sacris et non sacramentis.*

Sunt alia quædam in Ecclesia sacra, non tamen sacramenta, quæ et ipsa quoque quamvis spiritualis gratiæ effectum non habeant, neque conferent sanctificationem, in hoc tamen sacra sunt, quod ad sancta pertinent, et illis cohærent quæ

et sanctitatem habent, et conferunt sanctificationem. Ejusmodi sunt omnia quæ ad ornatum Ecclesiarum pertinent sive quæ in possiessonibus earum continentur, quæ in hoc quidem secundum aliquid sancta sunt, quod in ministerium sanctorum tradita sunt et assignata. Ista ergo quasi simpliciter sancta sunt ;illa vero quibus ista consecrantur, Sancta sanctorum. Qui ergo sanctum de sancto aufert, sacrilegium facie. Qui vero ipsa sancta temerare audet,abominationem committit, Ejusmodi ergo sunt quæ sancta dicuntur,vel sanctis sanctificata, quæcunque Ecclesia possidet in substantia terrena, sive in pecunia sive in terra, maxime in decimis, quæ ab initio ita institutæ sunt, ut nunquam a ministerio divino sive illorum qui Deo serviunt et ministerio divino deputati sunt usu sine peccato abalienari potuissent. Hæc quidem in principio ob formam sacramenti magis institutæ videntur. Postea autem sub lege scripta sub lege gratiæ, ad sustentationem ministrorum Dei sunt reservatæ,ita ut in eis et devotio offerentium mereretur, et accipientium necessitas consolaretur. Hæ igitur nullo modo ab usu Ecclesiæ abalienari possunt,neque in possessionem laicam sive commutatione sive donatione transire.Cætera corporalia quæ sive in terris sive in pecunia Ecclesia possidet, quandiu quidem ab illa licite possidentur,auferri sine culpa non possunt;sed si causa et ratio postulaverit, per commutationem aut donationem, ad alienam possessionem transire possunt. Sicut ergo rapina est et violentia ejusmodi bona homini juste possedenti tollere, sic sacrilegium est et plusquam rapina ista Ecclesiæ juste possidenti auferre. Decimas autem quoquo modo usurpare aut retinere sine sacrilegii culpa non possunt,nisi soli ad quorum sustentationem divina institutione ordinatæ sunt. Hæc igitur differentia est inter decimas et cæteras Ecclesiæ possessiones, quod decimæ et institutione et possessione ad sacra pertinent ; cæteræ autem possessiones ecclesiasticæ ad sacra pertinent sola possessione. Aliæ ergo possessiones. Ecclesiæ ad alienos possessores sine commutatione rationabili transferri non possunt.Decimæ autem ab alienis omnino possideri non possunt. Illæ ergo non possunt auferri ; istæ non possunt transferri. In illis sacrilegium est si auferantur, in istis si transferantur. Decimarum autem et cæterarum passionum ecclesiasticarum episcopi dispensatores esse debent, ut eas iis qui Ecclesiæ deserviunt rationabiliter distribant, ex quibus si quid forte aliquando ad sustentationem eorum, qui in ecclesiasticis officiis non deserviunt, sed tamen in secreta divino servito mancipati sunt, accommodatur, indulgentia est non debitum, ita tamen ut hoc ipsum de portione sit pauperum, non de sustentatione clericorum.In eo enim quod ministro debetur, dignus est operarius mercede sua, nec bene sustentat egentem, qui fraudat servientem.

PARS DECIMA.

DE SIMONIA.

Cap. I. *Unde dicitur, et quid est simonia.*

Simonia a Simone Mago nomen accepit,qui hujus mali exemplum exitiale posteris reliquit. Est enim simonia gratiam spiritualem pecunia comparare velle. Quod cum fit, et ille utique qui vendit,et ille qui emit eadem sententia feriuntur,quia ejusdem reatus culpæ obnoxii comprobantur.

Cap. II. *De auctoribus simoniæ.*

Simoniacæ hæresis contagium jam olim in Balaam pullulavit, qui divinationis pretio proposito ad maledicendum populum Dei perrexit (*Num.* 22). Dehinc hujus hæresis duo leguntur auctores pestilentes emersisse : alter sub prophetica, alter sub apostolica doctrina.Prius Giezi magister esse vendentium (*IV Reg.*v), deinde Simon auctor videtur emptorum (*Act.* viii), Horum autem, ut dictum est, sectatores, sicut non sunt in errore diversi, ita nec in damnatione discreti.

Cap. III. *De iis qui spiritualia venaunt aut emunt.*

Qui ordines sacros emunt vel vendunt convicti sine misericordia deponuntur,quia profecto sacris ordinibus indigni sunt, qui in ipsis sacris ordinibus peccasse comprobantur.Ab hæreticis ad unitatem Ecclesiæ venientes aliquoties legimus in suos ordines receptos. Alii siquidem hæretici in suscipiendis ordinibus non errabant, sed alia causa erat atque doctrina quæ eorum fidem impediebat. Simoniacorum vero hæresis et peccatum, ipsa ordinatio eorum est. Merito igitur in suos ordines non recipiuntur, quoniam in ipsos suos ordines peccaverunt.Sciendum vero est quod qui a simoniacis nescientes ordinantur, quia eos catholicos non simoniacos putant ; spiritualem gratiam per ministerium illorum accipiunt, si erroris illorum (cujus conscii non fuerant) participes non fiunt. Qui autem pro gratia spirituali comparanda pecuniam offerunt,etiam a catholicis ordinati simoniaci existunt. Sed dici mihi. Quomodo a simoniaco ordinatus per impositionem manus illius donum sancti Spiritus accipere potest ? Quomodo simoniacus potest dare quod non habet,etiam si catholicus putetur? Audi quomodo. Sicut adulter, sicut fornicator, sicut ebriosus,aut avarus dare potest quod non habet : ita simoniacus quod non habet dare potest;et vere dare potest

iis qui digni sunt accipere. Per ministerium enim illius datur, non per meritum. Ideo iis qui erroris illius participes non sunt, et culpæ conscii non existunt, gratia per illum datur, ab illo non datur. Minister malus est largitor, bonus tamen minister est. Sicut hæreticus sive alius quilibet malus minister, malus est, et tamen minister est. Malus in eo quod errorem vel malitiam habet : minister in eo quod habet officium. Sic simoniacus : nam, et ipse hæreticus est, etsi non fide, tamen opere : minister malus est, et tamen minister est : Malus in eo quod simoniacus est, minister in eo quod in officium ordinatus est ; malus in eo quod pretium dedit, minister in eo quod ordinem et officium accepit. Sed dicis mihi : Quomodo ordinem aut officium accipere potuit qui pretium dedit ? Audi quomodo. Ad perniciem, ad perditionem. Officium emere potuit, gratiam accipere non potuit. Tamen quia officium accepit et habet, per ministerium ejus bonis quidem gratia et officium datur. A malis vero non gratia sed officium solum accipitur, et tamen accipitur quamvis ad perniciem ejus qui male accipit, sicut ad perniciem ejus qui male dedit.

Cap. IV. *De iis qui corporalia in Ecclesia comparando cum eis et in eis spiritualia emunt.*

Sunt autem quædam in Ecclesia quæ dum pretio comparantur, cum perceptione corporalis beneficii, participatio etiam spiritualis dignitatis accipitur. Ubi profecto quisquis alterum vendere aut emere cognoscitur, neutrum invenditum aut inemptum reliquisse comprobatur. Sed dicis mihi: Quomodo hoc esse potest? Ego in Ecclesia victum et vestitum emi. Ecclesiam non emi. Stipem emi, præbendam emi, corporalia tantum emi, spiritualia nihil emi, aut emere volui. Dic ergo mihi : Quis nomen tuum inter nomina fratrum ascripsit? Quis tibi in choro, in capitulo locum assignavit? Si hæc non emisti inde hæc habes? Quis tibi hæc dedit ? Sed hæc, inquis, gratis accepi, cætera emi. Hæc gratis data sunt. Bene dicis. Ovem emisti, et lanam non emisti, sed gratis accepisti. Tamen si ovem non emisses, lanam non habuisses. Pro arbore pretium dedisti, ut ejus fructum gratis manducares. Satis astute ingredi existimasti commento ridiculo. Vide ergo quomodo non emeris quod non habuisses, si pretium non dedisses. Aut te hoc pariter emisse confitere, aut si non emisti, noli tollere quod tuum non est. Sed dicis mihi iterum : Quid ergo ? Non possum ab Ecclesia stipem emere, et corporalis sustentationis impensam pretio sine simoniæ culpa comparare? Ecce habeo prædia mea aut pecuniam meam, qua sustentari possem, et vivere : sed forte timeo violentiam principum, aut fraudem familiarium sive aliud quodcunque. Forte etiam defectum ætatis aut imbecillitatem virium mearum considero. Video quia non possum ipse sicut expedit res meas disponere, et propriis utilitatibus deservire. Venio ad ecclesiam, commendo ei res meas, et vitæ meæ providentiam committo, et ut alat me, et sustentet, et de meo mihi subsidium ministret, et ne forte frauder in aliquo, expeto certam mihi et determinatam pensam constitui, quantum scilicet accipit unus aliquis eorum qui ecclesiæ deserviunt, qui in titulo Ecclesiæ conscripti sunt. Præbendam peto ad quotidiani victus usum, sicut habet alius qui in ecclesia est, qui de ecclesia vivit, et ecclesiæ servit. Dat mihi ecclesia et concedit illud, mea accipiens et sua reddens, imo mea non sua mihi dispensans. Quid igitur inde judicandum sentiam inquiris. Ego tibi breviter respondeo : quod si Ecclesiam in vita tua dispensatricem facis aut post mortem hæredem relinquis, ego prohibere nec volo, nec possum. Et si de tuo te pascit aut pro tuo, providentia est non culpa ; necessitas non iniquitas. Sic interim ut aliud non requiras nec accipias, corporalis tibi necessitudo conceditur, commercium iniquitatis negatur.

Cap. V. *De eo quod sola corporalia venduntur.*

Contingit autem aliquando ut possessiones Ecclesiæ vel quælibet alia ecclesiastica bona corporalia per malos prælatos data vel vendita ab usu Ecclesiæ alienantur. In quo genere crimen simoniæ esse non videtur, quamvis culpa gravis non desit. Quanta enim iniquitas sit, manifestum est eos qui ad ædificandas et custodiendas ecclesias positi sunt, destructioni illarum et eorum quæ ad illas pertinent dissipationi operam dare, maxime si ea quæ abalienantur talia sunt, quæ ad usus alienorum nunquam licite transire possunt, sicut sunt decimæ quæ ab initio institutæ sunt ad eorum tantum sustentationem qui tabernaculo deserviunt. Hæc igitur ad laicos transferre quid aliud est, quam de sacro sacrum auferre ? Sic ergo si unicuique peccato nomen culpæ conveniens datum fuerit, nihil mali fit in judicio æquitatis.

PARS UNDECIMA.

DE SACRAMENTO CONJUGII.

Cap. I. *De excellentia hujus sacramenti, et quæ in eo consideranda sint.*

Cum omnia sacramenta post peccatum et propter peccatum sumpserint exordium, solum conjugii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum; non tamen ad remedium sed ad officium. In conjugio autem hæc primum consideranda sunt et discernenda, origo et institutio, cum modo

et causis suis, et ejus secundum tempus et locum et ritus variatio.

CAP. II. *De origine conjugii.*

Conjugii auctor Deus est. Ipse enim conjugium esse descrevit, quando mulierem ad propagationem generis humani homini in adjutorium fecit. Adam quoque in spiritum cognoscens ad quem usum mulier facta esset, cum adducta fuisset ad eum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Christus etiam in Cana Galilææ (*Joan.* II) non solum præsentia corporali, sed exhibitione quoque miraculi nuptias consecravit. In quibus omnibus ostenditur conjugium et a Deo esse et bonum esse.

CAP. III. *De duplici institutione conjugii, et de causa institutionis duplici.*

Institutio conjugii duplex est : una ante peccatum ad officium : altera post peccatum ad remedium. Prima ut natura multiplicaretur ; secunda ut natura exciperetur, et vitium cohiberetur. Prima institutio conjugium proposuit in fœdere dilectionis, ut in eo sacramentum esset societatis, quæ in spiritu constat inter Deum et animam. Officium autem conjugii in carnis commistione proposuit, ut in eo sacramentum esset societatis, quæ in carne futura erat inter Christum et Ecclesiam. Secunda institutio conjugium in fœdere dilectionis sancivit, ut per ejus bona id quod in carnis commistione infirmitatis erat et delicti, excusaretur. Officium autem conjugii in commistione carnis, concessit ut in eo præter generis multiplicationem generantium infirmitas exciperetur. Quare autem institutum sit conjugii sacramentum, Apostolus innuit (*I Cor.* I), ubi virum imaginem Dei esse, ac per hoc quodammodo mulierem animæ rationalis typum portare ostendit. Quare item primo institutum sit conjugii officium, ipse Deus institutor et ordinator ostendit, dicens: *Crescite et multiplicamini et replete terram* (*Gen.* II). Officium autem conjugii hoc est, carnis commistionem ante peccatum non ad remedium infirmitatis, sed ad multiplicationem prolis institutum esse, post peccatum aut idem ipsum ad remedium infirmitatis concessum beatus Augustinus testatur his verbis, dicens: Utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis recte honestate nuptiarum excipitur, ut quod sanis esset officium, sit ægrotis remedium. Item in conjugio aliud esse et alterius rei sacramentum esse ipsum conjugium, et aliud esse et alterius rei sacramentum esse ipsum conjugii officium ; idem ipse in libro De bono conjugali testatur, dicens : In conjugio aliquid boni esse videtur ; non solum propter propagationem filiorum, sed etiam propter naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin jam non diceretur conjugium in senibus, si vel amisissent filios vel non genuissent ; in quibus, etsi emarcuerit ardor carnis, viget tamen ordo charitatis. Item : In nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas ventris. Unde quidam non intelligentes hoc quod dictum est : illa mulier non potest pertinere ad Christi et Ecclesiæ sacramentum cum qua noscitur non fuisse carnale commercium, existimant sacramentum conjugii esse non posse ubi commistio carnalis non fuerit. Nesciunt enim quod officium conjugii in carnis commistione, illam quæ inter Christum et Ecclesiam per carnis susceptionem facta est unionem figurat, proptereaque Christi et Ecclesiæ sacramentum esse non possit, ubi commercium carnale non fuerit. Conjugium tamen verum, et verum conjugii sacramentum esse, etiam si carnale commercium non fuerit subsecutum, imo potius tanto verius et sanctius esse, quanto in se nihil habet unde castitas erubescat, sed unde charitas glorietur. Nam et ipsum conjugium sacramentum est, sicut et ipsum officium conjugii sacramentum esse cognoscitur. Sed conjugium, ut dignum est, sacramentum est illius societatis quæ in spiritu est inter Deum et animam. Officium vero conjugii sacramentum est illius societatis quæ in carne est inter Christum et Ecclesiam. Scriptum est enim : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II) ; sed si duo in carne una, jam non duo sed una caro. *Hoc est sacramentum* quod ait Apostolus *magnum in Christo et Ecclesia* (*Ephes.* V), ad quod sacramentum pertinere non potest mulier cum qua noscitur non fuisse carnale commercium. Potest tamen pertinere ad aliud sacramentum non magnum in Christo et Ecclesia, sed majus in Deo et anima. Quid enim ? Si magnum est quod in carne, magnum non est : imo multo majus quod in spiritu est ? *Caro,* inquit, *nihil prodest, spiritus est qui vivificat* (*Joan.* VI). Si ergo magnum est quod in carne est, majus utique est quod in spiritu est. Si recte per Scripturam sanctam Deus sponsus dicitur, et anima rationalis sponsa vocatur, aliquid profecto inter Deum et animam est, cujus id quod in conjugio inter masculum et feminam constat, sacramentum et imago est. Et forte ut expressius dicatur ipsa societas et quæ exterius in conjugio pacto fœderis servatur sacramentum est, et ipsius sacramenti res est dilectio mutua animorum, quæ ad invicem in societatis et fœderis conjugalis vinculo custoditur. Et hæc ipsa rursus dilectio, qua masculus et femina in sanctitate conjugii animis uniuntur, sacramentum est ; et signum illius dilectionis una Deus rationali animæ intus per infusionem gratiæ suæ et spiritus sui participationem conjungitur. Copula igitur carnis quæ ante peccatum in conjugio officium fuit, et post peccatum in eodem pro remedio concessa est ; sic utrobique conjugio adjungitur, ut cum conjugio ipsa sit, non conjugium ex ipsa. Nam et ante ipsam conjugium verum est, et sine ipsa sanctum esse potest ; tunc quidem si non adesset illa infructiosius, nunc autem si illa non adfuerit, sincerius. Quod enim post peccatum copula carnis in conjugio admittitur, indulgentiæ magis est et compassionis, ne vitium concupiscentiæ quod in humana carne post peccatum radicavit ; turpius in omnem excessum perflueret,

si nusquam licite excipi potuisset.

CAP. IV. *Quid sit conjugium et qui illud legitime contrahere possint, et quis consensus sit legitimus.*

Quidam hoc modo conjugium diffiniendum putaverunt, ut dicerent « conjugium esse consensum masculi et feminæ individualem vitæ consuetudinem retinentem. » Cui diffinitioni « legitimum » adjungere oportet ; quia si consensus masculi et feminæ legitimus, hoc est legitime et inter personas legitimas factus, non fuerit, conjugium in eo consecrari non potest. Legitimas autem illas personas dicimus in quibus illa rationabilis causa demonstrari non potest, quare conjugii pactum mutuo firmare non possint. Ideo autem dico in quibus rationabilis causa demonstrari non potest, quia etsi forte est, sed occulta et latens et nondum B judicio Ecclesiæ comprobata, quantum ad judicium Ecclesiæ spectat pactum conjugale neque prohiberi potest ut non fiat, neque cum factum fuerit infirmari potest, ut non consistat. Quod enim omnino occultum est, quantum ad judicium Ecclesiæ, non esse dicendum est, qui ad efficiendum aliquid vel impediendum non differt ab eo quod non est. Prima autem institutio, duas tantum personas, id est patrem et matrem a contractu matrimonii excepit, ubi hominem ut adhærere possit uxori suæ patrem et matrem relicturum esse asseruit, dicens : *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ* (*Gen.* II). Manifestum est autem quod non requiruntur ad hoc, qui relinquuntur propter C hoc. Has ergo duas personas solas prima institutio excepit. In cæteris omnibus nullam ulli ad sacramentum conjugii fœderandum prohibuit. Venit postea secunda institutio, quæ per legem facta est; et excepit quasdam alias personas sive ad decorem naturæ, sive ad pudicitiæ argumentum. Et extunc cœpit esse ex prohibitione illicitum quod fuerat ex natura concessum. Ubi quidem si non culpabiliter prohibitio ignoratur in transgressione ignorantia excusatur. Nec prohibetur virtus sacramenti quandiu non patet transgressio præcepti. Cum autem constans est cœperit quod prohibitum est, constare deinceps aut ratum esse non potest; quod factum est, quia quod manifeste contra præceptionem agitur, legitimum aut verum esse non D judicatur. Erunt fortassis qui existiment ignorantiam facere tantum non posse, ut pro ea conjugium appellari debeat, inter ejusmodi personas, quibus matrimonii copula juste prohiberetur, si causa quæ latet cognosceretur. Ego illos interrogo quid sentiendum sit de filiis ex hujusmodi copula procreatis, utrum legitimi an illegitimi sint judicandi. Quod si durum videtur, ut idcirco filii illegitimi dicantur; quia parentes secundum causam aliquam latentem illicite, secundum judicium autem et concessionem Ecclesiæ legitime fuerunt copulati : concedant necesse est copulam illam ex qua procreati sunt, quandiu quidem causa latuit, legitimam fuisse, etiam si juste illicitam fuisse causentur. Non enim omne quod illicite fit, ideo non fit, quia illicite fit ; quoniam quod fit fieri

A omnino dicendum est, quamvis in eo quod sic fit male fieri recte dicatur. Si autem quod fit et quod illicite fit fieri quidem sciatur, illicite autem fieri nesciatur, potest quidem ignorantia culpam temperare aut excusare, ut actum legitimum constet in eo quod fit? quamvis facere non possit, ut irreprehensibiliter non fiat, in eo quod sic fit. Si ergo filii secundum aliquid legitimi sunt, secundum aliquid legitima est et copula ex qua sunt. Quod copula ipsa secundum aliquid legitima recte dicitur, non mihi apparet quare non etiam secundum idipsum conjugium merito nominetur. Non est enim magna contentio de nomine, ubi idem de veritate sentitur. Exceptis ergo ejusmodi causis, in quibus vel propter horrorem vel turpitudinem, pudicitiæ consulendum videtur ; in cæteris omnibus hoc sentiendum puto quod si in aliqua forte per ignorantiam offenditur, quandiu quidem latet matrimonio secundum judicium Ecclesiæ legitime facto, nequaquam tolere possit quin legitimum appelletur. Non mihi ergo quis fratrem et sororem opponat aut cætera hujusmodi, in quibus ratio ignorantiæ excusationem non admittit. Non permittuntur in ejusmodi offendere, quod in eo quod faciunt ignorantia debet excusare. Horroris sunt hujusmodi facta non rationis, in quibus et si ignorantia fuerit, verecundia tamen et pudicitia confusionem non evadit. Aliud est de illis loqui de quibus dicit Apostolus : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana (I Cor.* X*)*. In quibus enim humanum est errare in illis potest ignorantia erroris culpam excusare; sic ergo legitimas personas secundum judicium Ecclesiæ appellandas putamus in quibus nulla causa exstat pro qua aut juste prohiberi possit, quod faciendum est, aut cum factum fuerit infirmari. Sed quandiu quidem sic est, legitimum esse dicitur quod est. Si quis autem interroget quomodo secundum judicium Ecclesiæ legitimum esse possit quod secundum judicium divinum legitimum non est ; ego quidem utrumque legitimum esse puto. Idcirco tamen secundum judicium Ecclesiæ specialiter legitimum dici ; quia secundum judicium Ecclesiæ nihil in eo est pro quo legitimum dici non debeat, sed secundum divinum judicium aliquid in eo est, quod Ecclesiæ judicio manifestum esset, conjugium legitimum non esset. Hoc est quia aliquid in eo est ; Ecclesiæ quidem occultum, sed Deo notum. Quod si similiter Ecclesiæ manifestum esset, conjugium legitimum non esset. Nunc autem per ignorantiam excusatur, ut ex eo ipso tam apud Deum quam apud homines legitimum sit, quandiu ignoratur, quia apud homines quidem nihil eo reprehenditur ; apud Deum autem quod reprehensibile est et si culpam habeat, ad confusionem tamen reprobationis non imputatur. Et has quidem personas Ecclesiæ legitimas, secundum judicium Ecclesiæ existimamus. Consensum autem legitimum illum esse putamus qui ad hoc fit ad quod fieri debet. Nam qui ad solam carnis commistionem consentiunt, pro tali consensu conjuges adhuc dici non possunt. Hoc enim et

fornicantes et adulterantes faciunt, a quibus conjugalis castimoniæ nomen procul abesse cognoscitur. Ergo aliud illud est, cujus consensus inter masculum et feminam conjugium sacrat. « Hoc autem quid esse dicendum est, nisi societas illa quam Deus Creator a principio inter masculum et feminam instituit quando mulierem de latere viri formatam eidem sociavit ? » Quia enim socia data est, non ancilla, aut domina ; idcirco nec de imo, sed de medio fuerat producenda. Si enim de capite fieret, de summo fieret, et videretur ad dominationem creata. Si autem de pedibus fieret, de imo fieret ; et videretur ad servitutem subjicienda. Propterea de medio facta est, ut ad æqualitatem societatis facta probaretur. In hoc tamen quodammodo inferior ipso quod facta est de ipso, ut ad ipsum semper quasi ad principium suum respiceret, et ei individue adhærendo, ab ea se (quæ adinvicem constare debebat) societate non separaret. Hæc ergo societatis conjugium est, quæ fœdere sponsionis mutuæ consecratur, quando uterque voluntaria promissione debitorem se facit alteri, ut deinceps neque ad alienam altero vivente societatem transeat, neque se ab illa quæ ad invicem constat societate disjungat. Ad cujus quidem societatis consensum, si etiam carnalis commistionis consensus in prima fœderatione conjungitur, ejusdem commistionis debito conjugati, postmodum ad invicem constringuntur. Quod si forte in fœderatione conjugii utrinque pari voto consensus carnis remittitur, pro eodem deinceps conjugati debitores adinvicem non tenentur. Quod enim ab utriusque pari consensu dimissum et voto firmatum est, juste postmodum ab altero exigi non potest ; et tamen firmum stat etiam sic conjugii sacramentum cujus virtutem copula carnis sicut non efficit cum adest, ita si defuerit tollere non potest. Talis itaque consensus individualem vitæ consuetudinem retinere creditur qui ad hoc factus est, ut mutua societatis quæ adinvicem per ipsum initiata est utroque vivente amplius dissidium non patiatur. Qui ergo diffinire voluerit conjugium, dicere potest : « Conjugium esse consensum legitimum, hoc est inter legitimas personas et legitime factum masculi et feminæ ad individualem vitæ consuetudinem observandam. » In quo quidem consensu copulæ carnalis commercium pari voto aut futurum non contradicitur, aut non futurum laudatur.

Cap. V. *Quando conjugium esse incipiat.*

Si quis autem quærat quando conjugium esse incipiat, dicimus quod ex quo talis consensus qualem supra diffinivimus inter masculum et fœminam factus fuerit, ex eo statim conjugium est, quem etsi postea copula carnis sequitur, nihil tamen conjugio amplius ad virtutem sacramenti confertur. Unde constat quod si vir vel mulier post talem consensum, ad alienam societatem transierit, etiamsi commistio carnis illic sequatur ad priorem tamen societatem in qua sacramentum conjugii sancitum est et postquam secunda popula illicita omnino judicatur, redire debebit. Sed dicis mihi : Aliquis promisit sive forte juravit alicui se, usque ad tempus complacitum illam ducturum; et illa similiter promisit vel juravit se illi nupturam. Interim mutato proposito, alter sive uterque ad alienam societatem transit, et ille aliam uxorem ducit : et illa marito alteri nubit. Quid ergo faciendum est? Nunquid propter priorem sponsionem secundæ fœderationis pactum scindendum est? Sed considera quod longe aliud est promittere atque aliud facere. Qui promittit nondum facit; qui autem facit jam facit quod facit. In eo qui promittit si non facit quod promittit, mendacium est. In eo autem qui facit, etiam si post factum pœnitet, tamen factum omnino est quod factum est. Qui ergo se promisit uxorem ducturum, nondum tamen uxorem duxit; et quæ spopondit se nupturam nondum nupsit, nec conjugium adhuc fuit, sed futurum esse debuit. Cum autem postea et ille uxorem duxit, et illa marito nupsit, jam conjugium utrinque fuit; et non poterit dissolvi quod factum est, etiam si id quod promissum fuit non est impletum. Præcedens ergo mendacium pœnitentia corrigendum est, sed sequens conjugium dissolvendum non est. Non autem sic est quando sacramentum conjugii non quidem, ut supra dictum est, mutua sponsione futurum promittitur, sed præsentis assensus attestatione firmatur; quia post talem consensum quidquid in aliena societate etiam cum carnis commistione, vel cum prolis procreatione secutum fuerit, irritum omnino esse debebit. Sed putant quidam posterius factum idcirco stare debere quia in eo amplius esse videtur, ubi post consensum etiam carnis commistio secuta est. Sed cur ideo stare debet in quo plus factum est, si totum id quod factum est, juste factum non est ? Si posterius propterea conjugium judicatur; quia in eo copula carnalis fuit, quæ in priori non fuit, ergo si tertium post hoc secutum fuerit, dicet aliquis quod melius judicandum est quam secundum; quia in eo fortassis sæpius copula carnalis fuit quam in secundo fuit, quod ratio non admittit. Quapropter quidquid post consensum conjugalem qui matrimonium sacrat, cum alio vel alia sive in consensu, sive in coitu admissum fuerit, ad incestus et adulterii maculam non ad conjugii sacramentum pertinebit. Sed dicis : Si post primum conjugalis fœderis consensum statim conjugium est, quid ergo sibi vult quod dicit auctoritas : aliter non fieri legitimum conjugium nisi ab his, qui super eam feminam potestatem habere videntur; et a quibus custoditur uxor, petatur; et a parentibus propinquioribus sponsetur; et legibus dotetur et suo tempore sacerdotaliter ut mos est cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et cætera quædam quæ in hunc modum adjungit, dicens. Quoniam aliter præsumpta non conjugia, sed adulterina contubernia, vel stupra aut fornicationes potius quam legitima conjugia esse dicenda sunt. Sed id in hoc loco intelligi oportet legitima non esse, id est non fieri secundum institutionem legum, quæ in hunc modum conju-

ges desponsari instituunt. Nam quod postea adjungit, aliter præsumpta adulterina contubernia potius, vel stupra esse, quam legitima conjugia, confestim subsequenti sermone temperat, dicens : Nisi forte voluntas propria suffragata fuerit, et vota succurrerint legitima. Illic ergo, ubi voluntas propria et votum legitimum succurrit, etiam sine his omnibus legitimum conjugium esse potest. Si enim conjugium esse non potest ubi ista non sunt, nec baptismus esse potest, ubi non præcedit fontis consecratio, baptizandi exorcizatio, et ubi non sequitur olei et chrismatis unctio. Sed sicut baptismus esse potest sine istis, quamvis ista debeant esse cum baptismo, ita et sine illis conjugium esse potest, etiam ibi ubi illa in conjugio et cum conjugio esse debent. Nam quod conjugium non in coitu constet, sed in consensu, nec in consensu coitus; quia sicut sine coitu consensus, ita etiam sine consensu coitus esse potest, si forte utrinque castitatis et continentiæ propositum placitum fuerit, beatus Ambrosius testatur, dicens : Non defloratio virginatis, sed pactio conjugalis conjugium facit. Item : Conjugium non facit coitus, sed consensus, qui si defuerit omnia etiam cum ipso coitu frustrantur. Isidorus etiam dicit, quod conjuges verius appelantur a prima desponsationis fide quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalis concubitus. Sed forte videtur hoc contrarium esse illi quod superius diximus conjugium in consensu maritali sanciri. Si enim a prima desponsationis fide conjugium incipit, cum fides desponsationis in promissione futuri consensus præcedere videatur, quando conjugium ab hac fide initiari dicitur, procul dubio etiam ipsum matrimonii consensum anteire probatur. Sed si desponsationem ipsam futuri matrimonii pactionem et promissionem intelligere debemus, tunc nimirum fidem desponsationis impletionem promissionis et pactionis exhibitionem convenienter accipimus. A qua nimirum quia in prædicto consensu constat, merito conjugium exordium sumit, quia in eo quod fides pactionis et sponsionis quæ de futuro conjugio utrinque facta fuerat adimpletur, in consensu maritali conjugii sacramentum perficitur. Nomen autem desponsationis non ipsum conjugii consensum quo matrimonium firmatur, sed pactionem et promissionem futuri consensus significare in ipsa vocis expressione conjicimus, quia et spondere non dare est aut facere, sed promittere. Unde et Apostolus dicit : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*I Cor.* XI). Quod si desponsationis nomen in ipso contractu matrimonii intelligere debemus, tunc fidem desponsationis consensum mutuæ societatis, quæ conjugium dicitur, convenienter accipimus. Unde et de matre Domini Augustinus dicit, quod a prima desponsationis fide conjux vocata est Joseph, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat cogniturus. Et Ambrosius similiter; Desponsata viro conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium tunc conjugii nomen assumitur, in quibus verbis, sicut supra dictum est si desponsationem

A accipimus in eo quando consensu maritali conjugium sancitur, recte tunc ipsum conjugium inchoari et nomen conjugis assumi dicitur. Si autem desponsationem intelligimus in eo quod futurus ad conjugium faciendum consensus promittitur, tunc quidem conjugium in iis quæ conjugium antecedunt inchoari dicitur; et ab inde etiam quæ futura est conjux, propter ea quibus jam conjugium initiatum est nomine conjugis censetur. Sed ut libet de his et de hujusmodi sentiatur, tantum ut conjugium nec ante legitimi consensus attestationem, in quo uterque alteri ad conjugalis fœderis societatem se tradit, verum esse credatur, nec postea imperfectum. Vis scire quid dico? Cum ille dicit : Ego te accipio in meam, ut deinceps et tu

B uxor mea sis, et ego maritus tuus, et illa similiter dicit : Ego te accipio in meum, ut dinceps et ego uxor tua sim et tu maritus meus, aut scilicet hoc dicunt, aut aliud quodcunque simile illi, in quo et si non hoc dicunt, hoc tamen intelligunt. Aut si non hoc dicunt quia fortassis alicubi verba non celebrantur, sed res agitur, tamen hoc faciunt. Ducit illam, accipit illam, sicut mos est legitimus ducendi uxores. Cum igitur hoc sicut mos est dicunt vel faciunt et in hoc sibi consentiunt, hoc est quod dicere volo, quod deinceps conjuges sunt, sive hoc dixerint; et in hoc sibi consenserint coram legitimis testibus sicut debent, sive forte soli seorsum et in secreto nemine attestante vel astante qualiter non debent; tamen omnino conjuges

C sunt, nec deinceps nisi alia emergat causa dissidii ab invicem separari licite possunt, etiamsi propter furtivum consensum si factum negaverint convinci non possint.

CAP. VI. *De iis qui occulte nubunt, vel postquam nupserint contra conjugium aliqua verenda faciunt.*

Sed dicis : Quid ergo faciendum est de hujusmodi qui clanculo convenerunt, si postea aut alter aut uterque factum negando ad alienam societatem transierit? Quidam uxorem duxit clanculo sine præsentia testium solo adinvicem maritali consensu firmato, devitans ut nonnunquam fieri solet aliqua de causa conscientiam alienam, postea brevi tempore interjecto, priusquam consensum

D occultum facto manifesto probasset de facto pœnituit, eam quam in hunc modum uxorem duxerat dimisit : aliam duxit celebri apparatu manifeste coram Ecclesia fortassis cum parentum traditione, cum sacerdotis benedictione nuptias fecit, filios genuit. Venit prior illa ad Ecclesiam, judicium interpellat, justitiam postulet. Injuriam sibi illatam palam exponens. Negat ille, nec sunt testes qui possunt probare quod occuitum est. Hic quæris quid facere debet Ecclesia, quia utrinque inconveniens aliquid incurrere videtur. Si enim illi mulieri quæ quidem verum dicit, sed tamen occultum est, nec probatum quod dicitur, sine legitimo testimonio propter solum dictum ejus creditur, et pro eo quod incertum est et occultum, id quod certum et manifestum est dissolvitur, poterit deinceps quilibet sive quælibet in alium vel

in aliam quodcunque voluerit fingere, ut sibi simili ratione credatur. Quod si admissum fuerit, magna confusio proveniet neque deinceps in Ecclesia aliquid firmum stabit. Si vero propter auctoritatem Ecclesiæ conservandum conjugium, quod primum factum est, scinditur, et adulterium, quod secundo præsumptum est, confirmatur, aliud magnum est; quando non solum libertas datur, sed etiam necessitas inducitur homini ut maneat in peccato suo. Hic ergo consilium quæris. Ego fortassis tibi potiora dicturus non sum, tamen oportet ut in tantis malis prorsus ignorantes non simus. Si quis putaverit propter hujusmodi mala vitanda talem consensum qui nullo testimonio probatur, neque facientium mutua confessione firmatur, iritum esse debere neque in eo ullatenus conjugium stare posse, facilius inconveniens declinat. Potest enim etiam id quod supradictum est, furtivos consensus non conjugia esse, sed adulterina contubernia vel stupra, nisi voluntas propria suffragaverit, et legitima vota succurrerint, propter hoc dictum putari quod ejusmodi consensus qui in occulto fiunt conjugium non sanciunt, nisi idem, ipsi, qui in occulto sibi consenserint, eumdem consensum suum utrique voluntarie in manifesto profiteantur. Tunc siquidem voluntas propria suffragatur et vota legitima succurrunt, cum id quod in occulto fecerunt sponte utrique in manifesto profitentur. Si quis igitur ad hunc modum dicat conjugium occulto quidem consensu initiari posse, sed non nisi manifesta amborum confessione firmari compendiosius mala multa declinat, sed plurium approbatio hoc recipit ut sive in manifesto sive in occulto talis consensus inter legitimas personas factus fuerit, perfectum conjugii sacramentum judicetur. Quod si ita verum esse constare debebit, considerandum est quomodo supra memoratæ quæstioni responderii oporteat. Dubium non est quin id quod Ecclesiæ probari non potest, Ecclesia ipsa judicare non potest. Et rursus dubium non est quin id quod legitimo et manifesto Ecclesiæ judicio factum est, sine legitima et rationabili et manifesta causa rescindi non potest. Ratio nos urget. Ista mulier dicit quod pari consensu cum viro illo matrimonium fecit. Sed quod dicit, nec ipsa probare potest, nec Ecclesia quod probatum non est approbare potest. Non potest ergo pro eo quod occultum est, id quod manifestum est infirmari. Quapropter oportet ut secundam copulam quæ judicio Ecclesiæ legitime facta est, ipsa Ecclesia judicet ratam esse debere. Sed dicis : Quid ergo faciendum est huic mulieri quæ virum suum ab Ecclesia requirit, sed habere non potest, quia id quod occultum fuit probare non-potest? Fortassis cum viderit quod maritum suum habere non posset, alteri nubere volet et veniet ad Ecclesiam expostulans, aut ut sibi maritus suus reddatur, aut alteri nubere concedatur. Hic ergo quæris quid Ecclesia facere debeat, an propterea quia priorem reddere non potest, secundum concedet? Sed vide quomodo concedere Ecclesia possit illi maritum alte-

A rum, quæ suum adhuc vivum esse confitetur. Ipsa dicit vir meus vivit, et tamen petere præsumit ut alteri nubat. Ergo dicis, ad continentiam cogenda est mulier ista. Ita sane quia negligentiam cavere noluit, justum est ut pœnam sustineat. Quare in manifesto non nupsit? Si prius in nubendo testimonium Ecclesiæ habere contempsit, qua ratione nunc judicium Ecclesiæ interpellat? Ipsa se igitur obligavit. Sustineat itaque nunc pœnam ut aliis mulieribus, ne idem præsumant, correctionis et cautelæ exemplum fiat. Continere pecccatum non est, nec impossibile est, etiamsi difficile est. Si ergo mulieres nolunt continere, caveant in occulto nubere. Ibi nubant ubi testes habere possunt, si maritos consentientes habere non possunt. Quod

B si culpam vitare nolunt, sustineant pœnam. Qui ergo conjugium suscipere vult, cogitet primum quod, cum illud susceperit legem ejus portare debet. Qui appetit quod delectat, portet necesse est, si in eo vel pro eo evenerit, etiam id quod gravat. Non ergo permittit Ecclesia illi mulieri quæ se alteri viro nupsisse confitetur, illo vivente ad alias transire nuptias; etiam si postmodum contingat, ut idem ipse vir post celebrationem secundarum nuptiarum ad se reversus et de facto pœnitens peccasse se confiteatur, et ad priorem uxorem redire voluerit, eique de veritate primi pacti contestetur, non recipit Ecclesia testimonium ejus, quia variavit verbum suum et; contra se testimonium tulit, et abstulit sibi fidem in utroque. Ta-

C men Ecclesia id quod ipsa fecit, sine causa legitima rescindere non potest, sed ratum esse debere censet, ne occulta manifestis præjudicent. Itaque illam homini mulierem pro legitima uxore adjudicat, quam secundum judicium Ecclesiæ legitime duxisse cognoscitur. Sed dicis : Si sic ergo judici Ecclesiæ stare debet, quoniam occulta manifestis præjudicare non possunt, quid illi homini pro anima sua faciendum est, qui vivente uxore sua alteri adhærere cogitur, quam nec dimittere potest, ne præceptioni et judicio Ecclesiæ contraire videatur, nec sine scrupulo conscientiæ tenere quam vivente adhuc priore contra divinam justitiam et institutionem illicite sibi sociasse cognoscit? Si ergo iste talis ad Ecclesiam confugiat

D quærens consilium salutis, quid illi dicet Ecclesia? Audi et intellige quid illi dicere potest Ecclesia. Si dixerit ei Ecclesia ut secundam quam publice duxit dimittat, et ad priorem revertatur, quam modo se contra primam testationem suam uxorem duxisse confitetur, et in hoc receperit testimonium ejus, omnes deinceps qui odio habebunt uxores suas fingent et mentientur se prius alias duxisse, ut ab iis quas odiunt separentur; et ita lex matrimonii nihil in se stabilitatis habebit, sed passim ubique pro voluntate unius cujusque dissolvetur. Non ergo Ecclesia aliud dicere potest illi quam ut matrimonio quod ejus attestatione firmatum est, fidem servet. Sed dicis : Causa illi est pro anima sua, consilium salutis quærit; nam utrobique periculum videt, et utrum potius eligat non invenit. Si manet, contra conscientiam facit; si discedit,

contra obedientiam facit. Non ergo jam quærit an discedere liceat, sed si non discedit utrum permanere expediat. Conscientiam exponit, et consilium salutis quærit. Quid illi dicet Ecclesia homini confitenti peccatum et quærenti consilium? Si dixerit illi ut maneat postquam revelavit peccatum, hoc est dicere, quantum videtur ut maneat in peccato. Si vero nec hoc nec illud dicere potest, quantum videtur, homini tali via salutis monstrari non potest. Sed hoc rursum multum a fide Christiana abhorret, ut dicatur aliquis talis esse, qui non possit si vere pœnituerit in qualicunque sit periculo salvus esse. Multa sunt quæ ad hunc modum contingere potuissent. Alius dicit se cum sorore, aut cum matre uxoris suæ rem habuisse. Alius uxorem se prius aliam duxisse fetetur, et multa alia horrenda quæ miseria hominum vel falsa configit, vel vera committit. Et verum est quidem quod multa fiunt horrenda ab hominibus in desideriis suis malis sic excæcatis ut faciant quæ non oportet, et sunt tanta hæc mala ut vix consilium admittant; nisi Deus, qui legem dedit, gratiam et misericordiam præstet. Per legem enim non justificabitur in conspectu ejus omnis caro. Sicut olim maledictum legis omnes qui sub lege erant premebat; nec erat qui evadere potuisset maledictionem, quia non erat qui cavere posset prævaricationem, donec ipse legislator veniens, maledictionem per gratiam abstuit; et ne semper maledictio et prævaricatio regnarent, per eamdem gratiam ipsam etiam legem mutavit : ita et modo nunquam homo cum peccato suo et malitia urgente in necessitatem peccandi venit, nec potest legem portare nisi maledictionem prævaricationis incurrat : commutat illi Deus per misericordiam legem, et donat pœnitenti ut salvus esse possit, qui utique non salvaretur, si per justitiam et rigorem legis sine misericordia judicaretur. Non tibi fortassis secundum opinionem aut existimationem tuam respondeo. De meo est non de tuo quod loquor. Non aliud possum. Quod mihi mens suggerit profiteor. Si aliud dicerem contra conscientiam meam et existimationem dicerem. Quisque pro se judicet; ego tibi de corde meo loquor. Venit peccator ad me et exponit mihi conscientiam suam consilium salutis quærens. Quid illi dicam? Si dixero illi recede, facio illum inobedientem Ecclesiæ matri suæ, et exemplo ejus alios confirmo, ut dimittant uxores ejus legitimas; et cum eas odio habuerint, fingant quodcunque sibi placuerit, et mentiantur Ecclesiæ ut libertatem habeant recedendi ab eis, quia eas non amant. Et si hoc Ecclesia receperit et passa fuerit veniet magnum malum, et dimittent omnes pro libito, aut viri uxores suas, aut mulieres maritos suos, et pro uno homine multi damnabuntur, quod ita fieri non oportet. Quidam acute se considerasse putaverunt, sibi non proximo consulentes, dicentes, quoties ejusmodi forte aliquid contingeret, Ecclesiam utrumque facere debere : et in occulto scilicet pœnitenti consulere, ut ab ejusmodi copula recederet; et in manifesto discedentem cogere ut

A maneret. Quod quidem non esset salutem proximi quærere, sed quasi se velle a periculo liberare. Non mihi suadet conscientia mea ut hoc illi dicam. Quærit a me quid sibi faciendum sit, ostendit periculum suum, necessitatem suam demonstrat, se paratum esse testatur, ad utrumlibet quodcunque jussus fuerit. Ego minus de me confido, dico illi ut pergat ad Deum. Domine, tu legem desisti per servos tuos qualem voluisti; et per quandiu voluisti, et ecce nos servi tui sub lege sumus, tu Dominus lator legis sub lege non es. Quod instituisti quando voluisti, et per quos voluisti, potes cum volueris et quibus volueris sine prævaricationis reatu indulgere. Neque enim jam culpa erit quod indulgentis est remissio, non

B agendis præsumptio. Tu ergo præcepisti, Domine, per servos tuos per quos locutus es, et ordinasti Ecclesiam tuam, ut vir, vivente uxore sua, alteri non adhæreret. Ego uxorem habui, et illa vivente alteri adhæsi, ecce jam ego facere non possum ut hoc factum non sit. Sed tu facere potes ut hoc damnabiliter factum non sit. Item tu mandasti, Domine, ut Ecclesiæ tuæ vicem tuam in terra agenti obediremus sicut tibi; et non scandalizemus unum de pusilis tuis, et dixisti : quia qui Ecclesiæ tuæ mandatum sperueret tibi obediens non esset. Ecce ego miser propter peccata mea in contradictionem veni, laqueum incidi necessitatis, ut exire sine peccato non possim. Si manos, accusat me conscientia mea adversum te de occultis meis,

C quibus contra tuam dispositionem fatio. Si recedo, inobediens ero Ecclesiæ tuæ, et scandalizo non solum pusillos, sed etiam magnos servos tuos, qui in hac parte quod occultum es nesciunt, tamen quod justum est volunt, et accusat me conscientia mea de manifestis meis, quibus contra præceptionem tuam ago. Ego igitur in arcto positus et cinctus undique periculis, tuam misericordiam imploro : paratus ad omne quod jubes, si illud scire dederis. Si dixeris discede, non maneo. Si dixeris mane, non discedo. Scio enim quod, te jubente, fit, malum esse non posse quodcunque illud fuerit. Tua est enim potestas ex qua bonum est omne quod tibi placuit. Cui indulges non imputatur, cui imputas non indulgetur. Si ergo, Domine, tu jus-

D seris, ut postposito Ecclesiæ scandalo, et contempto mandato magistrorum meorum quos mihi dedisti, et quibus me obedire præcepisti : ego magis te audio quam hominem quem audire nec debeo, nisi propter te, nec volo contra te. Si ergo tu jubes, Domine, ad hominem non attendo. Si autem parcere vis pusillis tuis, aut Ecclesiæ tuæ auctoritatem conservare propter salutem multorum : ego quidem pro peccatis meis in judicio tuo sum. Sed tamen scio quod benignus et misericors es, et potes si volueris non imputare necessitatem, si acceptam habueris voluntatem. Magis ergo volo incidere in manus tuas, quam in manus hominum; quia tibi et adest potestas, et non deest pietas. Homo immutare legem non potest. Tibi lex non dominatur, quia conditor et dominus legis es. Homo facta judicat, non voluntatem : tu factis

parcis propter voluntatem. Confidens ergo in misericordia tua occulta necessitatis meæ tibi committo, non præsumens propter timorem tuum Ecclesiæ scandalum facere; quia spero quod offensam tui mihi pie ignoscere sustineas. Cum idcirco non præsumo offendere proximum, ne in proximo offendam et Deum meum. Sic mihi videtur quoties occulta aliqua in necessitate conscientiam remordent, et maxime si talia fuerint in quibus dispensatio institutionis indulgentiam admittat, quia ea quæ contra naturam et sunt sine peccato nunquam fieri potuerunt, non accipiunt remissionem nisi habuerint correctionem. In hujusmodi ergo occultis in quibus temporalis institutionis, non naturalis præceptionis prævaricatio est, videtur mihi nunquam ea quæ latent manifestis, et maxime iis quæ sine gravi scandalo mutari non possunt, præjudicare debere; sed magis expedire ut in manifestis scandalum caveatur, et de occultis ad gratiam et ad misericordiam confugiatur : posse autem fieri ut quod aliquando pro scandalo vitando ex necessitate contra institutionem agitur, quia occultum est et probari ac per hoc vitari non potest, pœnitenti et dolenti per misericordiam non imputetur. *Vir potestatem corporis sui non habet, sed mulier. Similiter mulier potestatem corporis sui non habet, sed vir* (*I Cor.* VII). Potest ergo vir sive mulier peccando facere ut potestatem in corpore alterius perdat; sed facere non potest ut alteri potestatem sui corporis quantum in se est tollat. Quod sui juris est perdere potest : quod suum non est tollere non potest. Sic ergo et si aliquando faciat ut debitum suum in corpore alterius jure exigere non possit, non tamen facit ut debitum alterius in suo corpore jure negare possit. Quæritur autem et de iis qui se dicunt post conjugalem pactionem, sive ante; cum sororibus ac matribus, aut aliis quibuslibet in linea cognationis propinquis commercium carnale habuisse, quid faciendum sit, si hoc factum esse legitimo testimonio approbari possit. Ego quidem quandiu fieri rationabiliter posset propter servandam pacem tori conjugalis ejusmodi, testimonia et probationes declinarem. Si autem res omnino manifesta fieret, tunc quidem propter horrorem facti et scandalum vitandum, separationem fieri suaderem sic tamen ut uterque in cortinentia permanere cogeretur, quoniam quidem conjugii sacramentum adinvicem non scinderetur, etiam si opus carnalis commercii contradiceretur. Si quis autem dicat quomodo mulier quæ non peccavit cogi possit ad continentiam invita, videat et hoc esse de miseria carnis a cujus voluptate qui se in prosperitate non cohibet, dignus est ut in adversitate quoque dolores illius portet. Ista mulier quæ modo dicit se continere non posse, quid faceret si maritus ejus longa et continua, vel etiam perpetua ægritudine premeretur? Quem ergo non desereret in languore corporis jacentem, non deserat modo de iniquitate pœnitentem. Vel si forte conditionem carnis sustinere non vult, legi carnis se non subjiciat, neque suscipiat ad delectationem quod pati non vult ad afflictionem. Et hæc quidem de occulto consensu conjugii, sive de cæteris quæ in eo occulta sunt, vel occultanda et verenda esse possunt nobis dicenda fuerunt. Fatemur ergo, sicut dictum est, in consensu maritali conjugium sanciri et quod post ipsum legitime factum quidquid aliud fit contra ipsum stare non potest, si hic solus legitimo testimonio probari potest. Postquam ergo demonstravimus, quid sit conjugium, et ex quo conjugium sit dicendum ut ratum esse debeat, nunc consequenter de bonis conjugii tractandum est.

CAP. VII. *Quod tria sunt bona quæ conjugium, comitantur, scilicet fides, spes prolis, sacramentum.*

Tria sunt principaliter bona conjugii quæ conjugium comitantur. Fides, spes prolis, sacramentum. In fide, attenditur ne præter vinculum conconjugale cum altera, vel cum altero concumbatur. In spe prolis, attenditur ut devote exspectetur, amanter suscipiatur, religiose nutriatur. In sacramento, attenditur ne conjugium separetur; et dimissus aut dissima, nec causa prolis alteri copuletur. Hæc sunt bona quæ opponit conjuguim contra eam quæ in carne peccati adhuc manet concupiscentiam carnis, sine qua carnis commistio fieri non potest. Bonum quippe conjugii, ut dicit beatus Augustinus, malum inobedientium membrorum limitat quodammodo et modificat, ut concupiscentia carnalis fiat saltem pudicitia conjugalis. Duobus autem modis bonum hoc contra malum illud remedium occulit, dum et illum immoderatæ libidinis ardorem sub certa regula unius fœderis limitando, a vago concubitu modificat; et eum, qui per se malus esset, per bona sibi adjuncta excusat. Nec tamen facit ut malum prorsus non sit, sed ut damnabile non sit; quippe propter hoc malum non fit culpabile illud bonum; imo propter hoc bonum veniale fit illud malum, nisi enim malum esset, non opus haberet excusari. Et rursum nisi remedium haberet, deberet imputari. Si autem conjugium nihil boni in se haberet, remedium contra malum esse non posset. Nunc autem ipsa quæ ei insunt bona, malum quod ab eo non quæritur, sed in eo toleratur, excusant, ut non imputetur ad damnationem, quod necessitas imponit, non voluntas exigit. Item Augustinus ad Valerium : Non tantum fecunditas cujus fructus est in prole, nec tantum pudicitia cujus vinculum fides est, sed etiam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis. Hujus sacramenti res est, ut legitime copulati, quandiu vivunt, non separentur.

CAP. VIII. *Utrum hæc bona inseparabilia sint conjugio an non.*

Si fides conjugii est præter maritalem copulam aliam nescire, et violatio fide hujus adulterium committere, patet quod hoc bonum ita conjugio adhæret, ut si quidam adsit ex eo amplius conjugium commendetur, si non adsit non tamen conjugii sacramentum annihiletur. Quæ enim adultera est non ideo conjux non est, quia adultera est; imo si conjux non esset, adultera esse non

posset. Non enim adulterium est, nisi cum fides A tori legitimi violatur; quod utique cum fit, culpa committitur, sacramentum non cassatur. Similiter si spes prolis est in eo quod devote exspectatur, amanter suscipitur, religiose nutritur, non dubium est et hoc quoque bonum omni conjugio, sive conjugibus omnibus semper adesse non posse. Quomodo enim ab illis proles speratur qui vel pari voto continentiam custodiunt, sive pro ætatis defectu amplius generare non possunt? Itaque duo hæc, id est fides et spes prolis, ita conjugium commitantur ut, ubi quidem adsunt, conjugium in altero sincerius, in altero fructuosius appareat; ubi autem non adsunt, aut culpabilius, aut infructuosius probetur, et tamen conjugium esse non desistat. Sacramentum autem ita inse- B parabile esse videtur, ut sine illo omnino conjugium esse non possit. Unde Augustinus: usque adeo fœdus nuptiale cujusdam sacramenti res est, ut nec separatione irritum fiat: quia, vivente viro a quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit. Hoc autem vult sibi tanta firmitas conjugalis vinculi, quod non tantum valeret nisi alicujus majoris rei quoddam sacramentum adhiberetur, quod inconcussum manet, quia interveniente divortio non aboletur nuptialis confœderatio, ita ut conjuges sint etiam separati. Nam quia duo sunt diversa, conjugium quod constat in legitima societate, et conjugii officium quod constat in carnis commistione; et in altero quidem, id est conjugio sacramentum est; ad alterum vero, id est C ad officium conjugii, fides et spes prolis pertinere videtur. Unum id est fides ut per eam illicita carnis commistio caveatur; alterum, id est spes prolis, ut propter eam licita carnis commistio exerceatur; sicut ipsum officium carnalis commercii a conjugio abesse potest, ita etiam ipsum conjugium sine iis quæ ad officium carnalis commercii pertinent esse potest, quamvis, ut dictum est, si fide careat, minus sincerum; si autem spe prolis careat, minus fructuosum inveniatur. Fides enim fructum habet in castitate pudicitiæ conjugalis. Spes prolis fructum habet in usu fecunditatis. Conjugium autem in ipsa societate maritali sacramentum est; et ideo sicut ipsa societas utroque vivente non dividitur, ita et sacramentum D societatis conjugalis quandiu conjugium constat, ab ipso non separatur. In quo videlicet conjugio sacramentum foris est indivisa societas; res sacramenti intus advincem flagrans perseveranter animorum charitas. Sacramentum foris ad Christum et Ecclesiam, res sacramenti intus ad Deum et animam. Ut sicut in copula carnis Christi et Ecclesiæ sacramentum diximus, ita etiam in fœdere societatis ejusdem sacramentum ostendamus. Hoc ergo dictum est, ut ostendatur quod aliquando conjugium sine fide et sine spe prolis est; sine sacramento autem nunquam esse potest quamvis et ipsum sacramentum aliquoties esse inveniatur, ubi sanctitas sacramenti non esse ostenditur. Dicit enim beatus Augustinus quod sacramentum conjugii omnibus gentibus commune esse potest; sanctitas autem sacramenti non nisi in civitate Dei nostri est, et in monte sancto ejus. Quod quemadmodum verum sit facile videre potest, qui superius dicta considerat. Diximus enim supra quod in conjugio duplex sacramentum constaret. Unum in commistione carnali, sacramentum illius societatis quæ est inter Christum et Ecclesiam, alterum in societate conjugali, sacramentum illius societatis quæ est inter Deum et animam, sive etiam quod Christi et Ecclesiæ sacramentum esset, in societate conjugii: Dei vero et animæ sacramentum in dilectione conjugali. Sive igitur hoc modo sacramentum conjugii accipiatur, recte sacramentum conjugii omnibus gentibus commune esse dicitur; sanctitas autem sive virtus sacramenti, non nisi in civitate Dei nostri, et in monte sancto ejus. Hoc est in fide et charitate, in Ecclesia videlicet sancta, et inter fideles esse perhibetur. Sacramentum autem conjugii habent, qui pari consensu ad eam quæ a Deo inter masculum et feminam instituta est societatem indivise advincem conservandam convenerunt. Sacramenti vero hujus sanctitatem non habent nisi ii soli qui per fidem membra Christi facti sunt; et per charitatem mente et devotione intus Deo uniti sunt.

Cap. IX. *De iis qui in conjugio incontinenter vivunt, et plus explendæ libidini, quam generandæ proli inserviunt.*

Beatus Augustinus de iis qui tali incontinentiæ sive infirmitate sive voluptate victi inserviunt, sic dicit: Concubitum qui non fit causa prolis, nuptiæ non cogunt fieri; sed impetrant ignosci: si tamen non ita sit nimius ut impediat tempora quæ orationi debentur, nec immutetur in eum usum qui contra naturam est. Concubitus enim qui est necessarius causa prolis inculpabilis est, tantummodo si est nuptialis. Qui autem ultra necessitatem justam progreditur, nam non rationi sed libidini obsequitur, et hunc non exigere, sed reddere conjugi ne fornicetur, ad conjugem pertinet. Si vero ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt quæ non est nuptiarum, cujus delicti non sunt nuptiæ exhortatrices, sed deprecatrices. Decus quidem conjugale est castitas procreandi et reddendi carnalis debiti fides. Hoc est opus nuptiarum quod ab omni crimine defendit Apostolus, dicens: *Si acceperis non peccasti, et si nupserit virgo non* peccat (*I Cor* VII). Immoderata autem progressio secundum veniam conceditur. Sanctitati etiam conjugii nec infidelis conjux obesse potest; sed potius fidelis prodest infideli. Unde Apostolus: *Sanctificatus est vir infidelis per fidelem mulierem* (*ibid.*), etc.

Cap. X. *Qua ratione antiqui simul plures habuerunt uxores.*

De hoc similiter beatus Augustinus sic ait antiquis temporibus cum adhuc salutis nostræ mysterium velaretur, justi officio propagandi nuptias contrahebant, non victi libidine, sed ducti pietate, qui multo facilius continere possent et vellent. Utebantur tamen conjugibus et plures uni viro

habere licebat, quas castius habebat quam nunc unam quilibet istorum in quibus videmus, quod secundum veniam concedit Apostolus. Habebant enim eas in opere generandi, non in morbo desiderii. Idem in libro De virginibus: Antiquis justis non fuit peccatum quod pluribus feminis utebantur, neque contra naturam hoc faciebant, cum non lasciviendi causa sed gignendi hoc facerent, neque contra morem, quia eo tempore ea fiebant neque contra præceptum quia nulla lege erat prohibitum. Verumtamen sicut idem alibi testatur, magis pertinet ad bonum nuptiarum unum cum una, quam cum multis copulari, quod indicat primi conjugis copula divinus facta, ut inde connubia sumerent initium. ubi honestius attenderetur exemplum. Item idem : Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, et in Joanne qui passus non est, sic non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham qui filios generavit. Et illius enim cælibatus et istius connubium, pro temporum distributione Christo militaverunt. Sed continentiam Joanes in opere : Abraham in solo habitu habebat. Melior autem est castitas cælibum quam castitas nuptiarum quarum Abraham unum habebat in usu, ambas in habitu. Caste enim conjugabiliter vixit ; esse autem castus sine conjugio potuit ; sed tunc non opertuit. Idem justus, quamvis cupiat *dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I), tamen sumit alimentum non cupiditate vivendi, sed officio consulendi, ut maneat quod necessarium est propter alios : sic misceri feminis jure nuptiarum, officiosum fuit sanctis viris non libidinosum. Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis, et utrumque non est sine delectatione carnali, quæ tamen modificata et refrenante temperantia in usum naturalem redacta libido esse non potest. Quod autem est in sustentando victi illicitus cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus : et quod est in cibo licito immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus.

Cap. XI. *Utrum conjugium dicendum est quod aliquando dissolvi potest.*

Quidam conjugium omnino esse negant quod aliquando dissidium admittit. Inveniunt enim auctoritates quasdam et verba Scripturarum divinarum a sanctis Patribus prolata, quibus quasi idipsum videtur astrui. Dicit enim beatus Augustinus in libro De homo conjugali : Usque adeo fœdus nuptiale cujusdam sacramenti res est, ut nec separatione irritum, quia, vivente viro a quo relicta est, mochatur, si alteri nupserit. Et idem: Quia interveniente divertio non aboletur nuptialis confœderatio ita ut conjuges sint, etiam separati, Propter hujusmodi assertiones videtur illis non esse dicendum conjugium, etiam quando est, quod aliquando ita dissidium et separationem admittit, ut divisi adinvicem conjuges non appellentur. Sed mihi interim non apparet qua ratione possint probare, quod hoc ad virtutem sacramenti

A conjugalis pertinet, ut individua ab utrisque societas, quandiu uterque vivit conservetur ; propterea conjugium non fuisse quod aliquando dissolvi potuit. Si enim idcirco hoc conjugium non esse dicunt, quia hoc ea quæ ad conjugium pertinent in toto non habet, intendant quod cum dictum est individuam societatem ad conjugium pertinere, vere dictum est : quia hanc conjugium habere debet quando scilicet est ubi esse debet. Hæc enim conjugii est et hanc conjugium exigit, sive potius confert, quantum in se est. Sicut baptismi est remissionem peccatorum conferre, et vere dicitur cum dicitur quod baptismus remissionem omnium peccatorum confert; et sicut sacramenti corporis Christi virtus et societatem et participa-
B tionem Christi conferre, et vere dicitur cum dicitur quod susceptio corporis Christi confer spiritualem participationem Christi ; et tamen qui fictus baptismi sacramentum accipit, remissionem peccatorum non percipit, et qui indigne manducat corpus Christi, nequaquam per id meretur spiritualem participationem Christi. Si ergo vere hæc ad illa pertinere dicimus et tamen illa sine istis aliquoties inveniemus, nec ideo minus ad illa pertinent quando sine istis sunt illa; quando videlicet sunt ubi esse non debent, et apud quos esse non debent : mirum est si individuam societatem ad conjugium pertinere dicimus, cum tamen conjugium sine illa inveniamus, quando scilicet est ubi esse non debet? Quod si idcirco conjugii sacra-
C mentum non esse dicunt, quia hoc non habet quod habere debet, quando est ubi esse non debet, dicant similiter baptismi sacramentum verum non esse apud fictum, et fictum vere baptizatum non esse, quia ibi remissionem peccatorum non operatur ; et verum corpus Christi non esse quod indigne percipitur, quia illic spiritualis participatio Christi non confertur. Intelligant ergo quod quoties hujusmodi spirituales effectus sacramentis divinis attribuuntur, virtus ipsorum sacramentorum exprimitur, in quo quidem non ostenditur quid secundum vitium sacramentis Dei abutentium futurum sit, sed potius quid ex ipsis secundum efficaciam gratiæ spiritualis quæ in ipsis est, si in pravitate abutentium non remaneant, fieri
D possit. Qui ergo hoc conjugium habere dixit, hoc utique dicere voluit, quod conjugium hoc quantum in se est, habere debet, si fuerit ubi esse debet. Si autem forte non fuerit ubi esse debet, non est mirum si eo careat quod habere debet. Neque ideo tamen minus verum est sacramentum, dum est, quamvis minus utile sit illi in quo est. Ad hunc modum putamus quædam conjugia vere dici posse, quandiu secundum judicium Ecclesiæ rata habentur ; quæ tamen postmodum emergentibus causis legitimis recte solvuntur, et si postea, contra Ecclesiæ prohibitionem pertinaci præsumptione tenentur, illicitæ et illegitimæ copulationes judicantur. Non tamen hoc de omnibus, sicut supra memoravi, sic sentiendum existimanus. Nam facta horroris excusatione, nulla legitimorum nomen poterunt retinere. Aliud est de illis ubi venialiter.

peccatur, ut videlicet si quis infra septimum, aut sextum, aut etiam fortassis quintum gradum lineam propinquitatis ignorans temeraret, quod quidem non tam contra naturalem sive antiquam legalem institutionem quam contra subsequentem Ecclesiæ præceptionem esset. Legimus quod beatus Gregorius Anglis noviter ad fidem conversis, ne forte Christianam religionem horrerent, dispensatorie concessit, a quinto gradu consanguinitatis conjugia copulare : in quo apparet quod ea quæ aliquando dispensationem admittunt, ut licite manifeste fiant, excusationem habent, etiam si præter concessionem ignoranter fiant. Et idcirco fortassis ejusmodi quandiu omnino latent ignorantia convenientius existimentur excusari, quæ tamen manifesta facta, quia contra præceptionem sunt, non debent tolerari. Hæc autem dicta sunt contra illos qui putant conjugium omnino dici non posse quod aliquando dissolvi potest.

Cap. XII. *De his qui putant etiam inter illegitimas personas quascunque consensum adinvicem habitum conjugium facere.*

Alii non minus præcipiti existimatione in contrariam assertionem feruntur, in tantum ut dicant quantumlibet illegitimæ personæ fuerunt cujuscunque professionis sive ordinis pari consensu adinvicem facto conjuges esse. Non sacerdotes continentiam professos, non summos sacerdotes, non monachos aut sacras virgines ab hac lege excipiendos putant. Sed habent istis similiter verba quædam Scripturarum quibus munire credunt et confirmare existimationem suam. Et sunt vere quædem dicta ejusmodi in quibus convenienter hoc intelligi possit, si convenienter hoc fieri possit. Sed non sic judicare debent quibus doctrina Verbi Dei commissa est, ut, propter unum aliquid confirmandum, a sensu universorum recedant. Neque partem totum sed totum pars sequi debet. Sed si forte inveniatur pars a toto discordans, aut coaptanda est si fieri potest aut si fieri non potest adjicienda. Melius enim a parte receditur, quam a toto. Optimum autem est si et pars retinetur et totum. Hæc ergo sunt quæ adducunt in approbationem assertionis suæ. Beatus Augustinus in libro De professione sanctæ viduitatis sic ait : In conjugali vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur. Sed in viduali et in virginali continentia excellentia muneris amplioris expetitur. Qua expetita et electa et voti debito oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiam, si non nubatur, nubere velle damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus non ait : *Cum in deliciis hæc egerint, in Christo nubunt, sed nubere volunt. Habentes*, inquit, *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* v), etsi non nubendo, tamen volendo. Non quia ipse nuptiæ vel talium damnandæ judicentur, sed damnatur propositi fraus ; damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina bono ex superiore. Postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ primam

A fidem irritam fecerunt. Et post pauca : Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant ; fallit eos quippe similitudo veritatis. Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere, quæ Christiana sanctitate non nubunt, hinc quidam argumentantur dicentes : Si, viro suo vivo, quæ alteri nubit adultera est, sicut ipse Dominus in Evangelio definivit : vivo ergo Christo cui mors ultra non dominabitur, quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt acute quidem moventur ; sed parum attendunt hanc argumentationem quanta sequatur absurditas. Cum enim laudabiliter, etiam vivente viro, ex ejus consensu B femina continentiam Christo voveat, jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsi Christo, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui vivente viro nubit. Et post pauca : Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum ut a maritis separentur uxores, quasi adulteræ sint, non uxores. Et cum nolunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, cum suis uxoribus vivis alteras duxerunt. Quapropter non possum quidem dicere a proposito meliore lapsas si nupserint feminas, adulteria esse, non conjugia. Sed plane non dubitaverim dicere lapsus et ruinas a castitate sanc- C tiore quæ vovetur Deo adulteriis esse pejores. Et sic quidem beatus Augustinus dicit : Et videtur manifesta auctoritas et ratio evidens de qua dubitari non possit. Sed ecce dicamus ita, et ita sentiamus, ut lapsæ a proposito et professione continentiæ feminæ si nupserint conjugia esse vera, nec solvi posse omnino ejusmodi. Quid ergo ? Nonne similiter et eadem ratione de alio sexu sentiendum est, si lapsi a proposito et professione continentiæ viri uxores duxerint, conjugia esse vera et rata debere esse, in tantum ut solvi omnino non possint, quamvis a culpa defendi non possint ? Ecce ergo dicamus quod ita est, et ita sentire et tenere oportet. Non habemus rationem aliquam qua infringere possimus, aut infirmare D tam evidentem rationem et auctoritatem. Tenemur necessitate, ut ita sentiamus et teneamus. Videte quid sequitur. Si hoc promulgatum fuerit et audierint homines quia ita tenet Ecclesia quod lapsi a proposito et professione continentiæ, si conjugia inierint, separari non possunt, nec cogere eos potest Ecclesia ut ad propositum continentiæ servandum revertantur, nihil deinceps stabile aut ratum esse poterit. Non ordo vel habitus, non denique votum aut professio ulla tenere poterunt homines, quin frena impudicitiæ laxent et ruant in desideria sua, vel cum fastidire cœperint bonum in quo sunt libertatem quærentes, vel cum tentati fuerint forte de malo, in quo nondum sunt ad voluptatem suam explendam festinantes. Ita dissipabitur omnis ordo, et pulchritudo religionis Christianæ ad nihilum redigetur, et turpitudo

magna succedet. Secundum infirmitatem nostri A temporis loquor. Quis deinceps in habitu vel professione religionis constitutus stabit, si urgeri cœperit stimulis carnis suæ, sicut natura mortalis et corruptioni obnoxia pati consueverit, et dixerit ei cogitatio sua : non poteris resistere tam violentæ passioni, tantis desideriorum tuorum incendiis et æstibus, quæ non hodie aut cras aut triduo sive quatuor aut octo diebus ; aut etiam unius mensis, aut unius anni spatio bellum tibi indixerunt, sed quandiu vivis super terram, quandiu carnem mortalem portas, quandiu sentire poteris, non te deserent, non tibi parcent, non tibi pacem dabunt aut requiem ; semper intentionem oppriment, cogitationem tuam avertent, ut nunquam mentem liberam aut voluntatem puram ad Deum B erigere possis. Vide ergo quod et hoc sæculum perdis et futurum non acquiris. Melius tibi saltem esset vel ista tormenta devitare quam in toto perire et nihil sentire boni. Videt Deus quod invitus pateris, nolens traheris, coactus assentis; fortassis respiciet ad violentiam passionis tuæ ; et misertus, excessui tuo dabit veniam, præcipue cum dicat Apostolus : *Melius est nubere quam uri* (*I Cor.* VII). Et unusquisque uxorem suam habeat propter fornicationem. Bene enim novit Apostolus infirmitatem humanam ; et ideo non dixit illi habeant, quia illis licet, et illi non habeant, quia illis non licet ; sed unusquisque habeat : qui continere non potest, melius est ut nubat quam uratur. Melius est ut licite excipiat infirmitatem, C quam vitio semper uratur ad passionem. Nam ipse Dominus dicit : *Qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX). Ipse scit quod capere non possum verbum hoc ut continens permaneam. Quando putavi posse, libenter proposui ; et in eadem adhuc voluntate libenter perseverarem, si pati possem. Sed non valeo tolerare æstum bullientis naturæ, ardorem concupiscentiæ ferventis sustinere non possum. Ideo facio quod possum. Vado et duco uxorem, excipio infirmitatem meam dolens quidem qui a superiori bono descendere cogor ; sed tamen non omnino desperans, quia ad concessa descendo. Magis volo in inferiori bono salvari, quam in summo periclitari. Et si forte est culpa aliqua, descendo quia propositum meum D non teneo ; ego pœnitentiam agam. et satisfactione placabo Deum. Nihil durum erit aut difficile, tantum hanc passionem evadere possim ; et mortem istam in qua vivens teneor, declinare. Quis putatis ejusmodi rationibus non se instiget et cobortetur cum affligi cœperit et uri stimulis carnis suæ, si sciat quod licet et quod fieri potest; et salus est illis qui hoc faciunt, et non cogit Ecclesia illos qui sic retro ascipiunt, sed ita vivere concedit et legitima censet esse conjugia illorum. Quis non malit, cum in tentatione gravi fuerit, multis annis pœnitere, et quamlibet satisfactionem exsolvere, tantum ut frui possit voto et optione sua, et desideria sua licite adimplere ? Quid ergo dicemus ? Plane attestari audemus quod, etsi negari forte non potest hic ita dictum esse et hoc

dictum ita intelligendum esse, nulla tamen ratione his maxime temporibus quibus homines ad vitia proni sunt expedit ita tenere et facere. Et ad hunc modum fortassis si quis dicere voluerit, hæc de illis temporibus dicta esse quando homines magis peccare erubescebant et quando sola erubescentia prævaricationis cohibere potuit fluctuantes et in tentatione constitutos ne a proposito et voto sanctitatis laberentur ; et quando magis terrebantur in eo quod sibi post lapsum ad prioris excellentiæ puritatem amplius reditum non patere sciebant ; et ita tunc Ecclesiam secundum temporis illius statum tenere debuisse et tenuisse, ut qui post votum et professionem continentiæ ad conjugalem copulam descenderent, ita manerent ; nec solverentur hujusmodi contractus, et secundum judicium et permissionem Ecclesiæ tunc rata fuisse hujusmodi conjugia. Postea autem cum inciperent homines abuti tali confessione et permissione, Ecclesiam propter pericula imminentia usum mutasse, et sententiam intorsisse ad aliud atque ideo nunc conjugia non esse ejusmodi propter prohibitionem et institutionem Ecclesiæ, secundum quam licita vel illicita, rata et solvenda omnia judicantur. Si quis hoc dicat, fortassis aliquid dixisse videbitur. Nos nihil reprehendimus ex omnibus quæ veritatem quietam esse permittunt. Si quis autem hæc dicta esse intelligat, de iis qui propositum continentiæ occultæ voverunt, et votum suum sine attestatione hominum soli Deo obtulerunt, eosque si postea voto fracto ad conjugalem societatem descendere voluerint, idcirco ab Ecclesia prohiberi non posse, quia professionem illorum non accepit, neque observationem continentiæ, eis indixit. Si quis igitur tales viduas aut virgines, post votum continentiæ ad maritalem copulam descendentes damnationem quidem habere, id est rem damnabilem facere, non quia nubunt, sed quia votum frangunt ; non propter bonum inferius quod appetunt, sed propter bonum superius quod relinquunt, ita quidem propter fidem violatam damnationem habere, se tamen omnino conjuges esse, nec separari debere existimet, certum est, sicut superius diximus, quod ea quæ Ecclesiæ probari non possunt, ab Ecclesia judicari omnino non possunt. Hæc igitur quæ vera esse constat, si in sententia superius memorata convenienter dicta accipimus, nihil amplius restat quæstionis cur non veraciter dicta et utiliter tenenda approbemus. Certum est enim quod ii qui post occultum votum castitatis, et propositum continentiæ nondum manifesta professione confirmatum, ad experientiam carnis redeunt, nullo modo ab Ecclesia prohiberi possunt deque ejusmodi copulam Ecclesia ipsa, si quando contigerit, abjudicat, sed ratam esse, neque occulta manifestis præjudicare debere confirmat. Quod si quis ad hæc dicere voluerit quod illæ quæ spiritualiter Christo nupserunt, non possunt deinceps illo vivente homines habere maritos, recte supradicta ratione ejus assertio reprobatur. Ad hunc modum de iis quæ

manifeste falsa sunt, vel occulte vera, unicuique secundum suam mensuram sentire licebit. Mihi autem hoc magis probabile est si invenire contigerit quod et veritatem servat, et auctoritatem non improbat, præcipue tanti viri de quo bene sentire debemus, etiam tunc quando id quod sensit ipse, nos sentire non possumus. Dicamus igitur quantum secundum veritatem dicere possumus, quod aut secundum tempus hoc dictum est, quando ita fieri oportebat, aut secundum eos tantum hoc dictum est, qui post occultum votum continentiæ ad experientiam carnis redeunt et conjuges fiunt, quos idcirco Ecclesia separare non potest, quia, cum hic manifestum constet factum, quod illic occultum fuit probari non potest. In quibus tamen temeratæ fidei reatus, secundum aliquid pejor adulterio dicitur, quia per illud in hominem, per hunc vero in Christum peccatur. Aliud est autem de illis qui post votum etiam professione publica sub testimonio Ecclesiæ erga Deum se obligaverunt, et forte adhuc, quod amplius est, ad sanctimoniam continentiæ consecrati sunt. De quibus vere dicimus, quod post tale propositum et tale votum manifesta professione confirmatum, ad conjugale fœdus descendere non possunt, et si forte hoc aliquando attentaverint non conjuges, sed fornicarios et spiritualis castimoniæ violatores, ad pristinam propositi sui integritatem reparandam et conservandam districte revocandos. Si autem temerario ausu incœpto persistere voluerint et illicitam copulam quam contra primæ professionis debitum inierunt deserere contempserint, quasi inobedientes, et incestu fornicationis nefandæ comtaminatos, justæ severitatis sententia ab Ecclesiæ communione præcidendos, neque ullatenus ad pœnitentiam recipiendos, nisi se ab hujus infamis societatis conversatione retraxerint. Et hoc est fortassis quod sibi volunt verba illa cunctis pene pro sui ambiguitate jam nota. Innocentius enim papa, cujus auctoritas in Ecclesia Christi celebris est, sic dicit : Quæ Christo, inquit, spiritualiter nubunt, et a sacerdote velantur, si publice nupserint, vel clanculo corruptæ fuerint, non eas admittendas ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se junxerant ab hac vita discesserit. Si enim hæc ratio in hominibus servatur, ut quæ dimisso viro suo ad alium transiverit, adultera habeatur nec ei agendæ pœnitentiæ locus concedatur, nisi alter defunctus fuerit, quanto magis etiam ea quæ se immortali sponso junxerat! Non est ergo dubium quin de illis hic agatur, quæ in proposito continentiæ sub manifesta etiam professione ad castimoniam conservandam consecratæ sunt. De his ergo dicunt quod si post tale propositum ad nuptias carnales transierint, ad pœnitentiam non sint ad mittendæ nisi is cui se junxerant, id est fornicator sive adulter, ab hac vita, id est a tali conversatione discesserit. In eo enim statu pœnitentiam agere non possunt, in quo quandiu permanserint salvari non possunt. Quidam eum cui se junxerant, Christum interpretari volunt, cui

A prius proposito continentiæ se voverunt, et quasi sub conditione dictum sit quia secundus ad quem transeunt legitimus non judicatur, nisi prius ille cui ante se junxerant moriatur. Si enim in hominibus hæc ratio servatur, ut quandiu prior vivit, secundus legitimus esse non possit, constat profecto, quod ubi prior omnino mori non potest, secundus nulla ratione legitimus esse potest. Et ad hunc modum hac qualicunque ratione probatur quod hæ quæ cum professione continentiæ sponsæ Christi consecratæ sunt, amplius ad carnales nuptias transire non possunt. Et est in ista utique probatione non quidem per omnia ratio cogens, sed ad aliquid similitudo conveniens qua docentur sponsæ Christi, quod si in toro carnali B tanta fides exigitur, multo major devotio et amor sincerior spirituali debetur. Sunt qui hæc ad terrorem dicta esse putant, alii ad publicam pœnitentiam referunt, quæ propter rigorem ad incutiendum timorem aliquando neganda videtur, ut, dum peccator secundum dispensationem foris repellitur, et instantibus timor cadendi et in jacentibus humilitas resurgendi augeatur. Ego nihil abjicio ex iis quæ veritati contraria non sunt. Dicatur quodlibet dum non credatur nisi quod licet. Summa hæc est. Quod si quis post votum continentiæ factum ad carnales nuptias transierit; si quidem occultum fuerit votum ejus, non potest illum prohibere Ecclesia quin nubat. Et si postea facti pœniteat, Ecclesia neque de occultis pœni- C tentem a consilio salutis repellere, neque propter occulta, ea quæ manifesta sunt dissolvere potest. Si autem ii qui propositum suum publica professione et voto firmaverunt, deinde voluerint ad carnalis fœderis jura transire, nullatenus eos Ecclesia permittit; et si forte præsumserint ea contra propositi ac professionis suæ puritatem inire, quasi illegitima et a sanctitate conjugii aliena debita districtione dissolvit. Sic Ecclesia tenet. Sic nos tenere debemus, et qui Ecclesiæ instituta sequimur, et salubre esse credimus quidquid Spiritu Dei dictante ab illa fuerit institutum et dignum reverentia judicatum; et etiam si aliis temporibus aliquando non ita fuisse et nunc aliter esse quam fuit, demonstretur : non tamen co- D gitare debemus quasi levitate aliqua factum sit, ut nunc aliter teneatur, et aliter institutum sit quam fuit, sed quod tunc oportebat et ita salubre fuit, ut sic teneretur et sic juberetur ; nunc autem alia esse tempora et aliud esse congruum sive necessarium saluti humanæ.

Cap. XIII. *De conjugio infidelium.*

Quidam putant pagnorum sive quorumlibet infidelium societatem conjugium non esse, quamvis secundum modum institutionis divinæ legitime facta fuerit. Dicunt enim quod legitimum dici non debet quod sine fide factum est. Sed mihi interim non ocurrit ratio aliqua quomodo probare possint infidelium societatem secundum divinam institutionem factam, conjugium non esse,

nisi forte similiter dicere velint baptismi sacramentum non esse; quod hæreticus dat vel accipit, quia fidelis non est neque ille qui dat neque ille qui accipit Et hac ratione contendant sacramenta Dei non posse ad infidelium participationem venire, si sacramentum conjugii habere infideles non possunt; aut solum conjugii sacramentum cæteris omnibus excellentius esse dicendum, si hoc solum extra fidem participari non potest. Baptismi sacramentum infidelis habere potest, conjugii sacramentum infidelis habere non potest; ergo baptismi sacramentum, in quo specialiter signaculum fidei est, infidelis habere potest et conjugii sacramentum, quod non tam fidei signum est quam naturæ, non tam virtutis judicium quam propagationis instrumentum, æque fidelis et infidelis habere non potest. Sed baptismi, inquiunt sacramentum quando infidelis accepit, ideo accepit, quia et si in alio infidelis fuit, ipsum tamen sacramentum secundum rectam fidei formam accepit. Alioquin nisi illud secundum rectam fidei formam accepisset, non utique accepisset sive fidelis sive infidelis fuisset. Itaque quia in hoc accipiendo fidei contrarius non fuit, accipere illud potuit, quamvis secundum aliud fidelis non fuit. Et ego dico quod quando infidelis uxorem propter propagationem filiorum ducit, fidem toro conjugali servat, sociam diligit et custodit, et illa vivente ad alienam societatem non transit: quamvis in alio infidelis sit, quia scilicet non credit, in hoc tamen neque contra fidem neque contra divinam institutionem facit. Sed auctoritas, inquiunt, dicit hujusmodi conjugia vera non esse. Ideo dicit quia omnia quæ præter fidem sunt, et si vera sunt ad speciem, non sunt vera ad salutem; et si vera sunt ad formam sacramenti, ad effectum tamen virtutis et gratiæ spiritualis vera uon sunt. Sic et de quibusdam aliis sacramentis dictum est, quod vera non sunt quando ab infidelibus participantur. Nec solum ab infidelibus, sed etiam a fidelibus pravis et perverse agentibus indigne contrectantur. De ipso sacramento corporis Christi dicit auctoritas, quod non est verum corpus Christi quod conficit schismaticus. Et iterum alia auctoritas dicit quod errant qui corpus Christi verba sacerdotis facere putant, et non vitam, et multa ad hunc modum dicta inveniuntur. Et dignum est ut dicta sanctorum quantum possumus per omnia veneremur; et credamus verum esse quod nobis ab illis dictum est, in quibus et per quos locutus est Spiritus veritatis. Itaque dicimus veritatem sacramentorum Dei duplicem esse: aliam scilicet in sanctificatione sacramenti, aliam in effectu spirituali. Dicitur enim veritas sacramentorum virtus et gratia spiritualis quæ in ipsis et per ipsa sacramenta percipitur, quam veritatem accipere non possunt qui sacramenta Dei indigne percipiunt. Secundum itaque hunc modum sacra Scriptura aliquioties dicit, quod sacramenta Dei illis vera non sunt qui ea indigne percipiunt, pro eo quod sola exterius sacramenta contrectando ad veritatem illorum quæ in gratia spirituali constant, non pertingunt. Sic itaque sacramenta Dei et in se vera sunt semper quantum ad eam quæ per verbum Dei fit sanctificationem; et indigne tractantibus ac percipientibus vera non sunt, quantum siclicet pertinet ad eam quæ in ipsis percipitur gratiæ spiritualis participationem. Ita ergo verum Christi corpus non est quod conficit schismaticus, quia, cum corpus Christi sacramentum sit unitatis, in ipso utique schismaticus sibi unitatem non conficit qui se ab ipsa unitate dividit. Simili modo qui putant sola verba sacerdotis ad corporis Christi consecrationem sufficere, et non etiam vitam et conversationem bonam illius necessariam esse ad hoc ut illi fiat, et ad utilitatem illius fiat quod per illum sit sacramentum Dei. Qui hoc scilicet putant, errant; quia sacramenta Dei et carnes Agni in peccato permanentes non sanctificant, quamvis per illorum ministerium ad aliorum sanctificationem sacramenta fiant. Sic ergo dicimus et de conjugii sacramento; quia secundum aliquid apud illos recte verum sive ratum sive sanctum non esse dicitur, qui solum sacramentum habentes vel non recte credendo vel prave vivendo veritatem ejus, hoc est virtutem et effectum spiritualem accipere non merentur.

Dicit beatus Augustinus quod sacramentum conjugii omnibus gentibus commune est; sanctitas autem sacramenti non est nisi in civitate Dei nostri et in monte sancto ejus. Item: Cum Evangelium cœpit prædicari, primum gentiles gentilibus conjunctos invenit conjuges. Item: Si Dominus dimittendæ conjugis solam causam fornicationis admittit et pagaum conjugium dimitti prohibet (*Matth.* v). consequens est ut paganismus non subjaceat fornicationi. Quid est ergo, inquiunt, quod beatus Ambrosius dicit: Non est ratum conjugium præter Deum; et ideo non est peccatum dimissio propter Deum si aliis copuletur? Item beatus Gregorius dicit: Dimissio propter Deum non est peccatum si alii conujngatur. Injuria enim Creatoris solvit jus matrimonii. Sed videte quomodo probatur conjugium non esse ejusmodi: quia, inquit, dictum est: Non est ratum conjugium præter Deum; et quod iterum dictum est: Injuria Creatoris solvit jus matrimonii. Ideo ergo conjugium esse negavit, quia ratum non esse dicit. Et quia injuriam Creatoris solvere dixit jus matrimonii. Sed attendite quod in hoc potius conjugium esse dixit qui conjugium istnd, sed non ratum affirmavit. Et simili modo qui dixit injuriam Creatoris jus matrimonii solvere, matrimonium illic esse et jus habere asseruit. Quod utique jus firmum staret et non sine peccato negaretur, si non majori causa superveniente solveretur. Si enim prius nullum jus ibi fuit, quid necesse erat tantopere excusare eos qui se ab illo jure persolvendo subtraxerunt? Si culpandus videbatur etiam ille qui dimissus est, nisi per causam majorem excusaretur, quomodo ille qui sine causa dimitteret non jure accusaretur? Nunc autem quia debitum sacramenti conjugalis verum fuit, sine causa omnino negari non potuit.

Debet enim vir uxori et uxor viro, ut alter ab altero non discedat; et si forte discesserit alter, ille qui deseritur, conjugii tamen jus et debitum inviolatum custodiat. Sed est causa Dei major adversus quam nulla stare debet causa. Hæc cum læditur, contra eam nulli aliquid debetur. In omni causa jus suum perdit qui huic causæ adversatur; sub illa et secundum illam quædam debemus, contra illam nihil. Dicit tibi uxor tua: Christianus factus es, ego te non sequar; quia idola non colis, quia parentum tuorum ritum et consuetudinem abjecisti, eo ad alium, vel si ad alium non eo, tecum jam non eo, non te cognosco maritum nisi Christum neges. Hic tibi intende. Injuria Creatoris jus solvit matrimonii. Nihil illi amplius debes. Perdidit jus suum quæ Creatori suo injuriam fecit. Non tibi licuerat illam deserere, si jus suum in te non perdidisset. Potestatem habuit in corpore tuo, et non tibi licuit tollere illi quod suum erat, donec ipsa Creatori tollere voluit quod suum erat. Postquam autem Creatori suo injuriam facere voluit, jure jus suum amisit. Hoc de patre, hoc de matre, hoc de fratre et sorore, hoc de filiis et cognatis, hoc denique de anima tua facere te oportet. Omnibus enim iis aliquid debes; sed pro Deo, non contra Deum. Ecce pater tuus aut mater tua aut frater aut soror, aut etiam anima tua ex una parte est et dicit unus aliquis tibi: Ego hoc amo, hoc appeto, ad hoc intendo. Vado ut hoc obtineam, hoc acquiram, hoc perficiam. Veni post me, assentire mihi, cooperare voluntati meæ, desiderio meo fave. Stat Deus tuus ex altera parte, et dicit tibi: Ego hoc aversor, detestor malitiam illam, peccatum illud non mihi placet, noli assensum dare, malum est, non facias illud. Ad me potius intende, mihi acquiesce, post me veni, sectare quod suadeo, sequere quo præcedo; clamat econtrario tibi pater tuus: Fili quomodo me deseris? Ego te genui, ego te in hanc vitam perduxi, ego te alui et nutrivi, moribus et disciplina institui. Dicit econtrario Deus tuus: Ille quidem te genuit, sed quando genuit de meo accepit, quod tibi dedit, substantiam de meo generans tibi ministravit, sed vitam generato dare non potuit, ego quod tibi de meo a me ministrabatur per illum, solus vivificavi sine illo, ego tibi dedi vitam tuam: dedi et mortem meam. Non est mortuus propter te pater tuus, sicut ego mortuus sum pro te, ut tu viveres in me. Non me in causa præcedere debet, qui in gratia et beneficio anteire non potuit. Non igitur illum audias contra me, non illum sequaris in eo quod mihi displicet. Nihil illi debes nisi propter me, a quo nihil accipere potuisses nisi datum fuisset a me. Hoc dico: hic intendite. Si quando tale aliquid contigerit, sive pater, sive mater, sive frater, sive soror, sive uxor, sive filii, adhuc amplius dico, etiam si anima nostra avertere valuerit nos a Deo nostro, non debemus illam audire nec illam attendere, neque sequi desideria illius. Evangelium nobis clamat: *Qui non dimiserit patrem aut matrem, fratres aut so-*

A *rores, uxorem et filios; adhuc autem et animam suam propter me non est me dignus* (*Luc.* XIV; *Matth.* X). Omnis pietas illic impietas est, ubi ad hoc pius sis ut impius efficiaris. Videte ergo quod contra causam Dei nulla causa stare potest; imo nec causa etiam est quæ illi adversatur, quæ summa et sola est. Ad hunc modum dimissio propter Deum non est peccatum, si alii adjungitur. Injuria enim Creatoris solvit jus matrimonii. *Si infidelis discedit, discedat. Non est subditus servituti frater in ejusmodi* (*I Cor.* VII), servituti subditus esset si vel traheretur invitus, vel teneretur non voluntarius. Nihil illi debet, sive discedat sive maneat; perdidit jus suum qui Creatori injuriam fecit. Si ergo discedit infi-

B delis, discedat; nihil ad nos: non cogitur fidelis quasi aliquo debito obligatus, aut sequi discedentem, aut sustinere contemnentem. Non est subjectus servituti, liber est ut faciat quod vult, tantum in Domino, ducat uxorem si vir ille est; si femina est nubat. Quam vult societatem eligat; non jam tenetur debito prioris societatis, cujus jus solutum est propter injuriam Creatoris. Quæ videlicet injuria Creatoris non solum tunc excusat fidelem, quando ab infideli propter Deum dimissus alteri sine culpa conjungitur; sed tunc etiam excusat quando ipse fidelis magis societatem fidelem eligens infidelem cohabitare quidem, volentem, sed fidem recipere renuentem Christiana devotione detestatur. Sive enim discedat

C sive manere eligat infidelis, nihil debet illi qui fidelis factus est. Nemo illum cogere potest quid faciat quod velit. Injuria Creatoris solvit jus matrimonii. Non potest jam infidelis ab illo quidquam exigere, quia in illo debitum suum perdidit, postquam Creatori id quod debet reddere contemnit, habet jam fidelis causam qua juste negare potest, etiam id quod prius debuit, et quod adhuc quidem debuisset, si causam intervenientem et debitum ipsum solventem non habuisset. Ergo liber est fidelis si socium fidelem eligere vult, nemo illum prohibere potest; tamen si patitur fidelem cohabitare volentem, opus perfectionis facit, ad lucrandum proximum suum; sic dicit Apostolus: *Sanctificatus est vir infidelis*

D *per mulierem fidelem; et iterum mulier fidelis per virum fidelem* (*I Cor.* VII). Si ergo fidelis infidelem cohabitare consentientem ad hoc patitur, ut de infideli faciat fidelem, sive faciat sive non faciat, quantum in se est lucratur animam fratris sui, et implet opus pietatis. Si autem pati non vult detestans infidelitatem ejus, non est servituti subjectus in ejusmodi frater. Nemo illum potest cogere si vult quin infidelem deserat, neque prohibere etiam si voluerit quin se infideli conjungat. In infideli peccatum est qui fidem respuit, cujus culpa solvit jus matrimonii, ut jam exigere jure non possit, quod si exigeretur [a fideli] sine injuria negari non posset. Culpa quippe infidelis fidelem a debito solvit, sicut econtrario justitia fidelis infidelem debito astringit. Itaque non peccat fidelis si alteri se conjungit, quo-

niam a jure matrimonii adversus infidelem solutus est; sed infidelis etiam derelictus sine culpa alienam societatem non appetit, quem adhuc jus matrimonii et debitum conjugalis fœderis erga fidem astringit. Ergo non potest adulterius vocari si fidelis alteri conjungitur. Infidelis autem etiam derelictus crimen adulterii incurrit si alteri copulatur. Propterea si fidelis etiam ab eo quod licet pro periculo proximi vitando se temperat, perfectius opus facit. Ad quod tamen nullatenus cogi potest; quia non debiti opus est, sed charitatis effectus, sicut dicit beatus Augustinus in libro De adulterinis conjugiis. Discessionem fidelis ab infideli Dominus non prohibet, quia non est injusta coram eo. Sed Apostolus consilio charitatis non solum ne dimissi scandalizentur, sed etiam quod cum in aliena conjugia ceciderint adulterinis nexibus colligati; difficilime ab infidelitate resolvantur. Itaque adulterium committit infidelis si alteri se sociat, quia a debito prioris pacti solutus non est. Sed dicis.

Ecce infidelis vel quicunque paganus sive Judæus Christianus efficitur, uxorem quam prius habuit (quia eum ad fidem sequi non vult) fidei libertate derelinquit; aliam fidelem ducit, prior se spretam videns alteri nubit, adulterino nexu se alligans. Contingit postea ut compuncta, infidelitatem suam horrere incipiat ad fidem veniat Christiana efficiatur, quid de hac muliere faciendum est? Continere non potest. Expostulat ab Ecclesia ut aut virum suum recipiat, aut alteri nubere concedatur. Quid illi dicet Ecclesia? Si virum suum illi reddit, solvit matrimonium, quod Christiana sanctitate firmatum est et adulterum eum facit, cum vivente uxore sua (quam fidelis fidelem legitime duxit) alteri copulatur, quod omnino fieri non licet. Ergo non reddit illi maritum suum Ecclesia. Quid igitur illi dicet? Si dixerit illi ut alteri nubat, adulteram eam facere videtur quam nondum solutam a lege viventis viri cum altero conjugium copulare concedit. Non igitur aliud superesse videtur, nisi ut hanc mulierem Ecclesia ad continentiam servandam cogat, quæ peccato suo obligata videtur, ut nec suum habere possit, nec alterum. Sed si hoc Ecclesia fecerit, contingere potest ut scandalizetur mulier illa, et fidem Christianam abhorrens ad infidelitatem revertatur; aliæ quoque mulieres sive viri in infidelitate constituti, quarum mariti et quorum uxores jam ad fidem transierunt, et ipsis derelictis cum aliis fidelibus conjugia inierunt, hoc cognito ad fidem Christianam venire pertimescant, et subsequatur perditio multorum dum fidem fugiunt, quia continentes esse vel nolunt vel non possunt. Postremo si mulier ista post perceptam gratiam baptismi de priori peccato abjudicatur, videtur imperfecta fuisse gratia; et non totum quod præcedebat in culpa lavacro regenerationis ablutum; nec verum jam esse, quod vetera transierunt et nova facta sunt omnia (*II Cor.* v). Propter hæc liberata videtur mulier hæc postquam fidem percepit, et sacramentum libertatis et novitatis in-

A duit ut deinceps prioris copulæ debito non teneatur. Justum est enim ut quam injuria Creatoris alligavit, reverentia nunc et fides ejus absolvat. Propter hoc non prohibet Ecclesia ejusmodi si continentiam servare noluerint cum aliis matrimonio copulari. Potest autem quæri si contingat eum qui prior ad fidem venit conjugalem copulam non inisse, donec eum alter qui in infidelitate remanserat subsequatur, quid Ecclesia de hujusmodi facere debeat. Sed dubium non est tales postquam in fide unum facti fuerint si continere noluerint in ipsum redire debere, ac denuo Christiana devotione convenire ad prioris matrimonii (quod non sine Creatoris institutione inierant) debitum persolvendum. Hoc etiam quæri potest si B eo qui prior ad fidem venit fideli matrimonio alligato ille qui in infidelitate remansit cum illo cui se nexu adulterino junxerat ad fidem pariter subsequatur, utrum Ecclesia tolerare debeat ut, post fidem susceptam, simul maneant, qui in infidelitate positi male juncti fuerunt. Sed eadem gratia interveniente et vetera omnia diluente, nihil impedit quin bene in Christo simul permaneant, qui extra fidem Christi male sociati fuerunt. De iis etiam quæri potest qui in infidelitate constituti cognatas suas ducunt, aut alias quascunque quibus lege Christiana sociari non poterant, si forte simul ambo ad fidem veniant, utrum Ecclesia ejusmodi copulam tolerare possit. Sed alia ratio hic est, quia baptismi gratia culpam C delet, non naturam. In baptismo quod generis est in natura sanctificatur, quod criminis est in culpa excusatur. Propterea Christiana religio concedere non debet cum ad judicium ejus pervenerint, quod extra ipsam quidem potuit inchoari, sed in ipsa non debet tolerari. Hæc vero quæ supra memorata sunt de utroque sexu simili modo pensanda sunt, sive scilicet vir mulierem suam, sive mulier virum suum in fide Christiana præveniat.

Cap. XIV. *De consanguinitate et gradibus consanguinitatis.*

Primo gradu, superiori linea, continentur pater et mater. Inferiori, filius et filia. Quibus quoque nullæ aliæ personæ jungnntur. Secundo gradu continentur in superiori linea avus et avia. D In inferiori, nepos et neptis. In transversa, frater et soror, quæ personæ duplicantur. Avus enim et avia tam ex patre, quam ex matre accipiuntur, Quæ personæ subsequentibus quoque gradibus similiter pro substantia earum quæ in quo gradu subsistunt in ipso ordine duplicantur. Istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur quia duo sunt avi, et paternus, et maternus. Item duo genera nepotum sunt, sive ex filio sive ex filia procreati. Frater et soror ex transverso veniunt, id est aut frater patris, aut frater matris, qui aut patruus aut avunculus nominantur; qui et ipsi hoc ordine duplicantur. Tertio gradu veniunt supra proavus et proavia: infra, pronepos et proneptis. Ex obliquo fratris sororisque filius vel filia; patruus, amita, id est patris frater et soror; avunculus, matertera, matris frater et so-

ror. Quarto gradu veniunt supra abavus et abavia : infra abnepos et abneptis. Ex obliquo fratris et sororis nepos et neptis : frater patruelis, et soror patruelis, id est patrui filius vel filia. Consobrinus, consobrina, id est avunculi et materteræ filius vel filia. Amitinus, amitina, id est amitæ filius vel filia. Itemque consobrini sunt qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus accrescit patruus magnus, amita magna, id est avi paterni frater et soror ; avunculus magnus, matertera magna, id est aviæ tam paternæ quam maternæ frater et soror. Quinto gradu veniunt supra quidem atavus, atavia. Infra adnepos, adneptis. Ex obliquo fratris et sororis pronepos, proneptis ; fratris patruelis, sororis patruelis, amittini et amitinæ ; consobrini et consobrinæ filius vel filia. Proconsobrinus, proconsobrina, id est patrui magni, amitæ magnæ ; avunculi magni, materteræ magnæ filius vel filia. Quibus accrescunt propatruus et proamita, hi sunt proavi paterni frater et soror : proavunculus, promatertera, hi sunt proaviæ paternæ maternæque frater et soror : proavique materni. Hæc species nec aliis gradibus quam scripta est ; nec aliis vocabulis declarari potest. Sexto gradu veniunt supra tritavus, tritavia. Infra, trinepos, trineptis. Ex obliquo fratris et sororis abnepos, abneptis ; fratris patruelis, sororis patruelis, amitini amitinæ ; consobrini, consobrinæ ; nepos neptis ; patrui magni, amitæ magnæ ; avunculi magni, materteræ magnæ nepos neptis, propioris consobrini filius vel filia, qui consobrini appellantur. Quibus ex latere accrescunt, propatrui proamitæ ; proavunculi, promaterteræ filius vel filia : abpatruus, abamita, hi sunt abavi paterni frater et soror ; abavunculus, abmatertera, hi sunt abaviæ paternæ maternæque, frater et soror, abavique materni. Hæc quoque explanari amplius non potest, quam ipse auctor disseruit. Septimo gradu qui sunt cognati recta linea supra infraque propriis nominibus non appellantur ; sed ex transversa linea continentur, fratris, sororis atnepos atneptis ; consobrini filiæque. Successionis idcirco gradus septem constituti sunt, quia ulterius per naturam rerum nec nomina inveniri, nec vita succedentibus prorogari potest. In iis septem gradibus omnia propropinquitatum nomina continentur ultra quos nec affinitas inveniri nec successio potest amplius propagari.

Quare usque ad sextum gradum consanguinitas custoditur.

Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum subtraxerit, et propinquitas esse desierit, eam rursus lex matrimonii vinculo repetit, et quodammodo revocat fugientem. Ideo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, ut sicut sex ætatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur hoc modo. Filius et filia, quod est frater et soror, sit ipse truncus. Illis seorsum sejunctis, ex radice illius trunci egre- A diuntur isti ramusculi. Nepos et neptis, primus ; pronepos et proneptis, secundus ; abnepos et abneptis, tertius ; adnepos et adneptis, quartus ; trinepos et trineptis, quintus ; trinepotis nepos et trineptis, neptis sextus.

Quomodo sunt computandi consanguinitatis gradus.

Gregorius papa VI : Progeniem suam unumquemque ad septimam observare decrevimus generationem ; et quandiu se agnoscunt affinitate propinquos ad conjugalem copulam accedere denegamus. Quod si fecerent, separentur.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis et clericis, nec non judicibus per Italiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad sedem apostolicam perlata B est quæstio noviter exorta de gradibus consanguinitatis ; quoniam quidam legum et canonum imperiti exismantes eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones et ecclesiasticum morem numerare nituntur ; novo et inaudito errore affirmantes, quod germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione, filii eorum vel filiæ in quarta ; nepotes vel neptes eorum in sexta : talique modo progeniem computantes et ejusmodi, sexto eam gradu terminantes. Dicunt deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia jura contrahere, et ad hujusmodi profanum errorem confirmandum in argumento assumunt sæculares leges quas Justinianus imperator promulgavit de successionibus consan- C guineorum, quibus confisi ostendere moliuntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in sexto. Sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem sanctorum Patrum et antiquam Ecclesiæ computationem usque ad nos perductam, perversa quadam calliditate disturbare nituntur. Nos vero Deo annente hanc quæstionem discutere curavimus in synodo habita in Lateranensi consistorio, convocatis ad hoc opus episcopis et clericis atque judicibus diversarum provinciarum. Denique diu ventilatis legibus et sacris canonibus, distincte invenimus ob aliam atque aliam causam alteram legum, alteram canonum fieri computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio D facta est, nisi ut hæreditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. Hac igitur de causa quia hæreditates nequeunt deferri nisi de una ad alteram personam, ideo curavit sæcularis imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ non valent fieri sine duabus personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituunt personas. Utramque tamen computationem si attente ac subtiliter fuerit perspecta idem sensisse et eadem esse in sententia atque ad eumdem terminum convenire manifestum erit. Justinianus namque usque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret in suis legibus non definivit. Canones vero ultra septem nullam numeravere generationem. Sexto quippe gradu determinato in ipsis legibus subintulit imperator. Hactenus os-

tendisse sufficiat quemadmodum gradus cognationis numerentur, namque ex iis palam est intelligere quemadmodum ulteriores gradus numerare debeamus. Generata quippe persona gradum adjicit. Ecce in iis brevibus verbis aperte ostenditur tales gradus quales isti computant, non tantum usque ad sextum, verum et ultra numerari debere, cum ultra sex ulteriores gradus, numerandos esse decernat. Ubi enim ait ulteriores gradus aperte indicat non sex tantum esse gradus; sed sex finitis adhuc esse alios numerandos. Ut ergo veridicæ leges sint, et veraces sint canones, dicamus hoc quod veritas habet scilicet quod non terminatur consanguinitas in hujusmodi sexto, et terminatur secundum canones in septimo gradu. Utraque enim computatio, sicut superius diximus uno fine concluditur. Namque duo gradus legales unum gradum canonicum efficiunt. Fratres itaque qui secundum sæculares leges dicuntur in secundo, juxta canones numerantur in primo; filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo. Nepotes vero qui ubi computantur in sexto, istic numerantur in tertio. Sic deinceps qui in legibus scribuntur, in octavo et in decimo, in canonibus definiuntur in quarto et in quinto. Atque hoc modo de reliquis sentiendum est ut qui secundum canones dicuntur in sexto vel in septimo, secundum leges accipiantur in duodecimo vel quarto decimo. Nam in septem gradibus si canonice et usualiter numerantur, omnia propinquitatem nomina continentur, ultra quos nec consanguinitas invenitur, nec nomina reperiuntur, nec successio potest amplius prærogari, nec memoriter ab aliqua generatione recordari. Ne vero in hac computatione consanguinitatis aliqua dehinc valeat ambiguitas remanere, aliam quam quidam faciunt numerationem in hac etiam disputatione duximus finiendam. Sunt enim quidam qui non a fratribus sed a filiis eorum, id est patruelibus vel consobrinis genealogiam numerare incipiunt dicentes filios fratrum in prima computari generatione debere, quia fratres quasi quidam truncus ex quo cæteri ramusculi oriuntur existunt. Sed nec ista graduum computatio si bene intellecta fuerit, ab ea quam superius exposuimus in sententia poterit esse diversa.

Libro tertio Institutionum, sexto capitulo, de gradibus cognationis.

Hoc loco necessarium est exponere quemadmodum gradus cognationis numerentur. Quare in primis admonendi sumus cognationem aliam supra numerari, aliam infra, aliam ex transverso, quæ etiam ex latere dicitur. Superior cognatio est parentum, inferior liberorum; ex transverso fratrum, sororum eorumve qui vel quæ ex iis progenerantur, et consequenter patrui, amitæ, avunculi, materteræ. Et superior quidem et inferior cognatio a primo gradu incipit. At ea quæ ex transverso numeratur a secundo. Primo gradu est supra pater, mater: infra filius, filia. Secundo, supra avus, avia; infra nepos, neptis; ex transverso, frater et soror. Tertio, supra proavus, proavia, infra pronepos proneptis; ex tranverso fratis sororisque, filius filia. Et consequenter patruus, amita; avunculus, matertera. Patruus est patris frater, quem græci πατρῷον ἢ πατράδελφον vocant. Avunculus est matris frater, qui apud eos proprie, μητρῷος appellatur et promiscue θεῖος dicitur. Amita est patris soror, matertera est matris soror, quæ ut supra patet θεία appellatur. Quarto gradu supra abavus, abavia, infra abnepos abneptis. Ex transverso fratris sororisque nepos neptis, et consequenter patruus magnus, amita magna, id est avi frater et soror. Item avuncutus magnus, matertera magna, id est aviæ frater et soror. Consobrinus, consobrina, id est quicunque vel ex fratribus aut sororibus progenerantur. Sed quidam recte consobrinos eos proprie dici putant, qui ex duabus sororibus progenerantur, quasi consororinos. Eos vero qui ex duobus progenerantur fratibus, proprie fratres patrueles vocari. Si autem ex duobus fratribus filiæ nascerentur, sorores patrueles appellantur. At eos qui ex fratre et sorore progenerantur, amitinos proprie dici. Amitæ filii consobrinum te appellant; si fuerit tua amita. Item amitæ tuæ filios, tu illos, amitinos. Quinto gradu supra atavus, atavia. Infra, abnepos abneptis. Ex transverso fratris sororisque pronepos proneptis, et consequenter propatruus proamita, id est proavi frater et soror; proavunculus, promatertera, id est proaviæ frater et soror. Item fratris patruelis, sororis patruelis, consobrini et consobrinæ, amitini et amitinæ, filius, filia, propior sobrinus, sobrina. Hi sunt patrui magni, amitæ magnæ; avunculi magni, materteræ magnæ filius, filia. Sexto gradu sunt supra, tritavus tritavia, infra trinepos trineptis; ex tranverso fratris sororisque abnepos abneptis. Et consequenter abpatruus, abamita, id est abavi frater et filia. Item sobrini, sobrinæ, qui quæve ex fratribus vel sororibus patruelibus vel consobrinis vel amitinis progenerantur, filius et filia. Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex iis palam est intelligere quemadmodum ulterius quoque debemus gradus numerare. Quippe semper generata quæque persona gradum adjicit, ut longe facilius, sit respondere quoto quisque gradu sit quam propria cognationis appellatione quemque denotare. At agnationis quoque gradus eo modo numerantur. Sed quia magis veritas occulata fide quam per aures animis hominum infigitur, ideo necessarium duximus, post narrationem graduum etiam eos præsenti libro inscribi, quatenus possint et ex auribus, et ex inspectione adolescentes perfectissimam doctrinam graduum adipisci.

Ex epistola Joannis Constantinopolitani episcopi.

Gregorius papa requisitus ab Augustino Anglorum gentis episcopo quota generatione fideles debeant copulari, dispensatorie sic rescribit. Quædam lex Romana in republica permittit ut sive frater et soror; sive duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur,

sicut experimento didicimus, in tali conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est ut jam quarta vel quinta generatione fideles licenter sibi jungantur. Item Joannes dicit : Verum post multum temporis a Felice Messanæ Siciliæ præsule requisitus, utrum Augustino scripserit, ut Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minime solverentur, humillimus pater Gregorius inter cætera talem dedit rationem. Quod scripsi Augustino gentis Anglorum episcopo, alumno videlicet, ut recordaris, tuo, de consanguinitatis conjunctione ipsi et Anglorum genti quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat metuendo austeriora recederet, specialiter non generaliter certissime scripsisse me cognoscas. Unde et mihi omnis Romana civitas testis existit; nec ea intentione hæc illis scripsi mandata, ut postquam firma radice in fidem fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur; aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem junguntur. Sed quod adhuc illis neophytis existentibus eis primum illicita consentire, et eos verbis et exemplis instruere, et quæ post de talibus egerint rationabiliter et fideliter excludere oportet. Nam juxta Apostolum qui ait : *Lac dedi vobis potum, non escam (I Cor.* III), ista illis modo, non posteris, ut præfixum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum quod infirma adhuc radice plantatum erat erueretur, sed aliquantulum firmaretur et usque ad perfectionem custodiretur. Hæc ergo ego Joannes idcirco perstringenda curavi ut ii qui occasione novæ dispensationis illicita matrimonia contra hunc eruditissimum virum causantur, non generaliter quartæ generationis copulam censuisse, imo venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant.

Zacharias papa, capitulo primo.

Asserentibus hominibus de Germaniæ partibus didici, quod beatæ recordationis papa Gregorius dum eos ad religionem Christianitatis divina gratia illustraret, licentiam illis dedisset in quarta sese copulare generatione, quod quidem Christianis licitum non esse, dum utique se cognoverint, sed dum rudes erant invitandi ad fidem, quamquam minime scriptum reperimus, non ambigamus.

Item capitulo quinto.

Ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel de propria cognatione, vel quam cognatus habuit nullus audeat sibi in conjugio copulare. Si quis huic tali nefario conjugio convenerit et in eo permanserit, sciat se apostolicæ auctoritatis anathematis vinculis esse innodatum, et nullus sacerdos tribuat ei communionem. Si vero conversus divisusque fuerit a tali copulatione dignæ pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

Decretum Gregorii Junioris.

Si quis fratris uxorem duxerit in conjugium, anathema sit. Si quis novercam aut nurum suam duxerit, anathema sit. Si quis de propria cognatione vel quam cognatus habuit duxerit in conjugium, anathema sit.

Beda in Historia Anglorum.

Interroganti Augustino utrum debeant duo germani fratres singulas sorores uxores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ, respondit Gregorius : Hoc fieri omnibus modis licet. Nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur quod huic copulæ contradicere videatur.

Responsio Gregorii ad Augustinum. (Cap. 37.)

Cum noverca misceri grave facinus est, quia in lege scriptum est : *Turpitudinem patris tui non revelabis (Levit.* XVIII). Neque enim turpitudinem patris filius revelare potest. Sed quia scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Qui turpitudinem novercæ quæ una caro cum patre fuit revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelabit. Cum cognita quoque fratri misceri prohibitum est, quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerit facta, pro qua re etiam Joannes Baptista capite truncatus, et sancto martyrio consummatus est.

Cap. XV. *De affinitate.*

Gregorius, servus servorum Dei, Venerio Cartalitano. Fraternitatis tuæ studiosæ sagacitati, frater amande, quas debeo refero grates, quoniam quæsisti quæ debuisti, jucundum me reddidisti. Unde placide ad inquisita respondeo. Sedem apostolicam consulere decrevisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro juncta cognationi ejus pertineat, si eo defuncto cognatio maneat eadem, vel si sub alio viro cognationis vocabula dissolvantur, vel si susceptæ soboles possint legitime ad prioris viri cognationis transire copulam. Est enim verbum Domini validum et forte, durabile, perseverabile, immutabile, non momentaneum, non transitorium. Ait autem per seipsam Veritas, quod Deus est Verbum Dei. *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (Luc.* XXI, *Matth.* XXIV). Antequam Deus in carne inter homines appareret, eo inspirante dixit Adam : *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II; *Matth.* I). Cui non contradixit Deus. Denique cum Veritas oriretur de terra in terram et visibilis in humanitate apparuit, interrogatum est si licitum esset homini uxorem relinquere. Quod prohibens fieri vetuit, præterquam si fornicatio sola excluderet copulam maritalem. Unde protulit statim in medium eamdem ipsam sententiam quam ante sæcula manens cum Patre Verbum inspiravit in Adam ipse confirmans quod ipse homo protulit : Quamobrem relinquet homo etc. Si una caro fiunt, quomodo poterit aliquis eorum propinquus pertinere uni si non pertineat alteri? Quod minime fieri posse credendum est. Nam uno defuncto, in superstite affinitas non deletur nec alia copula conjugalis

affinitatem prioris copulæ solvere potest. Sed neque alterius conjunctionis sobolem placet ad affinitatis ipsius prioris transire consortium, pro eo quod verbum Domini validum est et forte, et ut inquiens dixit Propheta : *Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi præceptum posuit et non præteribit* (*Psal.* CXLVIII). Non potest per verbum suum atque præceptum efficere duos in carnem unam et masculum et feminam, qui innumeram multitudinem sexus utriusque non destitit secum facere unum, sicut per se Veritas dicit : *Non pro iis tantum rogo, sed pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut unum sint sicut tu Pater in me, et ego in te; et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII). Si quis temerario ausu et sacrilego in defuncto quærit propinquitatem, vel sub altero affinitatis vocabula dissipare, vel susceptam sobolem alierius copulæ credens legitime sociari propinquitatis prioris; hic negat verbum Dei validum esse vel forte. Et qui tam facile vel tam velociter quærit dissolvere, hic non credit verbum Domini manere in æternum. Conspice terram ex quatuor locis distantibus magna intercapedine et confectam et conglutinatam, finge cujuscunque figuræ vel immensitatis corpus volueris.

Ex concilio Matisconensi.

Sane consanguinitas quæ in proprio viro observanda est, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est; quia constat eos duos fuisse in carne una; communis illis utraque parentela esse credenda est, sicut scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II).

Ex concilio Cabilonensi.

Contradicimus quoque ut in quarta vel quinta vel sexta generatione nullus amplius conjugio copuletur. Ubi autem post interdictum factum fuerit inventum separetur.

CAP. XVI. *De spirituali germanitate. De quo Nicolaus Salomoni Constansiensi episcopo.*

Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si aliquis homo commatres spirituales habere valeat unam post alteram, in quo fraternitas tua meminisse debet scriptum esse : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Itaque cum constet quia vir et uxor una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum virum compatrem constitui illi mulieri cujus matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur; et liquet idcirco virum illi feminæ non posse jungi in copula, quæ commater erat ejus cum qua idem una fuerat caro effectus.

Idem Carolo archiepiscopo.

Si quis cum commatre spirituali fornicatus fuerit, anathematis (ut scitis) percutitur ictibus. Similiter autem et illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetravit scelus; legitimam tamen, si habuerit, non dimittere cogatur uxorem.

A *Ex concilio Cabilonensi.*

Dictum est nobis quasdam feminas desidiose, quasdam vero fraudulenter ut a viris suis separentur proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus, ut si qua mulier filium suum desidia aut fraude aliqua eorum episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam aut propter fraudem quandiu vivat pœnitentiam agat ; a viro tamen suo non separetur.

Ex concilio Maguntinensi.

De eo quod interrogasti, si ille qui filiolam suam duxit uxorem, et de eo qui concubuit cum commatre spirituali, et de eo qui filium suum baptizavit, et cujus uxor eum de fonte suscepit, ea ratione ut B dissidium conjugii fieret; si postea in tali copulatione permanere possent. De talibus sic respondendum est. Si filiolam aut commatrem suam spiritualem aliquis in conjugio duxerit; separandos eos esse judicamus, et gravi pœnitentia plecendos. Si autem conjuges legitimi unus aut ambo ex industria fecerint ut filium suum de fonte suscipiant, ut dissidium fiat, tale consilium damus, si innupti manere voluerint bonum est; sin autem, gravis pœnitentia insi diatori injungatur; et simul maneant, et si supervixerit prævaricator conjugii, acerrima pœnitentia mulctetur, et sine spe conjugii maneat.

De concilio Tiburiensi.

Qui spiritualem compatrem habet cujus filium C vel filiam de lavacro sacri fontis accepit, et ejus uxor commater non est, liceat ei defuncto compatre suo ejus viduam ducere in uxorem, si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? Nunquid non possunt conjungi quos nulla proximitas carnalis vel in id generatio secernit spiritualis? Item simili ratione qui spiritualem habet compatrem, gener ejus fieri non prohibetur; de illa duntaxat filia quam ipse de sacro fonte non suscepit. Spiritualium quoque parentum, id est compatrum filii vel filiæ ante sive post compaternitatem geniti, legitime conjungi possunt. Præter illas quibus compatres existunt, quia spiritualem filiam patris sui nemo uxorem ducere potest, quamvis filium ejus qui compater est pa- D tris sui si filiola patris sui non fuit, uxorem accipere non prohibeatur.

CAP. XVII. *Quid distet inter cognationem sive consanguinitatem et affinitatem, et spiritualem germanitatem.*

Tria quædam sunt, id est consanguinitas, affinitas et spiritualis germanitas; in quibus Christianorum conjugio lex indicta est. Consanguinitas est inter eos qui junguntur secundum lineam generis. Affinitas est inter eos qui genere quidem juncti non sunt, et tamen mediante genere sunt sociati. Verbi grati : Filius fratris mei consanguineus meus est; uxor ejus quæ de meo genere non est, per ipsum qui est de genere meo affinis mihi facta est, et ego illi. Qui ergo de aliena cognatione uxorem ducit, cognatos suos illi affines facit, et est inter mulierem et cognatos viri, sive inter vi-

rum et cognatos mulieris non quidem consanguinitas, sed affinitas, in qua similiter ut in consanguinitate contractus matrimonii prohibetur. In consanguinitate usque ad septimum gradum conjugia vetita sunt. Quædam tamen Scripturæ in sexto gradu, quædam vero in septimo prohibitionem terminare videntur. Ambigua est enim locutio cum dicitur, quod usque ad septimum gradum conjugia copulari non permittuntur. Potest enim et sic intelligi, quod usque ad septimum quidem gradum prohibentur, sed in septimo conceduntur, vel quod septimus gradus ultimus est, in quo prohibentur; et post quem permittuntur. Quidam primo gradu posuerunt filios; secundo, nepotes; tertio, pronepotes; quarto, abnepotes; quinto, abnepotes; sexto, trinepotes; septimo, trinepotum B nepotes. In hunc modum septem gradus in prohibitione continentur. Qui autem patrem et matrem radicem generationis esse dicunt, filium autem et filiam quasi truncum generationis constituunt; isti in nepotibus primum gradum computandum censent, secundum quam acceptionem ille gradus qui in superiori dispositione septimus fuit; in hac sextus esse ostenditur. Gradus consanguinitatis quantumvis tendatur sursum et deorsum, copulam conjugalem non admittit, sicut de filio ad matrem et omnes qui supra sunt, hoc est aviam proaviam, etc., et de matre ad filium; et omnes qui infra sunt. Hoc est nepotem pronepotem, etc. Similiter de patre ad filiam; vel de filia ad patrem supra et infra consideratur. Quapropter inter eos qui a C latere descendunt, gradus consanguinitatis in matrimonio computantur. Quidam affinitatem quinto gradu terminare voluerunt. Alii usque ad septimum sicut et consanguinitatem observandam esse judicaverunt. Spiritualis autem germanitas sive propinquitas hoc modo custoditur. Nemo commatrem aut filiam spiritualem uxorem ducere potest.

A Simili modo mulier compatri suo aut filio spirituali uxor esse non potest. Filius quoque commatrem patris vel filiam spiritualem uxorem habere prohibetur. Et similiter filia compatri matris suæ aut filio spirituali uxor esse non potest. In concilio Tiburiensi conceditur ut homo, defuncto compatre, suo uxorem illius ducat, si ei commater non est. Quod si verum est, similiter mulier, defuncta commatre sua, viro illius nubere potest, si ei compater non est. Quod tamen in aliquibus prohibitum reperitur,

Cap. XVIII. *Utrum dolus qui suppositio dicitur conjugium dissolvat.*

Audivimus aliquando quibusdam uxores incognitas facie desponsantibus, alias quasdam viles personas dolo suppositas, ubi quidem si assensum suum postea ii qui dolum passi sunt, facto, quod ex intentione non fecerunt, præbere noluerint, nequaquam conjugium ratum esse debere censemus. Ex intentione enim non factum constat, nec possunt constringi ad exsequendum id quod nec intenderunt cum facerent, nec voluerunt cum scirent.

Cap. XIX. *Utrum conditio servilis si nesciatur, postea conjugium dissolvat.*

Quæritur etiam utrum si qua mulier servo nupserit liberum eum existimans, aut liber ancillam duxerit liberam putans, postea, ubi fraus detecta fuerit, conjugium dissolvi debeat. Et sunt qui hunc dolum aliter quam superiorem judicandum putant. Nam quia hic non in persona, sed in qualitate personæ solum erratur, idcirco sanctitatem matrimonii præjudicare debere censent. Sed fortassis hoc magis veritati et paci in qua nos vocavit Deus conveniat, ut ubi alterius ignorantia culpabilis non esse ostenditur, alterius dolus ad læsionem innocentis in eo quod fraude usurpavit, stare non permittatur.

PARS DUODECIMA.

DE VOTIS.

Cap. I. *De votis, an sint diversa.*

De votis, votum non solvo; tu postulasti, et ego quidem quod spopondi solvere cogor. Modicum inter frequentes occupationes furatus otium summatim perstrinxi, sed non plene prosecutus sum quod quæsisti. Quæris de votis utrum pari debito et eadem necessitate astringant promissores suos; si interrogationi tuæ tantum et non etiam ædificationi, responsum dare vellem, breviter respondere potuissem, quod non unum in votis omnibus debitum constat. Verum quia te non quæstionem movisse, sed ædificationem magis quæsisse non dubito, quantum interim pro tempore possibilitas se suggessit et ratio, devotioni tuæ satisfacere conatus sum.

D Cap. II. *De quinque modis quibus mens agenda tractat.*

Quinque modi sunt quibus humana mens agenda tractare consuevit: cogitatione, voluntate, deliberatione, promissione et voto. Aliud est cogitare aliquid, atque aliud velle quod cogitaveris. Nam et cogitare potes quod non vis, velle autem non potes nisi cum placet id quod cogitaveris. Verum aliquoties contingit ut id quod secundum delectationem placet, secundum rationem non placeat, et ut nondum ipsa rationis acquiescat ad illud ut faciat ipsum quod delectat. Et est quidem in ipsa delectatione quasi quædam voluntas facti, sed in ipsa ratione necdum tamen est propositum faciendi. Si autem secutum fuerit post voluntatem

propositum, ut mens in id quod delectat assensum confirmet, jam tenetur, sive ad culpam si malum est, sive ad meritum si bonum est. Hoc autem totum quod cogitationis est, et voluntatis est, et propositi est, totum in ipsa est, et ad ipsam sive bonum sit sive malum, et non tenetur nisi in se et quantum in se est tantum tenetur. Cum autem et promissio secuta fuerit post propositum, jam obligari incipit adversus alium sponsor, et debitor fit promissionis suæ pro veritate servanda ad proximum. Siquidem bonum est quod promisit, debitor est quia bonum est, et quia promisit. Si autem malum est quod promisit, debitor non est in eo quod malum est, quod promisit. Reus tamen est quia promittere præsumpsit, quod sine culpa implere non potuit. Novissime sequitur votum in quo amplius aliquid a promissione contineri videtur.

CAP. III. *Quid sit votum et quid vovere.*

Votum enim est testificatio quædam promissionis spontaneæ quæ ad solum Deum et ad ea quæ Dei sunt magis proprie refertur. Vovere siquidem est testificatione promissionis spontaneæ Deo se obligare ac debitorem statuere. Nam qui promittit simpliciter spondet se facturum aliquid; qui vero vovet, contestatur promissioni suæ et affirmat ipsam promissionem. Ubi inquantum est promissio, tenetur, inquantum est contestatio, obligatur. Votorum autem aliud occultum est ad Deum et coram Deo, aliud manifestum ad Deum coram homine. Occultum votum fractum, peccatum est. Manifestum autem votum fractum, peccatum et scandalum. In illo Deus offenditur, in isto vero etiam in proximum peccatur. Quod si quæris quæ vota omnino tenenda sint, et quæ item sine culpa prætermitti sive etiam commutari possint, hanc primam discretionem accipio.

CAP. IV. *Quæ vota tenenda non sint.*

Scriptura dicit: *Vota stultorum frangenda sunt* (*Eccle.* v.). Vota quippe stultorum intelligimus ea quæ vel de malo fiunt, vel de bono male. Verbi gratia: Si quis voveret quempiam interficere, sive quodlibet aliud in quo culpa constaret se facturum, votum de malo esset, et malum esset, et idcirco faciendum non esset. In quo prima culpa fuit vovere, secunda foret si impleretur perficere. Similiter et votum de bono factum si bene non fiat, inter vota stultorum quæ frangenda sunt, deputatur. Bene autem non fit etiam si de bono sit illud votum, in quo vovetur vel quod non licet, vel quod non expedit. Non licet, ut si mulier non consentiente vel potius contradicente viro suo continentiam voveat. Non expedit, ut si quispiam in jejunio vel alio quolibet opere supra vires suas ac possibilitatem suam aliquid se facturum esse proponat. Hæc igitur omnia inter vota stultorum deputantur, quæ vel perversa sunt, vel illicita, vel indiscreta. Ubi autem bonum vovetur, et bene vovetur, quædam ejusmodi sunt ut commutationem ex dispensatione suscipiant, quædam vero talia ut recompensationem omnino admittant.

A CAP. V. *Quod votum nullam commutationem admittat.*

Vis scire quæ sunt illa quæ commutationem ullam non patiuntur? Fortassis mihi non credis, qui auctoritatem quæris, si quid ex universis unum ego proferre voluero. Est tamen quoddam quod commutationem nullam admittit. Nam dispensatio esse non potest, ubi recompensatio esse non popotest. Dispensatio quippe nomen dispendii est, detrimentum sonat quantum in ipso est. Stultum vero est voluntarie damnum sustinere, ubi nullum lucrum consequitur. Ubi autem in parvo detrimentum voluntarie toleratur ut in majori lucrum proveniat, hæc dispensatio vocatur, et bona est dispensatio ista. Ecce ergo quomodo bene in B illo voluntarie damnum sustineri potest quo majus nihil acquiri potest? Unum est, si auctoritate vis quod commutationem non recipit, non ego dico, sed veritas dicit, et si ego dico post veritatem dico, et secundum veritatem dico; quia non *dabit homo commutationem pro anima sua* (*Matth.* XVI). Sed forte respondebis et dices quod non dixit veritas non dabit, sed quam dabit homo commutationem pro anima sua? Ecce igitur non affirmavit, sed interrogavit, tu responde, si potes, quam dabit homo commutationem pro anima sua? Vides manifeste quod unum est quod commutationem non recipit, neque dispensationem admittit. Hoc si voves, imo quia voves (non enim bonus esse potes si hoc non voveris) redde quod vovisti, C et ipsum quod vovisti redde, quia si aliud reddere volueris, non accipitur pro isto quodcunque illud fuerit: *Vovete*, inquit Psalmista, *et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera* (*Psal.* LXXV). Quæ munera? *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII). Forte ista sunt munera quæ vovere nos jubet et reddere Psalmista: arietes et filii arietum cum dicit: Vovete, etc. Cui munera? Audi quid sequitur: *Terribili et ei qui anfert spiritum principum apud reges terræ* (*Psal.* LXXV). Quid hoc pertinuit ut postquam dixerat: Reddite Domino Deo vestro munera, statim subjungeret: Qui aufert spiritum principum; nisi quia ipsa munera ipsum spiritum significare voluit? D Sed si spiritum principum aufert, auferre non poterit spiritum tuum? Redde ergo voluntarius ne amittas invitus. Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera. Terribili et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ. Vide ergo, frater, quid est quod vovere et reddere nos oportet Domino Deo nostro. Quod si post vovere vel post votum reddere nolumus, tamen retinere non valemus. Si reddimus, accipiet, si non reddimus, tollet. Si reddimus, pro dato remunerabit, si non reddimus, pro non dato condemnabit. Si enim reddimus, quod nostrum est damus, et reputatur ad justitiam, si autem non reddimus, quod alienum est retinemus, et imputatur ad culpam. *Qui amat*, inquit, *animam suam perdet eam* (*Joan.* XII). *et qui perdiderit animam suam propter me*

inveniet eam (*Matth.* x). Servat sibi qui mihi tribuit, et qui sibi retinet amittit. Vovete ergo et reddite. Si voves animam tuam, redde animam tuam. Noli putare quod reddere possis pro anima tua pecuniam tuam. Hoc enim esset plus vovere et minus reddere, et non esset æqua recompensatio. Si tua das Deo, teipsum diabolo, non est æqua partitio. Nonne si recte offeras et non recte dividas, peccasti? Plus enim valet anima, et minus pecunia. *Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?* (*Matth.* VI; *Luc.* XII.) Si plus est anima quam esca, plus utique est quam pecunia, quia et esca plus est quam pecunia. Propter escam enim datur pecunia, et si non est esca, pecunia, quid esset? Nam quod plus confert et prodest, ipsum plus esse necesse est. Si ergo voves animam, noli pro anima dare pecuniam, quia si hoc facis, fraudem facis; plus vovens et minus reddens. Cum anima tua dare potes pecuniam tuam, pro anima non potes, nisi forte pro anima tua ita pecuniam tuam dare volueris, ut anima tua data acceptabilior fiat. Pro illa, cum illa amatur, pro illa sine illa non accipitur. Noli ergo putare quod pro anima tua, id est pro commutatione animæ tuæ pecuniam tuam dare possis, quia et ipsam pecuniam sic datam non acciperet, et tu animam tuam servare non posses sic retentam. Itaque et pecunia amitteretur, et anima non servaretur. Hoc igitur unum est quod recompensationem non accipit.

CAP. VI. *Quæ vota commutationem patiuntur.*

Cætera omnia pro loco et tempore et causa commutationem admittunt. Vovisti aurum, argentum reddere potes, quia quod pretio minus est, in pondere majus esse potest. Vovisti peregrinationem tuam Domino, commutationem admittit, si forte expediat magis quod contingere potest, ut permaneas in patria tua et in domo tua. Nam si illic persolvere potes aliud tantum valens, sive ad laborem operis sive ad devotionem virtutis, sive ad utilitatem administrationis, commutationem dare potes. Vovisti jejunium et hic commutatio esse potest, si forte hoc non expediat quod contingere potest. Aliud adhuc dico: Vovisti Deo servire in aliquo loco, vel in habitu, vel in societate aliqua, dico quod et hoc totum commutationem habere potest, quia potest et locus destrui et homines mori, et habitus mutari. Nunquid putas ideo perdis animam tuam si locus aliquis vastatur aut si homines moriuntur? Tantummodo ex te non fiat quod in illis fit, neque in te remaneat quod a te fieri debuit. Non est periculum tuum ubi non est culpa tua. Fac quod potes et quantum potes, et sufficit tibi. A bona voluntate non amplius exigitur nisi quantum potest. Si autem aliquid horum voveris vel similium aliquid, quæ invitis vel auferri possunt, vel volentibus commutari, et implere quidem vales quod vovisti, non est in tuo arbitrio commutatio voti tui, etiamsi majus aliquid videris, vel melius faciendum quod facias. Potest quidem dispensatio fieri circa te, sed non debet fieri a te. Nam tu quidem quantum in te est hoc debes quod vovisti ipsum et non aliud. Non tibi licet pro alio aliud commutare, sed dispensatori et magistro tuo; si voluerit et expedire noverit licet aliud accipere. Si idem a te datur debitum est; si aliud ab illo accipitur, indulgentia est. Nam idcirco dispensator dicitur ille qui a subjectis omnibus secundum utilitatem et fructum recompensationis diversa quædam a primis et alia ab iis quæ proposita fuerant salubri ac rationabili commutatione impendere potest. Sicut ergo votum tuum in tua constat voluntate; sic commutatio voti tui in illius constat potestate. Illic per te operari potest bonum quod delectat, hic autem consulere debes illum quod magis expediat. Est autem adhuc amplius aliquid quod dictis adjiciendum videtur. Ecce vovisti virginitatem carnis tuæ Domino Deo tuo, dico quod reddere debes quod vovisti. Non licet tibi retrospiscere, ut deinceps ad experientiam carnis descendas. Dico ergo tibi, redde quod debes. Non licet tibi aliud pro isto reddere, si istud potest reddere. Sed quid facimus? Ecce vovisti et votum non tenuisti, quia virginitatem, amisisti. Non potes amplius reddere virginitatem, non potes dare quod non habes. Semel amissa est virginitas, amplius reparari aut recuperari non potest. Quid autem facies? Quid reddes Domino Deo tuo pro virginitate tua quam vovisti et post votum amisisti? Est ne aliquid aliud quod pro ista reddi possit, ut debitum reddatur et tantum votum impleatur? Si nihil est aliud quod pro ista reddatur, salus non est iis qui hanc voverunt, et amissam jam reddere non possunt. Nunquid igitur pontem misericordiæ præscindere audebimus ejusmodi? Dicat hoc qui audet. Ego nec præsumo nec volo. Videat qui hoc dicere voluerit ne forte sibi ipsi periculum struat; ergo aliud est quod reddere possis pro virginitate tua si eam perdidisti. Quid aliud? Redde pœnitentiam tuam? redde contritionenm tuam; redde humilitatem tuam. Pro virginitate carnis redde humilitatem cordis; pro carne fracta frange cor; humilitatem per se debuisti etiamsi virginitatem habueras; et tamen si virginitatem reddere non potes, redde pro illa humilitatem, et satisfaciet tam pro se quam pro illa. Vide quanta est virtus humilitatis. Socia est virginitas, humilitatis, et socia humilitas virginitatis, et non potest, si abest humilitas, satisfere Deo virginitas; potest autem etiam, si habes, virginitas satisfacere Deo, humilitas si habeatur. Est igitur aliquid quod reddas pro virginitate tua, si illam reddere non potes. Et unde satisfacias Deo, etiam si istam non offeras, nunquid sic dico de anima tua? Perde animam tuam ita ut amplius eam reddere non possis; ei vide si aliquid tibi superest quod pro illa reddere possis. Propterea dixi tibi: Quia hoc unum est pro quo commutatio nulla dari potest. Si hoc solum dari non potest, hoc nisi reddideris quidquid dederis non satisfacis. Hoc si reddis quidquid non dederis, non offendis.

PARS TERTIA DECIMA.

DE VITIIS ET VIRTUTIBUS.

CAP I. *De vitiis et virtutibus, et operibus malis,*

Septem capitalia vitia sive principalia, sive originalia, sacra Scriptura commemorat, quæ ideo capitalia vel principalia vel originalia dicuntur, quia reliquorum omnium caput sunt et principium et origo. Omnia quippe alia ab istis septem vitiis oriuntur. Hoc autem interesse videtur inter peccata et vitia, quod vitia sunt corruptiones animæ, ex quibus si ratione non refrenentur, peccata, idest actus injustitiæ oriuntur. Quando autem tentanti vitio consensus adhibetur actus injustiæ est quod peccatum dicitur. Itaque vitium est infirmitas spiritualis corruptionis, peccatum autem ex corruptione, oriens per consensum actus iniquitatis. Itaque vitium absque consensu infirmitas est, cui in quantum infirmitas est misericordia debetur, præmium autem et corona in quantum ab actu iniquitatis cohibetur. Cum consensu vero vitium culpa fit, ubi in quantum vitium est malum est, in quantum voluntarium est pœna dignum est. Vitium ergo est in corruptione, peccatum autem in actione. Actus vero peccati solo consensu perficitur, etiamsi foris opus non fuerit, quia quod iniquitatis est per consensum pravum in sola voluntate completur, etiam tunc cum ab eo quod vult perficiendo foris invita restringitur. Facit enim quod suum est totum et quod amplius non facit suum non est; nec ab ipsa est quod amplius non facit sed contra ipsam. Ita in solo consensu opus judicatur; cui quidem id quod foris est opus tantum in malitia adjicit quantum ipsum qui intus operatur, motum voluntatis ad malitiam accendit. Sic ergo vitia origo peccatorum sunt, ex quibus nascuntur opera iniquitatis. Quæ quidem, sicut dictum est, absque consensu pœnam habent, quia corruptio sunt, cum consensu autem culpam, quia voluntaria sunt. In quantum enim originalia sunt, pœna in ipsis exercetur. In quantum voluntaria, pœna ipsis debetur. Sunt autem hæc : prima, superbia; secunda, invidia ; tertia ira; quarta, acidia ; quinta, avaritia ; sexta, gula ; septima, luxuria. Ex iis tria hominem exspoliant, quartum flagellat spoliatum ; quintum flagellatum ejicit, sextum ejectum seducit, septimum seductum servituti subjicit. Superbia aufert homini Deum, invidia proximum, ira seipsum, acidia flagellat spoliatum, avaritia flagellatum ejicit ; gula ejectum seducit, luxuria seductum servituti subjicit. Anima rationalis in sanitate sua, vas est solidum et integrum nullam habens corruptionem ; quam vitia venientia in eam hoc modo vitiant et corrumpunt : per superbiam inflatur, per invidiam arescit, per iram crepat, per acidiam frangitur, per avaritiam dispergitur, per gulam inficitur, per A luxuriam concuicatur, et in lutum redigitur. Superbia est amor propriæ excellentiæ. Invidia odium felicitatis alienæ. Ira irrationabilis perturbatio mentis. Acidia est ex confusione mentis nata tristitia, sive tædium et amaritudo animi immoderata; qua jucunditas spiritualis extinguitur ; et quodam desperationis principio mens in semetipsa subvertitur. Avaritia est immoderatus appetitus habendi. Gula est immoderatus appetitus edendi. Luxuria est concupiscentia explendæ voluptatis nimia, vel concubitus desiderium supra modum, vel contra rationem effervens. Superbiæ duo sunt genera. Unum intus, alterum foris. Intus superbia est, foris jactantia. Superbia in elatione cordis ; jactantia in ostentatione operis. Superbia in B eo quod sibi placet, alienum testimonium despicit. Jactantia autem ut magis sibi placeat, alienum testimonium requirit. Propterea jactantia per levitatem blandem se simulat, superbia vera in tumore crudelem demonstrat. Superbia enim timeri vult, jactantia amari ; et utraque tamen in eo quod appetit sibi placens perverse, diverso litet modo inordinate convincitur gloriari. Si quis igitur superbiam et jactantiam sub uno computaverit membro, septem invenit vitia capitalia, de quibus peccata omnia, actus iniquitatis et injustitiæ opera oriuntur. Peccata autem alia venialia, alia criminalia dicuntur. Venialia sunt quæ nec facile vitari possunt, ut aliquando non fiant, neque multam turpitudinem vel læsionem magnam C habent si fiant. Criminalia dicuntur quæ vel læsionem magnam inducunt, vel turpitudinem ingerunt in quibus vel Deus vel proximus multum offenditur, vel iese qui facit maculatur. Talia sunt homicidia, adulteria, perjuria, furta, et quæ iis similia adjunguntur, vel continentur in istis ; sicut rapinæ sacrilegia, incestus, et cætera talia. Venialia sunt sicut ira levis et transitoria, risus et hujusmodi, quæ sine deliberatione agentium contingunt, sive ex negligentia incaute, sive ex infirmitate præcipitanter.

CAP. II. *De virtutibus et operibus bonis.*

Sicut superius diximus aliud esse vitium, atque aliud peccatum quod ex ipso vitio procedit, ita intelligimus aliud esse virtutes, atque aliud opera justitiæ quæ ex ipsis oriuntur. Virtus enim quasi D quædam sanitas est et integritas animæ rationalis, cujus corruptio vitium vocatur. Opus vero justitiæ est in motu mentis rationalis, qui secundum Deum incedit, a cordis conceptione surgens, et foras usque ad actionis corporalis completionem procedens. Virtutes in Scripturis plurimæ numerantur, maxime vero quæ in Evangelio, quasi quædam antidota vel sanitates contra septem vi-

tiorum corruptionem sub eodem numero disponuntur. Prima est humilitas, secunda mansuetudo, tertia mentis compunctio, quarta desiderium justitiæ, quinta misericordia, sexta cordis munditia; septima pax mentis interna. Homo igitur in peccatis jacens ægrotus est, vitia sunt vulnera, Deus medicus, dona Spiritus sancti antidota, virtutes sanitates, beatitudines gaudia, per dona enim Spiritus santi vitia sanantur. Sanitas vitiorum integritas est virtutum. Sanus operaiur, operans remuneratur. Sic post virtutes opera bona sequuntur, et ex virtutibus opera ipsa oriuntur. Sex opera misericordiæ in Evangelio (*Matth.* xxv), specialiter a Domino enumerantur, in quibus perfectio bonorum operum significantur. Primum est esurientem pascere, secundum sitientem potare, tertium hospitem colligere, quartum nudum vestire, quintum infirmum visitare, sextum ad incarceratum et clausum venire. In iis enim necessitatibus omnis vitæ humanæ molestia vel comprehenditur vel figaratur, in quibus quisquis propter Deum proximo compatitur, misericordiam a Deo in sua necessitate meretur.

CAP. III. *De timore et amore.*

Sane duo sunt motus cordis, quibus anima rationalis ad omne quod facit agendum impellitur. Unus est timor, alter amor. Hæc duo cum bona sunt omne bonum efficiunt. Per timorem enim mala caventur; per amorem bona exercentur. Cum autem mala sunt, omnium malorum initium et causa existunt. Per timorem enim malum a bono receditur; per amorem vero malum mala perpetrantur. Sunt ergo duo hæc quasi portæ duæ, per quas mors et vita ingrediuntur. Mors quidem quando aperiuntur ad malum, vita autem quando ad bonum referantur.

CAP. IV. *Quid sit timor.*

Timor est effectus mentis quo movetur ut superiori cedat; amore enim accedit, timore recedit. Si in justitia perstitisset homo, ex voluntate subjiceretur meliori. Nunc autem ex necessitate fortiori subjicitur. Hæc est pœna illa timoris ex qua servilis nominatur. Quando qui voluntate prius meliori subjici noluit, nunc necessitate fortiori subjicitur. Quam profecto pœnam tunc charitas foras mittit quando subjectionem voluntariam facit. Quando magis crescit charitas, tanto magis crescit voluntas; quanto magis crescit voluntas, tanto magis decrescit necessitas. Et jam perfecta charitate amat ad reverentiam meliorem voluntarius; non timet ad pœnam fortiorem invitus. Quærunt de Christo homine quomodo timorem Domini habuerit. Sed facile est demonstrare quomodo voluntarie Patri in quantum ipse homo erat sibi superiori subjiciebatur, et spontanea reverentia cedebat illi quem superiorem cognoscebat, dicens: *Pater major me est* (*Joan* xi). Sicut igitur amor cum sit motus mentis naturaliter unus secundum diversas qualitates diversa nomina sortitur; et dicitur aliquando cupiditas; quando scilicet ad mundum est, quando vero ad Deum est charitas. Sic timor cum sit motus mentis naturaliter unus, secundum diversos tamen modos quibus habetur vel operatur, diversis nominibus significatur.

CAP. V. *De quatuor timoribus.*

Quatuor sane timores sacra Scriptura discernit: servilem mundanum, initialem, filialem. Servilis timor est, pro evitanda pœna abstinere a malo, retenta voluntate mala. Mundanus timor est pro evitanda pœna abstinere a bono, retenta voluntate bona. Initialis timor est pro evitanda pœna cum perverso opere etiam pravas cogitationes resecare. Filialis timor est homo firmiter adhærere quia illud amittere nolis. Ex iis quatuor timoribus duo mali sunt id est servilis et mundanus; duo boni, id est initialis et filialis. Servilis timor pœnam quæ ab hominibus infertur metuit; et idcirco et sufficit cessare a malo opere, quia ad oculum famulatur et reatum conscientiæ non metuit, hominibus placere volens. Mundanus viro timor hominibus placere non quærens tamen displicere metuens; et ipse fingit quod non est; tam mendax in neganda veritate, quam fallax alter in falsitate tegenda. Et uterque in veritate offendit; alter quia timide negat quod est; alter quia perverse simulat quod non est. Initialis vero timor quia eam quam Deus comminatur pœnam declinare satagit, nequaquam sibi sufficere videt, ut ab illicita se operatione contineat, quia ei qui cor intuetur non est satis ad probationem si innocens fuerit actio, nisi etiam ipsa cordis cogitatio ante ejus oculos sincera atque impolluta appareat. Quia ergo illi displicere metuit qui videt totum ad perfectam innocentiam coram eo necesse esse considerat ut emendet totum. Et ideo iste timor initialis dicitur quia sub hoc per bonam voluntatem et virtus intium capit; et vitium finem. Necdum tamen perfectio est, quia dum aliud agitur, et aliud intenditur, ipsum adhuc propter se bonum non amatur. Tunc accedit charitas; et intrat per timorem illum, qui dum monstrat quod fugere debeamus, periculum quodammodo apetere et deciderare facit præsidium. Convertit igitur cor ad Deum, ut quodammodo de ipso fugiat ad ipsum; hoc est, dum cavet habere iratum, studeat habere propitium. Hunc sequitur timor filialis qui ex succedente charitate nascitur, ut ipsum timere nihil aliud sit quam degustatum in charitate bonum jam nolle amittere. Et hic quidem timor aliquid pœnæ adjunctum habet dum in incerto ambulamus; et potest in utramque adhuc partem declinare status vitæ mutabilis. Sed cum mutabilitas nulla erit, tunc nulla ex incerto suspicionis pœna inerit. Et tunc timor quodammodo sine timore erit, ubi et de stabilitate certi erimus; et tamen reverentiam Creatori exhibere non desistemus.

CAP. VI. *De charitate.*

Geminam nobis sacra Scriptura charitatem commendat; Dei videlicet et proximi. Charitatem Dei ut sic ipsum diligamus ut in ipso gaudeamus. Charitatem proximi ut sic ipsum diligamus, non ut in ipso, sed ut cum ipso gaudeamus in Deo.

Hoc est, ut Deum diligamus propter se ipsum; proximum autem propter Deum. Deus autem idcirco propter se ipsum diligendus est; quia ipse est bonum nostrum. Proximus autem ideo propter Deum diligendus est, quia cum ipso in Deo est bonum nostrum. Illum diligimus ut ad ipsum veniamus, et in ipso gaudeamus. Istum diligimus ut cum ipso curramus, et cum ipso perveniamus. Illum ut gaudium, istum ut gaudii socium; illum ut requiem, istum ut requiei consortem. Quid est Deum diligere? Habere velle. Quid est Deum diligere propter seipsum? Ideo diligere, ut habeas ipsum. Quid est proximum diligere propter Deum? Ideo diligere quia habet Deum. Sicut diligimus hominem propter justitiam, id est quia habet justitiam, et sicut diligimus hominem propter sapientiam, id est quia habet sapientiam, sic diligimus hominem propter Deum, id est quia habet Deum; vel si forte nondum habet, quia habiturus est eum; vel ut habeat eum. Sic itaque propter Deum hominem diligimus, quem utique propter Deum non diligeremus, si Deum non diligeremus. Quemadmodum cum hominem propter sapientiam diligo, ideo diligo quia ipsam sapientiam diligo; quem profecto non diligerem, si sapientiam propter quam ipsam diligo, non diligerem. Ita cum proximum propter Deum diligo, ideo diligo quia Deum diligo, propter quem ipsum proximum diligo, quem utique non diligerem si Deum propter quem ipsum diligo, non diligerem. Sic igitur si bene diligo et bonum diligo. Non enim bene diligo nisi cum bonum diligo; et cum bonum quod diligo non ob aliud quam propter bonitatem diligo. Si ergo bene diligo, sic diligo. Quomodo? Amicum in Deo, et inimicum propter Deum. Quid est amicum diligere in Deo? Ideo diligere quia Deum habet. Non in divitiis suis, non in fortitudine sua, non in pulchritudine sua, sed in justitia sua, in sanctitate sua, in bonitate sua. Illa enim etsi a Deo sunt, extra Deum diligi possunt; et sæpe cum diliguntur avertunt et pervertunt mentem diligentium se, ut Deum non diligant. Idcirco pro iis laudandus est Deus; quia cum dantur ab ipso dantur, et dona ejus sunt; sed in iis non est amandus proximus quia virtus ejus non sunt, neque bonum faciunt ista hominem, etiamsi abundaverint; neque si defuerint, malum. Bonitas autem bonum facit, et justitia justum, et veritas verum. Et hæc cum adsunt adest Deus, quia Deus bonitas est, et justitia, et veritas. Ideo in bonitate et justitia et veritate diligendus est homo. Et quando in istis diligitur, in Deo diligitur; quia Deus bonitas est, et justitia et veritas. Si ergo bonum diligimus et bene diligimus, boni sumus. Non enim bonos facit nisi dilectio bona et dilectio boni. Si autem boni sumus nullos amicos habemus nisi bonos, et nullos inimicos nisi malos: quia si boni sumus, nihil præter bonum diligimus, et nihil præter malum odimus. Si autem amicos bonos habemus, et inimicos malos; amicos quidem in bonitate sua diligere debemus, id est ideo quia boni sunt. Inimicos autem quia in bonitate diligere non possu-

A mus, quia boni non sunt, tamen propterea diligere debemus, ut bonitatem habeant et boni sint. Et in iis omnibus non nisi bonitas diligitur, quando nihil diligitur nisi propter bonitatem. Simili modo cum Deus diligitur, propter se diligitur quia ab alio non est, neque aliud ab ipso quod diligitur in ipso. Cum vero proximus diligitur, non propter se diligitur, sed propter Deum. Alter, id est amicus, quia Deum habet; alter, id est inimicus ut Deum habeat; et in iis omnibus non nisi Deus diligitur, quia aliud non est quam Deus, quod et in illo diligitur quia est, et in isto diligitur ut sit. Ergo cum Deus diligitur et proximus diligitur, cum Deus diligitur, quare dixit Scriptura ut et Deum diligas et proximum? Si in Deo Deum

B diligis, et in proximo Deum diligis, nec aliud in proximo quam in Deo diligis, quare sunt duo præcepta charitatis? Si enim utrobique Deus diligitur, in utroque unum impletur, nec opus fuerat præceptum geminari de opere uno. Suffecerat si dixisset: Dilige Dominum Deum tuum (*Deut.* VI; *Matth.* XXII). In hoc enim totum est. Qui enim vere Deum diligit, ubique diligit. Si vere diligitur, diligitur ubicunque invenitur. In seipso, in proximo, intus et foris, et sursum et deorsum, longe et prope. Si mel dulce est, dulcis est et favus. Si mel diligis, diligis et favum receptaculum mellis. Sed cum mel diligitur, ideo diligitur quia dulce ipsum est. Cum vero favus diligitur, ideo diligitur, quia dulcedo in ipso est. Mel propter

C seipsum diligitur. Favus autem propter mel diligitur; et si forte videris favum non habentem mel, vides receptacula ubi mel esse debuerat, et dotes vacua esse; et non placet tibi, quia arida sunt, et cupis mel illic esse quod diligis; et si venerit, amplius diligis. Ita dilige Dominum Deum tuum, quia dulcedo est ipse, et bonitas et veritas. Proximum autem tuum dilige (*Matth.* XIX, XXII), quia receptaculum est dulcedinis, bonitatis et veritatis; et si in eo inveneris quod habere debet dulcedinem et bonitatem et veritatem, dilige in ipso illa et dilige ipsum propter illa. Si autem vacuum inveneris bonis suis, dole, quia receptaculum inane vides; et opta ut veniant ad eum et intrent in eum bona sua, ut fiat ipse

D bonus habens bona sua, sine quibus bonus esse non potest. Dilige ergo Deum quia bonitas est. Dilige proximum quia ex bonitate bonus est; vel si bonus non est, ut sit bonus qui bonus esse potest. Qui enim jam esse non possunt boni, diligendi non sunt nec proximi sunt, sed alieni et remoti et extranei. *Non des*, inquit, *alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena* (*Prov.* V). Isti ergo sunt alieni et extranei nimis remoti et longe facti, quibus amplius reditus non patet ad bonum, dæmones scilicet et homines maligni cum dæmonibus damnati. Quid idcirco a nobis amplius diligendi non sunt; quia ab illo bono propter quod diligitur omnis qui bene diligitur, irrecuperabiliter corruerunt. Nusquam nobis Scriptura dicit dæmones

diligamus? neque illos homines qui jam cum dæmonibus damnati sunt. Illi enim proximi non sunt, sed remoti et alieni facti a nobis. Nos autem proximos diligere debemus non alienos ; id est homines non dæmones, et illos homines qui vel per bonitatem non recesserunt, vel per arbitrii libertatem redire possunt. Non enim omnino longe sunt ; qui etsi abierunt, adhuc redire possunt. Isti sunt proximi, quos diligere debemus, vel in Deo si non recesserunt, vel propter Deum si redire possunt. Quos quando diligimus, vel in eis Deum diligimus et optamus eum quod non sunt boni esse possint. Propter hoc duo sunt præcepta charitatis ; Dei videlicet et proximi, ut per charitatem Dei ipsum bonum diligas ; per charitatem proximi bonum quod diligis proximo non invideas. Poteras aliquid diligere, et proximo non diligere ; poteras aliquid velle habere, tamen non velle ut illud haberet proximus tuus ; in Deo tamen non poteras. Non enim poteras diligere Deum nisi diligeres proximum tuum ; quia cum invidia et odio Deus diligi non potest, tamen quia in aliis rebus hoc facere poteras, ut aliquid velles et proximo tuo non velles, distinctum est, ut utrumque tibi faciendum esse intelligas, quamvis tamen alterum sine altero facere non possis. Quamvis simul sint, tamen duo sunt dilectio Dei et proximi, neque ideo debuerunt in præceptione confundi, quamvis non possint in actione separari. Duo igitur sunt præcepta charitatis : unum quo Deum diligere præcipimur, alterum quo proximum amare jubemur.

Cap. VII. *Quare non sunt tria præcepta charitatis.*

Sed dicis : Quare tria data non sunt præcepta charitatis, ut similiter diligat homo seipsum, sicut diligere jubetur Deum et proximum ? Sed considera, quod superfluum foret ut illud fieri juberetur, ad quod faciendum sic homo pronus fuerat ex se, ut illud aut non posset aut non vellet dimittere etsi prohiberetur. Non igitur præcipiendum homini erat ut se diligeret ; sed timendum vel cavendum magis erat ne nimis diligeret. Hoc siquidem naturæ insitum erat, ut se odire non posset ; secundum quam, *nemo carnem suam odio habuit* (*Ephes.* v) ; cujus commodum qui naturæ insitus est appetitus inseparabiliter diligit, et quod adversum est illi, semper detestatur et fugit. Tamen quia quæstio aliqua esse videtur quare præceptum non est homini ut diligat seipsum, sicut mandatum est, ut diligat Deum et proximum suum ; considerare nos oportet, si forte in his duobus mandatis in quibus de dilectione Dei et proximi agitur, ad etiam quod ad diligendum se homini vel præcipiendum vel faciendum est contineantur. Duo in homine sunt : anima et corpus, spiritus et caro. Utrumque Deus fecit et utrumque homo a Deo accepit. Quod autem a Deo est, totum bonum est, et quod bonum est, totum diligendum est. Itaque diligere debet homo totum quod a Deo bonum a Deo accepit ; quia bonitati ingratus esset, si quod ab ipsa est bonum non diligeret. Bene ergo facit cum diligit corpus suum;

A ita tamen si bene diligat, id est si in eo diligat in quo diligendum est. Similiter cum diligit animam suam benefacit. Et melius facit cum diligit animam suam, quam facit cum diligit carnem suam; et tanto melius, quanto melior est anima quam caro. Itaque in utroque benefacit, cum utrumque bene diligit. Corpus quippe diligendum est ad necessitatem, anima vero diligenda ad bonitatem. Caro diligenda est ut contra corruptionem foveatur ; anima diligenda est ut contra iniquitatem custodiatur. Tamen si necessitas alterius inciderit ; et alterum pati necesse sit, melius est ut caro sustineat corruptionem, quam anima faciat iniquitatem. Utrumque ergo diligendum est, sed tamen magis illud quod melius est, quamvis autem
B utrumque esset diligendum, non tamen utrumque ut diligeretur præcipiendum erat. Nam quia per naturæ affectum carnis suæ amor sufficienter homini inerat, non erat præcepto provocandus, ut illum haberet, sed admonitione potius temperandus ne nimis haberet, *Carnis,* inquit Apostolus, *curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* xiii). Carnem quippe suam homo ante peccatum per affectum naturæ dilexit ad necessitatem ; post peccatum autem per vitium concupiscentiæ jam nunc diligere consuevit ad superfluitatem, et idcirco in hac parte præcepto non eget, ubi per se voluntarius est etiam si non moneatur, sed prohibitione potius et comminatione ne in præceps eat si non teneatur. Sic ergo dilectio carnis in præ-
C cepto ponenda non fuit, de qua constabat quia satis haberetur, etiamsi non præciperetur. De dilectione vero animæ quæri potest utrum in mandato constituta sit ; et si hoc mandatum est homini ut diligat animam suam, utrum hoc mandatum aliud ab illis duobus mandatis quæ supra distincta sunt in dilectione Dei et proximi intelligendum sit, aut idem cum illis. Quid est autem animam diligere, nisi bonum ejus amare ; sicut enim carnem suam amare dicitur qui bonum illius amat et commodum appetit ; et odisse qui ea quæ adversa illi sunt et noxia aut studiose agit aut voluntarie sustinet, ita quoque animam suam amare dicitur, qui amat ea quæ bona illi sunt et salubria ; et quæ ad bonum illius coope-
D rantur et saluti proficiunt. Qui autem quæ illi nocent amat, non illam amat. *Qui diligit,* inquit, *iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x). Amas livores, et percussuras et vulnera, et dicis amo carnem meam, qualis amor? Tu illam lædere et affligere non cessas, et amare te dicis. Si amas illam, ama bonum illius. Si amas illam benefac illi si potes, opta si non potes. Hoc est amare benefacere et bonum velle. Qui persequitur odit, qui fovet diligit. Si me diligere vis, sic me dilige; alioquin si amicos persequeris, inimicos foves, malo te hostem habere quam familiarem. Nos amorem vocamus cum bonum diligitur, commodum optatur, salus quæritur. Qui hoc facit diligit. Si autem hoc est amare, ille profecto animam suam diligit, qui bonum illius diligit, et quod bonum illi est diligit. Quid est autem aliud bonum

animæ rationalis quam Deus? Si ergo verum bonum animæ Deus est, ille utique animam suam diligit,qui Deum diligit, quia animæ suæ bonum diligit. Quid enim putasti tibi dictum fuisse quando tibi dictum est ut Deum diligas? Fortassis existimabas tibi dici, ut Deum tuum diligas sicut diligis vicinum tuum, cognatum tuum, amicum vel proximum. Quomodo enim illum diligis, nisi quia bonum cupis illi; et optas et facis si potes,et facis quantum potes si diligis quantum potes. Tantum enim facis quantum diligis. Si tantum potes quantum diligis, tantum facis quantum diligis.Si autem minus potes,facis tamen quantum potes.Si vero plus potes et minus diligis,quantum diligis tantum facis.Quid igitur? Ita putas tibi juberi ut Deum tuum diligas, ut facias vel cupias illi bonum, et non potius ut cupias illum bonum? Non illum amas ad bonum suum, sed amas illum ad bonum tuum, et amas illum bonum tuum. Neque enim sic illum amas ad bonum tuum, ut ab illo sit bonum tuum, et non ille sit bonum tuum. Itaque amas illum ad bonum tuum,ut ipse quem amas sit bonum tuum. Si enim illum amare vis ad bonum suum, quid illi boni dare potes quod tu habeas et ipse non habeat, qui totum quod habes ab ipso habes? Oblitus es illi dicere: *Deus meus es tu,quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* xv). Quid ergo illi dabis qui totum habet quod tu habes, et plus habet quam tu habes? Tu pauper es, ille dives est. In hoc mundo pauperes dant divitibus, et qui plus habent accipere possunt a minus habentibus quod non habent, hi enim qui ditiores sunt plus habent, qui tamen totum non habent accipere possunt quod non habent. Deus tuus alias divitias possidet. Quod tu minus habes ille plus habet, et quod aliquid habes ille totum habet. Quomodo ergo illum amas? Quid illi dabis? Sed dicis:Quamvis dare non possum,tamen optare possum.Cupio ut illi bonum eveniat. Possibilitas quidem mea parva et exigua est ad illum,affectus autem et amor dives in illum. Quod facere non possum,velle possum.Facerem quidem si possem, sed quia non possum, facio quod possum. Quid facis? Amo Deum meum.Quomodo amas? Cupio, inquis,bonum illi. Quod bonum illi cupere potes, qui extra illum bonum invenire non potes? Deus summum bonum est, et in ipso omne bonum est, et omne bonum ipse est.Quid cupis illi qui totum habet, totum possidet? Bono bonum optas, justitiæ rectum, sapientiæ sensum, perfectioni incrementum? Supervacua pietate moveris. Miserere potius tui. Ille satis habet. Tu illum qui optimus est meliorem facere vis? Cum ergo Deum diligis tibi diligis, et bonum tuum est quod diligis,et ad bonum tuum diligis, quia bonum tuum ipse est quem diligis. Cum diligis justitiam cui diligis? Illi an tibi? Cum sapientiam diligis, cum veritatem et bonitatem diligis,cui diligis? Illis an tibi? Ipsum lumen quod jucundum et delectabile oculis est cum diligis, cui diligis? Ipsis an tibi? Sic est Deus tuus. Cum diligis eum, intellige quod bonum tuum ipse est. Quid est diligere nisi concupiscere et habere velle et possidere et frui? Si non habetur, velle habere; si habetur, velle retinere, quamvis verum bonum nunquam diligi possit, nisi cum habetur; nec haberi nisi cum diligitur. Bona ista quæ foris sunt sæpe amantur, cum non habentur; et cum habentur nonnunquam despiciuntur. Non tale est bonum quod Deus est. Si amatur, habetur; si diligitur, gustatur: præsens est dilectioni. Si potes diligere, potes habere. Si hoc das, hoc recipis. Non aliud pro illo quæritur, nec pro alio aliud datur.

Cap. VIII. *Quod pure et gratis amat qui Deum propter se amat.*

Sed forte mercenarius eris si diligis Deum et servis ei,ut præmium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidam, et tam stulti ut seipsos non intelligant. Diligimus Deum et servimus illi; sed non quærimus præmium,ne mercenarii simus; etiam ipsum non quærimus. Dabit si voluerit, sed nos non quærimus.In tantum enim excutimus manus ab omni munere, ut etiam ipsum non quæramus quem diligimus. Pura enim et gratuita et filiali dilectione diligimus, nihil quærimus.Ipse cogitet si quid dare voluerit, nos nihil requirimus. Diligimus ipsum sed non quærimus aliquid, etiam ipsum non quærimus quem diligimus. Audite homines sapientes. Diligimus, inquiunt, ipsum, sed non quærimus ipsum. Hoc est dicere diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem a vobis. Si me sic diligeretis ut de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem. Vos videritis si dignum est ut Deo offeratis, quod homo digne respueret. Quomodo inquiunt,mercenarii non sumus si Deum propter hoc diligimus ut præmium ab eo accipiamus.Non est gratis hoc amare,neque amor iste filialis; sed mercenarii et servi, qui pretium quærit pro servitute sua. Qui hoc dicunt virtutem dilectionis non intelligunt.Quid est enim diligere nisi ipsum velle habere? Non aliud ab ipso sed ipsum, hoc est gratis. Si aliud quæreres ab ipso, gratis non amares. Nunc autem non aliud quæris pro eo quod amas, et tamen aliquid quæris et desideras in eo ipse quod amas. Alioquin non amares si non desiderares. Sed aliud est pro ipso, aliud in ipso. Si pro ipso aliquid amas, mercenarius; si in ipso amas et ipsum amas, filius es; etiam si vitam æternam aliud aliquid esse cogitaveris, et diversum ab ipso bono quod Deus est, et pro ipso adipiscendo tantum servieris, non est pura servitus, neque dilectio gratuita. Filii illi Zebedæi qui concessum dextræ et sinistræ petierunt in regno ejus, quiddam aliud cogitaverunt alienum et diversum a bono isto; et pro eo adipiscendo aliquandiu illi adhæserunt,donec increpati et mutati veritatem cognoverunt, et intentionem correxerunt. Putaverunt enim quod Deo serviendum esset pro eo quod ipse non esset; quia non intellexerunt ipsum esse bonum, quod solum amandum est propter seipsum; et quidquid amandum est præter ipsum amandum est propter

ipsum. Quod quidem tanto amatur felicius quanto A ardentius. Qui hoc amat, seipsum amat, quia bonum suum amat; et vere amat, quia verum bonum amat. Propterea Scriptura non dixit tibi teipsum diligas, ne forte errares et putares indulgendum tibi et studendum iis quæ foris sunt commoda et carni tuæ suavia, et existimares quod sic te diligere deberes, et occasionem sumeres a Scriptura ut solam carnem tuam foveres et animam tuam negligeres; propter hoc non dixit tibi ut teipsum diligas, ne hoc intelligeres, ubi magis diligeres, et hoc negligeres, ubi periculosius deperires. Non ergo tibi dixit, ut teipsum diligas, nec tamen omnino tacuit, cum dixit ut Deum tuum diligas. Cum enim diligis Deum tuum, diligis bonum tuum, et melius bonum et melioris B bonum. Et cum diligis bonum tuum diligis teipsum, qui bonum ipsius diligis, et quod bonum est illi diligis.

Cap. IX. *De mensura diligendi Deum.*

Quantum autem diligere debeamus bonum nostrum quod Deus est, Scriptura nobis manifestat, cum dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et tota anima tua* (*Matth.* XXII). Quasi diceret: Non tibi præcipio ut tantum diligas, sed vel tantum diligas Deum tuum; quantum potes, tantum dilige. Possibilitas tua erit mensura tua. Quanto plus amas, tanto plus habes. Et quanto plus habes, tanto felicior es. Extendere ergo et dilatare quantum potes, ut totum impleatur quod in te C est, etiamsi non totum capiatur quod in illo est. Noli timere quasi tibi deficere debeat ille si nimis capax fueris. Quantumcunque poteris, nunquam tantum poteris quantum ille est. Si tantum posses, tantus esses. Nunc autem crescere in illo potes, æquare illum non potes. Cresce ergo et profice. Quanto major in bono eris, tanto melior eris. Si summus esses, optimus esses. Nunc quia summus esse non potes, potes esse in summo. Et magnum tibi hoc est, et ex hoc tu magnus es, si in summo es; et tanto utique major quanto altior. Ascendis autem cum diligis. Sursum pergis in charitate, quia charitas sursum ducit, sicut ait Apostolus: *Adhuc excellentiorem vobis viam demonstro* (*I Cor.* XI). Ascende ergo dum potes. D Modo tempus est crescendi et perficiendi. Postea cum consummabuntur omnia, stabis in eo ad quod perveneris, et erit hoc summum tuum in illo supra quod non transies amplius. Sed summum illius non erit in quo propterea consistas quasi non invenias amplius quo crescas. Idcirco ascende dum potes quantum potest, nunquam nimis potes ubi nunquam potes totum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, ut ex illo totum tuum impleatur, etiamsi a tuo totum illius non capiatur. Totum replet in te, et superabundat in se. Si vas non deficit, oleum sufficit. Cor tuum vas est, amor illius oleum est. Quandiu vas habes, ille oleum infundere non cessat, et postea cum tu amplius vas non habes, ille adhuc amplius oleum habet. Propterea noli parcere illi, cape quantum potes, dilige quantum sufficis, quia ille non deficit. Dilige ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua, id est ex toto itellectu tuo, et ex toto affectu tuo, et ex tota memoria tua, quantum intelligis, quantum sapis, quantum sufficis, tantum dilige. Totum cognitione impleatur, totum dilectione afficiatur, totum memoria teneatur. Quantum illuminaris, tantum afficiaris, ut totum dulce sit quidquid de illo in cognitionem et memoriam venit. Si totum recte probatur, cur non totum diligatur? Quantum ergo innotescere dignatur nobis totum diligatur a nobis. Totum quod capere possumus diligamus, et quantum possumus.

Cap. X. *De mensura diligendi proximum.*

De dilectione proximi dici nobis Scriptura: *Dilige proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII; *Levit.* XIX). Quod mandatum tunc profecto implemus, si veraciter id quod nobis cupimus bonum, etiam illi cupiamus. In quibus enim nosmetipsos recte diligimus, proximum nostrum sive ad necessitatem corporis sive ad animæ salutem, sine fictione diligere et quantum rationabiliter possumus adjuvare debemus. Quærunt autem aliqui si id quod dictum est, et sicut teipsum, secundum similitudinem tantum, an etiam secundum æqualitatem intelligendum sit. Nam si proximos nostros tantum diligere jubemur quantum nosmetipsos, videtur quoddam scrupulosum inde oriri quod non leviter explicare possumus. Ecce duo sunt quorum alterum perire necesse sit. Datur uni optio, quod velit eligat e duobus quorum alterum omnino evitari non possit. Si suam salutem magis eligit, minus proximum diligit. Si proximi salutem magis eligit: Deum minus diligit quam proximum a quo separari propter proximum vult. Sed forte dicat quis parem dilectionem facere non posse electionem. Utrumque æqualiter velle et utrumque æqualiter nolle, nec posse alterum alteri præferre in optione, quæ paria omnino constant in dilectione. Sic ergo forte quis hanc objectionem evitare contendat. Sed quid dicimus? Si unum aliquem hominem tantum diligere debeo quantum meipsum, nonne duos aut tres aut quatuor amplius diligere debeo quam meipsum? Sic vadunt quæstiones hominum, et inquietant homines semetipsos cogitationibus suis. Dicunt enim: Quod melius est amplius diligendum est; ponamus tres homines, unum hinc, duos inde. Dico quia perire necesse est aut unum istum, aut duos istos. Dic ergo tu mihi quid eligis, qui proximum tuum tanquam teipsum diligis? Melius est perire unum quam duos, quia melius est salvari duos quam unum. Ideo, inquis, magis eligo ut pereat unus et duo salventur. Ergo vis ut magis salventur duo illi, quam iste unus; nonne ergo magis diligis illud quod potius eligis? Ita inquis omnino, magis diligo. Vide ergo quid sequatur. Superius confessus es quod tantum diligis, vel si non diligis tantum diligere debes proximum tuum, quantum teipsum. Si ergo tantum diligis unum istum quantum teipsum, et rursum duos illos

plus diligis quam unum istum, plus utique duos illos diligis quam teipsum. Et si illos plus diligis quam teipsum, quantum videtur plus illos diligis quam Deum propter quos separari vis a Deo, ut Deum non habeas neque Deum diligas et pareas, ut illi salvi fiant. Et fortassis aliquis existimabit ejusmodi dilectionem habuisse Moysen, qui irascenti Deo pro salute proximorum se opponens, ait : *Si non* dimittis *eis hanc noxam, dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII). Et Apostolus *pro fratribus anathema esse* cupit *a Christo* (*Rom.* IX), ut illi salvi fiant in Christo. Et fortasse etiam hoc aliquis ad amorem Dei pertinere credat, ut eum tantum diligamus, in gloriam ejus in aliis potius amplificari quam in nobis coarctari cupiamus. Et propterea pro salute multorum nostram nobis perditionem optamdam, ut potius multi salventur et nos pereamus, quam multi pereant, et nos salvemur. Sed considerate quoniam dilectionis ordo talis non est, ut ante se diligat homo proximum suum cujus dilectionem a sua trahere et formare jubetur, cum dicitur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Si enim proximum suum sicut seipsum diligit, quomodo proximum diligit cum seipsum non diligit? Si enim proximum suum diligit sicut seipsum, profecto hoc illi cupit et optat quod sibi. Si autem hoc illi evenire desiderat quod sibi, quomodo illius salutem desiderat, qui sui perditionem optat? Itaque seipsum primum bene diligere debet, ut postea secundum se bene diligat et proximum suum. Si autem se perdere vult, ut salvum faciat proximum suum, non est ordinata dilectio, quia nullam commutationem dare potest homo pro anima sua. Hoc enim primum requirit a te Deus, ut animam tuam des illi, deinde cætera adjicias. Si quid pro isto dare volueris, non accipitur nisi dederis et istud. Primum istud, reliqua cum isto. Non itaque dico duos aut tres aut quatuor homines, sed nec totum mundum contra animam tuam diligere debes. Si enim aliquid plus quam animam tuam diligis, Idem ipsum profecto plus quam Deum deligere comprobaris; quia animam tuam non diligis nisi in eo solo quod bonum illius quod Deus est diligis. Idcirco primum dilige animam tuam, diligendo bonum animæ tuæ. Deinde dilige etiam proximum tuum sicut teipsum diligendo illi bonum quod diligis tibi. Hoc est enim illum diligere, bonum ilii diligere. Nam bonum illius diligere posses etiamsi illi non diligeres. Posses enim tibi diligere aut alteri cuilibet et non illi; et ita illum non diligeres, quamvis bonum diligeres, quia illi non diligeres. Posses diligere equum illius, vestimentum, domum et agrum, pecuniam, fortitudinem, pulchritudinem, aut sapientiam illius, quamvis illum non diligeres, quia tibi diligeres non illi. Ita bonum illius tibi diligere poteras, et tamen illum non diligere, quia tibi diligeres non illi. Tamen verum bonum non poteras tibi diligere, nisi illud diligeres et cuperes proximo tuo. Distinxit ergo Scriptura dilectionem istam secundum illam quæ in aliis et de aliis est dilectionem;

A primum præcipiens homini ut Deum diligat, intendens utique ut in eo ipso seipsum diligat, quia diligere seipsum non aliud est quam bonum suum diligere, et bonum suum diligere non est aliud quam sibi diligere; hoc est, velle illud et desiderare. Quia enim omnis qui bonum suum diligit, sibi diligit et rursum quia omnis qui Deum diligit bonum suum diligit, constat profecto quia nemo Deum diligit qui sibi illum non diligit. Et omnis qui diligit, sibi diligit; quia desiderat et habere cupit quem diligit. Item quia non omnis qui bonum alterius diligit, illum diligit cujus bonum diligit; quia non illi diligit bonum quod diligit. Distinxit Scriptura humanæ menti, secundum ea quæ in humanis divisa aliquoties inveniuntur, id quod divina inse-
B parabile habent, dicens homini, ut postquam diligeret Deum, diligeret et proximum suum, non quod illud sine isto facere posset; sed ne posse putaret. Primum ergo dixit ut Deum diligeret; et in eo ipso dixit ut sibi diligeret, quia omnis qui bonum suum diligit, sibi diligit. Quia vero non omnis qui bonum alterius diligit illi diligit cujus bonum diligit; post dilectionem Dei statim subjunxit dilectionem proximi, ut hic homo proximo suo cuperet diligendo illum, quod sibi diligendo Deum. Nemo igitur existimet pro eo quod dictum est : Dilige proximum tuum sicut teipsum, quemlibet unum hominem se diligere debere quantum se, et duos, aut tres, aut quatuor, plus quam se. Si enim tantum se diligit quantum bonum suum dili-
C git, et tantum bonum suum diligit, quantum diligit Deum, consequens erat ut tantum diligeret proximum quantum Deum, si eum tantum diligeret quantum seipsum. Propterea non illi dicitur ut illum tantum diligat, sed ut in eo in quo se diligit, illum diligat; et quod sibi cupit, illi cupiat. Hoc est enim diligere sicut seipsum, cupere illi et optare quod sibi optat, et cupit bonum, primum quidem sibi, deinde illi. Non enim amat illum sicut se, nisi prius amet se. Et in corporalibus quidem bonis quæ in tantum aliquando coarctantur, ut quod ab uno solo possidetur, ad alterius usum transire non possit, nisi ab eo a quo possidetur totum recesserit; si gratuita charitate et propter spiritualis boni amplorum remunerationem aut
D dilectionem homo se supra debitum non extollat, nihil proximo impendere cogitur, quod sine necessitate debetur. Nihil enim proximo debet nisi post illud et secundum illud quod sibi debet. Et idcirco cum utrumque non potest, primum faciat, quod primum faciendum est. De reliquo enim si deest effectus, sufficit affectus. Et fortassis propter hunc affectum ostendendum, Moyses de libro scripto deleri petiit, et Paulus pro fratribus anathema a Christo fieri concupivit, non quia Deum propter hominem perdere vellent; sed quia Deum, si fieri posset, sine proximo quem diligebant possidere vellent. Affectus enim loquebatur, et quasi de dilectione securus amato et amanti in dulcedine dilectionis de separatione comminabatur; non quia illius separationem diligebat, sed quia alterius conjunctionem optabat. In eo autem quod proximi bo-

num amat et proximo bonum amat, bonum suum amat et sibi amat, quia bonum sibi est bonum proximi sui; si amat illud, et cupit illud illi, quod bonum est illi. Verum enim bonum cum invidia non possidetur, et cum charitate felicius possidetur. Sed dicis : Quod majus bonum est, magis diligendum est : majus autem bonum est duos salvari quam unum : qua propter si optio data fuerit quod malim, ego eligere debeo ut multi salventur quam ego solus. Hic ergo non attendis quod majus bonum mihi est, ut salvus fiam ego solus et plures pereant, quam ut peream ego solus et multi salventur. Quod autem majus bonum mihi est, a me plus diligendum est, quia mihi primum insitum est ut diligam bonum meum, illud maxime, quod verum est bonum; et post illud et secundum illud diligam bonum proximi mei. Secundum me et post me, aliquid illi debeo, ante me vel contra me nihil. Alioquin non staret : Diliges proximum tuum sicut teipsum, si illum diligerem odio habens meipsum. Secundum hunc itaque modum nonnisi duo sunt præcepta charitatis. Primum de dilectione Dei, in quo homo veraciter diligit seipsum : secundum de dilectione promixi, in quo proximum diligit sicut seipsum.

Cap. XI. *Utrum charitas semel habita amittatur.*

Quidam de charitate tam multa dicere volunt, ut charitatem laudare incipiant contra veritatem; et non est tamen laus charitatis ubi est injuria veritatis. Dicunt charitatem talem ac tantam virtutem habere, ut sine illa reliquæ virtutes omnes quamvis aliquo modo secundum affectum naturæ ad bonum proclivem inesse possint, meritum tamen æternæ retributionis apud Deum habere non possint. Quod enim sine charitate fit, propter Deum non fit, et quod propter Deum non fit, Deus remunerare non habet si vult, etiamsi secundum aliquid bonum est illud quod fit. Naturæ enim bonum est non gratiæ; in natura, non supra naturam. Quod ergo ex natura sola bonum est in sola natura et meritum simul et præmium illius est. Itaque quod sine charitate in solo natura fit ad illud quod in Deo est supra naturam præmium non pertingit. Liquet ergo quod bonum operando summum bonum non meretur nisi is solum qui id quod facit bonum propter summum bonum operatur. Vis mereri Deum, fac quod facis propter Deum. Hoc ergo dicunt de charitate, quia virtus est virtutum omnium, et placent propter ipsam, quæ sine ipsa, etsi ad aliquid bona essent, ad summum tamen bonum obtinendum bona esse non possent. Hæc omnia de charitate dicta libenter suscipimus quasi principium bonum sententiæ veracis Sed sequitur aliud quod se quidem conjungit veritati cum falsum sit ipsum, ut cum illa ingrediatur et pro illa suscipiatur. Sed nos lucem discernimus a tenebris, et deridemus obscurum quod se lumini ingerit et stare se putat cum lumine. Si enim charitas lumen est, error vero et stultitia tenebræ sunt. Ubi enim charitas est, claritas est, et non est in ipsa qui palpando incedit. Qui enim in charitate est aut ambulat, aut videt, aut stat et non præsumit ultra quam videt. Quandiu vero in lumine est sive stet, sive ambulet, errare non potest, quia videt ubi est. Qui autem præsumptione sua se præcipitat, ubi non videt perdit claritatem, quia non habet charitatem, et quocunque ultra procedit, error totum est. Sic isti de charitate mentiuntur, nescientes charitatem, quia præsumere non debuerunt in eo quod videre non potuerunt. Dicunt quod charitas semel habita deinceps nunquam amplius amittatur. Ego igitur illos interrogo si ipsi charitatem nunquam perdiderunt, et utinam idcirco charitatem non perdissent quia habitam retinuissent. Sed vereor quod ideo potius non perdiderunt quia nunquam habuerunt. Si autem nunquam habuerunt neque gustaverunt, quomodo asserere præsumunt quod nesciunt? Si autem charitatem aliquando habuerunt, habent adhuc ipsam charitatem quam habuerunt, quia secundum sententiam ipsorum semel habitam amittere non potuerunt. Si autem habent charitatem, ambulant secundum charitatem, et non operantur iniquitatem. Si autem operantur iniquitatem, non habent charitatem. Si enim Deum non diligit qui mundum diligit, et in ea quæ in mundo sunt, quomodo non multo magis non Deum diligit quia iniquitatem diligit? *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x). Qui animam suam odit seipsum non diligit, vel si diligit, male diligit, quia secundum solam carnem diligit. Qui autem non diligit seipsum, non diligit proximum sicut seipsum. *Qui autem non diligit proximum quem videt, quomodo potest diligere Deum quem non videt?* (*I Joan.* IV). Isti ergo qui aliquando operantur iniquitatem dicant quomodo habeant charitatem. An forte dicent quia non ipsi operantur iniquitatem, sed peccatum quod habitat in eis? Nam et tales fuerunt nonnulli stulti et non intelligentes in quod homo est, qui putabant quædam peccata etiam cum deliberatione perpetrata ejusmodi esse, ut de ipsis homo veraciter dicere : posset Non ego operor, sed peccatum quod inhabitat in me ; non attendentes, quod hoc quidem quod homo concupiscentiam sentit, quia ex necessitate est vitæ coruptibilis, non ipse operatur, quod vero concupiscentiæ consentit; quia ex voluntate est, nonnisi ipse operatur. Si ergo per propriam voluntatem operantur iniquitatem, non habent utique charitatem. Et quid dicent? Conveniant conscientiam suam, et moderentur scientiam suam. Conscientia humilietur, ne scientia infletur. Non ergo de justitia præsumant, ne forte per ipsam falsæ justitiæ præsumptionem scientiam veritatis amittant. Dicunt quod qui semel charitatem habet, deinceps illam amittere non potest, hoc est dicere, qui bonus est, malus esse non potest. Quare ergo similiter non dicemus quod qui malus est, bonus esse non potest, si dicimus quod qui modo bonus est, malus esse non potest? Qui enim charitatem habet bonus est, et qui charitatem non habet bonus non est. Si ergo bonus qui habet non potest amittere, neque malus qui non habet potest acqui-

rere; quod si verum esse constiterit, nec stanti timendum est, nec sperandum jacenti. Nos in tempore sumus ubi incerta volvuntur omnia, et tu mihi de tempore æternitatem facis? Scriptura dicit quod *homo nunquam in eodem statu permanet* (*Job.* XIV). Et tu nescio unde contendis quod qui stat nunquam cadit? Quare ergo dictum est : *Qui stat videat ne cadat*? (*I Cor.* X.) Utinam verum esset si tamen justum esset si justum esset, ut in hac vita omnis qui bonus est, malus esse non posset. Sed nunc vita ista hoc non habere debet, in qua et mali exspectantur ut boni fiant, et boni probantur, si ad iniquitatem non declinant. Extra hanc vitam quidam mali sunt, qui boni esse non possunt; et boni quidam sunt qui similiter mali esse non possunt; quia illi per malitiam ligati sunt, isti per gratiam confirmati. Sed et in iis quoque necessitatem natura quæ ex seipsa mutabilis est nullatenus operatur, quia in aliis, ut dictum est, mutabilitatem naturæ non natura sed malitia in deterius coarctat. In aliis quoque eamdem naturæ mutabilitatem non natura, sed gratia in melius confirmat. Qui ergo illic mali sunt, boni esse non possunt. Similiter qui boni sunt, mali esse non possunt. Hoc enim æternitatis est et immutabilitatis, ut illic de alio in aliud transitus esse non possit. Hic autem quandiu mutabiliter vivitur, et bonus malus, et malus bonus esse potest. Et si forte aliquis ita bonus inveniatur qui semper bonus sit, idem ipse tamen qui bonus est, malus esse potest, quandiu ille qui malus est bonus esse potest. Uterque enim sub tempore vere vivit, et utriusque conditio una est in tempore. Sed dicis : Quid ergo sibi vult auctoritas quæ dicit : *Charitas nunquam excidit? (I Cor.* XIII.) Audi quid : Tu fortassis sic intelligebas, quod ex quo semel haberetur amplius non amitteretur. Noluit hoc dicere Scriptura, sed aliud quod tu quidem idcirco recte non intellexisti, quia ipsam Scripturam non bene inspexisti. Quid ergo? Quid dicit Scriptura illa? *Nunquid non manent tria hæc, fides, spes, charitas? (ibid.)*. Quid est nunc? Hoc est in hac vita, quandiu quod non videtur creditur, et speratur quod exspectatur, et desideratur quod amatur. Cum autem finem acceperit vita hæc et omnia facta fuerint manifesta, quid eri occultum quod credatur quando nihil erit quod manifeste non videatur? Quid etiam tunc poterit sperari futurum quando omnia præsentia erunt et nihil futurum erit? Dictum est *quia si vides non est fides (Rom.* VIII); et iterum : *quod videt quis quid sperat* (*ibid.*). Ergo illic non credes. Non dico quia infidelis eris, sed non credes quia scies. Similiter dico quod illic non sperabis, neque tamen dico, desperabis, sed ideo dico non sperabis, quia quod sperasti totum habens nihil futurum exspectabis. Nunquid similiter dico quod illic non amabis? Ergo quando adhuc non habuisti dilexisti et non amabis quando habebis? Absit! Imo multo magis tunc amabis quando quem amabis videbis, et quem videbis habebis. Non enim sic est amor iste, ut absens diligatur, et præsens fastidiatur. Ergo tunc etiam amabilis, et multo magis amabis, et remanebit charitas quando fides et spes amplius non erunt. Hoc igitur vult quod dictum est : Charitas nunquam excidit; quoniam hic habetur, et illic retinetur. Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Omnia enim hæc in vita tantum sunt, etiam ipsa scientia nostra quæ modo est, tunc non erit. Non quia tunc nulla erit, sed quia alia erit. Omnia igitur ista cum ipsa vita excidunt, quia non permanent postea quando videbitur qui creditur, et habebitur qui speratur. Charitas autem nunquam excidit, quantum hic est et illic erit, et non habebit finem unquam dilectio, sicut finem non habebit unquam inspectio. Sicut nunquam separabimur a contemplatione, sic nunquam evacuabimur a dilectione; sed semper videbimus et semper diligemus. Sic ergo charitas nunquam excidit quia semper manet. Non enim dixit a nullis excidit, sed nunquam excidit quia non in omnibus manet, et tamen semper manet in quibus manet. Nam si propterea non semper manet quia in omnibus manet, ergo nec fides aut spes hic manet, quia non in omnibus manet. Multi enim a fide et spe quæ in Deum est recesserunt, et fidem et spem ipsam quam habere cœperant deseruerunt; et excidit ab eis fides et spes etiam in hac vita. Nec tamen idcirco minus verum fuit quod dictum est : Nunc manent fides, spes et charitas tria hæc. Si ergo fides et spes quæ hic aliquando a quibusdam excidunt tamen hic manent, quia hic prorsus nunquam excidunt, quoniam in aliis manent; ergo similiter charitas quæ aliquando hic a quibusdam excidit, tamen manet semper; quia, quamvis a quodam exciderit, nunquam tamen prorsus excidit, quia in aliis semper manet. Neque enim idcirco perit, si in me perit, et mihi perit. Neque propterea destruitur, si a me evacuatur et in me destruitur, quoniam alteri manet quod mihi non manet.

Sed dicis iterum : Si ii qui mali sunt futuri et perituri charitatem aliquando habere possunt, quomodo charitas fons proprius nominatur, de quo non communicat alienus? Qui enim pereunt alieni sunt et non pertinent ad nos, neque ad id quod nostrum est. Si ergo alieni sunt, quomodo de illo quod nostrum est proprium communicare possunt? Mirum est. Si enim ii qui aliquando fuerunt alieni proximi facti sunt accedendo, quare non similiter ii qui proximi sunt alieni fieri possunt recedendo? Si enim accedere possunt qui longe sunt possunt, etiam recedere qui prope sunt. Qui accedunt reconciliantur, qui recedunt abalienantur. Si autem qui reconciliati sunt proximi sunt, ergo et qui abalienati sunt alieni sunt, tamen quandiu proximi fuerunt non fuerunt alieni, sicut ii qui alieni fuerunt priusquam reconciliarentur proximi non fuerunt. Et qui proximi fuerunt quandiu proximi fuerunt de fonte proprio communicaverunt. Et similiter qui alieni fuerunt, quandiu alieni fuerunt, de fonte proprio non communicaverunt. Cum autem ii qui alieni fue-

runt proximi esse cœperunt, de fonte proprio communicare cœperunt, et similiter qui proximi fuerunt postquam abalienari cœperunt, de fonte proprio communicare desierunt. Et remanet semper fons proprius de quo non communicat alienus. Alienus enim communicare non potest; et tamen qui alienus est proximus esse potest. Charitatem malus habere non potest, sed qui malus est bonus esse potest. Quando bonus esse incipit, charitatem habere incipit; et quando bonus esse desinit, charitatem habere desinit; et nunquam charitatem nisi bonus habere potest, quia charitatem habere et simul malus esse nemo potest.

Dicis interum : Si aliquando charitas semel habita amittitur, quid est quod dicit Scriptura : *Qui amicus est, semper diligit?* (*Prov.* XVII). Si enim qui diligit amicus est, et qui amicus est semper diligit; profecto qui diligit semper diligit; qui autem semper diligit; nunquam charitatem amittit. Si igitur vera est Scriptura et qui diligit semper diligit; qui semel charitatem habet, nunquam illam amittit. Sic tibi videtur : multa sunt talia quæ possunt quovis deduci, sed magnum non est si aliquid dicas, sed si hoc quod dicis, utrum sit sic dicendum intelligas. Qui amicus est semper diligit. Verum est hoc quia amicus semper diligit, et inimicus semper odit; et tamen qui amicus est inimicus potest esse et odire; et qui inimicus est, amicus potest esse, et diligere. Quandiu amicus est diligit; et quandiu inimicus est, odit. Sunt autem quidam non veri amici qui in prosperitate amare se simulant, et in adversitate probantur quales sunt; propter ejusmodi dictum est, quod verus amicus semper diligit, hoc est non in prosperitate tantum, sed etiam in adversitate, hoc est semper. Non enim est verus amicus etiam quando amicus esse videtur, qui secundum tempus nutat; et in utramque partem post fortunam movetur. Non talis est ille qui semper diligit, qui hominem amat non pecuniam, amicum non lucrum. Qui enim propter solam pecuniam amat, quandiu pecunia abundat, amat; quando pecunia deficit, dilectio deficit, et non est amicus jam qui amicus esse videbatur; imo qui prius amicus non fuit, sed putabatur, nunc manifeste amicus nec esse nec fuisse comprobatur. Illi ergo jure dicitur qui amicus est semper diligit. Si amicus fuisti in prosperitate : dilige in adversitate. Quid enim in prosperitate dilexeris, in adversitate ostendis. Si enim amicum dilexisti, adhuc ipse est, dilige ipsum. Cur cesset dilectio, cum quod amatur non aufertur. Si autem fortunam dilexisti, non habes jam quod diligas, quia fortuna discessit et permansit homo solus. Hoc sibi vult quod dictum est, qui amicus est semper diligit. Instas adhuc quasi majus aliquid adducturus ad comprobandum quod charitas semel habita non recedat.

Ostendis integram tunicam Christi, quæ scindi non potuit, etiam quando Christus pati potuit. Corpus Christi vulnerabatur, et tamen tunica Christi non scindebatur. Magnum est quod affers si bene intelligas. Quid est enim tunica Christi nisi Ecclesia Christi; et quid integritas tunicæ nisi unitas Ecclesiæ? *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (Psal.* CXXXII). Quod unum? *Manete in dilectione mea (Joan.* XV). Ergo charitas, unitas est Ecclesiæ. Et dicit Scriptura : Qui in unitate Ecclesiæ sunt, perire non possunt, hoc est quod dicere voluisti : Qui in charitate sunt, perire non possunt; sive charitatem, sive unitatem nomines idem est, quia unitas est charitas, et charitas unitas. Qui ergo in unitate Ecclesiæ sunt, semper in charitate sunt; et qui in charitate sunt perire omnino non possunt. Manifesta est veritas. Nemo fidelis contradicit. Nullus in charitate perire potest. Ibi perire non potest; sed inde exire et perire potest. Qui ibi manet, perditionem non timet. Caveat ipse ne egrediatur foras. Intus positis perditio non est, sicut iis qui foris sunt salus non est. Qui incipit exire incipit perire. Cum autem foris positus ad charitatem revertitur, ad salutem reparatur.

Quid amplius quæris? Fortassis aliam unitatem Ecclesiæ interpretari voles, de qua veraciter dicere possis, quod idcirco in illa nullus peribit, quoniam de illa nullus exibit. Est enim unitas prædestinationis de qua dicitur : *Novit Dominus qui sunt ejus (II Tim.* II). Et verum est quod omnes qui in hac unitate sunt, salvi erunt; quoniam ex iis qui prævisi sunt ad vitam, nullus peribit. Sicut enim dicit Scriptura : *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit hos et justificavit; et quos justificavit, hos et glorificavit (Rom.* VIII). Isti ergo sunt diligentes Deum quibus *omnia cooperantur in bonum qui secundum propositum vocati sunt sancti (ibid.).* Nam qui secundum propositum vocati non sunt, et qui ad vitam prædestinati non sunt, etsi aliquando ad tempus Deum diligant, usque ad finem in dilectione Dei non perseverant. Qui propter ea amissa charitate pereunt, quoniam cum ad iniquitatem ceciderint, ad charitatem non resurgunt. Prædestinati autem postquam Deum diligere cœperint, vel perseveranter diligunt, ut a dilectione non cadant, vel cum a dilectione ceciderint, iterum ad illam resurgunt, ne pereant. Quid tibi videtur? Credis ne ita esse ut dico? Fortassis non tibi sufficiet Apostolus qui hoc dicit, propterea non quod ita existimes intelligendum esse quod dicit Apostolus non omnes diligentes Deum in numero illorum ponere voluit, quibus omnia cooperantur in bonum, nisi eos tantum qui secundum propositum vocati sunt sancti. Manifesta est veritas, nisi illam impudenter negare volueris. Sed dices fortassis non ita intelligendum esse quod dicit Apostolus : Scimus quia Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Dicis ergo non ita intelligendum esse quasi per id quod subjunxit iis qui secundum propositum vocati sunt sancti, determinare voluerit; quibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sed potius eosdem ipsos diligentes Deum omnes secundum propositum vocatos sanctos. Sic ergo fortassis intelligenda putabis verba Apostoli, nec

mihi credes si dicere voluero, hoc tibi signatum esse quod non omnes prædestinati sunt, qui aliquando Deum diligunt, quia non permanent in eo quod diligunt. Verba Augustinus sunt hæc : Si mihi non credis, illi crede, ut mihi credas. Imo non mihi sed veritati credas. Audi ergo quod dicit Apostolus, inquit, cum dixisset : Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sciens nonnulos Deum diligere, et in eo bono usque ad finem non manere, mox addidit : his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Hi enim in eo quod diligunt Deum permanent usque in finem. Et qui ad tempus inde deviant revertuntur, usque in finem perducunt quod in bono esse cœperunt. Ecce habes manifeste quod quidam ad tempus charitatem habentes, quia in illa usque in finem non perseverant, cadunt et pereunt; et rursum quidam qui ab illa ad tempus cadunt, quia iterum resurgunt, conservantur et salvantur. Alii vero, quia ab illa nunquam deficiunt, usque in finem perseverant fervore semel captæ charitatis devotionem perducunt. Quid manifestius quæris? Si hoc non vides, quid vides? Sed dicis : Quomodo aliquando veram charitatem habere potuerunt, qui in ea perseveraturi non fuerunt? Mirum est. Ergo fides, fides non fuit, quæ aliquando fides esse desiit. Quare non similiter dicis quod nunquam albus fuit, qui aliquando albus esse cessavit? Nonne intelligis quod in eo ipso aliquando illud fuisse dicitur, qui aliquando esse illud desiisse memorantur? Quod enim quis nunquam fuit nunquam esse desiit. Quapropter qui aliquando amare desiit, constat profecto quod prius quam amare desineret, amavit. Sed verus, inquis, amor non fuit qui ad tempus fuit. Ergo nec verum odium fuit quod ad tempus fuit. Nec vere albus fuit, qui ad tempus albus fuit. Quis hoc dicat? Ergo vera dilectio fuit, et vere fuit quandiu fuit, etiamsi secundum aliquem modum vera non fuit, in eo quod desiit, quando jam vere non fuit. Si ergo dicis quod vera dilectio non fuit, quæ aliquando dilectio esse cessavit, sic intellige quod quando dilectio esse desiit, vera dilectio non fuit, quia in eo ipso quod nutabat et defecit ut dilectio non esset, esse cœpit, et accepit, ut quod prius fuit, jam vera dilectio non esset.

Cap. XII. *Utrum omnis dilectio Dei charitas sit nominanda.*

Fortassis dices quod quidam ejusmodi dicunt, quod ii qui non perseveraturi Deum diligunt, dilectionem quidem Dei habent, sed charitatem non habent ; pro eo quod non omnem dilectionem Dei charitatem appellandam putant, nisi eam solam quæ usque in finem perseverat. Sed hoc si quis dicere voluerit, qua ratione vel auctoritate probare possit non invenio. Nisi forte idcirco aliud dilectionem, aliud charitatem sonare putet, quia alterum latinum, alterum græcum vocabulum esse putet. Sacra Scriptura nobis dicit, quod dilectio charitas est, et quod dilectio Dei semper bona

A est. Non nobis dicit, quia illud diligit bene facit, et quia iste diligit' male facit. Augustinus dicit Apostolum scisse quosdam Deum diligere, et in bono usque in finem non permanere ; et bonam vocat dilectionem Dei, etiam in iis qui non sunt permansuri in illa;et isti nescio quot species charitatis invenerunt, more pigmentariorum in mundinis declamationum stultarum. Dicunt non de omni charitate intelligendum, quod dicitur charitas semel habita non amittitur, sed de perfecta tantum. Et si ego illos interrogo quæ sit illa perfecta charitas, non mihi respondent, nisi illa quæ non amittitur. Non enim audent dicere de illa ; sed de perfectione charitatis loqui quæ in futuro habebitur, ne superfluo de illa loqui **B** convincantur quæ ad hanc vitam non pertinet. Ergo non inveniunt quam charitatem hic perfectam dicant nisi illam quæ non amittitur. Et rursum cum assignare volunt quæ sit illa charitas quæ non ammittitur, non inveniunt quid dicant nisi illa quæ perfecta est. Ita circulum faciunt, involventes semetipsos, quia quo exeant non habent. Postremo tanta erroris caligine involvuntur, ut dum pertinaciter charitatem semel habitam contendunt non posse amitti, asserere incipiant eam a quibusdam non solum minora peccata, sed criminalia quoque et damnabilia ex deliberatione perpetrantibus retineri. David adulterum et homicidam, charitatem Dei habuisse dicunt, quando libidini serviens in uxorem proximi sui violan- **C** dam turpitudini frena relaxavit;et eamdem turpitudinem tegendam illum ipsum cujus torum fœde violaverat, innocentem et justum crudeli proditione exstinxit. Dicant mihi ubi tunc fuit charitas non agens peperam, ubi innocens opprimittur, non quærens quæ sua sunt, quando aliena rapiuntur. Ostendant mihi hic si possunt dilectionem quæ plenitudo legis est, ubi et præcepta legis violantur ; et jus naturæ corrumpitur. Lex dicit : *Non occides. Non mœchaberis. Non concupisces uxorum proximi tui*(*Rom.* XIII; *Exod.* XX ; *Deut.* V). Si charitas hic est, plenitudo legis hic est, si plenitudo legis est, quomodo prævaricatio esse potest? Si talia facientem charitatem habuisse dicunt; quare non etiam in hoc faciendo **D** nihil peccasse dicunt, quia Scriptura dicit : *Qui natus est ex Deo non peccat* (I *Joan.* V);et quia rursum alibi dicitur : « Habe charitatem et fac quidquid vis ? Si enim hoc verum est quod talia facientes charitatem retinere possunt, cum iis qui charitatem habent quidquid libet agere conceditur, perfecto quidquid egerint, peccatum non esse comprobatur. Eant ergo cum charitate sua et faciant quidquid voluerint ; quia magnos defensores habent alios quidem defendentes, quod charitatem non amittant, alios autem concedentes, ut quidquid volunt cum charitate faciant.

Sed dicunt : Si David peccando charitatem amisit, quomodo ergo verum est quod scriptum est de ipso quod *spiritus Domini recedebat a David ab eo die et deinceps*? (I *Reg.* XVI.) Si enim charitas recessit, quomodo spiritus Domini reman-

sit? Quasi vero spiritus Domini secundum multa alia remanere non potuerit, etiamsi secundum donum charitatis recesserit. Nonne et in illis sive cum illis remanet quos cadentes custodit ne pereant, quos tamen stantes non custodit ne cadant? *Justus cum ceciderit non collidetur ; quia Dominus supponit manum suam* (*Psal.* XXXVI). Quid ergo ? Si præsens erat Dominus stanti, quare lapsus est ! Et si præsens non erat cadendi, quare collisus non est? Si enim teneretur, non haberetur. Item si manus non supponeretur, collideretur. Propter hoc ergo collisus non est ; quia cecidit super manum. Si manus super eum cecidisset collisus fuisset : *Qui ceciderit*, inquit, *super lapidem istum confringetur, super quem autem ceciderit conteret eum* (*Matth.* XXI). Propter hoc ergo Dominus manum non jacendi superposuit, ut premeret ; sed supposuit, ut relevaret. Supposuit ut adjuvando repararet, non superposuit ut judicando condemnaret ; sic itaque spiritus Domini non recessit a David, quia cum eo erat, ut abeuntem reduceret, et pœnitentem justificaret et forte cum eo erat, sed in eo non erat. Cum eo erat ad custodiam, sed in eo non erat ad justitiam. Non enim tunc justus erat David quando in tam gravi peccato prostratus erat, neque ad eum tunc pertinuit quod scriptum est : *Justus in die septies cadit, et tamen justi nomen non amittit* (*Prov.* XXIV). Propter hoc igitur spiritus Dei etsi cum David tunc erat ut peccando non periret ; nullatenus tamen sic erat, ut damnabiliter non peccaret. Simile est quod de Petro asserere negante conantur, quod etiam tunc charitatem Dei non perdiderat, quando interrogatus Christum se cognovisse negavit. Non enim attendunt quod scriptum est : *Nemo in spiritu Dei loquens dicit : Anathema Jesu : et nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto (I Cor.* XII). Quod si forte dicere voluerint, quod spiritum Dei tunc quidem Petrus intus in corde habuit ; sed quod foris loquebatur in spiritu Dei non dixit; audiant quod scriptum est : *Ex abundantia cordis os loquitur* (*Matth.* I ; *Luc.* VI). Ille ergo spiritus foris in ore loquebatur, qui intus in corde dominabatur. Qui cor regebat, linguam movebat. Sed dicent forte : Spiritus quidem Dei recessit, sed charitas remansit. Considerate utrum veritas hoc dictum patiatur. Apostolus dicit : *Charitus Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V). Nos charitatem non habemus, nisi in quantum Spiritum sanctum habemus; et tu dicis: quod recedente et absente Spiritu sancto charitas manet? Et dicunt: Quid ergo ? Nulla scintilla pietatis, nulla affectio dilectionis in David et in Petro remansit, quando alter molestia carnalis concupiscentiæ victus, alter vero imminentis mortis timore fractus, quodammodo uterque invitus peccavit. Imo voluntarie uterque peccavit; quia si voluissent utrique non peccassent. Sed quia semet ipsos magis quam Deum dilexerunt, suam potius quam Dei voluntatem impleverunt. Caro aliud suadebat, et aliud

A Deus præcipiebat ; et elegerunt magis obbedire carni quam Creatori. Si voluissent, carnis voluntatem contempsissent, et voluntatem Creatoris præposuissent. Sed nundum magistrum bonum imitabantur dicentem: *Pater, non mea voluntas fiat, sed tua* (*Luc.* XXII). Et fieri potest quod ipsam carnis voluntatem, cujus violentiam senserunt, aut nullam aut non tam violentam esse voluerunt : tamen quod eidem tentanti et fatiganti consenserunt, non nisi volentes fecerunt, quia magis Creatorem offendere quam ipsam molestiam et fatigationem tolerare voluerunt ; quod si noluissent omnino non fecissent. Ergo in hoc volentes id quod caro voluit fecerunt, id quod Creator voluit, noluerunt ; quia si illud voluis-

B sent, ad istud faciendum voluntarie non consensissent. Cum enim e duobus quæ simul fieri non possunt unum voluntate eligitur, procul dubio alterum in voluntate non esse comprobatur. In ea ergo voluntate qua contra Deum carni consentire elegerunt, charitatem utique Dei nullatenus habuerunt, quamvis tamen in eo ipso quod magnam in tentatione violentiam passi sunt aliquam in peccato suo excusationem habere possunt. De affectu vero pietatis quem hujusmodi peccantes nonnunquam habere quando simul et peccare consentiunt, et tamen quodammodo in peccato quod non deserunt, dolere quodam affici non desistunt ; cavendum tamen est omnino ne charitatis sive dilectionis Dei nomine dignus existime-

C tur. Si enim in iis qui ab iniquitate ad justitiam convertuntur, affectus quidam et dilectiones præteritornm malorum remanent ; qui tamen in bono proposito constitutis ad iniquitatem non imputantur ; quare non similiter in iis qui ad iniquitatem declinaverunt ex usu præteritæ virtutis etiam in malo proposito affectiones quædam amissi sive corrupti boni aliquando super esse dicantur, quæ quidem sine proposito bonæ voluntatis ex usu sive ex natura inesse possunt ; sed sine ipso meritum justitiæ habere non possunt. Unum enim hoc est propositum scilicet voluntatis sive consensus animi ex voluntate surgens cui soli judicium est cum Deo, et hoc solum si bonum est non est ad malum quidquid in ho-

D mine est sive bonum sit sive malum; item si malum est, non est ad bonum quidquid reliquum est, sive bonum sive malum. Ad hunc ergo oculum ex quo solo totum corpus lucet respicere debuerunt, qui in affectionibus nescio qualibus quas et incredulis et iniquis aliquoties sive ex natura sive ex usu inesse videmus, meritum hominis constitunt. Poterant his satis superstitiosæ questiones finem accipere, si tamen finem accipere poterant. Nunc autem quærunt, et semper quærunt, et nunquam inveniunt. Interrogant utrum David et Petrus damnari debuissent, si ante pœnitentiam in peccatis sui mortui fuissent. Quæ quæstio quali responsione digna sit utinam videre possent! Quare enim perire non debuissent si in peccatis suis mortui fuissent ? Sed perire, inquiunt, non potuerunt quoniam ad vitam prædestinati fuerunt.

Quare ego similiter non peccare non potuerunt, quoniam peccaturi præsciti fuerunt? Si enim prædestinatio impediri non potest, nec præscientia falli non potest. Si autem præscientia peccandi non infert necessitatem, nec prædestinatio damnationis tollit possibilitatem. Vis adhuc audire quid dicat Augustinus; quia mihi non credis, audi qui sunt qui diligunt, et qui sunt qui perseveraturi sunt; et quæ sit unitas dilectionis, et quæ sit unitas prædestinationis. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII); propositum autem non suum sed Dei. Qui etiam prædestinati atque præsciti sunt. Usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant et etiam exorbitant, hoc ipsum eis faciat proficere in bonum; quia humiliores redeunt atque doctiores. Horum si quisquam perit, fallitur Deus; et vitio humano vincitur. Sed nemo eorum perit, quia nulla re Deus vincitur aut fallitur. Isti signati sunt ad Timotheum ubi cum dictum fuisset Hymeneum et Philetum fidem quorumdam subvertere, mox additum est: *Firmum autem fundamentum Dei stat habens signaculum hoc; scivit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II). Horum fides quæ per dilectionem operatur profecto aut omnino non deficit; aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur; et deleta quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide Christiana et conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; procul dubio neque illo tempore quo bene pieque vixerunt in istorum numero sunt computandi. Non enim sunt a massa illa perditionis præscientia Dei et prædestinatione discreti; et ideo nec secundum propositum vocati ac per hoc nec electi sed in eis vocati de quibus dictum est: *Multi vocati;* non in eis de quibus dictum est: *Pauci vero electi* (*Matth.* XX). Et tamen quis eos neget electos cum credunt et baptizantur, et secundum Deum vivunt? Plane dicuntur electi a nescientibus quid futuri sint; non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quæ ad beatam vitam

A perducit electos. Scitque illas ita stare ut præscierit esse casuros.

Hic si a me quæratur cur eis Deus perseverantiam non dederit; qui eam qua christiane viverent dilectionem dedit; me ignorare respondeo. Respondeant et ipsi si possunt, cur illos Deus cum fideliter et pie viverent non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum? Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversisime atque insanissime dicitur. De hujusmodi ait Joannes: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (*I Joan.* II). Et

B quid aliud dicit, nisi non erant filii etiam quando erant in professione et nomine filiorum? Non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt. Neque enim ait: Nam si fuissent ex nobis, veram non fictam justitiam tenuissent utique nobiscum. Sed si fuissent, inquit, ex nobis, permanisssent utique nobiscum. In bono utique erat; sed quia in eo non permanserunt, id est usque in finem non perseveraverunt: non erant, inquit, ex nobis, etiam quando erant nobiscum. Hoc est non erant ex numero filiorum, etiam quando erant in fide filiorum; quoniam qui vere filii sunt præsciti et prædestinati et secundum propositum vocati sunt, ut sint electi. Non enim periit filius promissionis, sed perditionis. Ac per

C hoc nullus prædestinatorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus et ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam. De quibus ait Joannes: Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo non peccat. David graviter peccavit, sed quia natus ex Deo ad societatem filiorum Dei pertinebat, non peccavit usque ad mortem, sed veniam pœnitendo meruit. De hoc siquidem peccato ad mortem, ante meminit idem Joannes his verbis: *Est peccatum ad mortem* (*I Joan.* V). Et statim subjuxit: Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo non peccat.

PARS QUARTA DECIMA.

DE CONFESSIONE ET PŒNITENTIA ET REMISSIONE PECCATORUM.

CAP. I. *De confessione et præcepto ejus.*

Muta est malitia hominis. Nemo quando male agere vult auctoritatem quærit, quando autem dicimus ominibus ut faciant bona, et ut confiteantur mala quæ fecerunt, dicunt nobis: Date auctoritatem. Quæ Scriptura hoc præcipit ut Sconfiteamur peccata nostra. Si ergo Scriptura peccata confiteri non præcipit, respondete modo si Scripturam habetis quæ peccata jubeat tacere. Si

D ergo confiteri non vultis, quia auctoritatem confitendi non habetis, quare tacere vultis cum auctoritatem tacendi non habeatis? Tamen quia auctoritatem quæritis, accipite auctoritatem. Antiqua lex peccata confiteri jubet, et homines ad sacerdotes mittit ut confiteantur peccata sua, ut indulgentiam accipiant. Illic ergo prævaricatio legis confessione et oblatione aboletur, quando adhuc umbra fuit, et adhuc confessio criminis pœnam potius timere debuit, quam misericor-

diam exspectare. Si hæc auctoritas non sufficit, audite Scripturam alibi manifeste dicentem : *Qui abscondit scelera sua non justificabitur* (*Prov.* XXVIII). Quid enim est abscondere nisi tacere, et confiteri nolle? Nam qui scelera sua per impudentiam prave agendi manifestant, non justificationem merentur sed damnationem. Igitur tegenda sunt mala quantum pertinet ad impudentiam pravi operis, et revelanda sunt per humilitatem confessionis. Vultis adhuc scire periculum taciturnitatis et utilitatem confessionis ? *Quoniam tacui* inquit Psalmista , *inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die* (*Psal.* XXXI). Et iterum : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino,et tu remisisti impietatem peccati mei*(*ibid*) Vide ergo et considera si taces peccata tua, inveterantur ; si confiteris,condonantur. Si dicis : Ecce dico peccatum meum, sed Deo, non homini, Scripturam sequor. Illa mihi dicit : Ut Deo contear peccatum meum, non me ad hominem mittit in quo salus non est, sed illuc trahit confessionem, unde promittit remissionem. Dixi : Confiteor, etc. Quid facit homo ? Audi quid facit. Nonne ille homo fuit, qui dixit : *Fili, remittuntur tibi peccata tua?* (*Matth.* XIX ; *Marc.* II),et verum est, quod ille homo fuit qui dixit hoc. Propterea qui illum hominem esse viderunt ; Deum autem non cognoverunt, murmuraverunt inter se, dicentes. *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* (*Luc.* VII.) Sciebant enim quod peccata dimittere Dei erat, sed nesciebant quia quod Dei erat, homo a Deo acceperat, et ille quidem homo quod habebat inquantum homo erat, ideo habebat quia acceperat. Inquantum vero Deus erat, hoc idem ipsum habebat, et non acceperat. Propterea autem voluit accipere aliquando in humanitate, quod semper habuit in divinitate, uti vicino homini appropinquaret in eo quod hominis erat. Et in eo ipso quod hominis erat homini exhiberet quod Dei erat.In eo namque quod hominis erat,familiarius homini jungebatur. In eo vero quod Dei erat potentius in homine operabatur. Propterea : *Ut sciatis*, inquit,*quia Filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico* : *Surge et ambula* (*Matth.* XIX). Ostendit quod videre poterant, ut per hoc crederent quod videre non poterant.Propter hoc ergo Deus factus est homo, ut se ad confabulandum homini proximum et familiarem exhiberet, ut in una eademque persona et suum genus homo inveniret, cui fiducialiter infirmitatem suam revelaret, et supra hominem Deum credens de accepta ab illo remissione peccatorum suorum non diffideret. Deinde ut dispensationis gratia largius multiplicaretur. Deus homo homines qui puri homines erant participes fecit potestatis suæ ut officium ejus implerent pœnitentium confessionem suscipiendo,et potestatem ejus exercerent,pœnitentibus et confitentibus peccata remittendo. *Accipite*,inquit,*Spiritum sanctum. Quo-*

A *rum remiseritis peccata remittuntur eis ; et quorum retinueritis retenta erunt* (*Joan.*XX). Ergo Christus homo discipulis suis vicem ejus genatibus in terra potestatem dedit dimittendi peccata.

Sed dicis fortassis : Quare non similiter Christus præceptum dedit hominibus peccata sua confitendi, sicut discipulis potestatem dedit confitentium peccata dimittendi.Audi quare voluit Christus ut a temetipso surgeret, ut non quasi extorta vel coacta videretur confessio tua. Idcirco quod ad se pertinuit officium suum discipulis suis peragendum injunxit,ut medicorum more ægros ad se venientes exciperent et sanarent. Medicis ergo dixit ut curarent, sed infirmis non dixit ut ad B medicos curandi venirent. Hoc quasi certum esse voluit, quod ægri libenter salutem quærerent, et se curandos offerrent,si medicos invenirent.Propterea solos medicos admonuit ; infirmum enim ipse morbus suus sufficienter admonet, neque opus præcepto habet si dolet, Tamen ipsi medici postea quia negligentes in curatione sua ægrotos invenerunt, eos ad salutem quærendam, et admonitione sua excitaverunt,et precepto attraxerunt. *Confitemini*, inquit apostolus Jacobus, *alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini.* (*Jac.* V). Quid est alterutrum, alter alteri, homo homini ? Non solum homo Deo,sicut verus ille confessor ait : Dixi, confiteor, etc., sed homini propter Deum. Plus enim facit qui servo C humiliatur propter Dominum, quam qui ipsi Domino humiliatur. Propterea : Confitemini alterutrum peccata vestra. Quid est alterutrum ? Non tantum unusquisque unicuique, sed alterutrum hoc est inter vos, homines hominibus, oves pastoribus, subjecti prælatis. Ii qui peccata habent, iis qui peccata dimittere potestatem habent.Debitum quidem erat ut confessionem facturi ad illum iretis qui est super vos ; nunc autem pro indulgentiæ dispensatione conceditur ut peccata vestra adinvicem vobis confiteamini inter vos.Ille quidem qui solus confessionem acciperet, confessionem non faceret quia pecccata non haberet, hi autem qui confessionem peccatorum accipiunt, et confitentibus peccata sua D dimittunt necesse habent, ut et ipsi peccata sua confiteantur,ut pœnitentibus et confitentibus peccata sua dimittantur. Propterea ergo : Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem. Ad quid ? Ut salvemini. Confitemini ut salvemini.Quid est confitemini ut salvemini ? Hoc est non salvamini, nisi confiteamini. Hoc fortassis tu audire noluisti, quia latebras quæris et abscondis scelera tua ut non justificeris. Non tibi placet quod dicitur, quod ii qui confiteri nolunt peccata sua salvari non possunt ; propterea fortassis conaris ad aliud dictum Apostoli intorquere, ut intelligatur confitentibus quidem promisisse salvationem, tamen non confitentibus non negasse justificationem. Audi ergo. Augustinus dicit : Non potest quis justificari a peccato, nisi confessus fuerit ante peccatum. Item Beda in eamdem

epistolam Jacobi de qua superius testimonium sumpsimus. Sine confessione, inquit, nequeunt dimitti peccata. Sed in hoc illa discretio esse debet, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, ut orationibus invicem salvemur. Porro gravioris lepræ immunditiam sacerdoti pandamus, et ad ejus arbitrium justificari curemus. Videte quomodo concordant testimonia veritatis. Est quædam communis in Ecclesia pœnitentia, quam quotidie adinvicem facimus; in qua oratione fusa pro invicem, pro quotidianis et levioribus peccatis indulgentiam et remissionem consequimur. Gravioris autem culpæ reatum singulari confessione sacerdoti aperimus; et secundum ejus consilium munere satisfactionis oblato, indulgentiam peccati obtinemus.

Sed dicis : Si salvari non potest homo nisi confiteatur peccata sua ; quid est quod scriptum invenitur : Lacrymæ lavant delictum, quod ore pudor est confiteri. Inveniuntur enim quædam ejusmodi dicta et rapiunt ea homines gaudentes ; non quia veritatem quærunt in eis, sed quia malitiam suam defendere volunt ex eis. Dicunt enim : Quid nos confringitis, quid nos arctatis ? Pudenda sunt facta nostra ; non nos permittit verecundia eloqui, erubescimus, confiteri quod fecimus, quod possumus tamen facimus, cor contritum et humiliatum offerimus, dolemus pro eo quod male egimus, lacrymas fundimus, carnis maceratione reatum punimus. Quid verba quæritis, ubi bona opera sunt ? Habemus Scripturam consolantem nos, et dicentem : Lacrymæ lavant delictum quod ore pudor est confiteri. Non malitiam excusamus, sed verecundiæ parcimus. Quod ergo homini dicere erubescimus Deo dicimus, qui non improperat. Ejusmodi ergo occasionibus quærunt homines excusationem torpori suo, et pervertere conantur Scripturas quia perversi sunt ipsi. Quid enim ? Si Scriptura dicit : Lacrymæ lavant delictum, quod ore pudor est confiteri, nunquid ideo dixit : Si erubescis confiteri, peccatum tuum tibi sufficiat si tantum lacrymeris etiam si non confitearis ? Nonne multo melius est, ut Scripturam hoc potius dicere voluisse intelligas, quod lacrymæ ex intima cordis contritione prolatæ illa etiam peccata lavare possunt quæ sine pudore et verecundia proferri non possunt ? Quid ergo ? Si pudenda peccata lacrymæ lavant, ibi tacendum est, ubi divinum auxilium magis necessarium est ? Imo multo magis ibi confitendum est, ut humilitas confessionis adjuvet lacrymas contritionis. Similiter cum tibi dicitur : Si homini erubescis dicere peccatum tuum, ut dicas Deo, qui non improperat, non tibi dicitur : si erubescis dicere homini ut homini non dicas, sed Deo. Sed mansuetudo Dei tibi demonstratur qui tam mitis et suavis est omnibus ad se confugientibus ut ab ipso improperium aliquod te non oporteat formidare, etsi, talia fuerint peccata tua ut ea te homini manifestare sine erubescentia non posse contingat. In eo enim de qua erubescis cum homini dicis, erubescere te Deo non oportet cum Deo dicis ; quia non improperat dicenti, sed condonat confitenti. Dic ergo homini ut salubriter confundaris ad tempus coram eo, ut ista confusio gloriam tibi postmodum adducat, et fiduciam præstet ne improperium timeas cum manifestari cœperis coram Deo ; tamen ne forte tibi diceret cogitatio tua, si tam grave est homini revelare peccata ; et si ita erubescimus coram homine, quid faciemus ante Deum, cujus majestatem declinare non possumus, neque judicium effugere ; ne igitur temetipsum desperares sic de Deo cogitando, ostenditur tibi mansuetudo Dei erga pœnitentes et confitentes, quod peccata omnia pœnitentibus condonat et confitentibus non improperat. Sic ergo accipe quod dictum est. Dic Deo, qui non improperat, quasi diceret etiam si erubescis coram homine ne erubescas coram Deo, quoniam Deus mitior est homine ; et mansuetior et compatiens miseris ut non improperet. Secundum hunc itaque modum non tibi dicitur ut peccata tua homini non dicas ; sed ut in iis etiam quæ coram homine erubescenda sunt de Dei pietate confidas. Opponis adhuc lacrymas illas Petri, quas legis confessionem non legis. Lacrymæ lavant delictum quod ore pudor est confiteri. Has igitur lacrymas opponis non quia amas compunctionem ; sed quia fugis confessionem. Dicis ergo quia lacrymas Petri legis, satisfactionem non legis. Audisti quia fleverit, sed quid dixerit non audisti. Ideo lacrymæ lavant delictum quod ore pudor est confiteri. Quid ergo? Hoc tibi dici putas, ut quia Petrus lacrymatus legitur, confessus non legitur tu si lacrymeris non confitearis. Nonno multo melius est ut illud potius hic demonstrari intelligas, quod si illic tantum lacrymæ valuerunt ubi confessionem oris non habuerunt, quanto magis si veræ fuerint, nunc valent ubi cum cordis contritione etiam oris confessionem habent ? Hoc enim tibi demonstratur cum subditur : Prius flendum est, postea confitendum. Hoc siquidem ad veritatem confessionem spectat ut prius compungaris, postea confitearis. Nam sunt quidem sicut impudentes ad faciendum sic inverecundi ad dicendum ; qui, quoniam turpitudinem suam in faciendo non vident, verecundiam in dicendo non habent, quibus utique per prophetam dicitur : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, nescivisti erubescere* (*Jer.* III). Isti nonnunquam sine aliquo compunctionis motu, sine aliquo timoris vel amoris Dei attractu, pro sola consuetudine explenda ad dicenda peccata sua se ingerunt, existimantes se propter solam verborum prolationem a debito peccatorum suorum absolvi, quibus recte dicitur : Prius flendum est, post confitendum. In confessione namque peccatorum hominem et verecundari oportet ut humiliter quod fecit cognoscat, et tamen non sic verecundari, ut taceat. Hoc bene novit peccatrix illa quæ etiam venit ut peccata sua se abscondere nolle ostenderet et tamen non ante, sed retro stetit, ut verecundiam turpitudinis suæ se attendere demonstraret. Propter hoc recte dicitur prius flendum, post confitendum.

CAP. II. *De pœnitentia et fructu pœnitentiæ.*

Pœnitentia alia est interior, alia exterior. Pœni-

tentia exterior est in afflictione carnis. Pœnitentia A interior est in contritione cordis. Per pœnitentiam exteriorem castigatur culpa parvi operis. Per pœnitentiam interiorem emendatur culpa pravæ voluntatis. Secundum quantitatem delicti, mensura correctionis pensanda est. *Agite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ* (*Matt.* III ; *Luc.* III). Aliud est enim fructus pœnitentiæ, aliud ipsa pœnitentia. Sicut aliud est arbor, et aliud fructus ejus : sic aliud est pœnitentia, aliud fructus ejus. Pœnitentia est dolor commissi præteriti, quando doles te fecisse quod malum est. Quando ergo improbas et damnas mala tua, pœnitentiam habes, quando autem, satisfactione sequente, et punis et corrigis mala tua, fructus pœnitentiæ habes. Si displicet tibi quod fecisti, pœnitentiam B agis. Si persequeris et punis quod fecisti, fructus pœnitentiæ facis. Pœnitentia est facti improbatio; fructus pœnitentiæ delicti correctio. Sed quia secundum mensuram delicti correctionis mensura pensanda est, ideo fructus pœnitentiæ dignos facere oportet. Si in correctione minor est afflictio quam in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentiæ tuæ fructus. Sed dicis mihi: Quomodo scire possum quando condigna sit pœnitentia mea ? Quia hoc scire non potes, ideo necesse habes semper pœnitere. Satisfacere potes, nimis facere non potes. Melius est ut plus facias quam minus. Idcirco sollicitus esto, satage, da operam, studium impende, ut culpa sit cum fine, devotio sine fine. Tamen ut aliquando peccatrix conscien- C tia consoletur, positus est modus et mensura pœnitentiæ exterioris, ut, illa expleta vel perfecta, fiduciam habere incipias, et sancta quadam præsumptione in spe misericordiæ divinæ de indulgentia et remissione peccatorum confidere, et tanto verius quanto utique sincerius injunctam pœnitentiam expleveris.

CAP. III. *De iis qui in hac vita pœnitentiam non complent.*

Sed fortassis tacita tibi cogitatione respondeas: Quomodo, inquis, certus esse possum de venia propter pœnitentiam et satisfactionem ab homine injunctam, etiamsi illam studiose complevero, cum ipse homo cui peccata mea confiteor sæpe aut ignorantia nesciat, aut negligentia non considerat D qualem mihi secundum modum et mensuram delicti debeat satisfactionem injungere ? Ad hoc tibi breviter respondeo : Quia si homo nescit, Deus scit. Tu tamen fac quod tibi præcipitur. Obediens esto in eo quod tibi jubetur. Videat Deus devotionem tuam etiam si homo non condigne moderetur afflictionem tuam. Perire non poteris si devotus inventus fueris. Sed decipior, inquis, putans me satisfecisse cum satis non fecerim. Ille mihi injunxit ut tantum facerem et non amplius mihi præcepit. Ecce totum feci et non satisfeci. Vado quasi securus ad Deum, putans me satisfecisse illi cum adhuc teneor obligatus, quia satis non fecerim. Quare ergo, inquis, factum est ut talem sacerdotem non habeam qui mihi dicat hoc quod oportet ? Audi quare. Propter peccata tua factum est hoc quibus meruisti ut malum haberes, quibus si districte judicareris et hoc merueras ut nullum haberes : *Qui*, inquit Scriptura, *regnare faciet hominem hypocritam propter peccata populi* (*Job.* XXXIV). *Et ego*, ait, *adhærescere faciam linguam tuam palato tuo, nec eris quasi vir objurgans quia domus exasperans est* (*Ezech.* III). Nam ut scias quod malitia tua hoc fecit : vide ubi erat devotio tua. Si enim perfectam devotionem habuisses etiam nullo admonente cessare tamen potuisses. Nunc autem pigritia tua et negligentia tua occasionem temporis quæsivit, non correctionem. Et vidit hoc Deus et dedit tibi secundum cor tuum, ut non invenires quod non quærebas accipere. Nec tamen dico quod desperes ; hoc etiam si contingat ut homo qui exterius curandis vulneribus peccatorum medicamentum apponit aliquid minus sufficiens tribuant. Sæpe quod minus foris agitur, efficacius intus operatur. In parvo opere magna devotio potest esse. Homo videt in facie ; Deus *autem intuetur cor* (*I Reg.* XVI). Et ut minus dicam, magnum est si in hac vita incipere possis etiam si non perficias. Nam et post mortem ignis quidam purgatorius dicitur ubi purgantur et mundantur, qui hic corrigi cœperunt et non perfecerunt. Qui autem in hac vita nec incipere voluerunt, ibi consummare non possunt. Quibus autem hic correctionem suam incipere datur ; etiam si perficere non datur ; illic correctionis perfectio reservatur. Tamen tutius omnino est ut hic et incipere et perficere contendas, ut illic tibi nihil patiendum vel faciendum supersit ; durum est tormenta illa, vel ad modicum sentire. Propterea tutius omnino tibi est ut hic et incipias et perficias quod facere debes, quod si perficere hic non poteris, si tamen inchoaveris, noli desperare, salvus eris, *sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* III). Ardebis quidem, donec consumptum fuerit quod cremabile portas. Tu autem salvus eris quoniam in te fundamentum permansit charitatis Dei.

CAP. IV. *Utrum iterari possit pœnitentia.*

Sunt qui dicant relapsis in pristina peccata locum veniæ amplius non esse ; propterea quod quædam Scripturarum testimonia iis qui post acceptam pœnitentiam ad priora peccata redeunt, aditum salutis negare videntur. Et sunt quidem ejusmodi quædam dicta in quibus non hoc quidem dictum est, sed a non bene intelligentibus hoc dictum esse videtur. Apostolus Paulus in illa Epistola quam ad Hebræos scripsit, sic ait : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes* (*Hebr.* X). Et rursum : *Voluntarie enim peccantibus, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia* (*Hebr.* X). Et iterum scriptum alibi invenitur. Quia locus

non est secundæ pœnitentiæ. Sed, sive hæc sive alia, talia scripta vel dicta catholicorum virorum super hoc inveniantur, nulla ratione existimandum est eos qui recte sapuerunt hoc astruere voluisse quod in qualiacunque peccata prolapsi, vel pœnitere non possent, si per divinam misericordiam respicerentur, aut veniam consequi non valerent, si per veram pœnitentiam compungerentur. Hoc enim fides catholica omnino non recipit, quia qui dixit : *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies* (*Matt.* XVIII) ; se nec secundam, nec tertiam, nec quotamlibet peccatoris pœnitentiam veram duntaxat refutare significavit. Quod ergo dictum est impossibile esse eos qui post illuminationem gratiæ et gustum doni cœlestis et participationem Spiritus sancti, prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, vel sic intelligendum est, quod per se cadere potuerunt sed per se surgere non possunt, atque ideo illis impossibile esse Deo non esse. Sicut scriptum est: *Spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII). De via perditionis dictum est, quod omnes qui ingrediuntur per eam amplius non revertentur, quia homo per se quidem ad malum ire potest, per se redire non potest, nisi per gratiam adjuvetur ; et adjutus sic ad pœnitentiam renovetur. Vel sic ergo intelligendum est quod scriptum est. Impossibile esse prolapsos ad pœnitentiam renovari, vel propheticum illud quod dictum est : *Virgo Israel cecidit, non adjiciet ut resurgat virgo Israel* (*Amos.* V) (in quo similiter quidam a recta intelligentia erraverunt) his verbis expressum convenienter quis dicat.

Nam quia sanctus Hieronymus super hunc locum quædam verba ambigua exposuit, quidam qui ex Scripturis libentius materiam erroris quam ædificationis assumunt ; lapsos reparari non posse conantur astruere. Ait enim : Quod cum Deus omnia possit, de corrupta virginem facere non potest. Ipse viderit quid dicere voluerit ; ego a puritate christianæ fidei non discedo. Veritas una est, Apostolum dicentem audio : *Si aliud angelus evangelizaverit anathema sit* (*Gal.* I). Ego tamen sic sentio quia aliquid dicere voluit, etiam si ego nesciam quid dicere voluit. Sic tamen pium est mihi sentire quod verum dixit, etiam si forte competentius vel evidentius dixisse potuisset quod dixit. Ego dictum catholici viri ad catholicam veritatem interpretari conabor. Tamen si de corruptione carnis intelligitur hoc, stultum est sic sentire, quod homo carnem suam vitiare possit, Deus sanare non possit. Si de corruptione cordis hoc intelligitur, et hoc similiter stultum est dicere; quia homo peccare possit, Deus justificare non possit, et tantum justificare ; quantum ille peccare. Si autem idcirco illud non posse dicitur Deus ; quia factum est, et quod factum est, non factum esse non potest ; quia quod verum est, falsum esse non potest, et idcirco non potest, quia contra veritatem non potest, quia si contra veritatem posset, contra seipsum posset, qui veritas est. Quod pondus habet hoc dictum magis quam si diceretur

A de alio quolibet, quod factum est, jam non esse factum non potest, etiam si quod factum est, emendari potest, ut factum esse non noceat quod factum est ? Certum est quia qui cadit resurgere potest, et non solum resurgere sed etiam melior resurgere quam fuit, cum cecidit. Multi ceciderunt et meliores surrexerunt quam fuerunt antequam ceciderunt ; meliores etiam quam futuri fuissent si non cecidissent, quia ad hoc ipsum cadere permissi sunt, ut ex ipso casu suo et ruina erudirentur, et meliores efficerentur. Nemo tamen melior post casum surrexit, vel surgere potuit, quam fuisset etsi non cecidisset, et hæc quæ modo resurgendo bona operatus est, omnia stando operatus fuisset. In hoc secundum aliquid dici potest, quod

B omnis qui cadit id quod cadendo perdit amplius totum recuperare non potest, quia quidquid post ea ad correctionem vel ad recuperationem adjecerit, facere omnino non potest, quin melior fuisset, si hæc omnia haberet, et tamen non cecidisset. Propterea nemo in spe correctionis peccare debet, quia quod semel amittitur, amplius ipsum non recuperatur, quia quidquid adjectum postea fuerit pro reparatione perditi non est ipsum ; sed aliud pro ipso, et plus utique esset si utrumque simul esset. Quod idcirco fieri non potest, quia sicut tempora transacta amplius non redeunt, ita quæ semel perpetrata fuerint amplius non facta esse non possunt. Si igitur virgo es, custodi diligenter quod habes. Noli in spe peccare, noli ca-

C dere, quasi melior surrectura sis. Quidquid postea feceris facere tamen non potes, quin melior esses si hoc faceres et virgo esses. Sic itaque fortasse secundum hunc modum convenienter intelligitur, quod virgo Israel cecidit et non adjiciet, ut resurgat virgo Israel. Et quod ubi mille erant, centum erunt, et ubi centum, decem in domo Israel. Si in hunc modum lapsos ad pœnitentiam renovari non posse, dicimus, nihil inconveniens fortassis dicimus, neque pœnitentibus viam indulgentiæ claudimus, sed periculum cadendi demonstramus. Si enim magnum est aliquando surgere, majus utique est, nunquam cecidisse. Si bonum est sanatum esse, melius est nunquam corruptum fuisse. Est adhuc alius sensus quem in supradicta sententia

D eadem veritate intelligere possumus, utrum æquali convenientia, nescio. Impossibile est, inquit, eos qui semel illuminati sunt, et cætera quæ adjecit, prolapsos rursus renovari ad pœnitentiam ; et quasi causam subjunxit quare ejusmodi ad pœnitentiam renovari non possint ; rursus, inquit, crucifigentes et ostentui habentes Filium Dei. In hoc ergo denuo renovari non possunt, quia aliam crucem et aliam mortem Filii Dei habere non possunt ; non quia pœnitentibus venia denegetur, sed quia pro peccantibus Christus iterum non morietur. Custodie ergo salutem tuam, semel pro illa Christus mortuus est. Si illam amiseris, non poteris habere Christum alium qui pro te moriatur, vel ejusdem Christi mortem aliam. Dicit tibi Christus : Serva salutem tuam, ego semel pro illa mortuus sum. Si illam amiseris, ego iterum mori

non possum, tamen eadem morte, amissam iterum A reddere possum. Sed nolo mihi injuriam facias; quia si salutem tuam morte mea acquisitam voluntarie peccando iterum amiseris, quantum in te est, iterum crucifigi, iterum me mori compellis. Ego carnem meam hostiam obtuli, ut de peccato pœnitentes veniam consequerentur, non ut voluntarie peccantes et in peccato persistentes justificarentur. Qui ergo de peccato pœnitent, habent in ea hostiam expiationis. Qui autem in peccatis suis voluntarie permanent, non habent ex ea causam salvationis. Hostia quidem ista data fuit illis ut per eam expiarentur de peccato pœnitentes; sed jam nunc non relinquitur eis ipsa hostia ut per eam in peccato voluntarie persistentes justificentur. Non ergo putant voluntarie peccan- B tes istam hostiam ad se pertinere, quia voluntarie peccantibus jam non relinquitur hostia pro peccato, quia non possunt sibi eam usurpare quæ ita oblata est, ut iis prosit qui de peccatis pœnitent, non qui permanent in peccatis. Sic una veritate manifesta, alia quoque in lucem venit. Quod autem dictum est quod non est locus secundæ pœnitentiæ, ita quidam intelligere volunt, quia tota hæc vita locus est pœnitentiæ homini peccatori. Qui hic pœnitentiam facere volunt locum habent, quia hic locus datus est pœnitendi hominibus. Qui autem hic pœnitentiam facere nolunt, in alia vita etiam si voluerint facere pœnitentiam non poterunt, ita ut fructum habeat pœnitentia illorum, quia locum non habet. Prima ergo pœni- C tentia in hac vita locum habet. Secunda pœnitentia post hanc vitam locum non habet; nec fructum habent, etiam si dolorem habent. Alii hoc dictum intelligunt de publica pœnitentia, quam dicunt iterari non posse propter rigorem et castigationem, ne homines sacramenta Dei contemnant. Sed unusquisque prout potuerit secundum veritatem sentiat. Ego illum qui dixerit ideo locum non esse secundæ pœnitentiæ; quia una debet esse pœnitentia homini, quandiu vivit, ut semper de præteritis doleat, et se a futuris custodiat, et nunquam ad peccata redeat quæ semel dimisit, et qui hoc facit quod debet facere facit. Et qui aliter facit, id est qui ad peccata præterita revertititur, ut cum peccaverit quandiu vult iterum ad pœni- D tentiam redeat, et quasi post primam secundam facit pœnitentiam, facit quod facere non debet, nec tamen in eo quod pœnitet, male facit, sed in eo quod non perseverat in pœnitentia male facit. Qui sic dixerit locum non esse secundæ pœnitentiæ, ego illum faciliorem invenisse exitum pulo, et sine scrupulo quæstionis molestiam declinasse.

Cap. V. *De iis qui in extremis pœnitent.*

Quærunt quidam quid de iis sentiendum sit qui in peccatis suis usque ad finem vitæ perseverant, et tamen in extremis morte imminente territi compunguntur et pœnitent, et ex toto corde misericordiam et indulgentiam quærunt etiam si satisfactionem articulo temporis præventi persolvere non possunt. Breviter, quod mihi videtur, absolvo. Ego puto hominem quandiu in hac vita vit sicut malum facere potest, ita et emendare posse si fecerit, et nunquam quocunque tempore etiam in extremis et in articulo necessitatis pœnitentiam hominis infructuosam esse, si vera fuerit. Ego Scripturam audio dicentem: *Quia in quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit* (*Ezech.* XVIII, XXXIII). Non dicit biduo aut biennio ante mortem si ingenuerit, sed quacunque hora ingemuerit, salvus erit. Ergo tu noli ponere tempus misericordiæ Dei, ne forte judicium tuum tibi ipsi adversetur. Noli ponere legem quæ tibi non expedit. Peccator, ama misericordiam, quia si non amas, non mereris. Nec tamen sub hac spe secure tibi peccandum est. Propterea quod in fine si conversus fueris salus, tibi promittitur. Nam, quamvis etiam tunc venia tibi (si vere pœnitueris) promittatur, non tamen tibi ut tunc vere pœnitere debeas promittitur. Valde difficile est ut tunc vera sit pœnitentia, quando tam sera venit, quando cruciatus membra ligat, et dolor sensum opprimit, vix homo aliud cogitare potest. Ergo si vis securus esse, pœnitentiam age dum sanus es. Dum mens sibi vacare potest, exerce illam in opere suo. Valde suspecta debet esse pœnitentia, quæ coacta videtur esse. Facile est ut homo se nolle putet, quod posse non datur. Possibilitas optime voluntatem probat. Si non facis dum potes manifeste, ostendis quod non vis. Quamvis autem in tempore sanitatis securior sit pœnitentia, tamen melior est sera quam nulla. Ante finem time, ne pœnitere differas; in fine conside, ut vel tunc resipiscas. Quod si tunc forte tibi suppetere non vides tempus boni operis, egredere tamen in spe firma, cum arrha bonæ devotionis. Multum sera fuit latronis pœnitentia, sed indulgentia sera non fuit. Quod tandiu petere distulit, vide quam cito accepit? *Cor contritum et humiliatum Deus* noster *nunquam* despiciet (*Psal.* L); quia *mortem non vult peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII).

Cap. VI. *Quod sola bona voluntas sufficit, si facultas operandi non datur.*

Si ergo bonam voluntatem habes, noli desperare. Angeli de cœlo clamant: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Non dixerunt pax hominibus divitibus, aut nobilibus, aut potentibus, sive multa facere valentibus. Si hoc dixissent, timendum tibi esset. Quia hæc omnia etiam invitis abesse possunt, et adesse non amantibus similiter. Voluntas nulli abesse potest nisi volenti. Tamen aliquid est voluntas: quod nec dari nec auferri possit invito. Propterea voluntas hominis est potestas Dei. Et ideo voluntas hominis est, quia velle in potestate hominis est; et non potest voluntatem tollere homini aliqua violentia extrinsecus incurrens, neque infirmitas, neque adversitas ulla, neque paupertas voluntatem homini tollere potest nisi ipse homo voluerit. Opus ei auferri potest, etiam quando ipse non vult, voluntas non potest. Propterea non est in ipso quando possit, sed in ipso est quando velit, etiam quamvis ex ipso non sit voluntas, quando vult;

quia et ipsum velle bonum ex Deo est. Idcirco tamen in ipso homine dicitur esse quando velit quia extrinsecus velle hominis impedire non potest. Ad hoc ut velit nihil foris quæritur, totum in ipso est,quod ad hoc faciendum opus est. Non quærit aliquid extra se ut velle habeat in se. Idcirco velle est in ipso, posse in ipso non est, nisi aliud foris apponatur ad explicandum voluntatem quod quando adesse debeat, vel abesse, in potestate hominis non est. Idcirco quando non vult bonum non culpatur nisi ipse.Quando autem non potest, si vult quidem propter voluntatem impossibilitas non imputatur ; si autem non vult propter impossibilitatem,voluntas non excusatur. Totum ergo meritum in voluntate est. Quantum vis, tantum mereris. Sed dicis : Si solum velle meritum est, et si meritum hominis in sola constat voluntate. Quid ergo opus facit ? Habeo voluntatem et sufficit mihi. Quid necesse est operari, si opus nihil facit ? Sed voluntatem sine opere habere non potes, quando opera potes. Non est voluntas si non operatur quod potest. Si autem non potest operari, sufficit ipsa sibi,et habet meritum suum propter se, in quo sola placet, quod bona est.

Sed dicis iterum : Si totum meritum in voluntate est, nihil amplius ex opere est, etiam quando ipsum opus cum voluntate est, quare ergo opus requiritur si pro opere merito hominis nihil adjicitur vel aufertur? Audi quare. Ideo post voluntatem etiam opus requiritur, ut ipso opere voluntas augeatur. Tale est cor hominis ut opere suo amplius inardescat, sive ad bonitatem amamdam si rectum est ; sive ad malitium si pravum est. Ita utrinque affectus opere nutritur, ut crescat, et amplior sit ; ut vix fieri potest ut voluntas opere suo non augeatur. Quantum ergo voluntas crescit, tantum meritum crescit, et tantum ipsum opus voluntati aut prodest in bonum, aut in malum nocet quantum ipsam voluntatem ad affectum bonitatis,sive malitiæ, accendendo exercet. Et si forte contigerit tantam esse voluntatem in eo qui non operatur, quanta est in illo qui opus exercet ; ubi eadem voluntas est, meritum dissimile esse non potest.

Sed dicis iterum : Si totum meritum in voluntate est, ergo opus bonum non remuneratur, sed sola voluntas. Vide quomodo hoc intelligere velis. Nam secundum aliquid et hoc veraciter dicitur, quod hominis voluntas sive ad bonum sive ad malum, sola remuneratur. Et rursum convenienter dicitur, quod opus et voluntas et ipse etiam homo volens et operans pro voluntate et opere remuneratur. Dicitur voluntas remunerari, quia in ipsa meritum constat. Dicitur et opus remunerari, quia in ipso constat causa sive occasio merendi. Voluntas remuneratur pro opere, opus remuneratur pro voluntate, Voluntas remuneratur pro opere, quia in illo ut placeret meruit. Opus remuneratur pro voluntate, quia ex illa ut placeret accepit. Voluntas placet quia ipsa bona est et in ipsa justitia est quæ placet. Opus pla-

A cet qnia ex voluntate bona est, et signum justitiæ et bonitatis quæ in ipsa voluntate est placet. Voluntas placet pro eo quod in ipsa est ; opus placet pro eo ex quo ipsum est. Sicut ergo sola justitia est pro qua et voluntas placet et opus voluntatis, sic non duæ sed una retributio est, qua et voluntas remuneratur et opus voluntatis. Una ergo retributio est qua et homo remunerari dicitur quia illi datur, et voluntas remunerari dicitur quia pro illa datur. Et opus remunerari dicitur in quo voluntas ipsa placere meretur. Etiam quando non operatur,voluntas placet in hoc quod voluit operari, et de ipso opere placet, etiam quando illud facere non potest. Semper ergo placet voluntas pro opere, et homo [opus] nunquam

B placet nisi pro voluntate. Tamen quando homo [opus] pro voluntate placet, ideo placet, ideo quia ipsa voluntas placet. Quando autem voluntas propter opus placet, non sic placet, quasi opus propter se placeat, et voluntas propter opus cum potius propter se voluntas placeat, et opus propter voluntatem. Sed dicitur propter opus placere voluntas, quia ipsa voluntas operis est, et de opere est quod placet. Velle enim semper aliquid velle est, et placet homo, quia vult aliquid propter voluntatem justam quæ de aliquo est, et ideo justa est, quia est de quo esse debet. Et talis est qualis esse debet. Sic ergo in voluntate totum meritum est etiam si respectu operis sit, quod opus sive sit sive non sit ; nihil in volun-

C tate minus est, nisi forte in hoc quod voluntas ipsa major fieret si ipsum opus fieret. Si ergo magnum meritum habere vis, magnam habe voluntatem. Magna fiducia. Tantum mereris quantum vis. Possunt esse voluntate pares, qui facultate sunt impares. Multum dedit Zachæus qui dives erat, et multum habebat. Vidua illa quæ duo minuta misit, parum habuit et parum dedit et tamen tantum dedit quantum Zachæus. Minores facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat. Si attendas quæ dederint diversa invenies, si attendas unde dederint paria invenies. Non autem pensat Deus quantum datur, sed ex quanto detur. Si ergo ubi plus datur et ubi minus differens meritum non est, si æqualis utrinquc vo-

D luntas habeatur ; ergo ubi aliquid datur, et ubi nihil datur, differens meritum esse non potest, si æqualis utrinque voluntas habeatur. Ideo dixi tibi, ut non desperes si facultas deest tibi, adsit bona voluntas,quantum vis tantum mereris. Fac ergo voluntatem magnam,si vis habere meritum magnum. Bene hoc scivit peccatrix illa,quæ quia multum habuit quod dimitteretur, non attulit substantiam magnam, sed dilectionem magnam. Multum contra multum. Si multa pecunia magis quam charitate multa, iniquitas multa redimeretur, feliciores divites essent quam pauperes, et secure peccare possent, quantum vellent et quandiu vellent. In ipsis enim esset redemptio peccatorum suorum. Quando vellent darent pecuniam et haberent justitiam. Nunc autem bene facit Deus quia in eo posuit redemptionem nostram,

ubi nullus nisi ipse velit, egere potest. Amare A possunt æqualiter et dives et pauper, etiam si pecuniam æqualiter dare non possunt. Dilige multum, si vis et multum tibi dimittatur. *Dimittuntur*, inquit, *ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII). Cui plus dimittitur, plus diligit. Aliquid contrarietatis hic esse videtur. Si enim ei Deo dimittuntur peccata multa quoniam dilexit multum, videtur dilectio prior esse quam remissio, et rursum si ille plus diligit cui plus dimittitur, videtur prior esse remissio quam dilectio. Sic enim dictum est: *Duo debitores erant uni feneratori, unus debebat* multum: alius parum. Unus plus, alius minus. *Cum non haberent unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Et respondit: Æstimo quia is* B *cui plus donavit* (*ibid.*). Videtur hic prior esse remissio, et posterior dilectio. Ido enim diligitur quia multum dimittitur. Postea subjungit ostendens quare istam propositionem fecerit. *Vides*, inquit, *hanc mulierem? Intravi in domum tuam; aquam pedibus meis non dedisti. Hæc autem, postquam intravi, lavit lacrymis pedes meos, et capillis extersit* (*ibid.*) Et postea: *Propterea*, inquit, *dico tibi: dimittuntur ei peccata multa; quia dilexit multum. Cui minus dimititur, minus diligit* (*ibid.*); et cui plus dimittitur, plus diligit. Non videntur ista cohærere, quia dixit eum plus diligere cui plus dimittitur; et huic idcirco multum dimissum quia multum dilexit. In hoc igitur non videtur C conveniens esse similitudo nisi forte sic dicat, quia in hoc aparet quod multum ei dimittitur, quia dilexit multum, quia ille cui plus dimittetur plus diligit. Dimittuntur, inquit, ei peccata multa quia dilexit multum. Dimittuntur illi peccata multa. Et unde hoc probo, aut quomodo illud ostendo quod dimittuntur ei peccata multa? In hoc, inquit, quia dilexit multum. Magna dilectio magnæ remissionis indicium est. Cui enim plus dimittitur, plus diligit. Debitor enim est ille cui plus dimittitur, ut plus diligat. Et si plus diligit, facit quod debet, et ostendit se multum accepisse in eo quod multum reddit. Sic igitur mulier ista multum officiosa, multum sedula, multum devota, diligit multum, quia multum se accepisse agnoscit. Dimittuntur ei peccata multa D quia dilexit multum. Si quis ergo ita intelligere velit quod dictum est: Dimittuntur ei peccata multa quia dilexit multum, nihil inconveniens erit. Sed videtur fortassis alicui hoc magis ad veritatem pertinere, ut illam hic dilectionem intelligamus qua mulier peccatrix, desiderio sanitatis accensa, diligere cœpit Salvatorem, a quo se credidit habere salutem; et quia agnovit multum esse quod sibi ab eo dimittundum esse speravit, ideo multum dilexit. Nondum adhuc audierat: Dimituntur tibi peccata tua. Adhuc quod mulier impetrare desideravit, postulavit, et tamen quasi jam accepisset, datorem suum amavit, a quo se quod petiit acceptura non dubitavit. Ideo inquit: *Fides tua te salvam fecit* (*ibid.*). Quia enim credidisti, dilexisti; et quia dilexisti, meruisti; ideo: Fides tua te salvam fecit. Ex quo fides cœpit, salus cœpit. Sed tu nesciebas, quod ego te per fidem et dilectionem ad me traherem, ut credenti, et diligenti peccata multa condonarem. Tu autem forte hoc non cogitabas. Ideo ut scias et consolaris, nunc dico: Dimittuntur tibi peccata tua. Cui plus dimittitur, plus diligit. Alii deligunt postquam accipiunt, et tu prius quam acciperes dilexisti, quia te accepturam credidisti. Ideo: Fides tua te salvam fecit. *Vade in pace (ibid.)* Vide nunc quantum facit charitas, quantum facit bona voluntas. Noli ergo timere. Si bona voluntas pigra non fuerit, indulgentia tarda non erit.

CAP. VII. *Quod homo opus judicat; Deus voluntatem pensat.*

Duo sunt, voluntas et opus voluntatis. Deus voluntatem pensat, homo opus judicat. Sed sunt iterum opera alia occulta quæ nesciuntur, alia dubia quæ non discernuntur, alia manifesta, id est vel ita mala ut non valeant abscondi sive ita bona, ut de eis non possit dubitari. Occulta et dubia divino judicio reservantur. Quæ autem manifesta sunt si bona sunt per approbationem judicantur, sed per retributionem non judicantur, quia præmium et merces illorum in posterum reservatur. Mala voluit Deus hic judicari et puniri, ne si in posterum illorum judicium servaretur, non ad correctionem, sed ad damnationem omne judicium exerceretur. Propterea positi sunt homines judices vice Dei, ut culpas subjectorum examinando castigent, ut in fine cum venerit judex Deus, correctos salvare possit, quos corrigendos humano judicio subjecit. Data sunt ergo judicia, et contra culpas diversas expiandas, correctionum et satisfactionum modus ac mensura rationabili definitione præfigitur; et est scriptus liber pœnitentialis in quo quasi spiritualis medicinæ antidota proponuntur, ubi medici animarum accipiant quod contra morbos peccatorum ægris sanandis mentibus apponant.

CAP. VIII. *De remissione peccatorum; et an sacerdotes qui homines sunt, possunt dimittere peccata.*

Potestatem remittendi peccata quidam soli Deo ita ascribere conantur, ut in ea hominem participem fieri posse nullo modo concedant. Et ad confirmationem hujus assertionis adducunt mundationem illius leprosi, quem Dominus prius per semetipsum sanitati restituit, ac sic deinde ad sacerdotes misit; non ut ejus mundatio virtute illorum perficeretur; sed ut tantummodo testimonio illorum confirmaretur. Simili modo nunc in præsenti Ecclesia dicunt ministeria sacerdotum nihil amplius virtutis habere, nisi quædam tantummodo signa esse, ut ille videlicet qui prius per contritionem cordis intus a Domino absolvitur, postmodum in confessione oris ab eis absolutus esse ostendatur. Quod autem in sola cordis contritione etiam ante confessionem oris peccata dimittantur, prophetico illo testimonio probare volunt quod dicitur: *Quacunque hora ingenue-*

rit peccator, salvus erit (*Ezech.* XVIII XXXIII). Et alibi : *Quia adhuc te loquente dicam : Ecce adsum* (*Isai.* LVIII). Et Psalmista : *Dixi*, inquit *confitebor adversum injustitiam meam Domino ; et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal* XXXI). Idcirco tamen post contritionem cordis confessionem quoque oris esse necessariam, quia si quis etiam post impetratam veniam peccatorum confiteri eadem peccata sua neglexerit, quasi institutionis divinæ contemptor, quamvis non pro peccatis quæ jam dimissa sunt reus teneatur, tamen pro contemptu reus erit. Vel fortassis quia ipsa peccata jam ad contumacem, redeunt, quæ prius per compunctionem humiliato dimissa fuerunt. Hac ergo ratione probant homines nullo modo potestatem habere dimittendi peccata, sed hanc solius Dei esse sicut etiam in Evangelio, Judæi contra Dominum murmurantes, quia dixerat paralytico : *Dimissa sunt tibi peccata tua* (*Marc.* II, *Luc.* V) : aierunt solum Deum posse peccata dimittere. Sed fortassis qui hæc de absolutione peccatorum dicunt, quomodo quisque peccato ligetur, non satis diligenter attendunt. Duobus enim modis peccator ligatus est. Ligatus est obduratione mentis, ligatus est debito futuræ damnationis. Quandiu namque gratia Dei cum homine est, solutus est homo, et ad bene operandum expeditus, Sed cum per peccatum gratia Dei subtrahitur, statim ipsa sua obduratione mens intrinsecus obligatur. Ista obduratio sive excæcatio mentis, interiores tenebræ sunt, in quibus homo pro peccato suo in præsenti obligatus tenetur ; et nisi ab eis in hac vita solutus fuerit, postmodum ligatis manibus et peddibus in tenebras exteriores projicietur. Sed quia nemo sua virtute post ruinam peccati surgere valeret, nisi divina misericordia gratuito præveniens eum suscitaret : Ideo necesse est ut Deus gratiam suam quam peccantibus nobis juste subtraxerat, quando ad pœnitentiam vivificandi sumus, sola misericordia nullis nostris meritis præcedentibus reddat, quatenus ipsa gratia adveniens cor nostrum a torpore infidelitatis et a peccati morte exsuscitet, ut scilicet dum primum ipsa sola operante ad pœnitentiam compuncti a vinculis torporis absolvimur, etiam ipsa deinde cooperante, pœnitentes a debito damnationis absolvi mereamur. Hoc bene in ressuscitatione Lazari signatum est, quem ipse Dominus per se prius intrinsecus a vinculo mortis absolvit, vivificatum autem deforis ministerio ipsorum apostolorum solvi præcepit. Sic namque in sancta Ecclesia nunc mortuos peccatis per solam gratiam suam interius vivificans ad compunctionem accendit, atque vivificatos per confessionem foras venire præcipit ; ac sic deinde confitentes per ministerium sacerdotum ab exteriori vinculo, hoc est, a debito damnationis absolvit. Bene autem debitum damnationis exterius vinculum dicitur ; quia pertinet ad tenebras exteriores quas evadere dignus non est, quisquis prius in hac vita a tenebris interioribus solvi non meretur. Sed male, inquiunt, de sacerdote Deum facitis, qui

A ei potestatem dimittendi peccata quod soli Deo competit, tribuitis. Non ego sacerdotes deos facio, sermo divinus qui mentiri non potest, sacerdotes deos dicit : *Diis* inquit, *non detrahes, et principi populi tui non maledices* (*Exod.* XXII). Isti vero contra legis præceptum diis detrahunt, quia potestatem divinitus collatam sacerdotibus auferre volunt. Neque vero ego sacerdotibus potestatem dimittendi peccata tribui. Ille hominibus potestatem divinam tribuit qui de hominibus deos fecit. Sed tamen ipse sicut ex semetipso Deus est, ita etiam per semetipsum quando vult sine humana cooperatione peccata dimittere potest. Hi vero qui ex semetipsis dii non sunt, etiam nisi eo a quo sunt hoc quod sunt, in eis et per
B eos operante et eis cooperante peccata dimittere non possunt. Quomodo ergo solus Deus bonus est nec tamen inde sequitur bonos non esse, etiam eos qui Deo serviunt, et quomodo solus Deus mirabilia facit, et tamen de justo homine dicitur ; *Fecit enim mirabilia in vita sua* (*Ezech.* XXXI) ita etiam solus Deus peccata dimittit, tunc quoque quando sacerdos ab eo et per eum dimittit. Ipse enim hoc in homine facit quod homo per eum facit ; nec ideo dicendum est hominem ibi nihil facere, quia per eum Deus facit. Imo vero ideo multo melius et multo verius facere, quia per eum Deus facit. Hinc est quod Petro principi apostolorum dicit : *Tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcunque ligaveris super terram, erit*
C *ligatum et in cœlis ; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Non dixit, quodcunque solveris hoc est, ut illi aiunt solutum ostenderis ; fuit solutum, sed erit solutum, quia sententiam Petri non præcedit sed subsequitur sententia cœli. Ne autem hoc soli Petro concessum esse putes, audi quid omnibus apostolis, ac per hoc omnibus apostolorum successoribus et apostolorum vice fungentibus dicat : *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta erunt* (*Joan.* XX.) Ubi dixit : Si ostenderitis, fuit ? Nusquam dixit hoc : sed dixit : Si feceritis, erit. Audiant ergo et intelligant, quorum remiseritis peccata, etc. Qui-
D bus hoc dicebatur, prius dictum fuerat : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, etc., ne vel quod dabatur crederetur contemptibile, vel quod accipientes operantur, existimetur ex humana virtute procedere. Non ergo mirum est si homines peccata dimittere possunt ; quia ut hoc possint, non ex sua sed divina virtute accipiunt ; et hoc hominibus Deum dare, nihil est aliud quam Deum hoc per homines facere. Quod autem de mundatione leprosi opponunt minime eorum opinioni suffragatur, quia si ideo peccator ante confessionem absolvi credendus est quia leprosus mundatus est ante demonstrationem eadem ratione peccator post compunctionem ad sacerdotem ire non debet peccatum suum plangere, sed justitiam demonstrare ; quia et ille ad sacerdotes missus est non ut sanitatem reciperet,

sed ut sanitatum demonstraret, quod omnino fides christina abhorret. Propterea si miraculum quod Dominus operatus est, sacerdotibus non ob reverentiam officii, sed ad improperium ostenditur : quid aliud quam novi quoque sacerdotii in spirituali curatione contemptus generatur? Sed et illud quod dicunt : Quacunque hora ingemuerit peccator salvus erit : ego de iis præcipue dictum existimo qui totam vitam suam in peccato agentes in fine pœnitent, et peccata deserunt, quando jam in hac vita tempus satisfactionis habere non possunt. Quibus dicitur ne tamen ullo modo de venia desperent, quia et tunc quoque si vere pœnituerint misericordiam consequi valent. Hoc est enim quacunque hora. scilicet etiam in extremis, etiam in articulo necessitatis, si peccator ingemuerit, hoc est, ex tota cordis contritione conversus fuerit, salvus erit ab æterna scilicet damnatione. Quasi aliis verbis diceretur : Quacunque hora in præsenti vita peccator vere pœnituerit, in futura vita non peribit. Quod si quis contendat illud quod dictum est, salvus erit, non esse dictum de salvatione quæ in futuro tribuitur, sed de illa potius quæ in præsenti absolutione peccatorum condonatur, non necesse est tamen nos dicere quod peccator ab omni debito absolvatur statim ex quo gemere cœperit, donec totum consecutus fuerit remedium quod Deus ad obtinendam veniam instituit. Hoc est autem remedium ut corde pœniteat et ore confiteatur delictum. Quod cum fecerit jam amplius debitor damnationis non erit. etiam si satisfactio restat, quam pro peccato persolvat *(ibid)*. Quod si forte peccator vere pœniteat, sed intercurrente articulo necessitatis ad confessionem venire non possit, confidenter pronuntio, quod in eo summus sacerdos complet quod mortalis non potuit, et apud Deum jam factum constat quod homo quidem vere voluit, sed non voluit adimplere, quia confessionem non contemptus exclusit, sed impedivit necessitas. Proinde si id quod dictum est : Quacunque hora ingemuerit peccator salvus erit, de præsenti salute accipitur ; sic intelligendum est ac si diceretur tunc peccatoris salus incipit, quando veraciter pro delictis suis ingemiscit, quæ tamen salus tunc plene perficitur, quando id unde ingemuerit etiam ore confitetur. Item illud quod dicitur : Quia adhuc te loquente dicam : Ecce adsum ; sic convenienter potest accipi, quod prius Deus adest per gratiam ut cor ad pœnitentiam compungat, deinde adest, ut peccatorum indulgentiam confitenti tribuat. Postremo id quod de Psalmista opponunt. Dixi : Confitebor, etc. Sanctus Gregorius de culpa cogitationis tantummodo dictum esse asserit in hæc verba. Sæpe misericors Deus eo citius peccata cordis abluit quo hæc exire ad opera non permittit. Unde recte per Psalmistam dicitur : Dixi : Confitebor, etc. Et paulo post quam facilis sit super hoc venia ostendit, qui dum se adhuc promittit petere hoc quod se petere promittebat obtinuit quatenus quia usque ad opus non venerat culpa, usque ad cruciatum

A non perveniret pœnitentia sed cogitata afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodo cogitata iniquitas inquinasset. Quod si quis hoc de quolibet delicto velit accipere : sciat tamen aliud peccatum esse, aliud impietatem peccati. Impietas namque peccati ipsa rectissime obduratio cordis accipitur, quæ primum in compunctione solvitur, ut postmodum in confessione peccatum ipsum, id est debitum damnationis absolvatur. Sed sive hoc sive alio quocunque modo prædictæ auctoritates exponantur : nos verisimile confitemur sacerdotes Dei in Ecclesia potestatem habere ligandi atque solvendi, non perfunctorie et inusitato quodam genere loquendi significatam, sed veraciter a Deo concessam quibus

B dictum est : Quorum remiseritis peccata remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta erunt.

Sed forte quis opponet quod sacerdotes multos in Ecclesia ligant qui apud Deum non ligantur ; item multos solvunt qui apud Deum ligati permanent, quia sæpe et innocentes ligant, et in reatu permanentes absolvat, et sic verum non erit quorum remiseritis, etc. Sed sciendum est quod sæpe sacra Scriptura sic de re aliqua loquitur, ut quid inde eventurum sit prænuntiare videatur et tamen virtutem ejus magis quam eventum exprimat, quia non quod evenire debeat, sed quod evenire possit ostendit. Verbi gratia : Dicit quodam loco Scriptura : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit (Marc.* XVI) et tamen sci-

C mus quod multi credentes baptismum percipiunt qui postea culpis suis exigentibus reprobati ad ad salutem æternam non pertingunt. Item in alio loco: *Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem habet vitam æternam, et ix judicium non veniet, sed transiet a morte in vitam (Joan.* VI), et tamen Paulus dicit : Quod *quisquis corpus Domini indigne* manducare et calicem bibere præsumpserit, *judicium sibi manducat et bibit (I Cor.* II) Ubique ergo magis virtus sacramentorum exprimitur, nec quod per eam quilibet participantes salvanti sint, sed quod salvari possint sgnificatur ; quasi diceretur : Tanta virtus est baptismatis ut quisquis illud fideliter et devote acceperit ; per illud ad æternam salu-

D tem pertingere possit. Item tanta virtus est in sumptione corporis et sanguinis Christi ut per illud : Quicunque digne sumpserit, æternam vitam consequi possit. Simili modo hoc dictum existimo. Quorum remiseritis, etc. Ac si apertius diceretur : Tantam vobis potestatem in solvendis et ligandis peccatis tribuo , ut quisquis a vobis ligari meruerit, apud me solutus esse non possit, et quisquis a vobis solvi meruerit jam apud me ligatus non sit. Audiant homines, intelligant peccatores quod præsidium eis a Deo conceditur, quod rursum judicium præparatur. Fortassis Deum necdum interpellare præsumunt habent homines sacerdotes vice Dei fungentes, cum quibus interim causam suam sine periculo agere possunt. Ament intercessores et timeant judices. Sed fortassis iterum quærit aliquis quid opus sit,

Deo ad solvenda peccata hominum,homines cooperatores quærere quasi per se quod voluerit non valeat adimplere. Sed certissime scire debemus quod in abolendis peccatis nequaquam Deo humana cooperatio suffragatur. Ideo tamen hominem cooperatorem fieri; quia salus peccatoris eo modo competentius perficitur. Quid enim peccata nisi plagæ quædam sunt; et quid est pœnitentia nisi medicina? Et scimus quod in sanandis vulneribus carnis nisi congruum adhibeatur remedium dolori; nequaquam sequitur effectus curationis. Quia ergo per superbiam omne peccatum geritur, necessse est, ut per humilitatem omnis pœnitentia condiatur, quatenus inobedientiam obedientia frangat, et elationis tumorem humilitatis devotio premat. Conveniens ergo valde est ut nos qui peccando Deo contumaces fuimus pœnitendo hominibus etiam servis Dei supplices simus, et homo qui ad Dei gratiam conservandam mediatorem non eguit, jam eam recuperare non nisi per hominem mediatorem possit. Nam et hoc saluberrimum est peccatori ut discat quam longe peccando a Deo recesserit, cum tam difficulter pœnitendo ad Deum redit; quia et cautior de reliquo efficitur, cum non sine gravi labore pœnitendi, aditus indulgentiæ aperitur. Gemat ergo peccator et suspiret, et anxius pro peccato suo timeat et expavescat, sollicitus discurrat, auxiliatores et intercessores quærat, prosternat, se humiliter homini, qui humiliter noluit astare Creatori,ut in hoc etiam facto quodammodo ad Deum clamet et dicat: Vide, Domine, et considera et attende quid facio. Scio quidem, Domine, et fateor quod tibi subjici nolle damnabilis fuit elatio; sed jam propter te coram homine prosterni non sit quæso despicabilis devotio. Magnum est quod abstuli, nec parum est quod reddo. O quam suavis et jucunda Dei nostri miseratio! Totum bonum nostrum ipse in nobis operatur, et velut pater alludens in filiis sic totum facit ut quasi nihil facere videatur. Ecce peccator compunctus gemit, suspirat, lacrymatur, confitetur reatum suum, postulat veniam, flagitat misericordiam; et hoc totum quasi ex homine esse creditur. Sed quis, quæso, hoc facit nisi ille qui intus præsidet, et cor hominis ad hoc faciendum movet? Obsecro ut non sit onerosum si breve quoddam hujus rei exemplum proposuero. Pater quidam contumacem filium quasi cum magno furore expulit, ut ita afflictus humiliari disceret. Sed illo in contumacia sua persistente quadam secreta dispensatione consilii, a patre mater mittitur, ut non quasi a patre missa, sed quasi materna per se pietate ducta veniens muliebri lenitate obstinatum demulceat, contumacem ad humilitatem flectat, vehementer patrem iratum nuntiet, se tamen interventuram spondeat, veniam promittat, consilium salutis suggerat, intercessores quærere suadeat, non nisi magnis precibus patrem placari posse dicat; causam tamen rei se suscepturam asserat,et ad bonum finem rem omnem se perducturam promittat. Videte, quæso, si A non ita causa nostra agitur. Peccantem Filium Deus Pater quasi expulit iratus, cui tamen in proposito bonæ voluntatis suæ fortassis nunquam iratus fuit. Sed quia infirmitas humana per se de lapsu surgere non valet, ad cor peccatoris mater gratia mittitur, sacerdos intercessor quæritur, ut Deus qui iratus non fuerat cemplacetur. Quid dicam? *Quis sapiens et custodiet hæc et, intelliget misericordias Domini?* (*Psal.* CVI,) Nunquid enim ideo superfluo factum est quod factum est; quia Deus ab irato in propitium non mutatus est, qui suis nunquam propitius non est. absit! Sed necesse est sic fieri, quia aliter reatus nostri sceleris non potest expiari. Necesse est sic fieri; quia Deus hoc etiam B quod dare desiderat, a se præcepit postulari. Necesse est ergo sic fieri; quia, etsi in Deo secundum propositum erga nos ira non fuerat, in nobis tamen secundum reatum ira manebat, quæ dum debita satisfactione solvitur, ut ita dicam, non Deus homini, sed homo reconciliatur. De peccatis autem utrum redeant an non, ex quo semel dimissa fuerint, ego interim non afferendum judico, sed verendum, Quod tamen si sit vel non sit; qua justitia fiat vel non fiat alterius tractatus operam exspectat, eo præcipue quod quædam divinarum Scripturarum testimonia de hac re ambigue edita leguntur ita etiam ut ex eis non nihil absurditatis nasci videatur quæ certe non levi aut transitoria consideratione discutienda C sunt.

CAP. IX. *De eo utrum peccata redeant postquam semel dimissa fuerint.*

Multæ sunt quæstiones hominum; quandiu vivitur semper quæritur. Qui enim quærit nondum invenit quod quærit,et tamen quærit quia amisit quod quærit,et si non amisit quia forte nunquam habuit, tamen quandiu quærit significat se nondum habere quod quærit. Propterea quandiu vivimus necesse habemus semper quærere, quia nondum totum habemus quod habere debemus. Quid est autem hoc quod quærere debemus nisi veritas et bonitas? Quæ si perfecte haberemus, nihil amplius quærere deberemus; quia si quid forte si amplius esset, adjiceretur, etiam si non D quæreretur. *Quærite*, inquit, *primum regnum Dei et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, *Luc.* XII). Regnum Dei veritas est, justitia ejus bonitas: hæc duo quæsieris sicut debes, cætera omnia gratis apponuntur. Quare ergo quærere labores illa quæ gratis habere potes? Si ista quæris sine illis,aut non habes, aut si habes, utiliter non habes. Si illa quæris sine istis, et illa habes ad salutem, et ista ad utilitatem. Omnia, inquit, hæc adjicientur vobis. Multa sunt hæc; illa pauca sunt. Duo enim sunt ibi; hic plurima invenientur,et tamen plus valent duo illa, quam omnia hæc. Noli respicere ad majus, sed ad melius. Noli attendere ad acervum, sed pensa pretium. Pauca quære ut multa invenias. Hæc sunt ergo sola quæ quærere debent homines, veritas et bonitas. Et uti nam tam studio-

si essent ad quærendam bonitatem, quantum ad A quærendam veritatem curiosi inveniuntur! Nescio quo pacto familiare omnibus est veritatem quærere, etiam iis qui bonitatem non amant. In tantum enim omnes veritatem scire volunt ut nemo inveniatur qui falli velit. Multi sine bonitate veritatem quærunt, sed socia veritatis est bonitas. Non venit libenter sine bonitate veritas, aut si venit, non venit ex partibus illis, et de regione illa ubi salus est. Quærunt homines utrum peccata ipsorum ad eos revertantur postquam semel dimissa fuerint. Scire hoc volunt, et cavere hoc nolunt. Quare ergo hoc scire volunt quod cavere nolunt, nisi quia curiositas eos trahit cum bonitas non delectet? Quærunt hoc si forte eis dicatur quia non est ita: pendent ad nuntium corporis B sui: si forte quis veniat qui dicat eis quod audire volunt. Quærunt quasi veritatem, non quod ament vel ipsam veritatem quia non diligunt bonitatem, sed verum esse volunt hoc quod ipsi volunt. Ideo ergo quærunt si forte illis respondeatur quod ipsi potius audire volunt, et si forte quis testis veritatis venerit qui dicat veritatem contra ipsorum voluntatem, non excitantur sed consternantur et corruunt mente, quia non audierunt quod audire voluerunt. Idcirco secundum malitiam illorum veritas illis respondet; vel sicut nolunt ut amplius errent, vel sicut nolunt ut amplius desperent. Tamen quia et hoc ipsum quærendum est propter eos qui excitantur et proficiunt, de veritate non est absurdum si quærimus quod etiam in hac parte C conscientia humana, si aliqua, ut solet, cogitatione pulsetur, sibi debeat respondere. Sic ergo quæritur utrum peccata quæ semel pœnitenti dimissa fuerunt amplius imputantur: fortassis qui dixerit afferendum non esse hoc sed timendum securius judicabit. Melius est enim aliquando in ejusmodi occultis, quæ sine periculo salutis nesciri possunt, timere quam aliquid definere. Dicat ergo aliquis quod timendum est hoc, non afferendum, Ego illi qui cognitationem suam castigare potest, ut hoc ei sufficiat, hoc satis esse puto, et magnis fortassis expidere ut amplius non quærat. Qui vero urgetur et animo sollicitatur neque hic stare potest ut ultra non pergat ad inquisitionem, illi satisfaciendum esse puto quantum fieri potest D salva reverentia secretorum. Ecce ergo tu quicumque certus esse vis utrum peccata illa amplius redeant, quæ semel dissima fuerint; videamus ergo et discutiamus quod te sollicitet. Peccata, inquis, mea dimissa fuerunt; volo scire si amplius debeant imputari. Quid ergo tibi videtur? Mihi, inquis, non videtur quod debeant denuo imputari peccata quæ dimissa sunt. Alioquin mutabilis videtur Deus qui non teneat sententiam suam, et tam facile mutet judicium suum. Quomodo mutet? in hoc, inquis, mutet, quia cum prius mihi peccata mea condonavit, dixit quod amplius ea a me non requireret. Non enim condonasset nisi hoc dixisset. Nunc autem iterum ea requirit, et exigit ad pœnam a me quæ prius dimiserat; ideo dico quod si dicitur Deus peccata quæ semel dimisit iterum imputare mutabilis prædicatur, et varians verbum suum quod semper constare debet. Propterea igitur quia hoc esse non potest, videtur mihi, quod peccata quæ semel a Deo dimissa sunt, nulla ratione debeant amplius imputari. Si fortassis tibi videbitur et hac ratione confirmabis te, ut non timeas periculum tuum. Sed dic mihi modo quomodo intelligas id quod dicis; peccata tua tibi dimitti. Si enim non intelligis quomodo reddeunt, non intelligis quomodo recedunt, imo si non intelligis quomodo adsunt, non intelligis quomodo recedunt vel quomodo redeunt. Quid ergo dicitur cum dicitur Deus peccata imputare? Si dicitur quia quando imputat peccanti trascitur, ergo quando pœnitenti condonat peccata placatur. Si ergo dicimus quod Deus aliquando iratus postea placetur, quomodo negare poteris quin in hoc ipso mutetur? Quando ergo imputat et quando condonat non mutatione sui, sed mutatione tui, imputat et condonat. Peccata imputat quando peccatorem dignum pœna judicat. Peccata condonat quando pœnitentem dignum venia judicat. Et utrobique idem ipse est. Tu mutaris de alio in aliud; modo peccator per culpam, modo justus per pœnitentiam. Ipse non mutatur, sed idem permanet semper; et stans in illo quod ipse est immutabiliter videt et decernit quod tu variabiliter factus est, sive de bono malus, sive de malo bonus. Et quando te peccatorum videt, imputa tibi peccata tua, quia talem te discernit quem digne puniat quando autem pœnitentem te videt, peccata tua tibi condonat, quia talem te discernit, cui juste parcat. Hæc autem omnia ipse immutabiliter operatur, quia et cum tu per pœnitentiam peccator esse desinis, non tamen ipse desinit scire qualis fuisti, et cum justus esse incipis, non tamen ipse incipit scire quod tu esse incipis; quia et antequam inciperes scivit qualis tu futurus fuisti et cum desieris esse quod eras non tamen ignorat ipse qualis fuisti. Non ergo sic intelligas quasi mutetur Deus cum tu mutaris, sed quia propterea peccata tibi imputare dicitur, quia ira sua et indignatione dignum te discernit; eadem autem postea condonare peccata, quando venia et misericordia dignum agnoscit. Si ergo hoc est peccata imputari reum esse per culpam, et peccata condonari justum fieri per pœnitentiam, quare peccata ad hominem reverti non dicantur, cum ipse homo ad peccata revertitur? Sed dicis mihi: Ego quando ad peccata revertor, ita revertor, ut simile aliquid agam illi quod prius egi, non tamen hoc ipsum quod prius egi. Et si idem ago, idem similitudine, non idem veritate. Idem quia simile illi, non idem quia illud. Una similitudo agendi, non tamen actio una. Si ergo dicor pro præteritis delictis idcirco puniri debere, quia post illa dimissa ad similia perpetranda redeo; ego sic justum esse fateor, si hoc modo pro illis puniri dicor quomodo illa perpetrare dicor. Si autem propter hoc solum prima mala agere denuo dicor, quia alia quædam ago

similia illis,pari modo cum pro illis dicor puniendus, non aliud intelligendum ratio suadet, quam me puniendum esse pro iis quæ similia prioribus postea perpetravi. Non autem hoc in quæstione erat, sed utrum videlicet post prioris delicti indulgentiam si ipsum delictum repetitur; illa quæ dimissa fuerat culpa ad subsequentem revertente reatus duplecitur. Verbi gratia : Quidem pro homicidio perpetrato ex toto corde pœnitentiam egit, et indulgentiam consecutus est.Contigit postea ut homicidium perpetraret. Ecce iste homo duo homicidia fecit; vel potius homicidium bis. Sic enim convenientibus et expressius secundum proprietatem locutionis dicitur. Unum enim quoddam malum homiciendum est,sicut adulterium et furtum et fornicatio singula mala sunt, quemadmodum charitas et patientia et castita singulæ virtutes sunt. Et qui duos homines diligit, non duabus dilectionibus diligit, sed una charitate et una dilectione. Sic ergo homo iste his homicidium fecit; primo pœnitendo indulgentiam obtinuit; secundo quando post indulgentiam acceptam iterum homicidium perpetravit. Mortuus est autem homo iste postea sine pœnitentia, et damnatus est pro peccatis suis. Quæritur ergo de hoc homine utrum debeat puniri pro illo homicidio pro quo pœnitentiam egit, et indulgentiam accepit. Et si hoc dicitur, qua justitia hoc fiat non videtur. Nam si punitur pro eo quod peccavit et non emendavit, justitia est manifesta.

Si autem iterum requiritur quod fuerat condonatum, aut injustitia vera est, aut justitia occulta. In hoc ergo demonstrari oportet quia justitia homo pro eo quod jam dimissum fuerat iterum puniatur. Sic fortassis pro hac parte objiciendum tibi videatur. Dic ergo nunc. Justum tibi videtur ut propter subsequentem pœnitentiam præcedens culpa quæ imputabatur condonetur, et non similiter propter subsequentem culpam illa quæ dimissa fuerat præcedens culpa iterum imputetur ? Si subjuncta virtus plagam peccati hiantis claudit, subjuncta culpa non aperit clausam ? Si opera bona viventia per culpam moriuntur, et per justitiam iterum mortua vivificantur, quare similiter opera mala quæ per virtutem excusantur per culpam iterum non imputantur? Vis ut pœnitentia tantum valeat ut quæ imputabantur condonentur ; et non vis ut culpa tantum valeat ut quæ condonabantur imputentur ? Ponitentia sequens potuit præcedentem culpam excusare, ut non noceat aliquando imputatam, et sequens culpa non potest præcedentem pœnitentiam evacuere ut non prosit aliquando fuisse laudatam ? Si sententia judicio tuo constare poterit, magis commodum quæres quam justum. Maledictus homo qui partem suam deteriorem facit. Ideo partem tuam bonam facis. Et judicas bene pro parte tua. Fortassis bene tibi esset si sententia veritatis tuum judicium sequeretur. Nunquam te judice damnareris. Sed timeo ne forte dum tu aliud vis quam veritas, aliud veritas faciat quam velis. Magis enim veritatem impleri oportet quam

A tuam voluntatem. Tu dicis quia quod condonatum est iterum imputari non debet. Ergo similiter quod imputatum est condonari non debet si quod condonatum est iterum imputari non debet. Si pœnitentia quia placet facit ut imputata condonetur malitia, et contemptus quia displicet non similiter fasit ut condonata imputantur ? Si humilitas pœnitentiæ dignum te facit, ut pro iis etiam quæ imputabantur non puniaris, contemtus et transgressio culpæ te dignum non facit ut pro iis etiam quæ condonabantur culpandus exigaris ? Nonne attendis quod quando sæpius gratia datur, tanto nequior ingratitudo judicatur ? Ecce duo sunt, unus sæpius offendit, et sæpius oranti et deprecanti , venia indulgetur ; alter

B innocenter vivens et semper voluntati et imperio præsidentis Domini humiliter obediens, non habet pro quo deprecetur ; contingit autem postea quod contingere potest, ut uterque in simili culpa offendat. Dic ergo uter horum amplius reus judicetur, nisi ille qui post tantam gratiam ingratus comprobatur ; leges secunda crimina gravius plectunt, et iterata vulnera difficilius ad sanitatem reducuntur, et tu dicis quod nihil interest ad reatum subsequentium qualia aut quanta præcedentia fuerunt ? Si mala prima quæ per posteriora bona excusata fuerant per subsequentia iterum mala non vivificantur ad reatum ; ergo prima bona quæ per posteriora mala mortificata fuerant per subsequentia iterum bona non vivi-

C ficantur ad meritum ? *Recte judicate filii hominum* (*Psal.* LVII). Si aliter judicas pro te aliter contra te, judex justus non es Tantum diligere justitiam debes, ut nec te ipsum diligas contra illa. Litteratores sunt qui causas transformant et mutant veritatem propter cummoditatem. Tales justitia non probat : *Domine*, inquit, *non cognovi litteraturum ; introibo inpotentias Domini; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius* (*Psal.* LXX). Hoc est judicium justum in quo sola justitia ita attenditur ut nihil justitiæ præponatur. Justum ergo judicium judicia; si vis ut bona tua jam pridem per culpam mortua iterum per justitiam vivificentur. Noli irasci, neque injuriam tibi fieri tutes, si mala tua jam pridem per pœnitentiam

D excusata, iterum propter malitiam tuam tibi imputentur. Sed Deus, inquis, dixit de malis meis quando pœnitentiam egi, quod ea mihi amplius non imputaret. Similiter et Deus dixit de bonis tuis quando peccati quod amplius ea non remuneraret. Si ergo propter dictum Dei stare debet ut illa amplius non imputentur, quare similiter verbum Dei stare non debet ut ista amplius non remunerentur ? Pro commodo tuo vis ut Deus mentiatur. Ubi autem lædi te sentis, pro veritate ipsius conservanda laboras. Quare ergo hoc facis, nisi quia perverse te diligis, et Deum non diligis ? ipse autem recte diligit veritatem suam ; et juste condemnat pravitatem tuam. Quia tamen de dicto Dei argumentum sumere putas, et ejus sponsionem prætendis ad defendendam iniquitatem tuam ; ipse tibi respondeat quantum confi-

dere debeas, cum male agis in eo quod prius pœnitenti veniam promisit : et similiter si bene agis utrum ideo desperare debeas, pro eo quod male prius agenti mortem et perditionem intendit. Dominus per prophetam loquitur, dicens : *Tu, fili hominis, dic ad filios populi tui : Justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit et impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua; et justus non poterit vivere in justitia sua in quacunque die peccaverit;etiam si dixero justo quod vita vivat et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio : Morte morieris, et egerit pœnitentiam de peccato suo, feceritque judicium et justitiam, pignus restituerit impius ille, rapinamque reddiderit : in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum ; vita vivet et non morietur. Omnia peccata quæ peccavit non imputabuntur ei, judicium et justitiam fecit, vita vivet : et dixerunt filii populi tui : Non est æqui ponderis via Domini : et impiorum via injusta est (Ezech.* XXXIII*)*. Vide ergo quia idcirco præsumendum tibi non est si peccaveris, quod prius pœnitenti venia promittebatur ; neque ideo desperandum si bene egeris, quia peccanti mors et damnatio intentabatur. Deus tibi de tuo respondet, non de suo. Meritum tuum tibi indicat, consilium suum non revelat. Male agenti dicit, morieris. Bene agenti dicit, vives. Quid est dicere morieris, nisi damnabaris ? Et quid est dicere vives, nisi salvaberis ? Quid est autem dicere damnaberis nisi dignum damnatione judicare ? Et quid est dicere salvaberis, nisi salvatione dignum decernere Dicit ergo tibi quod tuum est quod tibi debetur, quod futurum est quantum ad meritum tuum, non quantum ad consilium suum. Hoc est enim justum ut de tuo tibi respondeat et hoc tibi proponat quod ad te pertinere videtur. Sic Ninivitis secundum ipsorum meritum, non secundum consilium suum mandavit, dicens: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur* (*Jon.* III). Sic etiam meritum illorum requirebat, et ita futurum fuit secundum meritum illorum. Ad hoc spectabat, et illud etiam quod dictum est Ezechiæ : *Dispone domui tuæ quia morieris tu, et non vives* (*Isa.* XXXVIII). Ita enim quantum ad ipsum futurum fuit, et ut ita futurum esset exigebat quod in ipso fuit. Talis enim erat infirmitas illius, ut amplius vivere non posset, nisi aliunde juvaretur, et aliunde acciperet ut posset. Ergo quantum ad illos pertinebat futurum fuit quod dicebatur, quamvis dilatum sit, atque aliter dispensatum ab illo a quo dicebatur. Sic ergo cum tibi peccanti dicitur morieris ; meritum tuum exprimitur, sicut cum tibi bene agenti dicitur, vives, debitum tuum nuntiatur. Etsi quando dictum mutari videtur, non propter dicentem mutatur, sed propter te pro quo dicitur ; quia tu mutaris et non idem permanes, neque mereris ut idem tibi semper dicatur. Noli ergo propter dictum Dei confideri si male egeris, quia cum tu mutaris ad illum, mutatur ad te dictum illius. Etiam, inquit, si dixero justo quod vita vivet, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ illius oblivioni tradentur. Si omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, ergo et pœnitentia ejus et humilitas ejus, et cætera bona quæ operatus est oblivioni tradentur ; si autem pœnitentia oblivioni traditur, culpa unde excusatur? Ergo si pœnitentia deletur, culpa quæ propter pœnitentiam dimissa fuerat iterum necesse est renascatur. Et merito qui post acceptam gratiam ingratus exstitit, cum illo gratia ipsa non permassit ; sed mutata est ab eo quoniam ipse ad illam idem esse noluit. Vide quid tibi Evangelium. (*Matth.* XVIII) dicat de servo nequam et ingrato, cui roganti a Domino suo debitum omne dimissum fuerat ; sed quia ille erga conservum suum misericordiam habere noluit, rursum ab eo per districtionem justitiæ exigitur, quidquid per lenitatem gratiæ dimissum fuit. Recte igitur dictum est, quia cum peccantibus in nos debita sua dimittere nolumus, jure iterum exigitur id etiam quod nobis dimissum esse gaudebamus. Et merito. Quod etiam culpa peccatori dimittebatur, gratia fuit non debitum. Qui si sponte gratiam collatam abjicit justum profecto est ut illi gratiam accepisse non prosit.

Sed dicis mihi : Si post pœnitentiam factam peccanti iterum priora denuo peccata imputantur, ubi est quod dicitur, quia nullum bonum irremuneratum esse potest? Ecce bonum quoddam hic est ; pœnitentia scilicet hominis hujus quæ bona fuit, quandiu vera fuit; et non habet bonum illud remunerationem aliquam, quia imputantur homini huic peccata sua, quasi nunquam pœnitentiam egisset. Aut pœnitentia illa bona non fuit ; aut si bona fuit, ostende remunerationem ejus. Quid ergo? Nonne tibi magna remuneratio esse videtur peccati remissio; iste quando pœnitentiam egit, dimissum est ei peccatum suum. Quandiu pœnituit, peccatum suum non imputabatur illi. Quandiu meritum fuit præmium permansit. Volebas tu hanc libertatem dare hominibus ut cum meritum dedissent et præmium accepissent, rursum quando placeret eis meritum tollerent, et præmium retinerent? Non esset æqua commutatio ista. Inique ageres adversus Deum si sic tuum dares et suum acciperes, ut iterum tolleres tuum et suum retineres. Si tuum dedisti et suum accepisti, si tuum recipis, ipse quod suum est habere vult. Nunquid tibi non ita videtur? Fortassis dicis quod non est æqua via Domini; et senties contra veritatem. Quomodo, inquis, stabit quod scriptum est : *Non judicabit Deus bis in idipsum* (*Nahum.* I)? si ea quæ dimissa fuerant, iterum ad pœnam requiruntur. Audi quomodo, Bis in idipsum Deus non judicat; quia peccatum quod per condignam satisfactionem deletum ostenditur, ab eo nullatenus ad pœnam imputatur. Sed hoc, inquis, quod per satisfactionem deletum fuit, ite-

rum ad pœnam requiritur. Ideo requiritur quia satisfactio jam non est aliqua, quæ ad excusationem illius opponatur. Quandiu satisfactio permansit, permansit remissio et non puniebatur, postquam semel dimissum fuerat. Cessavit autem satisfactio, quando iterata est malitia quia et hoc ad satisfactionem pertinebat, ut facta corrigerentur, et correcta non iterarentur. Postquam ergo culpa reddit, jam quodammodo idipsum non fuit, quia bis in reatu esse cœpit peccatum unum. Quia autem culpa reversa est, reversa est et pœna; quæ profecto repetita non fuisset, si culpa reversa non fuisset. Quando venit culpa, secuta est pœna. Quando correcta est culpa, subtracta est pœna, quando reversa est culpa, reversa est et pœna. Unum contra unum, et duo contra duo non unum contra duo, nec duo contra unum. Hæc est justitia. Quantum ponitur, tantum reponitur. Quid tibi videtur? responde si potes. Si autem respondere non potes, noli contendere, sed deprecare. Non tibi expedit ut intres in judicium cum Deo. Quære ergo misericordiam, ut justitiam portare possis.

PARS QUINTA DECIMA.

DE UNCTIONE INFIRMORUM.

Cap. I. *De tribus generibus olei, et excellentia chrismatis.*

Tria sunt genera olei sancti. Primum est oleum unctionis. Secundum est oleum principalis chrismatis. Tertium est oleum, quod dicitur oleum infirmorum. Chrisma Græce dicitur, *unctio* Latine. Et tamen omne oleum ad unctionem faciendam sanctificetur; non omne oleum principalis chrismatis vocatur, nisi illud solum quo principalis unctio perficitur, quod etiam singulariter chrisma nominatur. Chrisma enim est oleum cum balsamo mistum, quo unguntur capita regum et pontificum : quo etiam baptizatos sacerdos ungit in vertice, sicut eodem pontifex per impositionem manus confirmandos ungit in fronte. Hoc itaque oleum cum balsamo mistum, chrisma vocatur, sive oleum principalis unctionis. Hæc enim unctio quæ chrismate fit principalis unctio dicitur, quia in ea principaliter Paracletus datur. Unde et propter abundantiam gratiæ duos liquores mistos habet : oleum scilicet et balsamum. Oleum conscientiæ, balsamum famæ; oleum quo intus conscientia perungitur, balsamum cujus odore foris proximi res perguntur. Oleum intus ad pacem cum Deo; balsamum foris ad exemplum cum proximo. Est aliud oleum quod dicitur oleum unctionis, quo catechumeni et neophyti unguntur in pectore et inter scapulas ad sacramentum baptismi percipiendum. Tertium genus olei est quod dicitur oleum infirmorum, quod ad præsens sacramentum pertinet.

Cap. II. *Quando et a quo instituta est unctio infirmorum.*

Sacramentum unctionis infirmorum ab apostolis institutum legitur (5). Jacobus enim apostolus in Epistola sua scribens sic ait : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ ut orent pro eo, ungentes eum oleo sacro; si in peccatis est, dimittentur ei, et oratio salvabit infirmum* (*Jacob.* v). In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc institum, et ad peccatorum scilicet remissionem, et ad corporalis infirmitatis allevationem. Unde constat quod qui hanc unctionem fideliter et devote percipit, per eam sine dubio et in corpore et in anima allevationem et consolationem accipere meretur; si tamen expedit ut in utroque allevetur, quod si forte corporis sanitatem et valetudinem habere ili non expedit; illam procul dubio quæ est animæ sanitatem et allevationem hujus unctionis perceptione acquirit.

Cap. III. *Utrum iterari possit hoc sacramentum.*

Quærunt quidam an unctio infirmorum iterari possit, cum baptismus, confirmatio et alia quædam sacramenta, semel suscepta, denuo non iterentur. Sed mihi interim ratio nulla occurrit quare convenienter iterari non possit hoc sacramentum. Qui enim baptizatus est, ideo baptizatus est, ut christianus sit. Qui autem semel christianus factus est amplius christianus hic esse non potest, etiam si malus fiat; quia et christianus malus esse potest; nec tamen christianus esse desinit, etiam si bonus esse desinit. Præterea qui semel baptizatus est denuo non baptizatur, etiam si de malo ad bonum convertatur. Qui autem oleo ungitur ideo ungitur ut ei peccata dimittantur, et infirmitas allevetur. Sed qui justificatur potest iterum peccare, et qui sanatur potest iterum ægrotare. Qui autem christianus efficitur, quia quod habet sacramentum nominis perdere non potest, recipere non potest. Non sic est sacramentum unctionis : spiritalis est quædam medicina corporis et animæ, languores mitigans et sanans. Nam oleum membra dolentia sanat. Ita oleum ad utrumque curandum prodest; si morbus non revertitur medicina non iteretur. Si autem morbus non potest cohiberi, quare deberet medicina prohiberi? Si unctio iterari non potest, nec oratio iterari potest. Utraque enim illic commemorata sunt. *Orent*, inquit, *pro eo, ungentes eum oleo sacro; si in peccatis est, dimittentur ei; et oratio salvabit infirmum* (*Jacob.* v). Sed fortassis dices quod unctio non pertinet nisi ad peccatorum remissionem; et oratio non pertinet nisi ad corporis allevationem, quia dictum est : oratio salvabit infirmum. Verte quolibet. Sed di-

(5) Unctionis extremæ sacramentum a Christo institutum docet sacrosancta synodus Tridentina.

A cis, quod unctio confert peccatorum remissionem : et oratio infirmitatis allevationem. Ego verum esse confiteor, sic tamen ut conversam non neges; quia unctio confert corporis allevationem, et oratio peccatorum remissionem. Utrumque vadit ad utrumque. Utrumque operatur ut utrumque utrinque operatur et utrumque alteri cooperatur, et unum effectum habet utrumque. Quod in sacramento non dividitur, in virtute sacramenti non separatur; tamen quia unctio membrorum dolorem sanat, et contra corporis infirmitatem magis prodesse videtur : ideo fortassis dixit oratio salvabit infirmum, ut in utroque utrumque intelligas, et non putes unctionem magis ad sanitatem corporis pertinere, quam ad peccatorum remissionem. B Prius anima curatur, postea corpus sanatur. Propter correctionem animæ infirmatum est corpus. Ideo ad sanitatem corporis obtinendam, prius curanda est anima. Et si forte corpus ad pristinam sospitatem non convalescit, nihil periculi est, si tantum anima suam sanitatem receperit. Quare ergo negetur quod unctionis sacramentum super infirmum iterari possit; ad reparandam sæpius sanitatem et ad impetrandam sæpius peccatorum remissionem, cum negari non possit pro eadem corporis sanitate, et similiter pro peccatorum remissione, sæpius iterandam esse orationem? Et ut sacramentis idem demonstremus, quis dicat hominem aqua aspersionis semel lustratum amplius aspergi non posse; et quod majus est sacramento corporis et sanguinis Christi semel percepto amplius illud suscipere non debere? Sed si forte ad hæc respondendum existimes, quia corpus semel consecratum denuo in eodem sacramento non benedicitur, neque aspersionis benedictio sæpius in eadem aqua reiteratur, vide quod similiter idem oleum post unam consecrationem alia rursum benedictione aut consecratione non sanctificatur : et tamen sicut ille qui corporis Christi sacramentum jam percepit, nequaquam idcirco a percipiendo iterum eo prohibetur, sic ei qui unctionis sacramentum accepit, si necesse fuerit et causa sive devotio expostulet, ut illud iterum percipiat rationabiliter non contradicitur.

PARS SEXTA DECIMA.

DE MORIENTIBUS SEU DE FINE HOMINIS.

C CAP. I. *Quod ii qui in Domino moriuntur etiam cum parvo merito beati erunt.*

Scriptura dicit : *Beati mortui qui in Domino moriuntur* (*Apoc.* XIV). In Domino moriuntur qui in carne quidem morientes in Domino tamen viventes inveniuntur. Quid est in Domino? In fide et spe et charitate. Per ista enim vivitur in illa vita qua vivitur in Domino. Est quædam vita qua corpus vivit ex anima; et est quædam vita qua anima vivit in Deo; nunc quidem fide, spe et dilectione postea vero pro fide et spe comtemplatione, remanente dilectione. Non igitur nocere potest animæ si corpus vitam suam perdit, quando ipsa vitam suam in fide et spe et charitate persistens non amittit. Nemo ergo mihi dicat : qui D parvam fidem et spem parvam, et parvam charitatem habent non salvantur. Ego non mensuro. Crescant quantum volunt; quanto majores, tanto meliores. Tamen ego illos condemnare non audeo, quantumvis parvi sint. Ex quo nati sunt ex Deo, filii sunt Dei. Putas quod magnos filios suos Deus salvabit, et parvos condemnabit? Scriptura mihi dicit : *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* (*Psalm.* CXXXVIII). Si omnes, ergo et parvi et magni. Quid est, oculi tui viderunt? Approbaverunt. Quid est, in libro scribentur? Salvabuntur. Ergo imperfecti quoque salvabuntur. Qui enim imperfecti sunt aliquid sunt; et aliqui sunt, et in numero ponuntur et scribuntur. Qui mihi sunt, nulli sunt, nec scribi aut numerari habent, qui nihil habent. Ergo *Omni habenti dabitur et abundabit* (*Matth.* XXV) : Omni habenti meritum, dabitur præmium. Non dixit habenti magnum meritum, præmium dabitur, et parvum meritum habenti non dabitur; sed omni, inquit, habenti dabitur et abundabit. Ergo etiam ille qui parvum meritum habet, cum præmium acceperit satis habebit, quamvis non tantum habebit, quantum qui magnum meritum habebit. Solus ille excluditur a percipiendo præmio, qui nihil habet de merito. Omnes ergo qui in Domino moriuntur beati sunt; quia post meritum virtutis, perveniunt ad præmium beatitudinis.

CAP. II. *De exitu animarum.*

Multa quæri possunt, si tamen omnia quæri debent quæ quæri possunt. Quærunt homines de exitu animarum a corporibus qualiter exeant; et quo exeuntes pergant, vel cum pervenerint quo pergunt, quid inveniant, vel quid percipiant aut sustineant. Sed hæc omnia magis timenda sunt, quam quærenda. Ideo quippe abscondita sunt, ne quærantur aut inveniantur, sed timeantur. Quis enim securus esse potest in incertum pergens? Hoc autem solum incertum esse non debet, quod bonam vitam mala mors sequi non potest. Mala enim mors non est nisi ea sola quam mala sequuntur. Qui ergo bene mori vult, bene vivat, quoniam ea quæ post mortem veniunt contra ea disponuntur; et secundum ea retribuuntur quæ ante mortem in vita præcedunt. Usque ad mortem meritum est; post mortem vero præmium. Mors media est in qua dies Domini incipit. In die suo homo sibi relinquit, ut quod vult operetur. In die vero Domini jam in potestate sua

non est homo, sed in illius potestate ad quam venit ut remuneretur. Propterea ad hominem pertinet ut id solum quod sibi commissum est bene disponere studeat; illud vero quod non commissum sed promissum sibi est illius arbitrio a quo illud impleri oportet relinquat. Multi quærunt de exitu animarum quomodo a corporibus egrediantur animæ, sive scilicet hoc modo, ut essentialiter et localiter foras egrediantur, ut extra esse incipiant quasi exclusæ, sive hoc solum illis egredi sit, quod se a vivificatione corporum retrahunt; et quasi ad se colligentes a vegetatione corporis cessant, ut in semetipsis subsistant. Verbi gratia: Quando flatus iste corporeus expiratur egreditur a corpore, et incipit essentialiter atque localiter extra corpus, qui prius essentialiter atque localiter intra corpus continebatur. Quando vero cortex arescere incipit in arbore, exit humor ab illo et contrahitur ad interiora, neque foras egreditur, ut extra sit, sed interius remanet in eo quod intus est sive in ligno sive in medulla ut in cortice ipso non sit. Tamen omnino exit a cortice ut in cortice jam non sit; neque exit quasi ad exteriora effusus, sed exit quasi ad interiora collectus. Et si forte humor rursus ab interiori suo prodeat, ut se iterum effundat in corticem, rursus revirescit cortex ille, quoniam humo in ipso est in vita ejus. Sic quærunt de anima quando exit a corpore, utrum hoc solum illi exire sit quod se retrahit ad se ad vivificationem corporis; et in hoc ipso jam in corpore non est quod corpus vivificare cessat. In hoc enim videtur quod jam quodammodo extra omne corpus est quod sola in semetipsa subsistens ad corporis vivificationem effusa non est. Quando vero in corpore non est, in loco non est quia locus non est nisi in corpore. Quando autem extra corpus est et extra locum est, quia inter ipsam et corpus non est locus; et æqualiter distat ab omni corpere, quia inter ipsam et omne corpus nullum est corpus. Si vero inter ipsam et omne corpus nullum est corpus, constat profecto quod inter ipsam et omne corpus nullus est locus, quia locus non est ubi non est corpus. Quando igitur extra omne corpus est, quantum ad locum æqualiter prope est omni corpori, quia si extra corpus posita uni corpori propior, et alteri remotior esset, inter ipsam profecto et corpus spatium esset. Si spatium esset, locus esset; si locus esset, corpus esset. Si autem inter ipsam et omne corpus corpus esset, extra omne corpus corpus esset, quod fieri non potest. Itaque dicunt quod anima neque per corpus a corpore recedit, neque per corpus ad corpus accedit; et ideo nec loco movetur, ut recedat a corpore quod est in loco; nec loco movetur, ut accedat ad corpus quod est in loco. Inter omnem enim locum et id quod est in nullo loco nullus est locus. Propter hoc itaque dictum putant, quod spiritus creatus tempore quidem movetur, quia mutabilis est; sed loco non movetur, quia nec loco movetur recedens a corpore quod est in loco; nec loco movetur accedens ad corpus quod est in loco. Neque enim

A loco movetur quando recedit a loco, neque iterum loco movetur quando accedit ad locum; etiam quando in corpore posita anima corpus localiter movet, ipsa tamen localiter non movetur. Si enim idcirco localiter moveri existimatur, quia in corpore est quod localiter movetur, quare non similiter sapientia localiter moveri dicatur, quia in corde est quod localiter movetur? Nam si dicitur quia per animam ipsam in corde est sapientia, cum anima ipsa per corpus localiter motum localiter moveri dicitur, quare non etiam per ipsam animam localiter motam sapientia quæ in anima est localiter moveri dicatur? Si vero hoc ratio non probat ut sapientia localiter moveri dicatur, cum sit tamen in anima, quare anima localiter moveri B dicetur, quamvis in corpore sit quod localiter moveri cernitur? Hujusmodi consideratione probant spiritum localiter non moveri, quamvis in corpore sit quod localiter movetur, temporaliter tamen moveri, quia vicissitudini subjacens de alio in aliud mutatur. Sed nos in occultis nimis curiosos esse non oportet, ne forte plus præsumamus quam possimus. Quæ sit via spiritus? Deus novit qui fecit eum. Nos autem neque scimus quomodo venit neque comprehendimus quomodo recedit. Quando flatus iste corporeus attrahitur, corporaliter et localiter ingreditur; quando autem spiratur corporaliter et localiter egreditur. Sed alia est natura spiritus, alia corporis. Quando primo homini data est anima, *inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ* (*Gen.* II.) Et quis C dicere potest quomodo inspiravit Deus animam corpori vivificando sive quia extra creatam ad vificandum immisit, sive quia ibidem fecit ubi posuit, et ab intus creatam vivificationem prodire jussit; nec alia fuit inspiratio quam ipsa vivificatio? Si ergo nescitur quomodo inspiratur, quomodo sciri potest qualiter expiratur? Deus inspirat, homo expirat. Deus mittit, homo remittit. Qua via mittitur cum accedit, eadem remittur cum recedit. Hoc unum scimus quod, recedente anima, corpus moritur; et ipsa separatio animæ, mors corporis est. Hoc nobis sufficit scire quod recedit. Quomodo recedat ex abundanti est perscrutari. Multis tamen exemplis didicimus D in exitu animarum angelorum malorum sive bonorum præsentiam adesse, qui illas pro meritis vel ad tormenta pertrahant, vel ad requiem deducant: sed et ipsas animas adhuc in corpore positas ante exitum multa aliquando de iis quæ futura sunt super eas; sive ex responso conscientiæ interioris, sive per revelationes, exterius factas, præscisse cognovimus. Raptas etiam aliquando et iterum ad corpora reducta visiones quasdam et revelationes sibi factas narrasse sive de tormentis impiorum sive de gaudiis justorum; et in his omnibus tamen nihil nisi vel corpore vel corporalibus simile recitasse: flumina, flammas, pontes, naves domos, nemora, prata, flores, homines nigros, candidos, etc., qualia in hoc mundo videri et haberi solent, vel ad gaudium amari vel timeri ad tormentum. Se quoque solutas corporibus,

manibus trahi, pedibus deduci, collo suspendi, flagellari, præcipitari, et alia hujusmodi, quæ non nisi corporali naturæ convenire omnino possunt. Quæ omnia si ita illic visibiliter et corporaliter esse credimus, præter alia quæ absurda nascuntur, ipsas utique animas etiam a corporibus separatas corpora esse ad similitudinem corporum membris compactas atque distinctas confitemur. Ego quidem quod de hac re audivi tacere non debeo. Quidam probati testimonii frater narravit mihi se a suo abbate veraciter hoc affirmante audisse, quod cum aliquando ille ad quosdam fratres eminus constitutos visitandos pergeret, in itinere, ut solet, quodam loco hospitium accepit. Ubi factum tunc apud omnes ejusdem loci habitatores celebre paucis ante diebus contigisse didicit. Quidam peregrinus, orationis causa ad sanctum Jacobum pergens in eodem loco hospitatus est. Nocte, ut itinerantibus mos est, ante diluculum surrexit, egressus de vico in silvam quæ eidem vicina erat devenit. Ibi a comitibus itineris casu, ut solet, discrimine viæ disjunctus, deviare cœpit. Cumque longius processisset, obvium habet quemdam venerandi habitus et vultus virum, a qua interrogatus quis aut unde esset vel quo pergeret : nomen, patriam similiter et causam itineris exposuit. Ille se esse sanctum Jacobum ad quem tenderet protestatur. Se jam pridem omnia scisse; nunc vero quasi beneplacito et grato venisse obviam devotionem laudat, bonum propositum commendat; præmium apud se magnum parari, nec longe esse jam remunerationem. Multis post hæc verbis hinc inde intercurrentibus, tandem miserias et dolores vitæ hujus quales aut quantæ sint exponit; omne quod hic amatur quam cito fugiat; et pari modo omne quod timetur vel doletur quomodo sine mora transeat. Inter hæc et hujusmodi quasi rationabili persuasione paulatim menti hominis nihil sinistrum suspicantis contemplum vitæ ingerit, metum mortis tollit. Postremo testatur nihil magis vero virtutis expedire, quam ut hinc exire festinet, etsi alia via non detur, manu sua fortiter mortem lacessat; et non permittat se in his doloribus diu teneri, qui gaudium sibi paratum esse non dubitat. Quid multa? Deceptus fraudulentæ persuasioni assensum præbet, et injecto ferro semetipsum jugulat. Comites ejus diu per devia quæsitum tandem exstinctum inveniunt, ad vicum unde exierant cadaver exanime reportant : et quia hospes apud quem nocte illa manserat hujus sceleris verisimiliter conscius videbatur, eamdem falsa criminatione ad pœnam exposcunt. Ille dum innocentiam suam sine causa periclitari cerneret et divinum auxilium intima cordis devotione sibi adesse imploraret, ecce subito qui mortuus fuerat surrexit et rem gestam cunctis astantibus et mirantibus exponens innocentem absolvit. Referebat se ab eodem angelo malo a quo ad interfectionem sui persuasus fuerat ad tormenta deductum. Dum duceretur quemdam splendida facie virum (ipsum autem sanctum Jacobum fuisse aiebat) euntibus occurrisse, eumque ereptum in cœlum ad thronum judicis deduxisse, illicque, pre-

A cibus pro ipso fusis, ut vitæ denuo redderetur obtinuisse. Ibi se multa millia angelorum vidisse affirmabat, de quorum tamen statu et facie interrogatus nihil in hoc mundo esse dicebat simile illis, quo illam quam in ipsis viderat qualitatem exprimere potuisset, nisi forte ignem aut lucem ; ipsam tamen longe et valde dissimiliter. Memorem quidem se esse, sed exprimere nullo modo posse quod viderat. Hoc quidem commemorare voluimus ne mirum videatur si animabus a corporibus egressis, signa quædam corporalibus similia ad demonstrationem spiritualium præsentantur, quæ nisi in talibus et per talia ab animabus corpore exutis viderentur; nullo modo ab eisdem ad corpora reversis in corpore viventibus et corporalia tantum scientibus dicerentur. Quam- B vis enim illa aliter ibi a corporibus exutæ videre possent, non tamen hic nobis aliter narrare possent, et manerent semper occulta illa; nec esset quod de illis nobis a redeuntibus diceretur, nisi exeuntibus, et videntibus secundum ista monstraretur. Utrum autem animæ quæ hinc amplius non reversuræ exeunt, secundum hunc modum illa videant aut sentiant, omnino dubium est, nisi quod probabilius videtur, quod illæ quæ in corporibus viventes per delectationem rerum visilium corporalibus imaginibus afficiuntur, corporibus exeuntes in eisdem illic imaginibus tormenta patiuntur. Neque enim omnino corporalem passibilitatem exuunt, quando corporalium imaginationibus delectationis pravæ usu impressis obvo- C lutæ et involutæ exeunt. Quæ vero hic manentes se ab eisdem delectationibus et cogitationum phantasiis mundare ac spoliare studuerunt; illic postmodum postquam a corporibus egresæ fuerint, pœnam in eis et tormenta non sentiunt; quia in hoc ipso quodammodo impassibiles existunt, quod nihil pœna dignum secum fuerunt.

CAP. III. *De pœnis animarum.*

Quidam putant animas corporalibus pœnis cruciari non posse, nisi per corpora et in corporibus manentes. Quapropter a corporibus exutas animas nullas alias pœnas sustinere credunt, nisi eas solum quas conscientia intus accusatrix irrogat. Sed verissime auctoritate sacri eloquii et catholicæ veritatis probatur testimonio, corporali et mate- D riali igne animas etiam nunc ante susceptionem corporum cruciari. Si enim dæmonibus qui sunt spiritus, corporalis ignis præparatus dicitur, quid mirum est si animæ a corporibus exutæ corporali igne crucientur ? Sed quomodo, inquiunt, animæ sine corporibus a rebus corporalibus pati possunt ? Ecce dicamus : Nescimus quomodo hoc fieri possit ; nunquid ideo verum non est quod nos nescimus quomodo est ? Tamen quid mirum est si animæ extra corpora patiuntur ? Si læduntur dum cæduntur indutæ, cur non lædantur si cædantur exutæ ? Si affici possunt quando inter ipsas et illud a quo afficiuntur medium est illud per quod afficiuntur ; nonne probabile est omnino multo magis eas affici debere, quando illi a quo afficiuntur immediate conjunguntur ? Tamen

hoc ubique quærendum non est, ut quod jubemur credere nostra semper ratione discutere conemur. Scriptura sacra magistra fidei nostræ hoc nobis dicit. Quid amplius quærimus ? Suscipiamus, non contradicamus. Beatus Gregorius dicit quod in eo ardent quod se ardentes vident. Quid sibi vult putatis hoc quod dicit, quod animæ in eo ipso ardent quod ardorem suum vident? In rebus aliis corporalibus non est ita ut ardorem sentiat quicunque ignem conspicatur. Quæ est ergo visio illa animæ qua sentit omne quod videt, vel si non omne hoc certe quod ad pœnam videt ? An quia sensus animæ quando per corpus egreditur ideo diversis modis percipit ; quia per diversa instrumenta percipit, et ob hoc quædam eminus constituta, corporali sensu non percipit, quia ad percipienda illa instrumenta corporis sensus non sufficit ? Ibi enim sensus deficit ubi amplius instrumentum non sufficit. Propterea illi sensus qui instrumenta magis sufficientia habent, majorem in percipiendo vim habent. Oculus longe posita videt ; tactus vero sentire non potest nisi immediate conjuncta. Si instrumentum tangendi æque ut vivendi perspicax esset, æque tactus ut visus eminus constituta perciperet. Quid ergo ? Ubi instrumentorum diversitas nulla erit, quare non omnis sensus æqualis erit, ut videlicet idem sit illic videre quod tangere, tangere quod dolere ? Hoc tamen non nisi de illis intelligendum est qui idcirco a tormentis affici possunt, quia hinc exeuntes in corruptione vitiorum secum ferunt passibilitatem. Nec tamen quia sensum animæ eminus affici dicimus, idcirco inter pœnas corporales et ipsam animam quasi aliqua locorum spatia collocamus, quia ipsa quæ in sui natura nulla dimensione tenditur, ubicunque præsens est sensu per semetipsam etiam præsens, esse probatur. Quia enim in ipsa non est locus, inter ipsam et locum nullus est locus. Hæc tamen omnia quia dictum est ratione humana investigari non possunt ; in his mentem solidemus, quæ fides non dubia probat, quod scilicet peccatrices animæ quæ culpam non correxerunt in hac vita, pœnam habent post hanc vitam, quæ licet qualiter ab illis sentiatur a nobis non intelligatur, quid interest cum non ideo minus ab illis sentiatur, quamvis a nobis non intelligatur ? Nil etenim refert a quibus rebus patiantur, sed quantum patiantur ; quia vis doloris non in tormento sed in sensu patientis consistit. Quid enim prodesset etiamsi elementorum foris cruciantium materia abesset, et patientium tamen dolor intus propterea non minor esset ? Ut quid ignem ac flammam times, nisi quia uri times? Sed si vulnera et plagæ non dolerent, quis arma aut tela timeret ? Vide ergo quod omnia hæc a quibus dolor esse potest non timentur nisi propter ipsum dolorem. Tolle sensum doloris, non est quod timeas. Poterat ergo Deus etiam sine elementis etiam materialibus animabus cruciandis sensum doloris dare ; sed dignum est ut in eis puniantur in quibus peccaverunt prius quidem sine corporibus, sicut in ipsis

A perverse sunt delectatæ; postea vero cum corporibus sicut in ipsis per corpora inique sunt operatæ

CAP. IV. *De locis pœnarum.*

Sicut peccatoribus cruciandis Deus pœnas corporales præparavit, ita etiam ad ipsas pœnas corporales loca corporalia distinxit. Quia enim ea quæ foris sunt opera ejus non solum instrumenta sed etiam documenta esse debent eorum quæ invisibiliter operatur ; idcirco etiam et in corporalibus locis et tormenta impiorum et gaudia justorum distinxit. Infernus locus tormentorum est. Cœlum locus est gaudiorum. Bene etenim locus tormentorum est deorsum et locus gaudiorum sursum ; quia et culpa deorsum premit, et justitia sursum sustollit. Maxima tormenta locum in infimo

B habent ; maxima gaudia in summo. Media autem bona et mala in medio, hoc est in hoc mundo mista sunt. Dicitur infernus esse inferior locus, in imo terræ pœnis damnandorum præparatus. De quo tamen omnino certum non est in qua parte ejus, id est utrum intra concavitatem illius sive extrinsecus in aliqua regione ambitus ipsius dispositus sit ; quamvis tamen verisimilius videatur infra terram quasi carcerem quemdam, et velut ergastulum tenebrarum collocatum. In hoc inferno dicunt ignem inexstinguibilem ; et qui ut semper ardeat nutrimento non egeat, ab initio mundi dæmonibus æternaliter cruciandis præparatum ; in quo scilicet igne etiam homines maligni cum dæmonibus æternam pœnam passuri sunt, quia eis in hac vita positi ad culpam consenserunt. Ad

C hunc infernum animæ sceleratorum a corporibus egressæ statim retrudi existimantur, sicut e diverso perfectorum justorum, et qui ab hac vita purgati exeunt sine mora ad cœlum (ubi secundum humanitatem suam Jesus Christus in dextera Patris sedet in gloria) deduci continuo creduntur, sicut scriptum est : *Ubicunque fuerit corpus illuc congregabuntur aquilæ* (*Matth.* XXIV ; *Luc.* XVII). Est autem alia pœna post mortem quæ purgatoria dicitur. In qua qui ab hac vita cum quibusdam culpis, justi tamen et ad vitam prædestinati exierunt, ad tempus cruciantur, ut purgentur, cujus locus omnino determinatus non est, nisi quia multis exemplis et revelationibus animarum in

D ejusmodi pœna positarum sæpe numero monstratum est in hoc mundo illam exerceri, et fortassis probabilius erit ut in iis potissimum locis singulæ pœnam sustinere credantur, in quibus culpam commiserunt, sicut multis sæpe documentis probatum est. Alia vero si qua sunt harum pœnarum loca non facile assignantur. Beatus Augustinus ex Epistola Petri ostendit quomodo apostatæ Angeli labentes in hujus mundi ima detrusi sunt usque ad futuram in die judicii ultimam damnationem. Nam quod Petrus carcerem vocat caliginis inferi *(II Petr.* II), idem Paulus tenebras appellasse ostenditur, dicens : *Rectores tenebrarum harum spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Hunc autem carcerem sive tenebras istas aerem istum intelligimus esse. Unde et aeriæ potestates dicuntur, in quo modo ipsi maligni

spiritus ante ultimi judicii diem et secundum aliquid ligati sunt, inquantum scilicet conscientia futuræ damnationis constringuntur ; et secundum aliquid soluti, inquantum videlicet ad tentandos homines secundum moderamen divinæ dispensationis ab illis interim maximis gehennæ tormentis laxati vacare permittuntur. De inferno autem ubi ille æternus ignis paratus est cruciandis, beatus Gregorius in libro Dialogorum testatur hoc verisimilius judicari, ut, sicut diximus, sub terra esse credatur propter Scripturam quæ dicit : Nec in cœlo nec in terra nec sub terra inventum est qui librum signatum aperire potuisset (*Apoc.* v). Quæri autem non inconvenienter potest, utrum animæ damnandorum, eorum scilicet qui ab impiis et sceleratissimis quadam vivendi mensura in malitia inferiores fuerunt, egressæ a corporibus statim ad inferni loca rapiantur ; an vero in aliquibus aliis locis pœnalibus secundum occultam Dei dispensationem ab illis gravioribus gehennæ tormentis adhuc interim differantur, ut videlicet quemadmodum boni qui cum culpis quibusdam mansionibus detinentur, ut non statim ad gaudia cœlorum ascendant, ita quoque minus mali cum hinc egrediuntur quamvis damnandi, quibusdam tamen levioribus pœnis secundum modum seu mensuram culparum dispositis non statim ad tormenta inferni descendant. De perfectis quippe bonis dubium non est quin egredientes statim ad gaudia transeant. Similiter etiam et de valde malis dubium non est, quin exeuntes hinc sine mora ad inferni tormenta descendant. De imperfectis quoque bonis certum est quod nunc interim quibusdam pœnis usque ad plenam videlicet purgationem a venturis gaudiis differantur. De imperfectis sive minus malis certum non est ubi nunc sint, donec in tempore universalis resurrectionis receptis corporibus ad illa tormenta descendant ubi semper sint. Nam idcirco ab illis differri dicuntur, quia minus mali sunt ; poterunt simili ratione non differri credi quia damnandi sunt. Quid enim facit dilatio ubi emendatio vel purgatio esse non potest ? Quod tamen quia occultum omnino est, nequaquam temere definiendum est.

Cap. V. *De qualitate tormentorum gehennalium.*

Hoc autem valde dignum inquisitione videtur, utrum scilicet solus ignis cruciatibus damnandorum præparatus sit, propterea quod illum solum Veritas commemorat, dicens : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv). Cum enim in hac vita non solum ab igne, sed etiam ab aliis elementis pœnæ ac cruciatus proveniant, quare non etiam illic in aliis elementis sicut et in igne pœnæ damnandorum consistant ? De tormentis quippe impiorum scriptum est : Transeunt a frigoribus nivium ad calores ignium (*Job.* xxiv). Et iterum alibi : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* lxvi). Nam si vermem quis ad solam compunctionem conscientiæ peccatricis referri velit, et ob hoc quidem ignem corporalem, vermem autem non corporalem, sed spiritualem intelligendum putet, quid est quod alibi scriptum est : *Vindicta carnis impii ignis et vermis ?* (*Eccli.* vii.) Si enim propterea ignis corporalis creditur, quia vindicta carnis est, quare non similiter vermis corporalis dicitur, quia in vindictam carnis parátus commemoratur ? Propter hujusmodi non leviter unum aliquid definiri potest. Tamen qui dixerit propterea carnis impii vindictam in verme futuram esse et in igne, quia impius pro eo quod etiam in carne male vixit, et in carne cruciabitur per ignem, et in spiritu per conscientiæ vermem, sane intelliget et vermem non moriturum in æterno cruciatu conscientiæ, et ignem non exstinguendum in carne. Sed quomodo illa frigora nivium et calores ignium interpretabimur, ad quæ cruciandi impii alternatim transire dicuntur ? An forte hoc de illa tantum pœna intelligendum est, quia nunc in spiritu ante ultimi judicii diem crucientur, ut videlicet per varietatem tormentorum ad illam unam et summam pœnam transeant ; in qua sicut interminabiliter, ita etiam invariabiliter subsistant. Ultima quippe damnatorum pœna sicut cunctis pœnis major esse non inconvenienter creditur, ita quoque in eo quod cæteris omnibus acrius est et vehementius excrucians, tormento esse non irrationabiliter putatur. Quod propterea fortassis solum erit ut semper summum esse possit, quia quidquid pro illo mutaretur de illo minueretur. Quidam tamen fuerunt qui, sicut dictum est, tormenta gehennæ spiritualiter tantum et non corporaliter intelligenda putaverunt, propterea quod quædam verba scripturarum quasi idem asserentia inveniuntur. Dicunt enim quædam scripturæ quod substantia inferorum spiritualis est, non corporalis, etsi stridores dentium et fletus animarum spiritualia intelligi oportet ; flammas quoque et tormenta non corporalia, sed spiritualia sunt cogitanda. Ejusmodi ambiguitatibus verborum fluctuant qui non sunt radicati in fide. Quid enim necesse fuit propterea tormenta gehennæ spiritualia tantum credere, quia substantia inferorum spiritualis et non corporalis dicta est ? Quid enim sunt inferi nisi spiritus maligni qui a summis ad infima et per culpam lapsi sunt et per pœnam depressi ? Quorum nimirum substantia etiam post culpam non corporalis, sed spiritualis esse dicitur ; quia, licet in eis voluntas per malitiam ad aliud mutata sit, natura tamen etiam post eadem permansit. Animarum quoque nunc in inferis damnatarum substantia non corporalis, sed spiritualis recte perhibetur, quia nunc a corporibus solutæ in sola spirituali natura illic in tormentis detinentur. Et idcirco quod de ipsis in Scriptura sacra secundum naturam rerum corporalium commemoratur, merito non corporaliter sed spiritualiter intelligendum creditur. Nam si id quod ipse sunt non corpus sed spiritus est, quod in ipsis est, non corporale, sed spirituale est intelligendum. In hunc ergo modum, veraciter inferorum substantia spiritualis et non corporalis existimatur. Sed et illud quoque quod dicitur quod si fletus animarum et

stridores dentium spiritualiter accipimus, flammas quoque tormentorum in ipsis non corporales, sed spirituales credere debemus, sic sane intelligi potest si cruciatibus animarum qui ex flammis corporalibus generari creduntur, non corporaliter, id est mediantibus corporibus in ipsis fieri intelligantur. Multa sunt alia quæ vel ambigue dicta sunt, vel ambigue dici possunt. Sed aliud est rerum veritas, aliud verborum varietas. Neque nos oportet propter multitudinem dicendi a simplicitate deviare credendi. Dicit Augustinus in Enchiridio : Quod tempus quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem positum est, animas abditis receptaculis continet sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna. Ergo abdita sunt receptacula animarum, nec potest ab homine definiri quod non potest ab homine sciri. Item qualis sit intelligendus ignis ille gehennæ, et quemadmodum igne corporali incorporei spiritus sive animæ corporibus solutæ cruciari possint, non solum fidei christianæ, sed sacri eloquii auctoritas non enodat.

Quod corporeus ignis gehennæ non tantum corpora cruciabit, sed etiam spiritus. Augustinus De civitate Dei de eodem.

Gehenna, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum et hominum et dæmonum ; solida hominum, aeria dæmonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus; dæmones autem, spiritus sine corporibus hærentes sumendo pœnam non in percipiendo vitam corporalibus ignibus. Cum enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi ; si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei et tunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt suorum corporum vinculis insolubiliter alligari ?

Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur ? Etenim per ignem spiritum teneri dicimus, ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur quo videt, et quia concremari se aspicit concrematur. Sicque fit ut res corporea in corpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam corporea flamma crucietur. Et post pauca : Dum ergo peccatorem divitem damnatum veritas in ignem perhibet, quisnam sapiens animas reproborum teneri ignibus neget ?

Quod ignis gehennæ ad aliquid lucebit et ad aliquid non lucebit. De eodem Gregorius in Moralibus.

Illa ultrix flamma vitiorum cremationem habet, et lumen non habet. Illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum vivi amore deliquerunt, quatenus quorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque intuitus eos in augmento A suæ damnationis affligat. Sicut electis ignis ardere novit ad solatium, et tamen ardere ad supplicium nescit, ita e diverso gehennæ flamma reprobis, et nequaquam lucet ad consolationis gratiam, et tamen lucet ad pœnam, ut damnatorum oculis ignis supplicii et nulla claritate candeat, et ad doloris cumulum electis qualiter crucientur ostendat.

Quod ignis gehennæ ab initio sic creatus est ut nutrimento non egeat. Idem in eodem.

Omnipotentis justitia futurorum præscientia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum semel esse inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Ignis namque corporeus ut esse ignis valeat corB poreis indiget fomentis, qui cum necesse est ut servetur per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit corporeus et universos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inexstinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. Bene ergo de iniquo dicitur : *Devorabit eum ignis qui non succenditur* (*Job.* XX).

Quales sunt purgatoriæ pœnæ in hac vita et quales post. Augustinus De civitate Dei.

In hac vita quidem mortali esse quasdam pœnas purgatorias confitemur, non quibus affliguntur quorum vita vel non inde fit melior, vel poC tius inde fit pejor: sed illis sunt purgatoriæ qui eis coerciti corriguntur. Cæteræ omnes pœnæ sive temporales sive sempiternæ, sicut unusquisque divina providentia tractandus est inferuntur; vel pro peccatis sive in præteritis, sive in quibus adhuc vivit ille qui plectitur, vel pro exercendis declarandisque virtutibus per homines et angelos sive bonos, sive malos. Sed temporales pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc et tunc, verumtamen ante judicium illud severissimum novissimumque patiuntur. Non autem venient omnes in sempiternas pœnas, quæ post illud judicium futuræ sunt, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam quod in isto non remittitur, remitti in futuro sæculo, id D est, ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur, confitemur. Rarissimi sunt autem qui nullas in hac vita, sed tantum post eam pœnas luant. Fuisse tamen aliquos qui usque ad decrepitam senectutem ne levissimam quidem febriculam senserint, quantamcunque duxerint vitam ; et ipsi novimus et audivimus, quanquam vita ipsa mortalium tota pœna sit. Non enim parva est pœna ipsa insipientia vel imperitia, quæ usque adeo fugienda merito judicatur, ut per plenas doloribus pœnas pueri cogantur quæque artificia vel litteras discere, ipsumque discere ad quod pœnis adiguntur tam pœnale est eis, ut nonnunquam ipsas pœnas per quas compelluntur discere, malint ferre quam discere. Quis autem non exhorreat et mori eligat si proponatur ei aut mors per pœnam, aut rursus infantia ? Quæ quidem quod non a ri-

su, sed a fletu orditur, hanc lucem, quid malorum A ingressa sit nesciens prophetizat quodammodo. Solum quando natus est ferunt risisse Zoroastrem. Nec tamen boni aliquid ei monstruosus risus ille portendit. Nam magicarum artium inventor fuisse perhibetur. A Nino quippe rege Assyriorum bello superatus occubuit. Verum tanta est Dei misericordia in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam, ut etiam prima hominis ætas, id est infantia quæ sine ullo renisu subjacet carni, et secunda quæ pueritia nuncupatur, ubi nondum ratio suscepit contra vitia pugnam, et fere sub omnibus vitiosis delectationibus jacet, quia licet fari jam valeat, et ideo infantiam transisse videatur nondum in ea est præcepti capax infirmitas mentis si sacramenta mediatoris acceperit, etiamsi hanc in B eis annis vitam finiat, translata; scilicet a potestate tenebrarum in regnum Dei non solum pœnis non præparetur æternis, sed nec illa post mortem purgatoria tormenta patiatur. Sufficit enim sola spiritualis regeneratio, ne post mortem obsit quod carnalis generatio traxit cum morte. Cum autem ventum fuerit ad ætatem quæ jam præceptum capit, et subdi jam potest legis imperio, suscipiendum est bellum contra vitia et gerendum acriter ne ad damnabilia peccata perducat, et si quidem nondum victoriarum consuetudine roborata sunt, facilius vincuntur et cedunt. Si autem vincere atque imperare consueverunt, laboriosa difficultate vincuntur. Hoc autem bellum nunquam ullum esset, si natura humana per li- C berum arbitrium in rectitudine in qua facta est, perstitisset. Nunc vero quæ pacem felix habere noluit, secum pugnat infelix. Paucissimi autem sunt tantæ felicitatis ut ab ipsa ineunte adolescentia, nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitiis vel in facinoribus vel in nefariæ cujusdam impietatis errore, sed magna spiritus largitate opprimant quidquid in eis posset carnali delectatione damnari. Plurimi vero præcepto legis accepto cum prius victi fuerunt prævalentibus vitiis prævaricatores ejus effecti extunc ad gratiam confugiunt adjuvantem, qua fiant et amarius pœnitendo et vehementius pugnando prius Deo subditi, atque ita carni præposita mente victores. Quisquis ergo cupit pœnas evadere D sempiternas, non solum baptizetur, verum et justificetur in Christo; ac sic vere transeat a diabolo ad Christum. Nihil in ædificio præponitur fundamento. Inveniemus ergo qui possit salvari per ignem, si prius invenerimus quid sit habere in fundamento Christum. Si quis itaque Christianus diligit meretricem, eique adhærens unum corpus efficitur, jam fundamentum non habet Christum. Si quis autem diligit uxorem suam secundum Christum, quis ei dubitet in fundamento esse Christum? Si vero secundum hoc sæculum, si carnaliter, si in morbo concupiscentiæ sicut et gentes quæ ignorant Deum, etiam hoc secundum veniam concedit Apostolus; imo per Apostolum Christus. Potest ergo et iste in fundamento habere Christum. Si enim nihil ei talis affectionis voluptatisque præponat, quamvis superædificet ligna, fenum, stipulam, Christus est fundamentum, propter hoc salvus erit per ignem; delicias quippe hujus mundi amoresque terrenos propter conjugalem quidem copulam non damnabiles, tribulationis ignis exurit. *Qui amat patrem aut matrem aut filium, aut filiam super me,* ait Dominus *non est me dignus* (*Matth.* X). Verum qui has necessitudines sic amat carnaliter, ut tamen Christo Domino non præponat, malitque ipsis carere quam Christo, si ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem erit salvus, quia et earum amissione tantum necesse est urat dolor quantum hæserat amor. Ac per hoc ei qui ædificavit erit ædificatio ista damnosa, quia non habebit quod superædificavit, et eorum amissione cruciabitur quibus fruendo utique lætabatur. Vide in Apostoli verbis hominem ædificantem *super fundamentum, lapides pretiosos aurum, argentum* (*I Cor.* III). *Qui sine uxore est,* inquit, *cogitat quæ sunt Dei quomodo placeat Deo* (*I Cor* VII.) Vide alium ædificantem *ligna, fenum, stipulam* (*I Cor.* III). *Qui autem matrimonio junctus est,* inquit, *cogitat quæ sunt mundi, quo placeat uxori* (*I Cor.* VI). *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII) *; et uniuscujusque opus quale fuerit ignis probabit sic cujus opus permanserit* (*I Cor.* III) ; permanet enim quod quisque cogitat quæ sunt Dei *quomodo placeat Deo* (*I Cor.* VII). *quod superædificavit, mercedem accipiet*)*I Cor.* III), id est unde cogitavit, hoc sumet. *Si cujus opus arserit, damnum patietur* (*ibid.*) ; quoniam quod dilexerat non habebit: *Ipse autem salvus erit* (*ibid.*); quia nulla eum tribulatio ab illius fundamenti stabilitate semovit. *Si tamen quasi per ignem* (*ibid.*) Quod enim sine illiciente amore non habuit sine urente dolore non perdit. Ecce, quantum mihi videtur, inventus est ignis, qui nullum eorum damnet, sed unum ditet, alterum damnificet, ambos probet. Nullas quidem pœnas nisi purgatorias voluit esse post mortem, quoniam terris superiora sunt elementa aer, aqua, ignis. Ex aliquo horum mundetur per expiatorias pœnas quod terrena cogitatione contractum est. Unde gentilis poeta:

> .... *Aliæ panduntur inanes*
> *Suspensæ ad ventos : aliis sub gurgite vasto*
> *Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.*
> VIRG. Æneid. lib. VI, v. 740 et seq.

Injustum enim putant ut pro peccatis quamlibet magnis parvo scilicet tempore perpetratis pœna quisque damnetur æterna, quasi ullius id usquam justitia attendat ut tanta mora temporis quisque puniatur quanta mora temporis, unde puniretur admisit. Nunquid in vinculis tandiu quisque judicandus est esse debere quandiu fecit unde meruit alligari, cum justissime annosas pœnas servus in compedibus pendat qui verbo aut ictu celerrime transeunte vel lacessivit Dominum vel plagavit?

Quod ergo de sempiterno supplicio damnatorum per suum prophetam Dominus dixit fiet omnino fiet: *Vermis eorum non morietur; et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI). Utrumque horum scilicet ignem atque vermem volunt quidam ad animæ pœnas non ad corporis pertinere quia scriptum est: Sicut tinea vestimentum et vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri (*Prov.* XXV). Qui vero pœnas et animæ et corporis in illo supplicio futuras non dubitant, igne uri corpus; animam autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod etsi credibilius dicitur, quia utique absurdum est ibi dolorem aut corporis aut animæ defuturum. Ego tamen facilius existimo ut ad corpus dicam utrumque pertinere quam neutrum. Legitur quippe in Veteribus Scripturis: *Vindicta carnis impii vermis et ignis* (*Eccli.* VII) Potuit brevius dici vindicta impii. Cur ergo dictum est carnis impii nisi quia utrumque, id est vermis et ignis pœna erit carnis? Quomodo ergo verum est, inquiunt, quod ait Christus noster: *In qua mensura mensi fueritis in eadem remetietur vobis* (*Marc.* IV); si temporale peccatum supplicio punitur æterno? Nec attendunt non propter æquale spatium temporis, sed propter vicissitudinem mali, id est ut qui mala fecerit patiatur dictam fuisse eamdem mensuram. De judiciis enim et condemnationibus Dominus loquebatur. Proinde qui judicat et condemnat injuste, si judicatur et condemnatur juste in eadem mensura recipit, quamvis non hoc quod dedit. Judicio enim fecit et judicio patitur, quamvis damnatione fecerit, quod iniquum est, patitur quod justum est. Nec quisquam existit qui censeat tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est homicidium, adulterium vel sacrilegium vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine sed iniquitatis et impietatis magnitudine metiendum.

CAP. VI. *De cura pro mortuis agenda ex Augustino in Enchiridio.*

Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium revelari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt qui cum viverent hæc sibi ut possint prodesse meruerunt. Est enim quidam vivendi modus nec tam bonus ut non requirat ista post mortem; nec tam malus ut ei ista non prosint post mortem. Est enim talis in bono ut hæc non requirat; et est rursus talis in malo ut nec habens valeat cum ab hac vita transierit adjuvari. Quocirca omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo autem se speret quod hic neglexerit cum obierit apud Deum promereri Non igitur illa quæ pro defunctis frequentat Ecclesia commendandis, illi apostolicæ sententiæ sunt adversa qua dictum est: *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum* (*II Cor.* V) quia hoc etiam meritum sibi quisque cum in corpore viveret comparavit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnibus possunt. Et cur non omnibus nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore? Quum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum qualescunque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt aut ad hoc prosunt, ut sit vera remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

CAP. VII. *Quibus prosit post mortem, vel quomodo quod pro illis fit. Augustinus De civitate Dei.*

Est itaque quidam modus vitæ nec tam malæ ut iis qui in ea vivunt nihil prosit ad capessendum regnum cœlorum largitas eleemosynarum; quibus etiam justorum sustentatur inopia. Et fiunt amici qui eis in æterna tabernacula suscipiant, nec tam bonæ ut ad tantam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis quos amicos fecerunt misericordiam consequantur. Mirari autem soleo etiam apud Virgilium reperiri istam sententiam ubi Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut ipsi recipiant vos in æterna habitacula* (*Luc.* XVI). Nam cum Elisios campos poeta ille describeret, ubi putant habitare animas beatorum, non solum ibi posuit eos qui propriis meritis ad illas sedes pervenire potuerunt, sed adjecit atque ait:

Quique sui memores alios fecere merendo.

VIRG. Æneid. lib. VI, v. 664.

id est qui promeruerunt alios, eosque sui memores promerendo fecerunt. Prorsus tanquam diceretur eis quod frequentatur ore Christiano cum se cuique sanctorum humilis quisque commendat, et dicit: Memor esto mei atque ut esse possit promerendo efficit. Sed quis iste sit modus et quæ sint ista peccata quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam: difficilimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certe usque ad hoc tempus cum inde satagerem ad eorum indaginem pervenire non potui. Nunc vero dum venialis iniquitatis etiamsi perseveret ignoratur modus; profecto et studium in meliora proficiendi orando et instando vigilantius adhibetur et faciendi de mammona iniquitatis sanctos amicos cura non spernitur. Verum ista liberatio quæ fit sive suis quibusque orationibus sive intercedentibus sanctis, id agit ut in ignem non mittatur æternum; non ut cum fuerit missus post quantumcunque tempus inde eruatur.

De eodem idem libro secundo.

Non existimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus pervenire nisi quod pro eis sive altaris sive orationum sive eleemosynarum sacrificiis solemniter suplicamus, quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosunt, sed iis tantum pro quibus dum vivunt comparatur ut prosint. Sed

quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur ad quos hæc beneficia possint et debeant pervenire. Melius enim supererunt ista iis quibus nec obsunt nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt. Diligentius tamen facti hoc quisque pro necessariis suis quod pro illo fiat similiter a suis. Corpori autem humano quidquid impenditur non est præsidium salutis sed humanitatis officium, secundum affectum quo nemo unquam carnem suam odio habet. Unde oportet ut qui potest pro carne proximi curam gerat, cum ille inde recesserit qui gerebat.

Cap. VIII *De exsequiis idem in eodem libro primo.*

Curatio funeris, conditio sepulturæ ; pompa exsequiarum, magis sunt vivorum solatia quam mortuorum subsidia. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit vilis aut nulla pio. Præclaras exsequias in conspectu hominum, purpurato illi diviti exhibuit famulorum turba ; sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium præbuit angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium.

Cap. IX. *De sacrificio pro defunctis. Gregorius in Dialog.*

Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare.

Cap. X. *Quibus prosit. Idem in eodem.*

Sed sciendum est quia illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hic bene vivendo obtinuerunt, ut eos etiam post mortem bona adjuvent : quæ hic pro ipsis ab illis fiunt. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis unigeniti mortem repræsentat. Qui licet *surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI), tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro populi salute partitur; ejus sanguis non in manus infidelium sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium quod pro oblatione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlo aperiri (6); in illo Jesu mysterio angelorum choros adesse ; summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi ; unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri ?

Cap. XI. *Utrum animæ sciunt quæ in hoc sæculo geruntur.*

Quærunt non nulli de animabus carne solutis, utrum cognitionem habeant eorum quæ in hac vita geruntur, maxime illorum qui jam in gaudio Domini sui et in abscondito faciei ejus, veri luminis illustratione lætantur. Adjiciunt quoque illud de animabus sanctorum quod multi in quæstionem adducunt, an preces supplicantium audiunt ; et cum ad intercedendum invocantur, utrum vota postulantium usque ad ipsorum cognitionem perveniunt. Difficile est de hujusmodi judicare. Quomodo enim scientia nostra certa esse potest de ipsis, qui eam quam de nobis habent scientiam nec capere possumus nec investigare ? Hoc unum certum est sanctorum animas in secreto divinæ contemplationis constitutas eorum quæ foris aguntur tantum scire quantum illis vel ad gaudium vel nobis ad auxilium prodesse constat. Nos intercessores quærimus apud Deum. Quid amplius vis ? Times ne forte non orent, qui semper orant ? Quomodo non orabunt pro te quando tu oras, qui quando tu non oras, orare tamen non cessant ? Sed non audiunt, inquis ; et ego in ventum verba infundo, non audientibus et non intelligentibus loquens. Ecce dicamus. Non audiunt sancti verba postulantium, neque ad beatitudinem illorum attinet, ista nosse quæ foris aguntur. Ecce dicamus. Non audiunt. Nunquid Deus non audit ? Quid ergo labores investigare, quid audiunt et quantum audiant sancti quos oras, cum ipse Deus audiat propter quem oras ? Ipse videt humilitatem tuam, qui remuneraturus est devotionem tuam. Tamen si audiunt et quantum audiant, quid est audire nisi scire ? Unum enim est lumen in quo et audiunt ad percipiendum ; et vident ad cognoscendum. In quo si quid forte foris agitur quod modo interim non audiunt, aut non vident mysterium est dispensationis non detrimentum felicitatis. Inveniuntur tamen quidam sanctorum Patrum quædam ita dixisse quasi nihil sit in creaturis quod non videant qui vident omnia videntem. Ego amplius judicare non præsumo, nisi hoc solum quoniam tantum vident quantum illi placitum est quam vident et in quo vident.

(6) Loquitur de communione calicis secundum morem illius temporis.

PARS SEPTIMA DECIMA.

DE FINE SÆCULI.

CAP. I. *De tempore adventus Christi in novissimo Augustinus ad Esycium.*

De Salvatoris adventu qui exspectatur in fine, tempora dinumerare non audeo, nec aliquem prophetam de hac re numerum annorum existimo præfinisse. Sed potius illud prævalere quod ipse Dominus ait : *Nemo potest cognoscere tempora quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I) Tempora ergo computare hoc est χρόνους chronous ut sciamus quando sit hujus sæculi, vel adventus Domini nihil aliud mihi videtur quam scire velle quod ipse ait, scire neminem posse. Opportunitas vero illius temporis profecto non erit, antequam prædicetur Evangelium universo orbi in testimonium omnibus gentibus. Apertissima enim de hac re legitur sententia Salvatoris dicentis : *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus. Tunc veniet finis* (*Matth.* XXIV.) Tunc veniet quid est nisi ante non veniet? Quanto post ergo veniat incertum nobis est. Ante tamen non esse venturum dubitare utique non debemus. Si ergo latet, quando Ecclesia fructificante atque crescente, universus omnino a mari usque ad mare orbis implebitur, procul dubio latet quando finis erit. Ante quippe non erit, *Tunc revelabitur ille iniquus,* id est Antichristus, *quem Dominus Jesus Christus inficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II).

CAP. II. *De ultima tribulatione, Augustinus de civitate Dei.*

Tunc solvetur Satanas de custodia sua et exibit ad seducendas nationes, quæ sunt in quatuor angulis terræ : Gog et Magog, quorum interpretationem nominum esse comperimus : Gog *tectum* Magog *de tecto ;* tanquam domus et ipse qui procedit de domo. Gentes ergo sunt in quibus diabolum velut in abysso superius intelligebamus inclusum, et ipse de illis quodam modo sese efferens et procedens, ut illæ sint tectum, ipse de tecto.

CAP. III. *Quare modo diabolus ligatur.*

Alligatio diaboli est non permitti exercere totam tentationem quam potest vel vi, vel dolo ad seducendos homines in partem suam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore et tanta infirmitate multorum plurimos tales quales Deus perpeti id non vult et fideles dejiceret et ne crederent impediret, quod ne faceret alligatus est. Tunc enim solvetur quando et breve tempus erit. Nam tribus annis et sex mensibus legitur suis totis suorumque viribus sæviturus, et tales erunt cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto ejus impetu insidiisque non possint. Solvetur autem Satanas in fine sæculi ut quam fortem adversarium Dei civitas superaverit, cum ingenti gloria sui redemptoris, adjutoris, liberatoris aspiciat.

CAP. IV. *Quare in novissimo solvetur.*

Exibit autem, ut dictum est, Satanas in apertam persecutionem, de latebris erumpet odiorum. Hæc enim erit novissima persecutio novissimo imminente judicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur, universa videlicet civitas Christi ab universa civitate diaboli quantacunque erit, utraque super terram. Unde apostolus: *Refrigescet charitas multorum et abundabit iniquitas* (*Matth.* XXIV). Unde Daniel : *Et* erit, inquit, *tempus* tribulationis qualis *non fuit ex quo* nata est gens super terram, *usque ad tempus illud* (*Dan.* XII).

CAP. V *Quanto tempore erit ultima tribulatio.*

Hæc persecutio novissima futura ab Antichristo tribus annis et sex mensibus erit. Non enim veniet ad vivos et mortuos judicandos Christus, nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos adversarius ejus Antichristus, *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II).

CAP. VI. *De adventu Eliæ et Henoch.*

Veniet tunc Elias Thesbites *antequam veniat dies Domini magnus et* illustris, *qui convertet cor* patris *ad* filium, *et cor* hominis *ad* proximum suum ; *ne forte* veniens *percutiam terram* penitus (*Mal.* IV). Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam et posita sibi lege novissimo tempore ante judicium Judæos in Christum verum, id est in Christum nostrum esse credituros celeberrimum est, in sermonibus cordibusque fidelium. Ipse quippe ante adventum judicis Salvatoris non immerito speratur esse venturus, qui etiam nunc vivere non immerito creditur. Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod evidentissime sacra Scriptura testatur (*IV Reg.* II). Cum venerit ergo exponendo legem spiritualiter quam nunc Judæi carnaliter sapiunt, convertet cor patris ad filium, id est corda patrum ad filios. Sic enim cor patrum convertetur ad filios cum intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum, et cor filiorum ad patres eorum dum in id quod senserunt illi, consentient et isti.

CAP. VII. *De qualitate personæ judicis. Augustinus de Trinitate.*

Cum venerit Filius hominis in gloria *sua et omnes angeli* ejus *cum eo, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes* (*Matth.* XXV). Et Judæi quippe qui in malitia perseverantes in illo judicio puniendi sunt, sicut alibi scriptum est : *Videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* XII; *Joan.* XIX ; *Apoc.* I). Cum enim boni et mali visuri sunt judicem vivorum et mortuorum ; procul dubio cum videre mali non poterunt nisi secundum for-

mam qua Filius hominis est. Sed tamen in claritate in qua judicabit non in humilitate in qua judicatus est. Non enim Christus iterum in cruce videndus est. Cæterum illam Dei formam in qua æqualis est Patri, procul dubio impii non videbunt. Non enim sunt mundicordes. *Beati* enim mundicordes, *quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). Alioquin si Filius Dei judex in forma in qua æqualis est Patri etiam impiis cum judicaturus est apparebit, quid est quod pro magno dilectori suo pollicetur, dicens *ego* diligam *eum et* ostendam *meipsum* illi ? (*Joan.* IV). Quapropter Filius hominis judicaturus est ; nec tamen ex humana potestate, sed ex ea qua Filius Dei est. Et rursus Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens in qua Deus est æqualis B Patri, sed in ea qua Filius hominis est. Itaque utrumque dici potest, et Filius hominis judicabit et non Filius hominis judicabit, quia Filius hominis judicabit ut verum sit quod ait : Cum venerit Filius hominis tunc congregabuntur ante eum omnes gentes. Et non Filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait : *Ego non judico, et ego non quæro gloriam meam ; est qui quærat et judicet* (*Joan.* VIII). Nam secundum id quod in judicio non forma Dei sed forma Filii hominis apparebit : nec ipse Pater judicabit. Secundum hoc enim dictum est : *Pater non judicium quem quam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v). Secundum autem quod dictum est : *dedit Pater Filio vitam habere in semetipso* (*ibid.*) ; C non utique dicitur Pater non judicat quemquam. Secundum hoc enim quod æqualem Pater genuit Filium, judicat cum illo. Secundum hoc ergo dictum est quod in judicio non forma Dei sed forma Filii hominis apparebit ; non quia non judicabit qui dedit omne judicium Filio, cum de illo dicat Filius : Et qui quærat et judicet ; sed ita dictum est : Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio ; ac si diceretur : Patrem nemo videbit in judicio vivorum et mortuorum, sed omnes Filium : quia et Filius hominis est ut possit ab impiis videri, cum et illi videbunt in quem pupugerunt. Omne igitur judicium dedit Filio, quia judex in forma Filii hominis apparebit, quæ forma non est Patris sed Fi- D lii ; nec in ea Filii in qua æqualis est Patri, sed in qua minor est Patre, ut sit in judicio conspicuus bonis et malis. Quando autem judicem videbunt mali non eis videbitur bonus, quia non ad eum corde gaudebunt, sed *tunc* se *plangent omnes tribus terræ* (*Matth.* XXIV). In numero utique malorum omnium et infidelium ; visio illa Filii hominis nec bonum erit impiis qui mittentur in ignem æternum, nec summum bonum erit justis. Adhuc enim vocat eos ad regnum quod eis paratum est ab initio mundi. Sicut enim illis dicet : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV) ; sic istis : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (*ibid.*) Et sicut ibunt illi in combustionem æternam, sic justi in vitam æternam. Quid

A *est autem vita æterna* nisi *ut cognoscant te*, inquit, *unum Deum vivum et quem misisti Jesum Christum ?* (*Joan.* XVII). Sed jam in illa claritate de qua dicit Patri : *quam habuit apud te priusquam mundus* fieret (*ibid*). Tunc tradet regnum Deo et Patri, ut intret servus bonus in gaudium Domini sui.

Cap. VIII. *De celeritate judicii, Augustinus ad Consentium.*

In atomo dicit Apostolus, hoc est in puncto temporis, quod dividi non potest *in ictu oculi ;* hoc est in summa celeritate et *in novissima tuba*, hoc est in novissimo signo quod dabitur, ut ista compleantur. *Canet enim*, inquit, *tuba et mortui resurgent incorrupti et nos* commuta- B bimur *(I Cor.* XV). Ergo istam commutationem in melius sine dubitatione oportet intelligi, quia omnes et justi et injusti resurrecturi sunt. Sed sicut Dominus id Evangelio loquitur : *Qui* bene *fecerunt in resurrectionem vitæ ; qui* male *egerunt in resurrectionem judicii* (*Joan.* v) ; judicium appellans pœnam sempiternam, sicut alio loco : *Qui non credit*, inquit, *jam judicatus est* (*Joan.* III). Proinde illi qui ad judicium resurrecti sunt non commutabuntur in illam incorruptelam, quæ nec doloris pœnam vel corruptionem pati potest. Illa namque fidelium est atque sanctorum. Isti vero perpetua damnatione cruciabuntur : quia *ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur* (*Isa.* LXVI) C Ac per hoc incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pænarum cum audierint : *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). A quo auditu malo justus non timebit.

Cap. IX. *De eodem.*

Et ut radius oculi nostri non citius pervenit ad propinquiora, tardius ad longinquiora, sed utraque intervalla parili celeritate contingit, ita cum *in ictu oculi*, sicut Apostolus dicit (I *Cor.* XV), sit resurrectio mortuorum ; omnipotentiæ Dei et ineffabili nutui tam facile est quæque recentia, quam diuturno tempore dilapsa cadavera suscitare.

Cap. X. *De eodem.*

D Erit judicium ipso inopinato Domini adventu celerrimum, quod tardissimum putabatur ; quia ipsas conscientias sine sermonis prolixitate convincet. *In cogitationibas enim,* sicut scriptum est, *impii interrogatio erit* (*Sap.* I). Et Apostolus : *Cogitationibus*, inquit, *accusantibus sive excusantibus in die qua judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum, per Jesum Christum* (*Rom.* II). Etiam sic Dominus futurus est testis intelligendus velox cum sine mora revocaturus est in memoriam, unde convincat et puniat conscientiam.

Cap. XI. *De ordine resurgendi.*

Propheta Isaias : *Resurgent,* inquit, *mortui* ; et resurgent qui erant in sepulchris (*Isa.* XXVI). Unde Apostolus : *Ipse Dominus : in jussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de*

cœlo et mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos viventes *qui* reliqui sumus *simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera. Et* ita *semper cum Domino erimus* (*I Thes.* IV). Hæc verba apostolica resurrectionem mortuorum futuram quando veniet Christus utique ad vivos et mortuos judicandos præclarissime ostendunt. Sed quæri solet utrum illi quos hic viventes inventurus est Christus, quorum personas in se atque illos qui tunc secum vivebant transfigurabat Apostolus,nunquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto quo,cum resurgentibus rapientur in nubibus obviam Christo in aera ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt. Si ergo sanctos qui reperientur Christo veniente viventes, eique in obviam rapientur crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros; et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit : *Tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur* (*I Cor.* XV) : sive ubi dicit : *Omnes resurgemus* aut omnes dormiemus (*ibid*); quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi quamlibet paululum tamen ante moriantur ; ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, quam dormitione præcedunt quamvis brevissima, non tamen nulla.

CAP. XII. *Quomodo intelligendum est quod scriptum est* : « *Vivos et mortuos judicabit.* »

Duobus modis accipitur, quod vivos et mortuos judicabit. Sive vivos intelligimus quos hic nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viventes inventurus est ejus adventus; mortuos autem qui de corpore priusquam veniat,exierunt vel exituri sunt. Sive vivos justos et mortuos injustos, quoniam judicabunt justi, judicabuntur injusti.

CAP. XIII. *De resurrectione corporum, qualiter aut qnalia resurgent.*

Sunt nonnulli qui considerantes quod spiritus a carne solvitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in pulverem redigitur, quod pulvis in elementa solvitur ut nequaquam ab humanis oculis videatur ; resurrectionem fieri posse desperant.Et dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus rursumque ad vitam viridescere posse diffidunt, qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent certe hanc tenere ex ratione debuerunt. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis mundus imitatur ? Per quotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum supervenientibus noctis tenebris ea quæ aspiciebatur subtrahitur ; et quasi quotidie resurgit dum lux ablata oculis suppressa iterum nocte reparatur. Per momenta quippe temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere; a fructuum prolatione cessare. Et ecce quasi ex arescente subito ligno velut quadam resurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructus grandescere, et totam arborem redivivo decore vestiri. Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen ipsius resurrectionis exquiro. Cre-

A do namque quod resurrecturus sum, sed volo ut audiam qualis. Sciendum quippe mihi est utrum in quodam alio subtili fortasse vel aerio, an in eo quo maneo corpore surgam. Sed si in aerio corpore resurrexo,jam non ero ego qui resurgo.Nam quomodo est vera resurrectio, si vera non poterit esse caro ? Aperta ergo ratio suggerit quod, si vera caro non fuerit, procul dubio resurrectio vera non erit. Neque enim recta resurrectio dici potest, ubi non surgit quod ceciderit. Unde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendit manus et latus ; palpanda ossa, et carnem præbuit, dicens : *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (Luc.* XXIV). Jam vero
B de resurrectione carnis, non sicut quidam resurrexerunt iterumque sunt mortui ; sed in vitam æternam sicut Christi ipsius resurrectio,quemadmodum possum breviter disputare, et omnibus quæstionibus quæ de hac removeri solent satisfacere non invenio.Resurrecturam tamen carnem omnium quicunque nati sunt,nascuntur, et mortui sunt, et morientur, nullo modo Christianus debet dubitare. Unde prima occurrit de abortivis fetibus quæstio,qui jam quidem nati sunt in uteris matrum, sed nondum ita nati ut jam possint renasci.Si resurrectos eos dixerimus qui jam formati sunt utcunque tolerari potest quod dicitur. Informes vero abortivos quis non proclivius perire arbitretur sicut semina quæ concepta non
C fuerint ? Sed negare quis audeat et si affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, ut quidquid formæ defuit impleatur, atque ita non si perfectio quæ accessura erat tempore quemadmodum non erunt vitia quæ accesserunt tempore, ut neque in eo quod aptum et congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur, neque in eo quod adversum et contrarium dies attulerit, natura turpetur ; sed integrabitur quod nondum erat, et integrum instaurabitur quod nondum fuerat vitiatum.

CAP. XIV. *De abortivis et monstris utrum resurgent et qualia.*

Super hoc scrupulosissime quidem inter doctissimos quæri solet disputari potest,quod utrum
D ab homine inveniri possit ignoro. Quando incipit homo, in utero vivere utrum sit quædam occulta vita, quæ nondum motibus viventis appareat. Nam negare vixisse puerperia quæ propterea membratim exsecantur et ejiciuntur ex uteris prægnantium, ne matrem quoque (si mortua ibi relinquantur) occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest. Mortuus vero ubicunque mors illi potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum reperire non possum. Neque enim monstra quæ nascuntur et vivunt quamlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut vitiata resurrectura credenda sunt, aut non potius correcta emendataque natura.Absit enim ut illum bimembrem qui nuper natus est in oriente de quo fratres dilectissimi qui eum

viderunt retulerunt ; beatus Hieronymus presbyter scriptum reliquit, absit, inquam, ut unum duplicem hominem, ac non potius duos homines quod futurum fuerat si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus ! Ita et cætera quæ singuli quique partus vel,amplius vel minus aliquid habendo quadam nimia deformitate monstra dicuntur,ad humanæ naturæ figuram resurrectione revocabuntur, ita ut singula sua corpora obtineant, nullis cohærentibus etiam quæcunque cohærentia nata fuerant ; sed seorsum sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis complebitur integritas. Non perit Deo terrena materies de qua mortalium creatur caro, sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcunque aliorum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium vel hominum cibum cedat, carnemque mutetur ; illi animæ humanæ puncto temporis redibit quæ illam primitus ut homo fieret,atque cresceret animavit.

Cap. XV. *De modo resurrectionis.*

Membrorum omnium reformatio non solum ex terra verum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu,quo dilapsa cadavera recesserunt in temporis puncto reddenda et redintegranda promittitur. Ipsa itaque terrena materies quæ discedente anima fit cadaver ; non ita resurrectione reparabitur, ut ea quæ dilabuntur, et in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsæ sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt redire necesse sit. Alioquin si capillus redit, quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod totius dempsit exsectio immoderata et indecens cogitantibus et ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed, quemadmodum si statua cujuslibet volubilis metalli, aut in igne liquesceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in massam et eam velit artifex rursus ex illius mensuræ quantitate reparare, nihil interesset ad ejus integritatem quæ particula materiæ cuique membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat restituta resumeret ; ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto quo caro nostra constiterat eam mirabili et ineffabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad ejus rei integritatem,utrum capilli ad capillos redant, an ungues ad ungues, an quidquid eorum perierat mutetur in carnem, et in alias partes corporis revocetur curante artificis providentia ne quid indecens fiat.Nec illud est consequens ut ideo diversa statura sit reviviscentium singulorum,quia fuerat diversa viventium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consil o Creatoris,ut in effigie sua cujuscunque proprietas et discernibilis similitudo servetur ; in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur,ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea pereat ; et quod alicui defuerit ille suppleat qui A de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus impletur cantus, hoc fiet cuique de materia corporis sui, quod et hominem reddat angelicis cœtibus et nihil inconveniens eorum sensibus ingerat.Inde eorum quippe aliquid ibi non erit ; sed quidquid futurum est hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit.

Cap. XVI. *Exemplum supradictorum.*

Si enim statuam potest artifex homo (quam propter aliquam causam deformen fecerat) conflare et pulcherrimam reddere ita ut nihil substantiæ sed sola deformitas pereat, ac si quid in illa forma priore indecenter exstabat, nec parilati partium congruebat, non de toto unde fecerat B amputare atque separare, sed ita consperge universa atque miscere, ut nec fœditatem faciat nec minuat quantitatem, quid de Omnipotente sentiendum est ?

Cap. XVII. *Quod sanctorum corpora sine vitio resurgent et incorruptibilia.*

Resurgent igitur sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta felicitas erit, propter quod et spiritualia dicta sunt cum procul dubio corpora futura sint, non spiritus. Sed sicut nunc animale corpus dicitur, quod nunc corpus non anima est, ita tunc spirituale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem quæ C nunc aggravat animam (*Sap.*xv), et vitia quibus *caro adversus spiritum concupiscit* (*Gal.* v), tunc non erit caro sed corpus, quia et cœlestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est : *Caro et sanguis regnum Dei non* possidebunt (*I Cor.* xv). Et tanquam exponens quid dixerit : *neque* incorruptio,inquit, corruptionem *possidebit*(*ibid.*);quod prius dixit caro et sanguis,hoc posterius dixit corruptio ; et quod prius dixit regnum dei hoc posterius incorruptionem.Quantum autem attinet ad substantiam etiam tunc caro erit.Propter quod post resurrectionem corpus Christi caro appellatum est. Ideo ait Apostolus : *Seminatur corpus animale*, *surget spirituale* (*ibid)* ; quoniam tanta erit concordia carnis et spiritus D vivificante spiritu sine sustentaculo alicujus indigentiæ subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nosmetipsos patiemur inimicos.

Cap. XVIII. *Quod infantes non in ea statura resurgent qua mortui sunt.*

Quid ergo dicturi sumus de infantibus, nisi quod non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui. Sed quod eis tardius accessurum erat tempore hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi ? In sententia quippe Domini ubi ait : *Capillus* capitis vestri *non peribit* (*Luc.* xxi ; *Act.* xxvii), dictum est non defuturum esse quod fuit ; non autem negatum est adfuturum quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis. Perfectio quippe infanti deest utique perfectio magnitudinis corporalis,

quæ cum accesserit jam statura longiore esse non possit. Hunc perfectionis modum sic habent omnes, ut cum illo concipiantur atque nascantur; sed habent in ratione non in modo, sicut ipsa membra omnia jam sunt latentia in semine cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes aut si quid ejusmodi. In qua ratione uniuscujusque materiæ indita corporali jam quodammodo ut ita dicam lineatum videtur esse quod nondum est imo quod latet, sed accessu temporis erit, vel potius apparebit. In hoc ergo infans jam aut brevis aut longus est, qui longus brevisve futurus est. Restat ergo ut suam recipiat quisque mensuram, qualem habuit in juventute, etiam si senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus, ut nec ultra nec citra juvelinem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea ætate de robore usque ad quam Christum pervenisse cognovimus. Circa triginta quippe annos definierunt esse etiam sæculi hujus doctissimi homines juventutem, quæ cum fuerit spatio proprio terminata inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris ac sensualis ætatis; et ideo non esse dictum in mensuram corporis vel in mensuram staturæ, sed *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV).

Cap. XIX. *Quod omnes in eadem statura resurgent quam in perfecta vel juvenili ætate scilicet habuerunt vel habituri fuerunt.*

Illud quod ait Apostolus: Prædestinatos *conformes fieri imaginis Filii Dei* (*Rom.* VIII), potest sic accipi, ut quemadmodum nobis ille mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes. Si autem in his verbis qua forma resurrectura sint corpora sumus admoniti, sicut illa mensura, ita et ista conformatio non quantitatis intelligenda est, sed ætatis. Resurgent itaque omnes tam magni corpore quam vel erant vel futuri erant juvenili ætate. Si quis vero in eo corporis modo in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.

Cap. XX. *Utrum reprobi cum vitiis surgent.*

Quicunque vero ab illa perditionis massa quæ facta est per hominem primum non liberantur per unum mediatorem Dei et hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo et ejus angelis puniantur. Utrum sane ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcunque in eis deformia et vitiosa membra gestaverunt inquirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum vel habitudo vel pulchritudo quorum erit certa et sempiterna damnatio. Nec moveat quomodo erit in eis corpus incorruptibile, si dolore poterit, aut quomodo corruptibile si non poterit. Non enim est vera vita nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, et ut ita dicam mors ipsa non moritur; et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit ipsa corruptio et non finitur;

A hæc in Scripturis sanctis *secunda mors* (*Apoc.* XX, XXI) dicitur. Nec prima tamen qua suum corpus anima relinquere cogitur, nec secunda qua pœnale corpus anima relinquere non permittitur homini accidisset, si nemo peccasset. Mitissima sane omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt, et in cæteris quæ addiderunt tanto quisque ibi tolerabiliorem habebit damnationem quanto hic habebit minorem iniquitatem.

Cap. XXI. *Quomodo terrena corpora in cœlo manebunt.*

Necesse est, aiunt quidam, ut terrena corpora naturale pondus vel in terra teneat vel cogat ad terram; et ideo in cœlo esse non possunt. Primi
B quidem illi homines in terra erant nemorosa atque frustuosa quæ paradisi nomen obtinuit, et de ponderibus elementorum sic argumentantur. Quoniam scilicet a magistro Platone didicerunt: mundi duo corpora maxima atque postrema duobus mediis: aere scilicet et aqua esse copulata atque conjuncta. Ac per hoc, inquiunt, quoniam terra ab hinc sursum versus est prima secunda aqua super terram, tertius aer super aquam, quartam super aerem cœlum. Non potest esse terrenum corpus in cœlo. Momentis enim propriis ut ordinem suum teneant sua elementa librantur. Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas quam possidet vanitas.

Quid ergo faciunt in aere terrena tot corpora,
C cum a terra sit aer tertius, nisi forte qui per plumarum et pennarum levitatem donavit avium terrenis corporibus ut portentur in aere, immortalibus factis corporibus hominum non poterit donare virtutem qua in cœlo etiam possint habitare: nam cum terrenorum corporum sicut onera gestando sentire consuevimus, quanto major est quantitas tanto major et gravitas; tamen membra suæ carnis leviora portat anima cum in sanitate robusta sunt, quam in languore cum macra sunt. Et cum aliis gestantibus onerosior sit salvis et validus quam exilis et morbidus; ipse tamen ad suum corpus movendum et portandum agilior est cum in bona valetudine plus habet molis, quam cum in peste vel fame minimum roboris. Tantum
D valet etiam in habendis terrenis corporibus quamvis adhuc corruptibilibus atque mortalibus non quantitatis pondus; sed temperationis modus. Et quis verbis explicet quantum distat inter præsentem quam dicimus sanitatem et immortalitatem futuram? Non itaque redarguunt nostram fidem philosophi de corporum ponderibus. Est enim sic hinc sursum versus terra prima, aqua, secunda, aer tertius, cœlum quartum, ut super omnia sit animæ natura. Nam et Aristoteles quartum corpus eam dixit esse, et Plato nullum. Si quintum esset, certe superius esset cæteris. Cum vero nullum est, multo magis superat omnia. In terreno ergo quid facit corpore? in hac mole quid agit subtilior omnibus? In hac pondere quid agit levior omnibus; in hac tarditate quid agit celerior omnibus? Itane per hujus tam excellentis naturæ

meritum non poterit effici ut corpus ejus levetur in cœlum? Et cum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum aliquando et animæ levare sursum terrena corpora non valebunt? Postremo si ita est elementorum ordo dispositus, ut secundum Platonem duobus mediis, id est aere et aqua; duo extrema, id est ignis et terra jungantur, cœlique obtineant illi summum locum; hæc autem imum velut fundamentum mundi, et ideo in cœlo non potest esse terra. Cur est ignis in terra? Secundum hanc quippe ratione ista duo elementa in locis propriis, imo ac summo terra et ignis esse debuerunt, ut quemadmodum nolunt in summo esse posse quod imi est, ita nec in imo esse posset quod summi est. Sicut ergo nullam putant vel esse vel futuram esse particulam terræ in cœlo, ita nullam paticulam videre debuimus ignis in terra. Nunc vero non solum in terris, verum etiam sub terris ita est, ut eum eructent vertices montuum, præter quod in usibus hominum et esse ignem in terra et eum nasci videmus de terra, quandoquidem et de lignis et lapidibus nascitur, quæ sunt corpora sine dubitatione terrena. Cur ergo nolunt ut credamus naturam corporum terrenorum aliquando incorruptibilem facta cœlo convenientem futuram sicut nunc ignis corruptibilis his convenit terris? Nihil igitur asserunt ex ponderibus atque ordine elementorum unde omnipotenti Deo quo minus faciat corpora nostra talia ut etiam in cœlo possint habitare, præscribant.

Cap. XXII. *Quale sit futurum judicium.*

Quædam vis intelligenda est divina qua fiet ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et omnes et singuli judicentur. Quæ nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur quidquid a faciente recolitur.

Cap. XXIII. *Quod Deus conscientia nostra teste utetur ad judicandum nos.*

Adveniente judice uniuscujusque conscientia ad testimonium erit deducta. Tunc omnis ante oculos culpa reducitur, et mens super gehennæ incendia suo gravius igne cruciatur.

Necesse est sæpius cogitemus quales erimus in die judicii purissimis angelorum conspectibus offerendi, et æterno judici rationem de libris conscientiæ reddituri. Remotis enim omnibus probationibus, certum est in die illa ipsum ante se hominem constituendum, et ipsam sibi animam in cordis speculo demonstrandam, et testes contra eam non de foris aliunde, sed intus de semetipsa proferendos; adjicienda erunt non aliqua peregrina, sed nimium nota testimonia, id est opera sua.

Cap. XXIV. *Qualiter Deus in præsenti judicet.*

Judicat Deus hoc tempore non solum universaliter de genere hominum atque dæmonum, ut miseri sint propter primorum meritum peccatorum, sed etiam de singulorum operibus propriis quæ gerunt arbitrio voluntatis. Nescimus enim quo A judicio Dei bonus ille sit pauper; malus ille sit dives. Iste gaudeat quem pro suis perditis moribus cruciari debuisse persuadet; exeat de judicio non solum inultus verum etiam damnatus, innocens aut iniquitate judicis pressus, aut falsis obrutus testimoniis. Ecóntrario scelestus adversarius ejus non solum impunitus; verum etiam judicatus insultet. Impius optime valeat, pius languoribus tabescat, latrocinentur sanissimi juvenes; et qui nec verbo quemquam lædere potuerunt, diversa morborum atrocitate affligantur. Infantes utiles rebus humanis immatura morte rapiantur, et qui videtur nec nasci debuisse insuper diutissime vivat plenus criminibus, sublimetur honoribus, et hominem sine querela tenebræ ignobilitatis abscondant, et cætera hujusmodi. B

Cap. XXV. *De eodem.*

Nunc quando non solum in malo sunt boni, et in bono mali quod videtur injustum, verum etiam plerumque et malis mala eveniunt, et bonis bona proveniunt; magis inscrutabilia *sunt judicia Dei et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI). Cum vero ad illud Dei judicium venerimus, quod tempus jam prope dies judicii et aliquando dies Domini nuncupatur, non solum quæcunque tunc judicabuntur verum etiam quæcunque ab initio judicata, et quæcunque usque ad illud tempus judicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo judicio Dei fiat, ut nunc tam multa ac pene omnia justa C judicia Dei lateant sensus mentesque mortalium, cum tamen in hac re piorum fidem non lateat justum esse quod latet.

Cap. XXVI. *De eodem.*

Cum valde occulta sint divina judicia cur in hac vita nonnunquam bonis male sit, et malis bene, tunc occultiora sunt cum et bonis hic bene est, et malis male. Nam cum bonis male est, et malis bene, hoc fortasse deprehenditur quod et boni si qua deliquerunt hic recipiunt, ut ab æterna plenius damnatione liberentur; et mali bona quæ pro hac vita faciunt hic inveniunt, ut ad sola in posterum tormenta pertrahantur. Unde et ardenti diviti in inferno dicitur. *Momento, fili,* D *quia accepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala* (*Luc.* XVI). At cum bonis hic bene est, et malis male, incertum valde fit utrum bona idcirco boni accipiant, ut provocati ad aliquid melius crescant, an justo judicio atque latenti hic suorum operum remunerationem percipiant, ut a præmiis vitæ sequentis inanescant. Et utrum malos idcirco adversa feriant, et ut ab æternis suppliciis defendant, an hic eorum pœna incipiat, ut quandoque complenda ad ultima gehennæ tormenta perducat.

Cap. XXVII. *De eodem.*

Duobus modis in hac vita hominem judicat Deus; quia aut per mala præsentia irrogare jam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequentia flagellis præsentibus exstinguit.

Cap. XXVIII. *Ubi erunt corporaliter sancti quando mundus ardebit.*

Quærat forsan aliquis si post factum judicium iste mundus ardebit, antequam pro illo cœlum novum et terra nova reponatur, eo ipso tempore conflagrationis ejus ubi erunt sancti, cum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit? Possumus respondere futuros eos A esse in superioribus partibus quo ita non ascendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic sint ubi esse voluerint. Sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent immortales atque incorruptibiles facti, sicut virorum trium illorum corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti illæsa vivere potuerunt *(Dan.* III).

PARS OCTAVA DECIMA.

DE STATU FUTURI SÆCULI.

Cap. I. *De innovatione mundi.*

Judicatis iis qui scripti non sunt in libro vitæ, et in æternum ignem missis, qui ignis cujusmodi et in qua mundi vel terræ parte futurus sit hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus divinus ostenderit. Tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanorum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque ut dixit conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corruptibilibus nostris corporibus congruebant ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus innovatus in melius aperte accommodetur hominibus etiam carne innovatis in melius.

Cap. II. *Quid proderit æterna pœna malorum bonis.*

Iniqui ad aliquid ardebunt scilicet ut justi omnes et in Domino videant gaudia quæ percipiunt, et in illis respiciant supplicia quæ evaserunt, quatenus tanto magis in æternum divina gratia ditiores se esse cognoscant, quanto apertius in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.

Cap. III. *Quod boni malos videbunt, non mali bonos, et de secunda morte.*

Qui erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini nesciunt; qui vero erunt in illo gaudio D quid agatur foris in tenebris exterioribus sciunt. Non enim nulla, sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Primo mors animam pellit a corpore nolentem; secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima de suo corpore patiatur.

Cap. IV. *Quod mali idcirco semper vivent, ut semper moriantu.*

Illic anima posita beata esse perdidit, et esse non perdidit. Ex qua re semper cogitur, ut et mortem sine morte, defectum sine defectu, et fi- B nem sine fine patiatur, quatenus ei et mors immortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus.

Cap. V. *Quod ignis æternus non aqualiter cruciabit omnes.*

Manet dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, et licet sub eodem tormento, non est idem virtus et vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; et sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitus; ita una eademque vis irruens bonos probat, purgat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Tantum autem interest non qualia, sed qualis quisque patiatur.

C Cap. VI. *De eodem.*

Nequaquam negandum est etiam ipsum æternum ignem pro diversitate meritorum quamvis malorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor pro pœna digna cujusque varietur, sive ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur.

Cap. VII. *De eodem.*

Unus quidem est gehennæ ignis; sed non omnes uno modo cruciat peccatores. Uniuscujusque enim quantum exigit culpa tantum illic sentietur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub uno sole multi constituuntur; nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt; quia alius plus æstuat atque alius minus, ita illic in uno igne non unus est D modus incendii; quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agi diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

Cap. VIII. *Quomodo justum sit ut pro temporali culpa æterna pœna reddatur.*

Quomodo ergo verum est, inquiunt, quod ait Christus vester : *In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis (Marc.* IV, VII). si temporale peccatum supplicio punitur æterno? Nec attendunt non propter æquale spatium temporis, sed propter vicissitudinem mali, id est ut qui mala fecerit mala patiatur, dictam fuisse eamdem mensuram. De judiciis enim et condemnationibus Dominus loquebatur. Proinde qui ju-

dicat et condemnat injuste, si judicatur et condemnatur juste; in eadem mensura recipit, quamvis non hoc qui dedit. Judicio enim fecit, et judicio patitur. Quamvis damnationem fecerit quod iniquum est, patitur damnationem quod justum est. Nec quisquam existit qui concedat tam cito nocensium finienda esse tormenta, quam cito factum est homicidium, vel adulterium vel sacrilegium, nec quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis et impietatis magnitudine metiendum.

CAP. IX. *De eodem.*

Christus ait : *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis* (*Marc.* IV; *Matth.* VII), id est quod feceris, patieris. Non ut si stuprum fecerit, stuprum patiatur, sed quod peccato isto facit legi, hoc ei lex faciat, id est quia legem talia prohibentem de sua vita abstulit; auferat eum etiam ipsa lex de hominum vita quam regit. Idem : *Nolite judicare et non judicabimini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini* (*Matth.* VII). Nunquid si iniquo judicio judicabunt, iniquo judicabuntur? Absit! Nulla quippe iniquitas apud Deum, sed ita dictum est : In quod judicio judicaveritis, in eo judicabimini, tanquam si diceretur : In qua voluntate benefeceritis in ipsa liberamini, vel in qua voluntate malefeceritis in ipsa puniemini. Ex qualitatibus quippe voluntatum non ex temporum spatiis sive recte facta sive peccata metientur. Alioquin majus peccatum habetur arborem dejicere, quam hominem occidere. Illud enim fit longa mora, ictibus multis; hoc uno ictu, brevissimo tempore. In hac quippe sententia ad hoc solum eadem mensura est, ut quod præstitit, ei non pæstetur. Atque ita quod ipse judicatur erit æternum quamvis quod judicaverit æternum esse nequiverit. In eadem igitur mensura quamvis non æternorum malefactorum æterna supplicia remetientur, ut quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, inveniat æternam vindictæ severitatem.

CAP. X. *De eodem.*

Scire velim quomodo justum sit, ut culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Gregorius : Hoc recte diceretur, si districtus judex non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fide deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita noluerunt carere peccato.

CAP. XI. *Quomodo diabolus nunc cruciatur, et quomodo in futuro cruciabitur.*

Antiquus nostis nequitiæ suæ vinculis astrictus, aliud est quod nunc patitur, aliud quod in fine patietur. Quia enim a lucis intimæ ordine cecidit nunc semeptipsum intrinsecus horroris caligine confundi. Sed post hac amaritudine involvetur, quia superbiæ ejus supplicia non solum omnimoda, sed etiam infinita præparantur. Quæ videlicet ejus pœna tunc initium accipit, cum districtus ad extremum judex venit.

CAP. XII. *De eodem.*

A morte autem carnis alieno diabolo, unde nimium superbus incedit, mors alterius generis præparatur; in æterno igne tartari. Quo non solum cum terrenis, sed etiam cum aeriis corporibus excruciari spiritus possint.

CAP. XIII. *Quod post damnationem reproborum sancti plenius cognoscunt gratiam Dei.*

Remanentibus igitur angelis et hominibus reprobis in æterna pœna, tunc sancti scient plenius quid boni contulerit eis gratia.

CAP. XIV. *Quod, damnatis malis, sancti in vitam æternam intrabunt.*

Sicut enim impiis dicet : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV), sic justis : *Venite, benedicti Patris mei, possidete,* etc. *(ibid.)*. Et sicut ibunt illi in combustionem æternam, sic justi in vitam æternam. Quid *est autem vita æterna,* sine *ut cognoscant te,* inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum?* (*Joan.* XVII.) Sed jam in illa claritate de qua dicit Patri : *Quam habui apud te prius quam mundus fieret* (*ibid.*); tunc tradet *regnum Deo, et Patri (I Cor.* XV). ut intret servus bonus *in gaudium Domini sui* (*Matth.* XXV).

CAP. XV. *Quomodo justi tunc nunc non compatientur malis.*

Et ubi est quod sancti sunt si pro inimicis suis quos tunc ardere videbunt, non orabunt quibus utique dictum est : *Pro* inimicis vestris *orate*? (*Matth.* V; *Luc.* VI). Orant pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod ait Apostolus : *Ut det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem* (*II Tem.* II).

De eodem.

Placeat quod dicis. Et quomodo pro illis tunc orabitur, qui jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari. Eadem itaque causa est cur non oretur, tunc pro hominibus igne æterno damnatis, quæ nunc etiam causa est ut non oretur pro diabolo, angelisque ejus, æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia eis utique quos æterno supplicio deputatos jam noverunt ante illum judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt? Quoniam nunc quoque viventes justi et mortuis et damnatis et injustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua causa sese perpeti etiam ipsi noverunt. Qui tanto districtius tunc iniquorum tormenta despiciunt, quanto ab omni vitio corruptionis exuti ipsi jam justitiæ vicinius atque arctius inhærebunt. Sic quippe eorum mentes per hoc quod justissimo inhærent judici, vis

districtionis absorbet ut omnino eis non libeat A quidquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat.

Cap. XVI. *De visione Dei.*

Si quæris utrum possit Deus videri respondeo: Potest. Si quæris unde sciam? respondeo: Quia in verissima Scriptura legitur: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). Si quæris quomodo dictus sit invisibilis si videri potest, respondeo. Invisibilem esse natura. Videri autem potest cum vult sicut vult. Plurimis enim visus est non sicut est, sed quali specie illi placuit apparere. Quid est ergo quod eadem dicit auctoritas: *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* i), et quod Apostolus planius explicans: *Quem nemo,* inquit, *hominum vidit nec videre potest* B (*I Tim.* vi). Quomodo ergo Deum vidit Abraham, Isaac, Jacob, Job, Moyses, Nichæas, Isaias et si qui alii sunt de quibus veracissima Scriptura testatur, quoniam Deum viderint; si Deum nemo vidit unquam nec videre potest? Magna quæstio est quomodo non sit contrarium quod tot antiqui viderunt Deum: si Deum: nemo vidit unquam; quem nemo hominum vidit nec videre potest. Certe refelli non potest, ut dicit Ambrosius, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum; si tamen est sancti Spiritus visio ea specie videri quam voluntas elegerit, non natura formaverit. Quoniam spiritum quoque visum accepimus in columba, et ideo: Deum nemo vidit unquam, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis C nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Unde Moyses ait Deo cum quo ut amicus amico *facie ad faciem loquebatur. Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum.* (*Exod.* xxxiii). Quid ergo, ille non erat ipse? Si non esset ipse non ei diceret: ostende mihi temetipsum, sed ostende mihi Deum. Et tamen si ejus naturam substantiamque conspiceret, multo minus diceret ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie qua apparere voluerat; non autem ipse apparebat in natura propria quam Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in alia vita. Unde quod responsum est Moysi verum est, quia nemo potest videre faciem Dei et vivere (*ibid.*). id est nemo potest eum in hoc vita vi- D vens videre sicuti est. Nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formavit. Si quæris quomodo eum vidit vel Cain sceleratus; quando de suo scelere ab illo inter rogatus et judicatus est, vel etiam ipse diabolus quando venit cum angelis ut coram illo assisteret (*Job* i); si beati munde corde, quoniam ipsi Deum videbunt? Respondeo: non quidem esse consequens ut etiam videant Deum qui voces ab eo factas aliquando audiunt. Neque enim viderunt eum qui audierunt, quando dixit ad filium: *et clarificavi et iterum clarificabo* (*Joan.* xii). Verumtamen non est mirandum si aliquando etiam non mundi corde videant Deum in specie, quam voluntas ejus fecerit; latente invisibili et apud se incommutabili manente natura. Si quæris utrum etiam sicuti aliquando possit videri; respondeo filiis hoc esse promissum de quibus dictum est: *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus quoniam, videbimus cum sicuti est* (*Joan.* iii). Non enim quæritur quomodo videatur Deus in ea specie qua in isto sæculo quibusdam voluit apparere; sed quomodo videatur in illo regno ubi eum filii ejus videbunt sicuti est. Tunc quippe satiabitur in bonis desiderium eorum. Non enim indigni Deum videbunt, de quibus dictum est: Tollatur impius ne videat *gloriam Dei* (*Isa* xxvi), quibus etiam dicetur. *Ite in ignem æternum* etc. (*Matth.* xxv). Promisit autem Deus se ostensurum dilectoribus suis cum Patre unum Deum non quomodo in hoc sæculo in corpore visus est a bonis et malis. In judicio enim futuro quo sic venturus est quomodo visus est, iens in cœlum; hoc est in eadem forma filii hominis, eamdem formam videbunt quibus dicturus est. *Esurivi et non dedistis mihi manducare* (*ibid.*); quia et Judæi *videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* xii; *Joan.* xix; *Apoc.* xx), non illam Dei formam in qua *non rapinam arbitratus est esse* æqualis *Deo* (*Philip.* ii). In illa Dei forma tunc videbunt Deum qui videbunt sicuti est. Nec ideo videbunt, quia pauperes spiritu in hac vita fuerunt, quia mites, quia lugentes, etc. Sed quia mundo sunt corde quoniam mundo corde videbetur, qui nec in loco videtur, nec oculis corporalibus quæritur, nec circomscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu.

Cap. XVII. *Quid distet inter videre et credere.*

Inter videre et credere hoc distare dicimus; quia præscentia videntur, creduntur absentia. Plane forsitan satis est si præsentia illa hoc loco intelligamus dicta, quæ præsto sunt sensibus sive animæ sive corporis. Unde etiam ducto vocabulo præsentia nominantur. Sicut enim hanc lucem corporis sensu, sic et meam voluntatem plane video, quia præsto est animi mei sensibus, atque intus mihi præsens est. Si quis vero mihi indicet voluntatem suam cujus os et vox mihi præsens est; tamen quia ipsa voluntas quam mihi indicat, latet sensum corporis et animi mei; credo, non video. Aut si eum mentiri existimo, non credo, et si forte ut dicit ita sit. Creduntur ergo illa quæ absunt a sensibus nostris si videtur idoneum quod eis testimonium perhibetur. Nec quia dixi ea credi quæ absunt a sensibus nostris sic accipiantur, ut inter illa deputentur, quæ aliquando vidimus et nos vidisse retinemus, certique sumus, quamvis tunc non præsto sint cum recoluntur a nobis. Neque enim inter credita sed inter visa deputantur, et ideo nota sunt; non quia fidem habuimus aliis testibus, sed quia nos vidisse sine dubio recordamur et scimus. Constat igitur nostra scientia ex rebus visis et creditis, sed in iis quæ videmus vel videmus nos ipsi testes sumus. In iis autem quæ credimus, aliis testibus movemur ad fidem, cum earum rerum quas nec vidisse nos recolimus nec vidimus, dantur signa vel in vocibus vel in litteris vel in quibuscunque docu-

mentis, quibus visis non visa credantur. Non autem A immerito nos scire dicimus, non solum ea quæ videmus aut videmus; verum etiam illa quæ idoneis testimoniis vel testibus credimus. Porro si scire non incongruenter dicimus, etiam illud quod credimus certissimum hinc factum est, ut etiam recte credita et si non adsint sensibus nostris, videre mente dicamur. Cum itaque dicitur homini, crede Christum resurrexisse a mortuis, si credit, attende quid videat, attende quid credat, et utrumque discerne. Videt hominem cujus auditu vocem; et ipsa vox in visis corporalibus deputatur, secundum ea quæ supra diximus. Hæc duo sunt testis est testimonium, quorum ad oculos unum, ad aures alterum pertinet Sed hunc testem fortasse aliorum testimoniorum auctoritate confirmat, divinarum scilicet Scriptu- B rarum, vel eorumlibet aliorum quibus est motus ad fidem. Scripturæ advisa pertinent corporis; oculorum, si eas legit, vel aurium, si audivit. Quod igitur non sic ostendero ut aut corporis aut animi sensu visum perceptumque teneatur, et tamen dixero aliquid quod, aut verum quidem aut falsum esse necesse sit, sed neutro illorum duorum genere videatur; restat ut tantummmodo credatur, vel non credatur. Sed si divinarum Scripturarum earum, scilicet quæ canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicua firmatur auctoritate, sine ulla dubitatione credendum est.

Aliis vero testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat quantum me ea admonenti C ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenderis. Si enim ea quæ non videmus, hoc est in præsenti apparentia non sensimus vel mente vel corpore, neque de Scripturis sanctis, vel legendo vel audiendo didicimus, nulla omnino credidissemus, unde scirimus esse civitates ubi nunquam fuimus, vel a Romulo conditam Romam, vel ut de propinquioribus loquar, Constantinopolim a Constantino? Unde postremo sciremus quinam parentes nos procreassent, quibus patribus, avis, majoribus geniti essemus? Talium quippe cum plurima sciamus, non tamen ea vel ullo sensu præsentia sicut solem, sicut nostri animi voluntatem, vel canonicorum eloquiorum auctoritatem, sicut Adam fuisse primum hominem, aut Christum in carne D natum, passumque, resurrexisse dedicimus; sed aliis referentibus, de quorum testimonio in hoc duntaxat rerum genere minine dubitandum esse putavimur.

Satis, ut puto, ista mea prolocutione recognovisti, quid sit videre vel mente vel corpore; et quid ab eis distet credere, quod quidem fit mente, et videtur mente, quoniam menti nostræ fides nostra perspicua est.

Sed tamen quod eadem fide creditur abest, et ab aspectu corporis nostri, sicut abest corpus in quo Christus resurrexit, et ab aspectu mentis alterius, sicut abest ab aspectu mentis nostræ fides tua, quamvis eam esse in te credam, cum non videam corpore, quod nec tu potes, nec mente quod tu potes, sicut ego meam quod tu non potes.

Cap. XVIII. *De visione corporali et spirituali in futuro.*

Durum est dicere quod sancti alia corpora tunc habebunt, ut non possint oculos claudere atque aperire cum velint; durius autem quod ibi Deum quisquis oculos clauserit non videbit.

Si enim propheta Eliseus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera quæ dedit ei Naaman Syrus (*IV Reg.* v), quem propheta memoratus a lepræ de formitate mundaverat, quod servus nequam domino non vidente latenter se fecisse putaverat, quanto magis in illo corpore spirituali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verum etiam unde sunt absentes corpore?

Cap. XIX. *Utrum volubilis erunt ibi cogitationes nostræ.*

Proinde verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur ore carnis, vox verbi est. Verbumque ipsum dicitur propter illud a quo, ut foris appareret, assumptum est. Idem in eodem paulo post.

Quapropter ita dicitur illud Dei verbum, ut Dei cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo; quod nunc accipiat nunc recipiat formam ut verbum sit; eamve non possit amittere atque informiter quodammodo volutari. Et paulo post: Dicuntur quidem etiam in Scripturis sanctis cogitationes Dei; sed eo locutionis modo quo ira et oblivio Dei dicitur, quare utique ad proprietatem in Deo nulla est. Et paulo post: Et tunc quidem in æterna vita, scillicet verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur neque fallemur. Fortassis etiam non erunt volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alia euntes ac redeuntes, sed omnem scientiam, uno simul conspectu videbimus.

Tamen cum et hoc fuerit si et hoc fuerit formata erit creatura, quæ formabilis fuit ut nihil jam desit ejus formæ, ad quam pervenire deberet; sed tamen coæquanda non erit illi simplicitati, ubi non formabile aliquid formatum vel reformatum est, sed forma neque informis, neque formata ipsa ibi æterna est immutabilisque substantia.

Cap. XX. *Qualis et quanta erit felicitas et beatitudo futura.*

Quanta erit felicitas ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum? Vacabitur Dei laudibus qui erit omnia in omnibus. Idem in eodem: Certe ubi volet spiritus, ibi erit protinus corpus. Nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit dicere nec corpus. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam; nec adulatione laudabitur. Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno. Sed nec ad eum ambiet ullus ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil adversi, nec a seipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, et que seipsum quo melius et majus ni-

hil possit esse promisit. Quid enim est aliud quod A per prophetam dixit : *Ero* illorum *Deus, et ipsi mihi erunt* populus (*Jerem.* XXX, 31) ; nisi ego ero unde satientur, ego ero quæcunque ab omnibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia ; gloria et honor, pax et omnia bona ? Sic enim et illud recte intelligitur quod ait Apostolus : *Ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Ipse enim erit finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus, profecto erit omnibus sicut ipsa vita æterna communis. Cæterum qui futuri sunt pro meritis præmiorum etiam gradus honorum atque gloriarum ; quis est idoneus cogitare, quando minus dicere ? Quod B tamen futuri sunt non est ambigendum, atque ita etiam beata illa civitas magnum in se donum videbit quod ulli superiori nullus inferior invidebit, sicut non invident archangelis angeli cæteri.

Tam nolet esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo vinculo concordiæ ei qui accepit astrictus, quam nec in corpore vult oculus esse, qui es digitus, cum membrum utrumque contineat totius partis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.

Cap. XXI. *In tribus constare beatitudinem veram.*

Ibi esse nostrum, non habebit mortem ; ibi nosse nostrum, non habebit errorem ; ibi amare nostrum, non habebit offensionem.

Cap. XXII. *Quod sanctis in futuro non ad dolorem, sed ad gaudium proficiet præteritorum memoria.*

Erit ergo illius civitatis et una in omnibus et inseparabilis in singulis voluntas libera ab omni malo liberata, et impleta, omni bono, fruens indesinenter æternorum jucunditate gaudiorum oblita culparum, oblita pœnarum. Tamen nec ideo suæ liberationis oblita ut liberatori suo non sit ingrata. Quantum ergo attinet ad scientiam rationalem memor erit præteritorum malorum suorum, quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor. Nam et peritissimus medicus, sicut arte sciuntur, omnes morbos corporis novit. Sicut autem corpore sentiuntur, plurimos nescit quos ipse non passus est. Ut ergo scientiæ malorum duæ sunt, una qua potentiam mentis non latent, altera qua experientis sensibus inhærent. (Aliter quippe sciuntur omnia vitia per sapientiæ doctrinam ; aliter per insipientis pessimam vitam.) Ita et obliviones malorum duæ sunt. Aliter namque ea obliviscitur eruditus et doctus, aliter expertus et passus. Ille si peritiam negligat, iste si miseria careat. Secundum hanc oblivionem quam posteriore loco posui ; non erunt me mores sancti præteritorum malorum. Carebunt enim malis omnibus ita ut penitus deleantur ab eorum sensibus, et tamen potentia scientiæ quæ magna in eis erit ; non solum sua præterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit. Ibi vocabimus et videbimus ; videbimus et amabimus ; amabimus et laudabimus. Ecce quid erit in fine sine fine.

DE ARCA NOE MORALI

LIBRI IV.

PROLOGUS.

Cum sederem aliquando in conventu fratrum, et illis interrogantibus, meque respondente, multa in medium prolata fuissent, ad hoc tandem deducta sunt verba, ut de humani potissimum cordis instabilitate et inquietudine admirari omnes simul, et suspirare inciperemus ; cumque magno quidem desiderio exposcerent, demonstrari sibi quæ causa in corde hominis tantas cogitationum fluctuationes ageret, ac deinde si qua arte, sive laboris cujuslibet exercitatione huic tanto malo obviam iri posset, summopere doceri flagitarent ; nos quantum Deo inspirante valuimus, in utroque charitatis fratrum satisfacere volentes, utriusque quæstionis nodum ductis tam ex auctoritate quam ex ratione firmamentis solvimus. In collatione autem, quia quædam specialiter placuisse fratribus scio, ea potissimum stylo commendare volui, non tantum ideo quod eo digna scribi existimem, sed quia quædam ibi prius inaudita quodammodo magis grata esse cognovi. Primo igitur demonstrandum est, unde tanta in corde hominis vicissitudo oriatur, ac deinceps quomodo ad pacem stabilem mens humana reduci, qualiterque in eadem stabilitate sua conservari possit insinuandum. Et licet hoc proprium divinæ gratiæ opus esse non dubitem, et non tam humana industria, quam divino munere, et sancti Spiritus inspiratione possideri ; scio tamen quod cooperari nobis vult Deus, et sic gratis pietatis suæ dona præstat, ut ingratis ea etiam, quæ præstiterit sæpe subtrahat. Præterea etiam idcirco non inutile est,

et infirmitatis nostræ magnitudinem, et reparationis modum agnoscere, quia qui quanta sibi gratia collata sit nescit, quantas largitori grates debeat non intelligit. Primus itaque homo ad hoc conditus fuit, ut si non peccasset, per contemplationis præsentiam vultui Creatoris sui semper assisteret, ut eum semper videndo, semper amaret, semper amando, semper ei adhæreret, semper ei adhærendo, qui immortalis est, etiam in ipso vitam sine termino possideret. Hoc ergo erat unum et verum bonum hominis, plena videlicet et perfecta cognitio sui conditoris, plena scilicet secundum illam plenitudinem, quam creatus acceperat, non secundum illam quam post peractam obedientiam accepturus erat. Sed projectus est a facie Domini quoniam propter peccatum cæcitate ignorantiæ percussus ab intima contemplationis illius luce foras venit, eoque profundius ad desideria terrena mentem inclinavit, quo magis supernorum dulcedinem (quorum jam gustum perdiderat) oblivisci cœpit; sicque factus est vagus, et profugus super terram. Vagus videlicet per inordinatam concupiscentiam profugus per peccatricem conscientiam. Cujus voce etiam illud apte subjungitur. *Quisquis enim invenerit me, occidet me (Gen.* IV). Quia mentem divino desertam auxilio quæcunque tentatio impetierit, subvertit. Cor ergo hominis, quod prius divino amori affixum stabile præstitit, et unum amando unum permansit, postquam per desideria terrena difluere cœpit; quasi in tot divisum est, quod ea sunt quæ concupiscit. Sicque fit, ut mens quæ verum bonum amare nescit, nunquam valeat esse stabilis, quia desiderii sui finem in his quæ amplectitur non inveniens, dum semper se desiderio extendit sequens quod consequi non valet, nunquam requiescit; hinc igitur nascitur motus sine stabilitate, labor sine requie, cursus sine perventione, ita ut semper sit inquietum cor nostrum, donec illi adhærere cœperit; ubi et desiderio suo nihil deesse gaudeat, et ea quæ diligit semper mansura confidat. Ecce ostendimus morbum cor fluctuans, cor instabile, cor inquietum. Et causam morbi, amorem videlicet mundi, et remedium morbi amorem Dei, quibus necessario quartum adjungitur, adeptio remedii, scilicet qualiter possimus pertingere ad amorem Dei, sine quo cætera agnovisse aut parum, aut nihil proderit.

LIBER PRIMUS

Cujus hæc sunt capitula :

CAP. PRIMUM. *Quæ igitur sit differentia,* etc.

A Inter amorem hujus mundi et amorem Dei hæc est differentia, quod hujus mundi amor in principio dulcis esse videtur sed finem habet amarum. Amor vero Dei ab amaritudine incipit, sed ultima ejus dulcedine plena sunt. Quod pulcherrima similitudine evangelicus sermo nobis ostendit, cum de sponsi nostri nuptiis decantaret, dicens : *Omnis homo primum vinum bonum ponit, et cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc (Joan.* II). Omnis namque homo, id est carnalis primum vinum bonum ponit, quia in sua delectatione falsam quamdam dulcedinem sentit, sed postquam furor mali desiderii mentem inebriaverit, tunc quod deterius est propinat, quia spina B conscientiæ superveniens mentem, quam prius falso delectabat, graviter cruciat. Sed sponsus noster postremo vinum bonum porrigit, cum mentem, quam sui dulcedine amoris replere disponit, quadam prius tribulationum compunctione amaricari sinit, ut post gustum amaritudinis avidius bibatur suavissimum poculum charitatis. *Et hoc est* primum signum quod *Jesus fecit* coram discipulis suis, *et crediderunt in eum (ibid.)*. Quia inde peccator et pœnitens primum de misericordia Dei fiduciam habere incipit, quod est post longa mœroris tædia sancti Spiritus consolatione cor suum sentit revelari. Quæramus ergo quod ad amorem Dei pertingere possimus, quia ipse colliget, et stabilitet corda nostra, ipse pacem restituet, et continuam præstabit lætitiam. Nemo autem amare potest quod nescit, et ideo si Deum amare cupimus primum eum cognoscere satagamus, præcipue cum ipse talis sit, qui nequeat sciri, et non amari. Tanta est enim species pulchlitudinis ejus, ut qui eum potuerit videre, non possit non diligere. Homo qui vult alterius hominis mores et secreta agnoscere, facit se ei familiarem, frequenter in domo ejus conversatur, et cum iis, qui illi familiares sunt. Et si viderit ea, quæ circa ipsum sunt, honeste et prudenter disponi certior jam de virtute ipsius efficitur, et amore jam dignum judicat, cujus probitatis tam aperta se indicia invenisse cognoscit. Et nos igitur inquiramus ubi habitet Deus, ubi domus ejus sit, interrogemus notos ejus de ipso. Utrum prudens est, utrum fidelis est, utrum laude dignus est, utrum pius est.

Siquidem humilis est,dignus est. Si domus suæ cu- A
ram bene agit,prudens est.Si servientes sibi fraudare non novit, fidelis est. Si peccantibus libenter parcit, pius est. Si afflictis compatitur, misericors est. Si subjectos non premendo, sed juvando regit, humilis est. Sed fortassis interrogas ubi ista domus Dei quærenda sit, ubi inveniri possit? Domus Dei totus est mundus, domus Dei Ecclesia catholica est, domus Dei etiam est quælibet fidelis anima. Sed Deus aliter mundum inhabitat, aliter Ecclesiam, aliter unamquamque fidelem animam; in mundo est, ut imperator in regno; in Ecclesia est, ut paterfamilias in domo; in anima est, ut sponsus in thalamo. Pagani et infideles quique in modo ejus sunt, id est in regno quia ipse omne quod condidit per divinitatis suæ potentiam tenet B
et regit; falsi fideles in domo ejus sunt, id est in ecclesia quia ipse omnibus quos ad fidem vocavit, sacramentorum suorum participationem credit; fideles vero in domo ejus sunt, id est in thalamo, et ut verius dicam ipsi domus ejus sunt, quia eos per dilectionem inhabitans possidet et regit. Omnes in domo ejus sumus per conditionem, qua vocavit nos in domo ejus; sumus dilectionem, qua justificavit nos. Si in domo Dei tantum es per conditionem, etiam diabolus tecum est. Si in domo Dei es tantum per fidem, etiam palea cum granis in area tua est. Si autem in domo Dei fueris per charitatem, beatus es, quia non solum tu in domo Dei, sed tu domus Dei esse cœpisti, ut ipse tecum habitet in te, qui fecit te. Hæc est salutaris man- C
sio, hæc sunt tabernacula justorum, in quibus vox lætitiæ et exsultationis semper personat, ubi habitant beati, cujus decorem, propheta concupivit, cujus inhabitationem optavit, cujus desiderio flagravit. Si ergo hæc mansio in nobis esse cœpit, intremus et habitemus cum eo. Ibi pacem inveniemus et requiem ubi ille habitare dignatur, cujus locus in pace factus est. Si vero necdum in nobis esse cœpit ædificemus eam, quia si locum ei præparaverimus ad nos libenter veniet, qui idcirco fecit nos, ut in nobis habitet Jesus Christus Dominus noster.

Cap. II. *Quod duobus modis inhabitet Deus cor hominis, et quod multis nominibus dicatur inhabitatio Dei, et inhabitator Deus, et quod* D
arca sit exemplar ædificii spiritualis.

Duobus modis Deus cor humanum inhabitat, per cognitionem videlicet et amorem, una tamen mansio est, quia et omnis qui novit eum diligit, et nemo diligere potest qui non novit. In hoc tamen differre videtur, quod scientia per cognitionem fidei fabricam erigit, dilectio autem per virtutem quasi colore superducto ædificium pingit. Sic autem utrum libet necessarium porspicitur, quia nec splendere potest si non fuerit, nec placere si non splenduerit. Ingredere ergo nunc si secretum cordis tui, et fac habitaculum Deo, fac templum, fac domum, fac tabernaculum, fac arcam testamenti, fac arcam diluvii, vel quocunque nomine appelles, una est domus Dei. In templo adoret psalma Creatorem, in domo veneretur filius patrem, in tabernaculo honoret miles regem, in testamento auscultet assecla præceptorem, in diluvio imploret naufragus gubernatorem. Totum tibi factus est Deus, et totum tibi fecit Deus. Fecit habitaculum, factus est patrocinium; hoc unum totum est, et totum hoc unum est, domus Dei est, civitas regis est, corpus Christi est, sponsa Agni est. Cœlum est, sol est, luna est, stella matutina est, aurora est, tuba est, mons est, desertum est, terra promissionis est, navis est, via in mari est, sagena est, vinea est, ager est, arca est, horreum est, præsepe est, subjugale est, equus est, apotheca est, aula est, thalamus est, turris est, castra est, acies est, populus est, regnum est, sacerdotium est, grex est, pastor est, ovis est, pascua est, paradisus est, hortus est, palma est, rosa est, lilium est, fons est, fluvius est, porticus est, columba est, vestis est, margaritum est, corona est, sceptrum est, thronus est, mensa est, panis est, conjux est, mater est, filia est, soror est. Et ut brevius concludam de hac, et ad hanc, et propter hanc omnis Scriptura factus est. Propter hanc mundus factus est. Propter hanc verbum caro factum est. Deus humilis, homo sublimis. Si hanc ergo habes, totum habes, si totum habes, nihil est amplius, quod exspectes, et requiescit cor tuum. Hujus vero spiritualis ædificii exemplar tibi dabo arcam Noe, quam foris videbit oculus tuus, ut ad ejus similitudinem intus fabricetur animus tuus. Videbis ibi colores quosdam, formas et figuras, quæ delectent visum. Sed scire debes, ideo hæc posita esse, ut in eis discas sapientiam, disciplinam atque virtutem, quæ exornent animum tuum. Et quia hæc arca Ecclesiam significat, ecclesia autem corpus Christi est, ut evidentius exemplar tibi fiat, totam personam Christi, id est caput cum membris in forma visibili depinxi, ut cum totum videris, quæ deinde de parte dicuntur facilius intelligere possis. Talem autem personam hanc exprimere tibi cupio qualem Isaias se vidisse testabatur, et idcirco ejus ipsius verba in medium proferam, atque ex ipsis quod tibi demonstrare volo sumam, ut quod dicit littera probet propheta. Ait ergo: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isai.* VI). Excelsum est quod situm est in sublimi, elevatum est quod de inferioribus translatum est ad superiora. Solium ergo excelsum sunt angelici spiritus, solium elevatum animæ sanctorum de hujus mundi voragine translatæ ad gaudia supernæ pacis. Et quia utrisque præsidet Deus, ideo sedere perhibetur super solium excelsum et elevatum. Quod vero in sequentibus dicitur: *Plena est omnis terra* majestate *ejus* (*ibid.*), per terram omnis corporea creatura significatur, quæ plena est majestate Dei. Quia divina essentia sicut spirituali creaturæ per cognitionem præsidet, ita corpoream creaturam regendo atque disponendo implet. Quod ergo alibi dicitur: « Cœlum et terram ego impleo. » Et rursum: *Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI); hoc hic dicitur: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, deinde: Plena

est omnis terra majestate ejus, *et ea quæ sub* A *ipso erant replebant templum* (*Isa.* VI). Templum est angelici sive humani intellectus capacitas, quod scilicet templum impletur ab his quæ sub eo sunt. Quia tanta est divinorum operum immensitas, ut ad ea perfecte comprehendenda nullius creaturæ intelligentia sufficiat. Implet cor nostrum consideratio eorum non comprehenditur a corde nostro immensitas eorum. Quomodo ergo factorem operis comprehendere valebimus, qui ipsum opus factoris ad plenum capere non valemus ? Possumus etiam dicere quod solium hoc excelsum et elevatum, in quo sedet Deus, æternitas sit deitatis, quia de ipso solo dicitur : Qui habitat *æternitatem* (*Isa.* LVII), non quod aliud sit Deus, et aliud æternitas ejus, sed quia solium B regnantium est, et ideo recte in solio æternitatis sedere perhibetur, quia sicut essentiæ ejus, ita etiam omnipotentiæ ipsius nec principium nec finis invenitur. Semper fuit, semper omnipotens fuit, semper in se, et a se plenus, et perfectus fuit, nec tamen redundans. Dicat ergo : Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elavatum, quia virtus divinitatis omnem creaturam et æternitate præcedit, et dignitate transcendit, et potestate disponit. Sequitur : Et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Templum in hoc loco intelligi potest circuitus temporum et ambitus sæculorum. Tempora namque dum cursu suo in seipsa redeunt, quasi quemdam templi ambitum gyrando circumscribunt. Quid ergo dicit : Ea, quæ sub ipso erant C replebant templum, sic intelligendum est, quod omnia sæculorum tempora plena sunt operibus Dei, et omnis generatio narrat mirabilia ejus. Vel sic legi potest. Ea, quæ sub ipso erant, implebant templum, id est ea, quæ implebant templum sub ipso erant, quia quidquid temporaliter volvitur, intra et infra æternitatem invenitur, immensitas enim æternitatis temporales angustias intra se claudit, quia et prius tempore est, quod nunquam cœpit, et posterius tempore, quod finem nescit. Et supra tempus est, quod mutabilitatem non recepit. *Seraphim stabunt super illud* (*Isa.* VI), Duo seraphim duo sun. Testamenta. Et pulchre seraphim, quod interpretatur *ardens*, divinam Scripturam significat, quæ eos quos per cognitionem D prius illuminaverit per amorem postmodum fortiter ardere facit. Dum enim menti nostræ quod desiderare debeat ostendit, prius eam illuminat, ac deinde ardentem facit. Ardet ergo quia ardentes facit, sicut alibi lucere dicitur quia illuminat, de hac enim, Petrus apostolus ait : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (*II Petr.* I). Et fortassis secundum hanc similitudinem qua ipsi Scripturæ attribui solet quod ipsa in cordibus efficit audientium, hoc dictum est : Seraphim stabant super illud. Surgit enim cum nos erigit, ambulat cum nos perficere facit, stat cum nos in bono proposito figit. Sed inquiredum est quare super solium Deus sedere dicitur, et seraphim super solium non sedere, sed stare perhibentur. Et quia superius duobus modis hoc solium interpretati sumus, secundum utrumque modum expositionem adaptare debemus. Si ergo per solium Dei spirituales creaturas accipimus, recte super solium Deus sedens describitur quia dignitas deitatis ut sit super omnia nec virtute proficit, nec sapientia crescit, cum plenitudo augeri possit, nec æternitas variari; mens vero humana quoties per cognitionem sacræ Scripturæ illuminata ad cœlestia contemplanda sublevatur, si ipsos quoque angelorum chorus transcendens usque ad præsentiam conditoris sui profecerit, super solium quidem ascendit, sed tamen stat non sedet, quia illuc proficiendo per laborem venit, ubi per naturam manere non habuit. Stare namque laborantis est, sedere quiescentis, et ideo super solium nos stamus. Deus sedet, quia esse incipimus per gratiam, ubi ipse est per naturam. Similiter si per solium æternitatem Dei intelligimus nos super solium stamus, quia ejus immortalitatem non nisi per mortis laborem pervenire possumus, et qui ex conditione fine obnoxii sumus, ex adoptione æternitatis hæredes efficimur.

Sex alæ uni, et sex alæ alteri (*Isa.* VI), id est utrumque sex alas habebat, quæ juncta binæ et binæ tria paria alarum faciunt. Utrumque *duabus* (*Ibid.*) corpus suum tegit non domini, hoc est primum par. Utrumque duas extendit, alteram ad tegendum caput non suum sed Domini, alteram ad tegendos pedes non suos sed Domini, hoc est secundum par. Utrumque duabus volat alter ad alterum, hoc est tertium par. Si ergo seraphim Scripturam sacram significat, tria paria alarum tres sunt intellectus ejusdem Scripturæ, id est historia, allegoria, tropologia, quæ singula idcirco bina sunt, quia singula ad dilectionem Dei et proximi legentium animos accendunt. Duæ alæ, quæ corpus seraphim tegunt, historia est, quæ per velamen litteræ mysticos tegit intellectus. Duæ alæ, quæ usque ad caput et pedes Domini extenduntur, allegoria est ; quia cum mystica divinæ Scripturæ discimus, usque ad ipsius divinitatis agnitionem, quæ ante omnia, et post omnia est, per illuminationem mentis penetramus. Sed sciendum est quod alæ extensæ usque ad caput, et pedes attinguntur, sed utrumque tangentes tegunt, quia quoties ad ejus æternitatem cogitandam per excessum mentis rapimur, nullum in eo principium aut finem invenimus. Sed hac eadem ala nobis caput ejus velamus, quia qualiter in eo nullum sit principium comprehendere non valeamus. Alam ad pedes extendimus, dum eum post omnia esse non tempore, sed æternitate consideramus. Sed pedes tegimus, dum in eo finem non invenimus. Tangendo ergo caput ejus, et pedes tegimus, quia quanto magis ejus æternitatem mens humana investigare nititur, tanto magis, incomprehensibilem esse miratur. Quod autem in Isaia scriptum non est velabant caput ejus, sed scriptum est : *Velabant faciem ejus* (*Ibid.*), eo

modo intelligi debet,quo dictum est ad Moysem: *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* XXXIII). Illa quippe plena cognitio divinitatis, quæ sanctis in æterna vita promittitur, de qua dicit Apostolus : *Videbimus eum facie ad faciem* (*I Cor.* XIII), et rursus : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum* (*ibid.*).In hac adhuc mortalitate degentibus velata est, et abscondita. In illa autem vita æterna non velata,sed revelata est et manifesta,sicut Dominus in Evangelio de beatis angelis testatur : *Angeli eorum semper vident faciem Patris (Matth.* XVIII). Quia ergo ad præsentem tractatum magis pertinebat, ut facies nuda remaneret, verba prophetiæ non mutantes, sed prætermittentes ut verum sit,quod nullum in Deo principium comprehenditur, caput desuper velamus, et ut stare possit quod dicitur : Angeli eorum semper vident in cœlis faciem Patris, faciem apertam relinquimus ; cætera quoque, quæ hic aliter dicuntur,non ad prophetiam, sed ad picturam referenda sunt.

Duabus alis volabant (Isa. VI). Istæ duæ alæ, quibus volabant seraphim, tropologiam significant,quia dum per lectionem divinæ Scripturæ ad bona opera instruimur, quasi quibusdam alis ad alta sublevamur. Quibus etiam volamus alter ad alterum, dum per studium bonæ operationis nos invicem exhortamur. Volantes autem Sanctus, sanctus, sanctus, clamamus, si per bona opera nostra non nostram, sed Patris nostri,qui in cœlis est, gloriam amplificare satagimus. Quid est enim : *Sanctus,sanctus,sanctus (ibid.)* clamare, nisi Creatoris gloriam, quam agnovimus intus,in aperto prædicare ? His breviter explanatis ea, quæ sequuntur, deinceps tractare incipiamus. Restat enim ut postquam ostendimus quid sibi vult,quod caput Domini,et pedes ejus nobis abscondita esse leguntur, etiam quid de reliquo corpore cogitandum sit demonstremus.Si ergo caput Dei dicimus esse quod fuit ante constitutionem hujus mundi, et pedes ejus quod futurum est post consummationem sæculi, recte longitudinem corporis ejus accipimus,quod inter principium et finem medium est spatium temporis. Caput ergo et pedes teguntur, quia prima et novissima investigare non possumus. Corpus apparet,quia ea quæ media in hoc præsenti sæculo geruntur, videmus. Hoc corpus est Ecclesia, quæ cœpit a principio mundi,et usque ad finem sæculi durabit. Hæc est arca, de qua loqui proposuimus, quæ a capite usque ad pedes pertingit, quia a principio usque ad finem per successionem generationum sancta Ecclesia se extendit.Sed sciendum est quod sicut in persona hominis alia sunt circa corpus ejus, et neque in corpore sunt, neque de corpore, ita etiam est in corpore Christi, id est Ecclesia, quæ habitat in medio pravæ nationis,et dum assuitus infidelium excipit, quasi quibusdam fluctibus procellosis foris arca tunditur ; dum vero a falsis fratribus tribulationem sustinet, quasi quibusdam noxiis humoribus intus corpus torquetur. Quæcunque ergo corpori contraria sunt sive intus sive extra sint, non sunt de corpore. Quod autem brachia Domini hinc inde complectuntur omnia hoc,significat, quod sub ejus potestate sunt universa, et nemo manum ejus vel dextram ad præmium, vel sinistram ejus effugere potest ad supplicium.Cur ergo amplius membra de salute corporis sollicita sint, quæ talem capitis potestatem agnoverunt ? Ipse novit quid expediat corpori suo, qui et per compassionem sentit periculum,et per potestatem præstat remedium. Ipse est, qui in mari viam ponit, quia corpus suum, id est Ecclesiam suam, quasi arcam in diluvio, sic inter hujus vitæ procellas regens usque ad portum quietis æternæ perducit. Si ergo salvari cupimus.oportet nos intrare hanc arcam. Et sicut supra dixi, hanc, arcam in nobis debemus facere,ut possimus intra nos in ea habitare. Non enim sufficit si extra nos in ea sumus, si non etiam didicerimus qualiter in nobis habitare eam debeamus.Ad quod nobis tria principaliter consideranda sunt,primum qualiter eam debeamus ædificare in nobis, secundum qualiter eam debeamus intrare in nobis, tertium qualiter eam debeamus habitare in nobis.

Sed ecce dum de una arca loqui proponimus,ita per consequentiam rerum ducitur mens nostra,ut jam non de una tantum,sed de quatuor loquendum nobis videamus. E quibus duæ visibiles exterius visibiliter factæ sunt,duæ autem invisibiles invisibili structura intus invisibiliter fiunt.Prima est, quam fecit Noe securibus et dolabris ex materia lignorum et bitumine. Secunda est, quam fecit Christus per prædicatores suos ex collectione populorum in una fidei confessione. Tertia, quam sapientia quotidie ædificat in cordibus nostris ex jugi legis Dei meditatione. Quarta est,quam mater gratia operatur in nobis ex confœderatione multarum virtutum in una charitate.Prima est in te, secunda in fide, tertia in cognitione,quarta in virtute. Primam vocemus arcam Noe, secundam arcam Ecclesiæ,tertiam arcam sapientiæ,quartam arcam matris gratiæ. Quodammodo tamen una ubique arca est,quia unica ubique similitudo est, et non discrepare debet in nomine,quod non discrepat in proprietate, una est forma,diversa materia, quia quod est in ligno,hoc est in populo,et quod est in mente, idem est in charitate. Nos tamen specialiter de arca sapientiæ loqui suscepimus, et idcirco reliquarum trium expositionem breviter transcurremus,ut in explanatione hujus postmodum liberius morari valeamus.

CAP. III. *De forma et quantitate arcæ secundum litteram.*

Qui studiosus indagare capiunt earum rerum veritatem, quæ de arca Noe secundum litteram referuntur, duo præcipue inquirere debent, videlicet formam et quantitatem arcæ. Et de forma quidem sic dicit Origenes : « Ego puto quantum ex his quæ describuntur apparet, quatuor angulis ex imo consurgentem eisdemque paulatim usque ad summum in augustum attractis in spatium unius cubiti fuisse collectam. » Cui sententiæ plura refragari videntur, primum quod hæc

forma ad natandum non videtur esse idonea. Constat namque tantæ molis machinam, tot et tantis onustam animalibus, atque cibariis, nequaquam ita potuisse supernatare venientibus aquis, ut non ex magna parte sui deorsum premeretur; cujus rei experimentum adhuc capere possumus in navibus magna gestantibus onera. Si ergo, ut dicitur, statim ab imo contrahi cœpit, ut intumescentes fluctus latera hinc inde inclinantia non repellerent, sed exciperent, et non tam aquæ arcam, quam arca aquas portaret? quomodo fieri poterat, ut non tota statim ad ima descenderet; rursum cum dicit. *Pones ostium in latere deorsum* (*Gen.* VI). Per latus deorsum videtur significare parietem lateralem ad differentiam lateris, quod sursum erat in tecto, in quo fortassis fenestra posita fuit. Et iterum dicit: *Aperiens Noe tectum arcæ* (*Gen.* VIII), satis consequenter innuit ipsam arcam deorsum habuisse parietes, quibus superpositum fuit tectum, quod erat supremæ mansioni, in qua homo morabatur, contiguum. Propter has, et alias hujuscemodi causas, videtur nobis quod in ipsa arca parietes in quatuor partibus fuerint erecti quibus tectum superpositum in cacumine suo ad mensuram unius cubiti contraheretur. Cujus autem altitudinis fuerint parietes ipsi, hoc auctoritas non dicit, sed tamen quantum conjicimus altitudo parietum usque ad fundum quartæ mansionis extendebatur. Affirmant namque doctores ostium arcæ inter secundam et tertiam mansionem locatum, ita ut lumen ejus fundo tertiæ mansionis esset contiguum. Introitus autem ejus sursum in latere ejusdem mansionis excisus, ita ut ab ostio duæ quidem mansiones deorsum essent, tres vero sursum. Et unam dicunt ad fimum animalium recipiendum ordinatam, secundam ad cibaria eorum. In tertia fuisse indomita animilia, in quarta mitia animalia, in quinta (quæ suprema erat) homines et volatilia. Et verisimile est, quod duæ illæ inferiores mansiones natante arca deorsum inter aquas premerentur. Tertia vero, in qua animalia erant, quæ spiramento aperti aeris eguerunt, prima supra aquas emineret, ita ut foris per aquam ad arcam ascendentibus ostium fere per planum occurreret. Et secundum hunc modum fortassis dictum est: Pones ostium deorsum. Vel deorsum ideo quia in quacunque mansione poneretur, deorsum erat, ut arca intrantium pedes exciperet.

Si vero quæritur utrum æqualis fuerit altitudo singularum mansionum necne, nos quidem ex auctoritate probare non possumus, quid inde sentiendum sit. Interim tantum, quod auctoritati contrarium non sit, nobis concedi postulamus. Volumus enim sic distinguere, ut primæ mansioni demus in altitudine, quatuor cubitos, secundæ quinque, tertiæ sex, quartæ septem, quintæ octo, et sic altitudo parietum quindecim habebit cubitos, et quindecim altitudo tecti.

In parietibus hujus arcæ foris facti erant nidi sive mansiunculæ quasi ad ipsos parietes affixi, ita ut introitus eorum extrinsecus pateret, ipso A pariete integro permanente intrinsecus. Et hos nidos dicunt factos esse propter illa animalia, quæ nec semper in aqua nec semper in arida degere possunt, sicut est lutra et vituli marini. Hæc de forma arcæ dicta sunt.

De quantitate dicitur: *Trecentorum cubitorum erit longitudo, quinquaginta latitudo, tringinta altitudo* (*Gen.* VI). Sed sunt qui dicant, quod hæc magnitudo ad tot genera animalium, et ad eorum cibos, quibus per annum integrum vescerentur, capiendos non sufficeret. Quam quæstionem doctores hac ratione solvunt. Aiunt namque quod Moyses, qui ut de eo Scriptura testatur omni sapientia Ægyptiorum fuerat eruditus secundum autem geometricam, quam præcipue B Ægyptii callent, cubitorum numerum in hoc loco posuit, qua in sex cubitis unus deputatur. Quæ utique ratio si observetur in hujus arcæ mensura, invenientur tanta spatia longitudinis, et latitudinis, et altitudinis, quæ vere totius mundi reparanda germina, et universorum animantium capere potuerint re divina seminaria. Sciendum quoque est, quod illa animalia, quæ non de coitu generantur, sed de humore terræ vel cadaverum, sive cujuslibet alterius rei corruptione, vel illa, quæ ex commistione diversi generis nascuntur, ut muli et burdones, necesse non fuit in arca contineri. Ex quibus colligitur non fuisse impossibile, ut reliquiorum omnium animantium seminaria reparanda tantæ capacitatis locus contineret. C Si autem libet diligentius inquirere ea, quæ ad geometricalium dimensionum rationem pertinent, magna hic horum elucet disciplina, ex quibus nos pauca brevitatis perstringimus. Digitus est pars minima agrestium mensurarum propriam appellationem habentium. Quidquid enim digito minus est a partibus respondemus, ut est secunda, tertia vel quarta pars. Per quem videlicet digitum sic mensuramus, ut per transversum pollicem pollici lateraliter conjungentes radices unguium recta linea respondere faciamus. Et hæc ratione quatuor digiti faciunt palmum unum, quatuor palmi faciunt pedem unum. Pes et dimidius cubitum parvum, sex parvi cubiti cubitum magnum, et sic magnus cubitus habebit novem D pedes. Parvus sesqui pedem. Longitudo ergo trecentorum cubitorum magnorum habebat parvos cubitos mille octingentos. Pedes duo millia, et septingentos. Palmos autem decem millia et octingentos, digitos vero quadragintatria [duo]millia ducentos. Rursus quinque pedes faciunt passum unum, centum viginti quinque passus stadium unum, octo stadia milliare unum. Ac per hoc patet, quod hæc arca in longitudine sua habuit passus quingentos quadraginta, et stadia quatuor (id est dimidium milliare) et quadraginta passus. Simili ratione possunt ista in latitudine et altitudine reperiri. Quod si etiam scire delectat, quod quadratorum, sive pedum, sive cubitorum fuerit embadion, id est arca, multiplicata majus latus per minus, et quot a summa inde excreverit, tot quadratorum erit arca. Verbi gratia:

Dic quinquagies trecenti fiunt quadecim millia, tot cubitorum quadratorum est arca. Et sic de aliis: Si hujus tetragoni diagonalem lineam quæris, hæc tibi sit regula. Multiplica utrumque latus, id est majus, unumquoque per se, ac deinde illius summæ, quæ inde excrescit, in unum coacervatæ latus quære, et hoc prodiagonio habeto. Verbi gratia Dic trecenties trecenti fiunt nonaginta millia: Dic quinquagies quaquaginta fiunt duo millia quingenti. Hujus summæ latus est trecenti quatuor et semis unum,hoc est non integrum. Si dimidium hujus sumis, habes centum quinquaginta duo et semis uno minus. Hæc est, quæ extenditur ab angulo usque ad medium. Si hanc habueris pro base, et in medio arcæ in altitudinem tringinta cubitorum ratetum erexeris, et de ipso rateto a supremo tertiæ mansionis sursum quindecim sumpseris, et hoc pro rateto habueris, eique pedetenus hanc basim secundum geometricalem regulam comparaveris,videbis mirabili ratione omnes angulares hypotemisas in mensuram centum quinquaginta duorum, et semis provenire.Similiter si basim a fronte hincinde venientem cum rateto contuleris,videbis etiam hypotemisas a frontibus procedentes in centum quinquaginta duo semis porrigi.Quæ autem a lateribus veniunt hypotemisæ in viginti octo, et semis extendentur habentes bases viginti quinque cubitorum. Regula inveniendi hypotemisam hæc est ut ratetum in se multiplices, similiterbasim in se, et has summas simul componas, et illius numeri, qui inde excrescit latus pro hypotemisa habeto. In hac autem arca hypotemisæ vicem gerunt tigna oblique ab imo ad superiora porrecta.

Ratenus est stylus in medio arcæ erectus usque ad supremum cubitum. Basis est linea jacens ab angulo arcæ usque ad ratetum porrecta.Diagonalis linea vocatur,quæ protenditur ab angulo in angulum illi oppositum. In trigonis his, et tetragonis multa alia invenies ad subtilitatem geometricæ disciplinæ pertinentia,quæ omnia nos propter fastidium declinamus.Sunt alii,qui dicunt in arca non fuisse nisi tres mansiones,et ex his unam semel cameratam, mediam bicameratam, supremam tricameratam; et aiunt has distinctiones mansionum Scripturarum appellasse cænacula; ipsas autem mansiones tres tristega.Et hanc formam nos idcirco potius quam reliquas depinximus,quia non facile altitudinem parietum in plano demonstrare potuimus. In hac enim forma tigna hinc inde surgentia paulatim contrahuntur donec in cacumine ad unius cubiti mensuram conveniunt.

Cap. IV. *De arca Ecclesiæ, seu Ecclesia*

Hæc secundum litteram dicta sunt de arca Noe. Restat nunc ut videamus,quæ sit arca Ecclesiæ, vel ut expressius loquar, ipsa Ecclesia arca est, quam summus Noe, id est Dominus noster Jesus Christus,gubernator,et portus inter procellas hujus vitæ regens per se ducit ad se.Trecentorum cubitorum longitudo, præsens sæculum designat, quod tribus temporibus decurrit, id est tempore

A naturalis legis,tempore gratiæ,per quæ sancta Ecclesia a principio mundi usque ad finem, a præsenti vita ad futuram gloriam tendit. Quinquaginta cubitorum latitudo universos fideles significat,qui sub uno capite sunt constituti, id est Christo.Nam quinquaginta constat ex septies septem, id est quadraginta novem,qui numerus universitatem fidelium designat, et uno superaddito, quod significat Christum *qui est caput Ecclesiæ suæ (Ephes.*v), et finis desideriorum nostrorum. Propter quod in uno cubite consummatur.Altitudo tringinta cubitorum significat tringinta volumina divinæ paginæ,id est viginti duo Veteris Tastament, et octo Novi, in quibus summa omnium continetur, quæ Deus vel fecit vel facturus est

B propter Ecclesiam suam. Tres mansiones significant tres ordines fidelium, qui sunt in sancta Ecclesia, quorum primi utuntur mundo, licite tamen. Secundi fugiunt et obliviscuntur mundum. Tertii jam obliti sunt mundum, et ii sunt propinqui Deo. Quod in superioribus arca contrahitur, in inferioribus dilatatur, hoc significat,quod in sancta Ecclesia major est numerus carnalem vitam ducentium quam spiritualium, ita ut semper quanto perfectiores, tanto sint pauciores. In supremo ad unius cubiti mensuram arca contrahitur, quia Christus caput Ecclesiæ suæ, qui est Sanctus sanctorum, per naturam consimilem inter homines est et per virtutem singularem supra homines est. Centum anni, in quibus ædificata

C est arca,idem significant quod centum cubiti.Nam centum anni significant tempus gratiæ, quia sancta Ecclesia, quæ ab initio mundi cœpit, in tempore gratiæ per immolationem Agni immaculati redemptionem accepit. Tunc namque fabricata est arca, quando de latere Christi in cruce pendentis in sanguine et aqua profluxerunt Ecclesiæ sacramenta.Quando Agnus immolatus est, tunc est sponsa Agni nata. Quando Adam soporatus est, tunc Eva fabricata est (*Gen.* II).Ascendit sponsus noster thalami sui lectum, dormivit, moriendo exhibuit quod ab initio profuit fecit quod ab initio fuit. Vide an idem dicere velit Scriptura, quando loquitur de fabricatione hujus arcæ, hoc est Ecclesiæ. Quid

D dicis? A. *In libro*, inquit, *vitæ Agni qui occisus est ab origine mundi (Apoc.* XIII). Qui est hoc? In fine sæculi in carnem venit Filius Dei, permisit se crucifigi pro salute hominum, permisit se occidi, permisit se immolari. In fine ergo sæculi occisus, et quomodo stare potest quod dicitur occisus est ab origine mundi? Nunquid prius potuit occidi quam incarnari? Nihil adhuc mortale habuit, et quomodo mori potuit? Quod si ab initio occisus est, prius occisus est quam incarnatus est. Si ab initio occisus est, non jam semel, sed sæpe,imo semper occisus est. Nam quod ab initio fuit, semper fuit; et quod ab initio est, semper est.Sed fortasse si dixeris, occisus est ab initio, id est, iis qui fuerunt ab initio, hoc est ad redemptionem, ad salutem, ad reconciliatem eorum,qui fuerunt ab initio,ita ut per hoc quod di-

citur ab initio determines non tempus occisionis sed salutis, jam inconveniens nullum erit, si et semel, et ab initio dicatur esse occisus. Prius etiam mors ejus profuit, quam fuit prius promissio, ac deinde exhibitio. Ab initio ergo sæculi occisus est, quia ab initio sæculi illi fuerunt, pro quibus in fine sæculi occisus est. Sed tamen quando induit decorem, id est carnem immaculatam, carnem impollutam, carnem speciosam de virgineis membris assumpsit, et præcinxit se fortitudine, id est per crucis trophæa aerias potestates debellavit, ex tunc parata est sedes ejus ex tunc redempta est ecclesia ejus, extunc raducta est ovis, quæ perierat, extunc cœlestis regni aditus patefactus est, qui prius clausus fuerat. Vides ergo nunc quomodo arca et trecentorum cubitorum longa est, et tamen non trecentis, sed centum annis fabricata est, quia Ecclesia, quæ ab initio sæculi fuit, in fine sæculi redempta est. Quod vero sexies longa est ad latitudinem suam hæc arca, et decies ad altitudinem, suam, humani corporis instar ostendit, in quo Christus apparuit; nam et ipsa corpus ejus est. Corporis enim longitudo a avertice usque ad vestigium sexies tantum habet quantum latitudo, quæ est ab uno latere usque ad alterum latus, et decies tantum quantum et altitudo, cujus altitudinis mensura est in latere a dorso in ventrem, velut si jacentem hominem metiaris supinum sive pronum, sexies tantum longitudinis est a capite usque ad pedes, quantum latus a dextra in sinistram, vel a sinistra in dexteram, et decies quantum latus a terra. Sexies est numerus quinquagenarius in trecentis, et sex ætates sunt in tribus temporibus sæculi. Vel trecenti significant fidem Trinitatis, vel crucem propter *Tau*, quod in numeris trecentos significat, et adhuc apud suos formam retinet crucis. Quinquaginta remissionem peccatorum designant, triginta mensuram ætatis plenitudinis Christi. Secundum illam sententiam, qua intrinsecus altitudinem arcæ distinguimus in quinque mansiones, arca est Ecclesia, et quinque mansiones sunt quinque status, tres præsentis vitæ, et duo futuræ. Primus status est illorum hominum, qui dicuntur carnales, de quibus dicit Apostolus: *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Secundus status est illorum hominum qui vocantur animales, de quibus dicit rursum: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei* (*I Cor.* II); tertius status est spiritualium, de quibus ait: *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur Ibidem* (Ibidem); quartus status est animarum exutarum a corpore; quintus status est in anima et corpore resurgentium, qui supremus est, et cubito supremu contiguus. Quod res inferiores mansiones secundum attitudinem parietum in directum ascendunt, et versus supremum cubitum non inclinantur, hoc significat, quod quantumlibet in hac vita proficimus, adhuc tamen a facie conditoris nostri quasi aversi sumus, quia et per meritum ascendimus, sed per præsentiam contem-

A plationis ad ipsum non inclinamur. Unde recte in Canticis canticorum sponsa dilectum suum *post parietem* stare (*Cant.* II) commemorat, quia quandiu hujus corruptionis tegmine circumdamur, quasi quodam pariete interposito ab ejus facie prohibemur. Quarta autem et quinta mansio in ascensu suo ad unum colliguntur, quia animæ sanctorum et nunc deposito carnis onere in contemplatione sui conditoris lætantur, et cum iterum corpora sua immortalia et impassibilia receperint, tunc plenius et vicinius ei per contemplationis præsentiam adhærebunt. Quod enim arca in tecto suo sursum in unum colligitur, quid aliud significat, nisi quod cum ab hujus vitæ tenebris educti fuerimus, tunc omnium desiderio-

B rum nostrorum finem ad unum referemus, quoniam sicuti est, Deum videre cœpimus, ut jam nil libeat, nisi ejus faciem sine intermissione intueri, ejus dulcedine sine fastidio satiari, ejus amore sine defectu perfrui. Hoc est enim ad ipsum tendere, et ad ipsum pertingere, semper eum et per desiderium quærere, et per cognitionem invenire, et per gustum tangere. Illi mansioni, quæ fundo erat contigua, deputatus erat fimus animalium, qui recte vitam carnalium exprimit, quoniam ii qui carnis desideriis inserviunt, quid aliud quam putredo fiunt? Secunda abhinc mansio continet cibaria animalium per quæ convenienter designantur ii, qui in sancta Ecclesia quemdam medium statum tenent, qui neque pror-

C sus per illicita desideria carni succumbunt, neque per contemptum mundi ad dignitatem spiritualium pertingere possunt. Hi autem dum a spiritualibus spirituali comparantes pro erogatione verbi Dei doctoribus suis terrenæ substantiæ subsidia reddunt, quid aliud quam sanctorum animalium apotheca fiunt? Tertia denique mansio animalia quidem tenet sed immansueta, per quæ designatur vita spiritualium, qui quandiu in hac corruptione tenentur, et legi Dei per rationem subjecti sunt, et tamen in sua carne portant per quod adhuc legi contradicunt. Animalia ergo sunt, quia vivunt per rationem mentis sed immansueta per illicita desideria carnis. In quarta mansione sunt mitia animalia, quia

D sicut dicit Apostolus: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato* (*Rom.* VI). Et secundum Prophetæ sententiam. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* CXLV). Quoniam ubi a vinculis carnis corruptibilis exeunt, deinceps ab illicitis desideriis mansuescunt. Quintam mansionem homo tenet, et volatilia. Per hominem designatur vivacitas rationis, et intelligentiæ in volatilli exprimitur agilitas incorruptibilis naturæ. Quando ergo *mortale hoc induerit immortalitatem, et corruptibile hoc* vestierit *incorruptionem* (*I Cor.* XV), tunc mente pariter, et corpore spiritales effecti, secundum modulum nostrum, et per mentis illuminationem omnia sciemus, et per corporis incorruptubilis levitatem ubique esse poterimus. Volabimus mente per contemplationem, volabimus corpore per incorruptionem. Discer-

nemus mente, et, ut ita dicam, discernemus et corpore, quando ipsi sensus nostri corporei vertentur in rationem, ratio in intellectum, intellectus transibit in Deum, cui nos conjungemur per unum mediatorem Dei, et hominum Dominum Jesum Christum.

Quod autem forma arcæ desuper ad similitudinem curtæ pyramidis usque ad summum cacumen non pervenit, hoc significare potest, quod quid infra Deum est, minus perfecto est, quia et ipse redemptor noster secundum formam susceptæ humanitatis minor patre est, et ipse hoc Patri per obedientiam subjicit, quod ipse a Patre per æqualitatem majestatis non accepit. Si quis autem voluerit indagare mysteria numerorum, quos supra in altitudine unius cujusque mansionis distribuimus, videbit congrue quaternarium primæ mansioni deputatum. Quia enim corpus humanum ex quatuor elementis componitur, ex quatuor humorum complexione compaginatur, recte carnalium vita, qui voluptatibus corporis deserviunt, per quaternarium exprimitur. De hinc quinarius propter quinque sensus apte animales homines figurat, qui quamvis flagitiis carnalibus turpiter non subjaceant, quia tamen quæ sit delectatio spiritus non noverunt, ea quæ foris ad delectationem sensuum pertinent, sequuntur et diligunt. Senarius propter perfectionem operum spiritualibus congruit. Septenarius, quia requiem significat, animarum est in spe requiescentium et præstolantium gloriam resurrectionis. Octonarius, quia signum est beatitudinis, illis convenit, qui jam receptis corporibus beata immortalitate lætantur. Est adhuc aliud quod dicere possumus de tribus primis mansionibus, habet namque unusquisque nostrum tres voluntates in se, quarum prima est carnalis, secunda animalis, tertia spiritalis. Carnalis voluntas est laxare frena concupiscentiæ desideriis carnalibus per omnia sine retractione obedire. Legi non subesse, neminem timere, quidquid libuerit facere. Cui econtrario concupiscentia spiritus adversata ita desiderat tota spiritualibus studiis inhærere, ut etiam necessarios carnis usus optet excludere. Inter has igitur utrasque concupiscentias animæ voluntas in meditullio quodam temperatiore consistens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum doloribus acquiescit; sic quærens a passionibus temperare carnalibus, ut nequaquam consentiat dolores necessarios sustinere, sine quibus desideria spiritus nequeunt possideri, donum castitatis desiderans obtinere absque castigatione vel maceratione carnis, sinevigiliarum labore cordis puritatem acquirere; humilitatem Christi sine honoris mundani jactura exhibere. Postremo sic vult futura consequi bona, ut non amittat præsentia. Quæ voluntas nunquam nos ad perfectionem veram perduceret, sed in tempore quodam teterrimo collocaret, nisi hunc tepidissimum statum intrinsecus hæc insurgentia bella dirumperent. Nam cum huic voluntati famulantes volumus nosmetipsos paululum relaxare, confestim aculei carnis insurgentes, nequaquam nos in illa, qua delectamur, teporis puritate innoxia stare permittunt, sed ad illam, quam horremus, frigidam et plenam sentibus vitiorum pertrahunt viam. Rursum cum succensi fervore spiritus opera carnis volumus extinguere sine ullo respectu fragilitatis humanæ, et nosmetipsos totos ad immoderata virtutum studia cordis elatione conferre, imbecillitas carnis interpellans ab illa reprehensibili nimietate spiritus revocat, ac retardat, et ita fit utraque concupiscentia tali colluctatione alterna sibimet repugnante, ut animæ voluntas, quæ nec totam se carnalibus desideriis dedere, nec virtutum laboribus vult desudare, quodam justo moderamine temperetur, quadam æqualitatis libra in statera nostri corporis constituta, quæ spiritus, carnisque examine, nec a dextra mentem spiritus ardore succensam, nec a læva carnem vitiorum aculeis præponderare permittens, tepidum illum animalis voluntatis statum excludit, et ad illud quartum quod volumus salubriter venire compellit, ut virtutes non otio et securitate, sed jugi sudore et contritione spiritus acquiramus, ne in illo perniciosissimo tepore permanentes, ab ore suo nos emovere incipiat Deus. Hanc vero luctam carnis et spiritus, et fructus ejus Apostolus manifestat ubi dicit: *Dico* autem *spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc autem sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis* (*Gal.* v). Moraliter autem. Quisque se ab hujus mundi delectatione separare, et virtutibus operam dare contendit, cooperante Dei gratia, ædificare debet intus ædificium virtutum, cujus longitudo in fide Trinitatis trecentos cubitos habeat, in latitudine charitatis quinquaginta, in altitudine spei quæ in Christo est triginta, ut sit in bona operatione longus, in dilectione amplus, in desiderio altus, ut cor suum habeat ubi Christus est in dextera Dei sedens. Unde et ipsius crucifixi caput in altidune crucis positum est, manus autem in altitudine expansæ sunt, ut affectus cordis nostri usque ad inimicos diligendos extendatur. In longitudine crucis corpus crucifixi positum est, ut non sit remissa operatio nostra sed extensa, ut perseveret usque in finem.

LIBER SECUNDUS,

Cujus hæc sunt capitula.

Cap. primum. *De arca sapientiæ.*

Quod dicere volumus de arca sapientiæ ita distinguendum est ab iis quæ secundum allegoriam superius assignata sunt ecclesiæ, ut quod ibi demonstratum est in re, hoc hic quæratur in cogitatione. Habent enim quoddam esse suum res in mente hominis, ubi illa etiam, quæ in seipsis vel jam præterierunt, vel adhuc futura sunt, simul subsistere possunt. Et in hoc quodammodo rationalis anima similitudinem sui Creatoris habet, quia sicut in mente divina omnium rerum causæ æternaliter sine mutabilitate, et distinctione temporali substiterunt, ita etiam in mente nostra præterita, præsentia, et futura per cogitationem simul subsistunt. Si ergo per studium meditationis assidue cor nostrum inhabitare cœperimus, jam quodammodo temporales esse desistimus, et quasi mortui mundo facti intus cum Deo vivimus. Tunc quidquid fortuna extra molitur facile contemnimus, si ibi fixum est desiderium nostrum, ubi mutabilitati non subjacemus. Ubi nec præterita relinquamus, nec exspectemus futura, ubi nec cupiamus hujus vitæ prospera, nec timeamus adversa. Habeamus ergo rectas, habeamus utiles et castas cogitationes, quia de tali materia fabricabimus arcam nostram. Ista sunt ligna, quæ in aquam missa natant, in igne posita ardent, quia tales cogitationes fluxus carnalium delectationum deorsum non premit, sed flamma charitatis incendit. Nec timeas hunc ignem in tectis tuis. Væ tibi si non arserit ex eo tabernaculum tuum. Postea bituminabis arcam tuam intus et extra. Extra ut mansuetudinem exhibeas, intus ut charitatem non amittas. Nullatenus enim in secreto conscientiæ tuæ suaviter pausare poteris, nisi prius malos, et extra per mansuetudinem tolerare, et intus didiceris per charitatem non odisse. Bitumen calidæ naturæ est, et nascitur de terra fulminata, et charitas procreatur in anima timore divini judicii percussa. Deinceps videamus de mensura arcæ, qualiter fieri possit in nobis diximus supra trecentos cubitos præsens sæculum designare. Si ergo tu cogitationem tuam duxeris ab exordio mundi usque ad finem, et pertransiens consideraveris quæ, et quanta Deus mirabilia propter electos suos operatus sit, vel adhuc operaturus, trecentorum cubitorum longitudinem
A in corde tuo metieris. Si cogitatione percurris Ecclesiam, et vitam fidelium contemplatus eam tibi ad exemplum proponis, et in latitudinem quinquaginta cubitorum cor extendis. Si vero divinæ paginæ, quæ triginta libris continetur scientiam adeptus fueris, in altitudinem triginta cubitorum cor tuum erigis. Hæc est arca, quam ædificare debes. Isti sunt termini patrum tuorum, quos tibi transgredi non licet, quos Altissimus constituit juxta numerum filiorum Israel, quando separabat filios Adam, et gentes dividebat. Hæc est terra, quam inhabitare debes, et pasci in divitiis ejus. Requiesce ergo intra hos parietes, sub hoc tecto mane, habita in domo hac, procella et tempestas foris sævit, quacunque pro-
B dieris naufragium patieris. Si superbe per sapientiam tuam divina secreta rimari conaris, quæ nobis Deus per scripturam suam aperire noluit, altitudinem triginta cubitorum transcendis. Si usque in finem sæculi non credis Ecclesiam duraturam, sed aliquando Dei destituendam auxilio, tunc centum cubitorum longitudinem transis. Si frequenter de amatoribus hujus mundi, et de vana conversatione illorum cogitare delectaris quinquaginta cubitorum mensuram transgrederis.

Cap. II. *De ostio, et fenestra hujus arcæ.*

Arca diluvii, sicut jam dictum est, cordis nostri secretum est, in quo latere debemus a strepitu hujus mundi. Sed quia ipsa nostræ conditionis infirmitas diu nos in silentio intimæ contempla-
C tionis pausare non patitur, exitum habemus per ostium et fenestram. Ostium significat exitum per operationem, fenestra exitum qui fit per cogitationem. Ostium deorsum est, fenestra sursum, quia actiones ad corpus pertinent, cogitationes ad animam. Hinc est quod per fenestram aves exierunt, per ostium bestiæ et homines. Quod autem per avem anima significetur, et per hominem corpus, habemus ex libro Job ubi dicitur : *Homo ad laborem nascitur, avis ad volatum (Job* v). Quoniam sic nati in hac vita sumus, ut si volumus animam per contemplationem sublevare, necesse sit corpus per exercitia laboris atterere. Quod vero ostium in latere positum dicitur, hoc significat quod nunquam a secreto cordis nostri per operationem exire debemus ex proposito intentionis, sed ex accidenti occasione necessitatis. Et

fortassis non sine causa hoc de fenestra tacuit A Scriptura; quia, etsi per cogitationem aliquando voluntate exire liceat, nunquam tamen per operationem foras prodire debemus, nisi ex necessitate. Quod etiam per hoc convenienter innuitur, quod homo ipse quando voluit fenestram aperuit, ut aves emitteret. Ostium vero foris a Deo et clausum, et rursum apertum ab eo esse legitur, ut homo exiret.

Cap. III. *De quatuor modis exeundi per actionem.*

Quatuor autem modis eximus per actionem. Actiones namque aliæ sunt carnales, id est quæ ad usum corporis pertinent; aliæ spirituales, qua pertinent ad instructionem mentis. Ad utrasque boni et mali exeunt. Qui ad explendam vo- B luptatem terrenis actionis foris inserviunt, similes sunt immundis animalibus, quæ de arca exierunt. Qui autem eas ad usum necessitatis administrant, animalia quidem sunt, sed munda. Qui vero ecclesiastici regiminis curam, quæ videlicet actio spiritualis est, agendam suscipiunt, et a secreto internæ quietis, non ex ambitione, sed ex præcepto obedientiæ ad publicum prodeunt; similes sunt Noe, qui exiens de arca sacrificium obtulit, quia sæpe tales eos magis per abstinentiam omnes in se carnis motus occidunt, quo graviora internæ quietis damna per occupationem se pertulisse cognoscunt. Illi autem qui propter gloriam propriam honores in Ecclesia suscipiunt, et cum se in sublimi positos vident, cæteros despiciunt, C et infirmioribus quibusque in Ecclesia positis ex compassione condescendere nolunt, similes sunt Cham, qui denudati patris verenda derisit, et ab hoc meruit sententiam maledictionis accipere.

Cap. IV. *De quator modis exeundi per contemplationem.*

Quatuor etiam modis eximus per contemplationem. Primus modus est, quando consideramus omnem creaturam quid sit ex se, et invenimus omnia esse vanitatem, quia omnis creatura sicut de nullo adesse venit, ita et quotidiana immutatione indicat, quod quantum in se est ad nihilum tendit.

Secundus modus est, quando consideramus quid D sit in eadem creatura ex dono Creatoris, et cernimus in ea divinæ rationis similitudinem, quia ipsa, quæ pro sua conditione mutabilitati subjacent, dum hoc ex beneficio Creatoris accipiunt, ut nunquam prorsus esse desinant, quodammodo opus temporale æterni opificis imitatur stabilitatem.

Tertius modus est, quando consideramus quomodo utatur Deus ministerio creaturarum ad implenda judicia sua, sive pro sua misericordia beneficia largiendo, sive pro nostro merito supplicia. In hac autem consideratione invenimus, omnia esse instrumentum divinæ dispensationis, et nostræ pravitatis argumentum. In hoc genere contemplationis audimus omnem creaturam tribus vocibus nobis loquentem.

Prima vox dicit accipe, secunda dicit redde, tertia dicit fuge: « Accipe benificium, redde debitum, fuge supplicium. » Prima vox est famulantis, secunda admonentis, tertia comminantis. Vox famulantis est. Cœlum dicit: Ministro tibi lucem in die ut vigiles; tenebras in nocte ut pauses. Ego ad oblectationem tuam gratas temporum vicissicitudines pario, tempore veris, et æstatis fervorem, autumni plenitudinem et algorem hiemis. Ego alternantibus incrementis dierum et noctium spatia simili ratione dissimiliter extendo, ut et varietas tollat fastidium et ratio pariat oblectamentum. Aer dicit: Vitalem tibi præbeo flatum et omne genus avium ad tuum mitto obsequium. Aqua dicit: Potum tibi præbeo, sordes purgo, arentia vegeto, et diversorum genera piscium ad tuum esum ministro. Terra dicit. Ego te porto, te nutrio, pane conforto, vino lætifico, omnigenis fructibus oblecto, diversis animalibus mensas tuas repleo. Vox admonentis est. Mundus dicit: Vide homo quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te, ut et tu servias illi, qui fecit et me, et te. Me propter te, et te propter se. Si sentis beneficium, redde debitum. Accipis benignitatem, redde charitatem. Hoc tribuit, et hoc exigit Deus. Vox comminantis est. Ignis dicit: A me combureris. Aqua dicit: In me submergeris. Terra dicit: A me absorbeberis. Infernus dicit: A me deglutieris. Quia omnis creatura sicut ex conditione sua homini famulatur, sic etiam peccatoribus pro malorum meritorum conscientia comminatur, ut in singulis creaturis perpeti timeant, quod se meruisse cognoscunt. Propter quod etiam dictum est, quod *nemine persequente fugit impius* (*Prov.* XXVIII), quoniam ita est in securitate impius pavidus, sicut justus in supplicio securus.

Quartus modus contemplationis est, quando inspicimus creaturas, secundum hoc quod homo eis uti potest ad explendam carnalis concupiscentiæ voluptatem, et in eis cogitamus non naturalis infirmitas subsidium, sed libidinis oblectamentum. Hoc oculo *Eva lignum vidit, quam esset pulchrum* visu, *et ad vescendum suave, et tulit de fructu* ejus, *et comedit* (*Gen.* III). Qui hoc modo per cogitationem exeunt, similes sunt corvo, qui reversus non est, quia dum foris quod male delectat inveniunt, ad arcam conscientiæ amplius redire nolunt. Reliqua vero tria contemplationis genera in exitu columbæ figurata sunt, quæ cum emissa esset, et non inveniret ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad vesperum portans ramum olivæ virentis in ore suo. Vacua exiit, sed vacua non rediit, quia foris invenit, quod intus non habuit, nec tamen foris amavit, quod intro detulit.

Cap. V. *Quomodo ramus olivæ deportetur ad arcam sapientiæ.*

Ramus olivæ virentis bonum mentis affectum demonstrat, quia sæpe sancti viri quanto magis foris opera divina aspiciunt, tanto magis intus in amore Conditoris inardescunt. Dum enim rerum præsentium mutabilitatem aspiciunt, continuo omnia quæ in hoc mundo pulchra videntur, eis in cogitatione vilescunt, et quasi revertentes olivam in ore deferunt, quoniam eo ardentius Conditoris sui speciem concupiscunt, quo in rebus conditis quod delectaret minus invenerunt. Delectabiliter intus mens pascitur, quia delectabiliter foris non tenetur, et quasi ad arcæ suæ portum reducta jam secura tripudiat, quæ in mundi fluctibus prius naufraga erat. Similiter in secundo genere contemplationis quoties in rebus visibilibus invisibilem Dei virtutem et sapientiam admirari discimus, quasi ramus olivæ ab aquis ad arcam reportamus, quia in rebus mutabilibus extra nos illum agnoscimus, quem in nobis immutabiliter diligamus. In tertio itidem contemplationis genere dum judicia ejus foris attendimus, in timore ejus, et amore intus renovamur. In primo ergo materia vanitatis inspecta, in nobis generat contemptum mundi, in secundo simulacrum rationis, laudem Dei, in tertio instrumentum dispensationis timorem et amorem Dei, in quarto fomes cupiditatis incentivum libidinis. Hunc igitur exitum caveamus, ne egrediamur temere. Nemo de conscientia sua confidat. Dina intus virgo, intus casta, intus columba fuit, sed quia columba seducta fuit non habens cor, egressa foras colorem pariter cum nomine mutavit. Sic enim scriptum est : *Egressa est Dina, ut videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Evæi, princeps terræ illius, adamavit, et rapuit eam, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem* (*Gen.* XXXIV). Quæ vi opprimitur patet quod non ideo exit ut corrumpatur, sed tamen quia temere exiit, pudicitiæ suæ damna etiam invita sustinuit. Quod autem subjungitur, conglutinavit eam sibi ; hoc est corvus cadaver invenit, et amplius ad arcam redire noluit.

Cap. VI. *De tribus mansionibus arcæ sapientiæ, sive intellectualis.*

Tres mansiones in intellectuali arca, quæ significant tria genera cogitationum, rectum, utile, necessarium. Si ego diligere cœpero meditationem Scripturarum, et libenter cogitavero de virtutibus sanctorum, et de operibus Dei, et de aliis quæcunque ad emendationem morum, sive ad exercitationem mentis pertinent, jam in arcæ mansione prima esse cœpi. Sed si bonum quod novi adhuc imitari differo et detracto, tunc dicere possum, quod recta sit cogitatio mea et inutilis, quia bonum quidem est quod de aliis cogito et quod aliis cognosco, sed inutile mihi, si illud ad exemplum vivendi non traho. Quia aliena virtus mihi non prodest, si illam (quantum possum) imitari neglexero *The-*

A *saurus absconditus et* scientia abscondita, *quæ utilitas et utrisque?* (*Eccli.* XX.) Scientiam abscondo, si bonum quod novi opere non ostendo, et ideo mihi non potest prodesse, quod cum sciam habere dissimulo. Si autem operam dedero non tantum ut sciam, sed etiam ut agam quæ bona sunt et utilia, et in hoc sedula fuerit cogitatio cordis mei, quatenus virtutes, quas in aliis jam amare, et admirari didici, meas faciam per exercitium disciplinæ et formam recte vivendi, tunc possum dicere, quod utilis sit cogitatio cordis mei, et tunc ascendi in secundam mansionem, et cor meum in unum, jam magis collegi, ut non discurrat per ea quæ vana sunt, et ad utilitatem non pertinent. Restat tertium, ut cum habere B cœpero opera virtutum, elaborem quoque ipsas virtutes habere, hoc est, ut quod foris demonstro in opere intus possideam in virtute. Alioquin non multum mihi prodest habere opere, nisi etiam virtutes operum habeam. Si ergo ad hoc cogitationem cordis mei instituo, ut quidquid boni in me foris humanis apparet aspectibus, divinis, intus satagam præsentare obtutibus, tunc ascendi in tertiam mansionem, ubi virtutes sunt, quæ sunt necessariæ. Sed inter has omnes præcipue una necessaria est, id est charitas, quæ nos Deo conjungit, et ideo in supremo arca ad unum colligitur ; ut jam unum cogitemus, unum exspectemus, unum desideremus Dominum nostrum Jesum Christum. In prima ergo mansione est co- C gnitio, in secunda opus, in tertia virtus, in supremo præmium virtutis Dominus Jesus Christus. Hos gradus habes in psalmo ubi dicit : *Bonitatem, et disciplinam et scientiam (Psal.* CXVIII), si convertas scientiam, et disciplinam, et bonitatem *doce me* (*ibid.*) Domine Jesu Christe.

Cap. VII. *De columna in medio arcæ hujus erecta.*

Columna in medio arcæ erecta in altitudinem triginta cubitorum, qui universa fabrica innititur, cujus præcisio sursum per quadrum in singulis lateribus unius cubiti mensuram habet, ipsa est lignum vitæ, quod plantatum est in medio paradisi, id est Dominus Jesus Christus in medio Ecclesiæ suæ, quasi præmium laboris, quasi merces D operis, quasi meta itineris, quasi corona certaminis in communi omnibus fidelibus propositus, qui de terra ortus est, et cœlos penetravit, qui ad ima venit et summa non deseruit, qui sursum ipse est et deorsum, sursum majestate, deorsum compassione. Sursum ut trahat desiderium, deorsum ut præstet subsidium. Deorsum intra nos, sursum supra nos. Deorsum quod a nobis sumpsit, sursum quod nobis proposuit. Iste est *mons domus Domini præparatus in vertice montium,* ad quem fluunt omnes gentes (*Mich.* IV), et de quatuor angulis arcæ quasi de quatuor mundi partibus ascendunt.

Cap. VIII. *De diversitate arcam ascendentium*

Alii siquidem ascendunt de calore orientis, alii de calore occidentis, alii de frigore orientis, alii de frigore occidentis. Calor orientis est fervor spiri-

tualis, calor occidentis est concupiscentia carnis. A Frigus orientis tumor superbiæ,frigus occidentis cæcitas ignorantiæ. In calore orientis creatus est homo, propter quod et positus est in hortis Eden ad australem orientis, sed transivit ad frigus orientis, quando ad illius participationem se contulit, qui primus ad aquilonem sedem se positurum dixit (*Isa.* XIV). Deinde ad calorem occidentis cecidit, quando post peccatum *aliam legem in membris* suis *repugnantem legi mentis* invenit (*Rom.* VII).Tunc quoque ad frigus occidentis corruit, quando ignorantiæ cæcitate percussus,illius cœlestis panis esum oblivisci cœpit. In calore orientis principium est bonæ naturæ, in frigore orientis initium culpæ. In calore, et frigore occidentis pœna corporis et animæ. In calore orientis B in alto creatus fuit homo in frigore orientis, superbe exaltare se voluit homo, et idcirco in calore et frigore occidentis ad ima corruit homo. Sed per mediatorem Dei et hominum Dominum Jesum Christum,ecce isti *jam* veniunt *ab Oriente*,*et* illi *ab Occidente* ut recumbant *cum Abraham et Isaac, et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.*VIII). Jam clamant aquiloni ut det, et austro ne prohibeat filios Dei *(Isa.*XLIII).Quia enim Jesus Christus verus Deus et verus homo est,in homine præbet exemplum , ex divinitate remedium. Ex humilitatione susceptæ infirmitatis nostram, et superbiam reprimit,et illuminat cæcitatem ; ex virtute majestatis et animas nostras cibo invisibili pascit,et corpora nostra per obumbrationem Spi- C ritus sancti ab æstu vitiorum protegit.Idem ergo nobis et lignum vitæ,et liber vitæ efficitur,lignum quia obumbrat et pascit, liber quia increpat et erudit. Increpat elatos, illuminat cæcos, esurientes cibat, æstuantes obumbrat. Audiant elati increpationem, et humilientur,audiant cæci animo doctrinam,et illuminentur. Quos exurit æstus vitiorum, umbram petant ut refrigerentur.Qui esuriunt et sitiunt justitiam, huc properent ut saturentur. Nemo se excuset, omnis homo congruum suo morbo remedium invenit, ubi et malis locus datur, ut se corrigant, et bonis ut meliores fiant. Ascendamus ergo omni occasione postposita. Ascendamus alacres, ascendamus lætantes, quia *in domum Domini ibimus* (*Psal.*CXXI). Ascenda- D mus ad festa supernæ patriæ *tribus Israel ad confitendum nomini Domini* in turribus Hierusalem (*ibid.*) Levemus sursum oculos nostros, et videamus purpureas semitas stratas in lateribus montium æternorum, et calles supernæ directos usque ad portas Hierusalem. Ibi vexillum crucis in sublimi luce, luce rosea micans, hostes terret amicos confortat. Portæ civitatis apertæ sunt, et in plateis ejus voces canentium *Alleluia.*Videbis illuc ascendentes populos multos , accinctos in psalmis canentes ex omnibus gentibus et nationibus et linguis, alios in vestitu roseo fulgentes, alios amictu candido nitentes, alios in viola sandicina prælucentes omnis ornatus ad solemnitatem. Grandis et innumerabilis populus qui præraratus est ad diem Domini. Ipse rex sursum est, et invitat nos. Deorsum est, et adjuvat nos. Excitantur pigri, confortantur timidi, roborantur infirmi et animosiores redduntur strenui. Omnis ætas,utriusque sexus,omnis conditio concurrunt ex omnibus mundi partibus, et ascendunt certatim cum alacritate et lætitia videre regem in decore suo. Cupiunt omnes, cupiunt singuli in die tantæ solemnitatis apparere festivi Loquamur ergo nunc de his gradibus ascensionum quibus in cœlum scanditur, ut nullum terreat labor itineris,quem delectat præmium repromissionis.Sunt quidem ibi purpurei ascensus,quia cum labore ascenditur, sed substernitur charitas, qua labor ipse allevetur. Primus itaque ascensus est de frigore orientis, hoc est de tumore superbiæ quia oportet primo peccatorem humiliari, et per obedientiam resurgere, qui per inobedientiam lapsum incurrerat culpæ. Secundus ascensus est de calore occidentis quia necesse est deinde vitia carnis calcare, ut non ambulemus secundum desideria nostra,et mortificare *membra* nostra,*quæ sunt super terram*, ut non serviamus ultra peccato (*Colos.* III) Tertius ascensus est de frigore occidentis, quia cum jam perfecte affectus carnales per abstinentiam, et exercitium disciplinæ in nobis exstinxerimus, tunc libere meditationi, et doctrinæ divinarum Scripturarum vacare poterimus, ut per studium lectionis et meditationem rursus illuminetur oculus mentis,sicut dicit Psalmista : *Declinate a me maligni et scrutabor mandata Dei mei* (*Psal.* CXVIII).Quartus ascensus est de calore orientis, ubi de bono proficimus in melius,quia nequaquam ad perfectionem venire possumus, nisi etiam in bonis, quæ agimus, sine intermissione crescere studeamus. Quod autem columnam triginta cubitorum altitudinem habentem in medio arcæ ereximus, sive ita ad litteram factum esse credamus, sive non, nihil interest, si tamen spatium ejusdem dimensionis, et quantitatis ab uno sursum patuisse intelligamus. Rursum quod per triginta cubitorum altitudinem divinam Scripturam significari diximus, et postea per columnam triginta cubitos habentem in altitudine Christum figurari asseruimus, contrarium non est, quia omnis Scriptura divina de Christo loquitur, et omnis Scriptura divina in Christo impletur, et legendo Scripturam hoc quærimus,ut ejus facta,et dicta,atque præcepta agnoscentes, quod jussit facere, et quod promisit percipere mereamur. Sicque et cognitione veritatis, et merito virtutis crescentes, usque ad ejus conformitatem et *mensuram ætatis plenitudinis* (*Ephes.* IV) ipsius specialiter pertingamus.

CAP.IX.*De ligno vitæ,et libro vitæ in columna.*

Igitur ut melius pateant quæ diximus, ipsam supradictam columnam in medio arcæ depinximus, eidemque in latere australi lignum vitæ, in latere vero aquilonari liber vitæ nomen ascripsimus. Unde et in eodem latere triginta volumina divinæ paginæ secundum ordinem ab uno sursum, hoc est in singulis mansionibus decem disposuimus,quia sicut diximus,omnis divina Scrip-

tura unus ille liber est, qui liber vitæ est. Et sciendum quod Christus cum in gemina natura una æterna constet persona, secundum utramque naturam et liber vitæ, et lignum dici potest, attamen specialiter nobis secundum formam humanitatis assumptæ liber vitæ factus est, quia in homine præbuit exemplum. Secundum formam divinitatis lignum vitæ factus est, quia ex virtute divinitatis præstare remedium.

Cap. X. *De duobus, quæ sunt in ligno, et de libro, et ligno vitæ.*

Lignum in se duo habet, fructum et folia, fructu pascit et foliis obumbrat. Sic virtus divinitatis illuminatarum mentium refectio est, et infirmantium obumbratio. Liber vitæ ad aquilonem respicit, quia per humanitatem Salvatoris exortum est lumen habitantibus in regione umbræ mortis. Et lignum vitæ ad austrum vertitur, ut robustos gustu suæ dulcedinis pascat et provebat, et infirmos adhuc, ne deficiant in æstu tentationum, sub alis protectionis suæ quasi in umbraculo meridiano abscondat. Hæc ipsa si paululum prosequamur non sit onerosum. Volumus enim nunc more exponentis planis, et paucis verbis sensum aperire, nunc meditantis, nunc quasi dubitationes, nunc quasi invenientes huc illucque acie mentis discurrere.

Cap. XI. *De diversis libris, et quis liber vitæ dicatur.*

Sunt autem diversi libri. Alii enim sunt libri scripti ab hominibus. Libri, quos scribunt homines, ex pellibus mortuorum animalium, sive ex alia qualicunque corruptibili materia fiunt, et cum pusillum duraverint, ipsi quoque veterascunt, et quadam sua more resolvuntur in nihilum, nullum de se deinceps relinquentes vestigium. Et istos libros omnes qui legunt, moriuntur aliquando, et nemo semper vivens invenitur. Ii ergo, quia ex mortuis a mortalibus morituri fiunt, et suis lectoribus, suis amatoribus vitam semper permanentem dare non possunt, nequaquam libri vitæ, sed mortis potius, vel mortuorum, vel morientium appellari digni sunt. Quod si ego talem librum invenire possim, cujus origo æterna, cujus incorruptibilis essentia, cujus cognitio sit vita, cujus scriptura indelebilis, cujus inspectus desiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus profunditas imperscrutabilis, cujus verba innumerabilia, et unum tamen verbum omnia, hic sit liber vitæ. Hos sic distinguentes altius videbimus.

Cap. XII. *De tribus libris*

Tres sunt libri. Primus est quem facit homo de aliquo; secundus, quem creavit Deus de nihilo; tertius quem Deus genuit Deum de se Deo. Primus est opus hominis corruptibile; secundus est opus Dei, quod nunquam desinit esse, in quo opere visibili invisibilis sapientia Creatoris visibiliter scripta est; tertius est non opus Dei, sed sapientia, per quam fecit omnia opera sua Deus, quam genuit non fecit, in qua ab æterno cuncta, quæ facturus erat secundum sententiam providentiæ

A et prædestinationis præscripta habuit. Et hic est liber vitæ, in quo quidquid semel scriptum fuerit, nunquam abolebitur, et omnes, qui meruerint pervenire usque ad ejus inspectionem, vivent in æternum.

Cap. XIII. *De tribus verbis.*

Item tria sunt verba. Primum est verbum hominis, quod prolatum desinit; secundum est verbum Dei, id est opus Dei, quod creatum non invariabiliter subsistit, nec tamen aliquando desinit; tertium est verbum Dei, quod genitum non creatum, finem et principium nescit, neque ullam mutabilitatem recipit, et hoc est, verbum vitæ.

Cap. XIV. *De tribus lignis vitæ.*

Item sunt tria ligna vitæ. Primum est arbor il-
B la materialis, quam produxit Dominus Deus de humo in principio, cum plantaret paradisum in medio ejus. Cujus fructum ne post peccatum tangeret homo, ejectus est a paradiso. Secundum est Dominus Jesus Christus, qui secundum formam assumptæ humanitatis in medio Ecclesiæ suæ, quasi *lignum vitæ in medio paradisi* (*Gen.* II) plantatus est, de cujus fructu quisquis digne manducare meruerit, vivet in æternum. Tertium est lignum vitæ, quod plantatum est in illo invisibili paradiso, id est sapientia Dei, cujus fructus cibus est beatorum angelorum. Secundum et tertium unum est lignum vitæ. Sed ad tertium creatus fuit homo, a primo ejectus est homo, per secundum revocatur homo. Igitur lignum vitæ
C non est nisi in paradiso, extra inveniri non potest, ibi est locus ejus, ibi figit radices, ibi ramos expandit, et profert fructum in tempore suo. Et credo, propter decursus aquarum viventium, quia plantatum est propter fontem, qui oritur in medio paradisi, et irrigat universum paradisum, et ideo nec siccari radix ejus, nec rami arescere, nec folia defluere possunt, sed permanet virens in perpetuum. Habes igitur tres libros, tria verba, et tria ligna, quæ si in singulis sibi invicem comparare volueris, videbis, quam sit nihil imum comparatum cum medio, nec tamen id esse potest medium comparatum cum summo, quod imum est comparatum cum medio.

Cap. XV. *Item de tribus libris vitæ.*

D Verbi gratia, tres tibi libros præscripsimus; primum qui est opus hominis; secundum qui est opus Dei, tertium qui est non opus Dei, sed sapientia Dei; per quam facit omnia opera sua Deus Dic ergo opus hominis, opus Dei, et sapientia Dei. Inter hæc qualis sit comparatio videamus. Certe Salomon cum respexisset ad opera hominum et considerasset ea, ait sic: *Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole (Eccle.* I.) Non ergo satis fuit ei solummodio dixisse vanitas, nisi congeminans repetisset: Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Et bene. Si enim testante Psalmista: *Vanitas est omnis homo vivens* (*Psal.* XXXVIII); merito opus hominis non solum vanitas dicitur, sed vanitas vanitatum. De operibus

autem Dei quid sentiat paulo post manifestat, dicens : *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus perseverent in* æternum. *Non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur. Quod factum est, ipsum permanet* (*Eccle.* III). Quid igitur dicam ? Si opera hominum cum operibus Dei comparare voluero, dicam aliquid opus hominis esse, an non ? Quando consideratur aliquid in se esse videtur, quando comparatur nihil esse videtur, quia inæstimabile est, quantum in comparatione superetur. Si tamen altius ascendens opus factori suo comparaveris, minus adhuc invenis esse omne spatium temporis comparatum æternitati deitatis. Sic etiam est de verbo.

CAP. XVI. *Item de tribus verbis.*

Aliud est verbum hominis, aliud est verbum Dei, opus Dei non Deus, atque aliud verbum Dei Deus. Sed opus Dei, quia visibile est, extrinsecum verbum dicitur, quasi oris prolatio. Sapientia vero Dei, quia invisibilis est, intrinsecum verbum appellatur, quasi mentis conceptio. Et sicut vox prolata statim perit, intellectus autem permanet, sic quod Deus fecit variatur, quod est Deus non mutatur. Et sicut per prolationem vocis cognoscitur cogitatio cordis, sic in opere suo manifestatur sapientia Creatoris. Opus enim hoc, opus pulchrum Opus Deo opifice dignum, opus quod sapientem deceat, opus quod nemo nisi omnipotens, facere queat, et ideo specie sua tanquam voce quadam virtutem sui conditoris protestatur, et sapientiam loquitur. Quæ sapientia sic fecundavit universa, ut habitet in eis quæ fecit, in singulis tota, et in toto tota, nec minor in toto, nec minor in singulis et ideo non totum majus, non singula minus, quia totum totam, et singula totam loquuntur sapientiam. Verbum igitur loquitur verbum, sed verbum quod factum est verbum quod fecit, verbum quod transit, verbum quod mutabilitatem non recipit ; verbum quod sensu percipitur, verbum quod mundo corde videtur ; verbum pulchrum, verbum pulcherrimum ; verbum quod oculos corporis delectat, verbumquod oculos cordis illuminat, verbum creatum, verbum non creatum, sed natum, non ore prolatum, sed de corde eructatum, non quod desinit emissum, sed quod permanet genitum. Propterea si sapientiæ opus suum comparas, minus est omne quod transit ad id quod mutabilitatem nescit,

A quam vel unius momenti instans tempori quamtumvis diuturno comparatum, quod temporis augustias non excedit. Sic est de ligno.

CAP. XVII. *De tribus paradisis, et comparatione trium lignorum quæ sunt in eis.*

Tres sunt paradisi. Unum terrestris, cujus incola fuit primus Adam terrenus. Secundus fidelis, quod est Ecclesia sanctorum, quam fundavit et inhabitat secundus Adam cœlestis, id est Christus. Tertius cœlestis, qui est regnum Dei, et vita æterna, et terra viventium, vel potius terra vivens in qua habitat Deus. In primo paradiso lignum vitæ est arbor materialis. In secundum lignum vitæ est humanitas Salvatoris. In tertio lignum vitæ est sapientia Dei, verbum Patris, fons vitæ,
B et origo boni, et hæc est vere vita æterna. Nunc veniamus ad comparationem. Certe lignum vitæ, quod erat in paradiso terrestri, corporalem solummodo vitam sine defectu vegetare potuit. Lignum autem vitæ fidelis paradisi, id est Jesus Christus manducantibus carnem suam, et bibentibus sanguinem suum vitam æternam repromittit, et tamen idem ipse exprimere volens quantum distaret sacramentum a virtute, ait : *Corpus nihil prodest, spiritus est qui vivificat* (*Joan.* VI). Quasi diceretur : Si me corporaliter in sacramento sumitis, non hoc vobis sufficere credatis, nisi etiam me quemadmodum verbum vitæ sum illuminans animas, justificans peccatores, et mortuos vivificans spiritualiter edere dediceritis.

C CAP. XVIII. *De arbore sapientiæ, et vero ligno vitæ, ejusque incrementis, et profectu.*

Hoc est igitur vere lignum vitæ verbum Patris in excelsis sapientia Dei, quæ in cordibus sanctorum tanquam in paradiso invisibili per timorem seminatur, per gratiam rigatur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per compunctionem oritur, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, per spem viret ; per circumspectionem frondet, et expandit ramos, per disciplinam floret, per virtutem fructificat, per patientiam maturescit, per mortem carpitur, per contemplationem cibat. Sed quia longius sermo processit paululum respiremus, simul orantes ipsam Dei sapientiam, ut nos gustu dulcedinis
D suæ dignetur satiare, quæ nos per gustum amaræ mortis non dedignata est redimere. Cui honor, et imperium in æterna sæcula sæculorum. Amen.

LIBER TERTIUS,

Cujus hæc sunt capitula :

circumspectionem, et quæ ad eum pertineant. — Cap. XI. *Quomodo per disciplinam floreat.* — Cap. XII. *Quomodo fructificet per virtutem.* — Cap. XIII. *Quomodo per patientiam, et perseverantiam maturescat.* — Cap. XIV. *Quomodo per mortem carpatur.* — Cap. XV. *Quomodo per contemplationem cibet.*

PROLOGUS.

In fine præcedentis libri per similitudinem cujusdam arboris demonstravimus qualiter sapientia oriatur, et crescat in nobis. Hic ipsius incrementi gradus, quos ibi breviter et summatim perstrinximus, latius per singula prosequendo explanabimus.

Cap. primum. *De seminatione arboris sapientiæ per timorem.*

Primo igitur ibi de sapientia dictum est, quod per timorem seminatur. Et quidem pulchre per timorem seminatur sapientia (*Eccli.* I) Et sicut de seminibus oriuntur germina, ita de timore Domini nascitur sapientia. Charitas enim ipsa est sapientia, quia per charitatem Deum gustamus, gustando autem cognoscimus sicut dicit Psalmista : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXII.) Timor autem Domini ipse ad nos charitatem adducit, quia dum docet timere periculum, facit amare præsidium. Consideratis enim pœnis inferni et tormentis, quæ damnatos exspectant, subito animus terrore concutitur, ac deinde ad se reversus, ac viam evadendi quærens, statim illum ex desiderio requirit, per quem instans periculum evadere se posse agnoscit. Quem postquam invenit, ex affectu dilectionis amplectitur ; tunc ille horror primum intolerabis ex amore mitigatur, et sic de timore charitatis quidem nascitur, sed per charitatem timor consumitur. Præterea timor Domini postquam venit ad cor facit pauperem spiritu, paupertas autem spiritus duplex est. Nam sunt et corporales divitiæ in affluentia rerum temporalium, et sunt spiritales divitiæ in possessione virtutum. Uterque ergo apud Deum dives esse convincitur. Uterque a regno cœlorum prohibetur, et ille videlicet, qui temporalibus his, et perituris bonis superfluo abundare concupiscit, et ille qui quasi magnum aliquid de se æstimans sua se virtute gloriatur stare. Sed timor Domini ad mentem veniens, dum pondus futuri examinis et quam districtus venturus sit judex nobis in cogitatione anteponit, omnem mox terrenæ concupiscentiæ delectationem exstinguit, et nostram infirmitatem utiliter ad memoriam revocans, quam humilia de nobis sentire debeamus ostendit. Sopito deinde terrenorum desideriorum strepitu, continuo mens ad quietem internæ pacis componitur, et ut capax esse possit cœlestis sapientiæ, ex ipsa sua tranquillitate præparatur. Sapientia enim habitare nescit nisi in corde pacifico, et ideo illi, in quibus adhuc terrena desideria perstrepunt, quæ sit sapientia non noverunt. Nam sicut beatus Job testatur : Mare loquitur secum non esse sapientiam (*Job.* XXVIII), quia mentes, quas curæ carnales exagitant, non, comprehendunt eam, sed qui minoratur actu ipse inve-
A nit eam, quia animus ab exterioribus abstractus ad seipsum colligitur, robustior ad contemplanda æterna sublevatur. Sic ergo timor Domini facit pauperem spiritu paupertas spiritus tranquillat cor, tranquillitas cordis inchoatio est sapientiæ cœlestis.

Cap. II. *De rigatione arboris sapientiæ per gratiam.*

Secundo dictum est, quod per gratiam rigatur. Sicut enim timor similis est semini, ita gratia similis est humori, qui rigat semen jactam in terram, et germinare facit. Postquam enim mens hominis quadam, ut ita dixerim, violentia a delectatione carnali per timorem abstracta fuerit, necesse est ut statim jam aliquid spiritualis gau-
B dii prægustare incipiat, ne si omnino a delectatione aliena remanserit, quasi semen aridum absque humore ad germen sapientiæ convalescere non queat. Fit igitur divina gratia aspirante, ut cum animus perfecte a corporeis passionibus, et desideriis terrenis exutus fuerit, quadam statim insolita lætitia perfundatur, ut eo amplius amarum esse agnoscat quod deseruit, quo magis dulcis sentit esse quod invenit. Hæc est gratia, quæ jactum in cor hominis per timorem semen sapientiæ, desuper insula rigat, quia illas mentes internæ dulcedinis desiderium trahit, quas nullus concupiscentiæ carnalis affectus foris religavit. Dicatur ergo de sapientia, per timorem seminatur, per gratiam rigatur, quia timor primum car-
C nalis delectationis affectum ab animo præcedit, ac deinde gratia eumdem animam quasi jam defæcatum et purum a sordibus spiritali delectatione perfundit.

Cap. III. *De putrefactione arboris sapientiæ per dolorem.*

Tertio dictum est, quod per dolorem moritur. Sicut semina germinare non possunt, nisi prius in terra computrescant, et quodam modo moriantur, ita nos germen bonum proferre non possumus, nisi prius per salubrem quemdam, et vivificum dolorem huic mundo moriamur. Dolor hic est de præsentis vitæ exsilio. Et bene post perceptionem gratiæ, dolor nascitur, quia tunc vere in quibus malis simul agnoscimus, quando per in-
D fusionem divinæ gratiæ illuminati dulcedinem spiritualium bonorum aliquatenus degustare valemus. Unde Salomon dicit : *Qui addit scientiam addit et* dolorem (*Eccle.* I), Quicunque enim spiritualium bonorum dulcedinem non noverunt, carnalis concupiscentiæ passiones etiam tunc amant cum affligunt, et idcirco gratia cor prævenit ut excitet illud, ut agnoscat homo exsilium suum, et flere discat mala quæ tolerat. Et inde est, quod post accentum donum gratiæ continuo mens ad lamenta solvitur, dolore pascitur fletibus delectatur, et tanto jam impatientibus mala præ-

sentia tolerat, quanto ardentius e vicino admonita ad bona futura suspirat. Jam non solum mundum deserit, sed fugit, non solum postponit, sed odit, et quæ prius timore coacta ea, quæ illicite possidebat dereliquit, nunc salubri dolore compuncta etiam iis, quæ humanæ conditionis infirmitas exigit, necessitatibus inservire ingemiscit. Et sicut prius per timorem ab illicitis mundi actionibus se sequestravit, ita nunc omnem mundi speciem (quantum possibile est) in hac adhuc mortalitate viventi, a cogitatione funditus excludit.

Cap. IV. *De radicatione arboris sapientiæ per fidem.*

Quarto dictum est, quod per fidem radicatur. Tria sunt genera hominum : infideles, infirmi in fide, fideles. Infideles sunt gentes, quæ ignorant Deum quæ non credunt Evangelio Christi, qui præter hanc vitam, qua temporaliter hic vivitur, aliam vitam nullam esse arbitrantur. Hi in terra radices figunt, quia eo magis præsentibus inhiant, quo bona perpetua, quæ sequuntur minus noverunt. Terrena ambiunt felices hic esse quærunt, quia post hanc vitam se nihil futuros esse existimant. De numero istorum fuit stultus ille, qui in libro Job, per Eliphaz subsannatur. *Vidi,* inquit, *stultum firma radice et maledixi pulchritudini ejus statim* (*Job.* V). Stultus est, qui ignorat ad quid factus sit, qui præter id quod videt nihil esse credit, qui quæ sibi mala restant prævidere nescit, atque hæc peritura et falsa quædam bona, quasi semper sint permansura, diligit. Hic aliquando firmiter radicatus esse videtur, dum temporaliter floret, sed sapiens ejus pulchritudini statim maledicit, quia post hæc momentanea bona ad quæ sit mala rapiendus agnoscit. De hoc quoque stulto Psalmista dicit : *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus* (*Psal.* LII); et deinde annumeratis complicibus ejus. *Non est,* inquit, *timor Dei ante oculos eorum* (*Psal.* XIII). Quomodo enim timere Deum possint, qui esse Deum non credunt? Unde consequenter ostenditur, quod eos, ad quos Dei timor non pervenit, etiam ad ipsum principium sapientiæ pertingere non contingit. Nunc jam videamus de iis, quos secundos numeravimus, an sint radicati, aut ubi fixerint radices suas. Non videntur ii habere radices. Infirmi enim in fide sunt, quibus jam aliquid persuasum est de veritate, sed adhuc in quadam ancipiti mentis sententia fluctuantes, iis quæ in sacro eloquio de futuris præmiis bonorum, vel pœnis malorum referuntur, nec omnino contradicunt, nec prorsus acquiescunt. Vident enim quædam in hoc mundo sic geri, ex quibus et Deum esse, et humana curare possit intelligi, et quod cuncta hominum facta, sive bona, sive mala, reserventur ad judicium. Hoc ergo considerantes timere incipiunt, quod minatur Deus, atque hoc timore percussi quod jubet facere, et quod prohibet vitare proponunt, et fit nonnunquam, ut cum ad tempus hoc timore exercitati fuerint, jam non solum timeant quod minatur Deus, sed etiam quodam mentis affectu appetere incipiant quod promittit. Sed cum rursum malos in hoc mundo florere conspiciunt, et multa alia in hac vita, ita confuso ordine volui, ut nequaquam mundus per providentiam Dei gubernari, sed omnium rerum eventus fortuitis subjacere casibus videantur continuo zelare incipiunt pacem peccatorum, et in hoc mundo ipsi quoque florere concupiscunt. Tacitis sibi cogitationibus dicunt, vanum esse timere judicium, nihil esse quod stulti homines de pœnis inferni, et de suppliciis malorum confinxerunt, ex timore non ex veritate hoc processisse, cum utique Deus si ita districte facta hominum pensaret, tam manifestis indiciis hoc declararet, ut nemo deinceps ambigere potuisset. Postremo autem valde esse a ratione alienum, pro incertis certa relinquere, et sectando invisibilia quædam, quæ utrum vere sint an decepti homines ea ita esse finxerunt, nemini unquam scire datum est, certa est præsentia bona, quæ commune hominum judicium et sensus probat, non solum bona esse, sed etiam humanæ naturæ valde necessaria, quadam improba præsumptione contemnere maxime cum hæc omnia Deus non nisi ad utilitatem hominum creasse probetur. Et idcirco Deo non fieri injuriam si utantur bonis; quæ non ob aliud nisi ut homines eis uterentur creavit. Isti ergo tales, qui fidem suam non nisi secundum incertos rerum eventus pensare noverunt, non possunt esse stabiles, quia sicut quadam mentis levitate facile verbo veritatis ad tempus credunt, ita etiam facile in tempore tentationis a fide veritatis recedunt, quia facile cum tentantur falsum esse persuadetur, unde et prius dubitabant etiam cum stare videbantur. Talium hominum typum in se Propheta expressit cum diceret : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* (*Psal.* LXXII). *Quia zelavi* in peccatoribus *pacem peccatorum videns* (*ibid.*). Et paulo post : *Quomodo,* inquiunt, *scit Deus; et est scientia in Excelso, quia ipsi peccatores et abundantes sæculo obtinuerunt divitias* (*ibid.*). Interrogant enim isti, et dubitant et quibusdam cogitationum suarum æstibus circumferuntur nescientes ad quam partem potius sententiam suæ mentis inclinent. Credere non possunt et negare non præsumunt. Assertio dubia est, et fides suspecta. Qui autem fideles sunt, ii radices habent, sed non sicut increduli radices figunt in hoc mundo, sed sunt per fidem et dilectionem radicati et fundati in Deo. Isti sunt vinea Domini Sorec, vinea fidelis, vinea justa, quam ipse bonus agricola plantavit, imo transplantavit, quia *de Ægypto* transtulit, *et* ejecit *gentes, et* plantavit *eam* (*Psal.* LXXIX). De his alibi Dominus per prophetam dicit : *Plantabo eos super humum suam, et non evellam eos* amplius (*Amos.* IX). Humus namque, et patria nostra Deus est, in quo plantamur, quando ei per devotionem mentis adhæremus dicentes cum Psalmista : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* (*Psal.* LXXII). De qua videlicet humo amplius non evellimur, si usque in finem

in ejus dilectione permanemus. De hac quoque radicatione Spiritus sanctus per prophetam dicit: *Quodcunque reliquum fuerit de domo Judæ mittet radices deorsum, et faciet fructum sursum* (*Psal.* XXXVII). In reliquiis enim domus judæ fideles significantur, qui radicem deorsum mittunt, quia omnem cogitationem cordis sui ad interna gaudia defigunt. Fructum autem sursum faciunt, quia in superna patria, quam in hac vita per amorem semper requirunt, vitæ dona postmodum in retributione percipiunt. Quod ergo infideles negant, et de quo infirmi in fide dubitant, fideles et credunt et exspectant. Et quod infideles diligunt, infirmi autem in fide zelant, hoc fideles fugiunt. Fides igitur est, per quam radicat sapientia, quia per fidem firmatur animus, et constabilitur affectus. Qui autem in fide hæsitat, hic neque in timore Dei, neque in amore Dei perfectus esse potest. Aliter enim timemus quod suspicamur, aliter timemus quod credimus. Quod credimus, perfecte timemus; quod autem suspicamur, hoc plerumque idcirco timere negligimus, quia ex ipsa nostra dubitatione in quamdam perniciosam securitatem cadimus, ut jam id solum esse justum credamus, quod a nostra cupiditate non discordare cernimus, ita ut sæpe mens nostra decepta hoc potius venturum esse existimet, quod magis sibi evenire desiderat. Ut igitur nec timor remissus, nec affectus tepidus sit, necesse est ut firmam et inconcussam fidem habeamus, per quam firmiter radicati ea, quæ in tribus præcedentibus accepimus bona confirmemus.

CAP. V. *De germinatione arboris sapientiæ per devotionem.*

Quinto loco adjunctum est, quod per devotionem germinant. Devotio est fervor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens certis manifestat indiciis. Hæc dividitur in tria, in zelum et compassionem, et benevolentiam. Zelus est, dum pro amore justitiæ defensorem ultro se offert animus calumniam veritatis pati non sustinens. Compassio est, quando miseriis aliorum condolemus. Benevolentia est, quando prompta voluntate beneficia rogati annuimus. Et pulchra est similitudo: Germinare enim grana tunc dicimus, quando natura quadam occulta vi integrum rumpit ut germen prodeat, quod intus latuit, et non secus bona voluntas celare se non valens quadam, ut ita dicam, violentia ad exhibitionem boni operis foras exit.

CAP. VI. *De ortu arboris sapientiæ per compunctionem.*

Sexto loco de sapientia dictum est, quod per compunctionem oritur. Hic mihi occurit evangelica illa parabola, in qua *regnum cœlorum thesauro abscondito in agro* comparatur (*Matth.* XIII). Regnum quippe cœlorum est vita æterna. Vita autem æterna Christus est. Christus autem sapientia est, sapientia vero thesaurus est. Et hic thesaurus est absconditus in agro cordis humani, ubi factus est homo ad imaginem et similitudinem Creatoris sui. Quoniam ita conditum est cor hominis, ut in eo tanquam in speculo quodam suo

A divina sapientia reluceret, et quæ in se videri non potuit, in sua imagine visibilis appareret. Magna prorsus dignitas hominis portare imaginem Dei, et illius in se jugiter vultum aspicere, atque eum semper per contemplationem præsentem habere. Sed postquam primus ille parens, vetitum assecutus, et interdictum tangens delectationem suam in terram sparsit, peccati pulvis superjectus cordi humano pretiosum thesaurum istum ab oculis nostris abscondit, et caligo ignorantiæ obtensa lumen sapientiæ intercepit. Et hoc est illud quod in templo Salomonis figuratum est, ubi legitur qnod postquam perfecit Salomon omne opus ad ædificationem domus Domini, et consummata sunt universa, quæ ad instructionem domus pertine-
B bant, continuo *nebula implevit domum, ita ut sacerdotes ministrare non possent* (*III Reg.* VIII). Salomon quippe interpretatur *pacificus*, et significat illum qui est pax nostra, qui reconciliavit nos Deo in sanguine suo. Et quia idem ipse, Jesus Christus Dominus noster sapientia est Patris; in Salomon Deo templum ædificat, quia per sapientiam Dei cor hominis factum est, ut in eo quasi in templo Deus habitaret. Hæc est sapientia, quæ ædificavit sibi domum, quia descendens *in* orbem *terrarum* delicias suas dicit *esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII). Sed hæc domus, ut ædificata est, nebula impletur, quia homo conditus, ac deinde peccando ab illa internæ contemplationis specula corruens, in has miseras præsen-
C tis vitæ tenebras labitur, ubi digne Deo ministrare non valet, quia caligine ignorantiæ obvolutus quid agendum vel vitandum sibi sit ex maxima parte jam non videt. Absconditus ergo est thesaurus iste in agro cordis nostri, qui tunc invenitur, quando sapientia oritur. Sapientia autem oritur, quando veritas manifestatur. Veritas autem manifestatur, quando ignorantia pellitur, ignorantia autem pellitur, quando mens illuminatur. Pulsa autem ignorantia veritas manifestatur. Manifestata veritate sapientia oritur, oriente sapientia thesaurus invenitur. Hæc compunctio, et quasi palus acutus terram cordis nostri fodit, et quasi ignis rubiginem exurit, et quasi splendor tenebras pellit. Per hanc debemus fodere altos puteos in cordibus nostris,
D ejicientes omnem terrenitatem a nobis, ut possimus, invenire thesauros absconditos, et occultam venam aquarum viventium. Sic Abraham, Isaac et Jacob patres nostri puteos foderunt, quærentes aquam vivam sapientiæ, et quando Alophyli puteos illos absentibus eis terra repleverunt, ipsi rursum foderunt, rursumque aquam vivam quærebant, et hoc frequenter faciebant. Ita et nos si maligni spiritus corda nostra studio compunctionis ab omni terrenitate emundata rursus insidiantes terra repleverint, iterum fodere ea per compunctionem, iterumque emundare debemus. Et hoc tandiu facere oportet quousque aquam vivam inveniamus, et quousque thesaurum pretiosum reperiamus. Cum autem invenerimus abscondere eum debemus, quia cito amittitur quod incaute manifestatur. Thesaurum autem inventum mani-

festat, qui acceptum donum sapientiæ in ostentatione portat. Thesaurum autem inventum abscondit, qui accepto dono sapientiæ non foris in oculis hominum, sed intus coram Deo inde gloriari quærit. Oportet etiam nos ire, et vendere omnia quæ habemus, et emere agrum istum, quia quicunque ille est, cui interna gaudia jam revelata sunt, pro contuitu eorum libenter debet contemnere omnia, quæ in hoc mundo ipsum delectare poterunt. Sed inter hæc sollicite considerandum est iis, qui sapientiam quærunt, quod non ob aliud, sed propter seipsam quærenda est sapientia. Nihil enim melius est sapientia, et ideo indignus est sapientia, qui aliud quam ipsam per ipsam obtinere intendit, qui non ut possideat, sed ut vænalem prostituat sapientiam quærit. Præterea, si Christus est sapientia, qui sapientiam pro humana laude quærit, similis esse convincitur proditori Judæ, qui Christum vendidit. Quæramus ergo thesauros absconditos, quæramus sapientam, quæramus Christum, sed non sicut Judas, qui Christum quæsivit ut venderet, non ut possideret. Quæsivit enim Christum Judas, et invenit et tenuit, sed non retinuit, quia vendidit. Sed sanctæ mulieres ad sepulcrum cum aromatibus venientes Christum quæsiverunt et invenerunt, tenuerunt et retinuerunt, quia non quærebant ut venderent, sed ut possiderent *(Matth.* XXVIII). Dicamus ergo de sapientia, per timorem seminatur, per gratiam rigatur, per dolorem moritur, per fidem radicat, per compunctionem oritur. Hi gradus videntur mihi significari, ubi jubetur Abraham exire de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui, at tunc demum terra ei demonstranda permittitur. *Exi*, inquit Dominus, *de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui ; et veni in terram quam* monstravero *tibi* (*Gen.* XII). Igitur per timorem eximus de terra nostra, per gratiam eximus de cognatione nostra, per dolorem de domo patris nostri egredimur, per fidem et devotionem Dominum sequimur, ac sic deinde in sexto gradu terra nobis promissa per compunctionem demonstratur. Per timorem relinquimus censum terrenum, per gratiam et dolorem mutamus affectum, per fidem et devotionem confirmamus animum, per compunctionem invenimus desiderium. De terra nostra eximus, cum ea quæ foris possidentur terrena bona derelinquimus. De cognatione nostra eximus, quando vitiis, quæ in nobis, et ex nobis nata sunt abrenuntiamus. De domo patris nostri eximus, quando mundum omnem, et ea quæ in mundo sunt, prorsus a cogitatione nostra sequestramus, et omnem animi intentionem in sola æterna defigimus. Pater noster secundum illam nativitatem, qua in peccatis nati sumus, diabolus est, quia secundum nativitatem ad ejus dominium pertinemus, qui auctor est peccati. Ejus domus est mundus iste, quia merito suæ perversitatis mundi hujus, et eorum qui mundum istum amant, princeps factus est. Egressis autem de terra nostra, et de cognatione nostra, et de domo patris nostri, alia a Domino terra ostenditur, quando, nobis perfecte huic mundo mortuis quiddam jam de futuris gaudiis quasi de longe odorare conceditur. Afflatus enim, Spiritu sancto insolito gaudio animus hilarescit, et miratur quale ad gustandum esse possit, quod tam mire etiam per odorem reficit.

A

CAP. VII. *De incremento arboris sapientiæ per desiderium.*

Septimo loco adjunctum est, quod per desiderium crescit. Sicut enim compunctio incendio comparatur, ita desiderium simile est fumo, qui de incendio nascitur, qui in directum ascendit, et quanto magis sursum tollitur, tanto amplius extenuatur, tandemque elevatus in sublime ab oculis intuentium prorsus subducitur. Postquam enim

B per ignem compunctionis rubigo peccati a mente fuerit comsumpta, et ille internus fulgor in corde micare cœperit, confestim animus in quamdam contemplationis speculam sublevatur, ibique quodammodo seipso altior effectus, quamdam, ut ita dixerim, lucidam regionem, et terram novam eminus prospicit, qualem nunquam antea vel vidisse se meminit, vel esse existimavit. Miratur et ipse qui videt, et præ gaudio præsentis luminis præteritas ignorantiæ suæ tenebras accusat, miratur subter se in imo, quo prostratus jacuit, miratur super se in summo, quo elevatus tendit. Gaudet se tantum jam evasisse ab eo quod doluit dolet se tantum adhuc abesse ab eo quod, diligit. Conatur igitur festinat, ascendit, crescit per desi-

C derium, et quemadmodum virgula fumi, quanto magis sursum tollitur, tanto amplius extenuatur, ita cœlestibus appropinquans, et omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam evaporans totus spiritalis efficitur, tandemque se humanis subducit aspectibus, dum ad terrena ista, et visibilia concupiscenda amplius exire recusans, intus in abscondito faciei Domini gloriatur.

CAP. VIII. *De roboratione arboris sapientiæ per charitatem.*

Octavo loco adjunctum est : per charitatem roboratur. Charitas similis est vino. Vinum namque eos, quos inebriaverit reddit hilares, audaces, fortes, obliviosos, et quodammodo insensibiles. Sic charitas mundando conscientiam mentem ex-

D hilarat, deinde audacem reddit, quando per munditiam conscientiæ, fiduciam præstat. Deinde vires auget, quia, sicut testatur Scriptura, fortis est ut leo *qui confidit in Domino (Prov.* XXVIII). Conscientia enim munda nullis adversis superari potest, quia cum intus de Dei semper adjutorio confidit, quidquid adversi foris tolerat facile contemnit, et vincit. Oblivionem quoque generat, quia, dum totam animi intentionem ad desideria æternorum trahit, omnium quæ transeunt memoriam ab animo funditus evellit. Insensibilem reddit, quia dum mentem per internam dulcedinem medullitus replet, quidquid exterius amarum infertur contemnit, quasi non sentiatur. Charitas ergo sapientiam roborat, dum menti et fiduciam, et fortitudinem, et insuperabilem quodammodo insensibilem reddendo constantiam præstat. Pos-

sumus si volumus in his octo gradibus octo beatitudines per ordinem expressas notare, ita ut id quod dictum est, per timorem seminatur, pertineat ad id quod dicitur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Id quod dictum est, per gratiam rigatur, pertineat ad id quod dicitur : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*ibid.*). Id quod dicitur, per dolorem moritur, pertineat ad id quod dicitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*ibid.*). Id quod dictum est, per fidem radicat, pertineat ad id quod dicitur. *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*ibid.*). Id quod dictum est, per devotionem germinat, pertineat ad id quod dicitur : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*ibid.*). Id quod dicitur. per compunctionem oritur, pertineat ad id quod dicitur : *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* (*ibid.*). Id quod dictum est, per desiderium crescit, pertineat ad id quod dicitur : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*ibid.*). Id quod dictum est per charitatem roboratur, pertineat ad id quod dicitur : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*ibid.*).

CAP. IX. *De virore arboris sapientiæ per spem.*

Nono loco adjunctum est, per spem viret. Spes futurorum bonorum in mente quasi scintillatio quædam est, quæ nutritur in fomite. Est enim spes quasi memoria quædam invisibilium gaudiorum, quæ in corde hominis recondita calefacit illud intrinsecus, et non sinit arescere frigore infidelitatis in hieme præsentis vitæ. Et quandiu hæc spes vivit in nostra mente, nunquam arescit arbor sapientiæ, sed quemadmodum lignum illæsum virorem suum, dum æqualem habet contemperantiam humoris et caloris, sic animus arescere non potest, quem et calor Spiritus sancti qui desuper radiat, nutrit, et studium bonæ operationis quod subtus est, rigat.

CAP. X. *Quomodo frondescat arbor sapientiæ per circumspectionem.*

Decimo loco adjunctum est quod per circumspectionem frondescit, et expandit ramos suos. Quidam sunt, in quibus sapientia in altum crescit, quidam vero, in quibus in latum se expandit. In contemplativis in altum surgit, qui per acumen mentis penetrant usque ad contemplanda secreta cœlestia. In activis in latum se expandit, quia illi intentionem menti suæ multipliciter foras spargunt ad dispensanda terrena. Sunt vero nonnulli, qui per quietem divinitus sibi concessam, primo multum in contemplatione excrescunt, sed dum vident alios simpliciores fratres terrenis actionibus occupari, eos in comparatione sui despiciunt, et cum ipsi steriles sint a bono opere, bona tamen opera in aliis non pertimescunt judicare. Qui ergo in humilitate stare negligunt, vento elationis conquassati, a fastigio contemplationis cadunt. Dejectique variis patent erroribus et multipliciter ab illa interna pace distrahuntur. Quorum videlicet errorum principium hoc est, quod infirmitatem suam humiliter nolunt agnoscere, sed de Dei munere, quod acceperunt, incaute se extollunt. Necesse enim est ut in oculis eorum vilescant facta aliena, qui de suis meritis sentiunt tam immoderata. Nec fieri posset, ut vitam alienam judicare præsumerent, nisi prius in se tumuissent. Hic igitur error semel illapsus animo late venena sua diffundit, et occulte serpens, et immiscens se cunctis motibus animæ, voluntates immutat, consilia dissipat, cogitationes intorquet, et corrumpit desideria, curasque inducit superfluas. Et quia semel inflatus animus magna de se existimare didicit, facta sua ad examen rationis revocare contemnit, et eo liberius vitam persequitur alienam, quo minus in se quidquam reprehensione dignum esse credit. Quæ tamen superbia primum se palliat sub specie boni zeli, et persuadet deceptæ menti non esse perfectum amatorem justitiæ, qui consensum præbet culpæ alienæ. Eum autem delicto alieno omnimodo consentire, qui negligit, non potest, delinquentem arguere. Hoc igitur male provida mens errore decepta, totam se curiositati dedit, et paulatim crescente morbo, dum primum errata aliorum immoderate persequi assuescit, postremo ad hoc deducitur, ut quidquid viderit vel aperte calumniari, vel sinistre interpretari conetur; unde, si forte aliquos pro communi utilitate aliquantulum sollicitari viderint, hos cupidos vocant. Quos providos esse perspexerint, avaros nominant. Eos autem qui se affabiles et hilares omnibus præbent, vitio adulationis inservire dicunt. Illos viro qui sæpius tristitiam vultu præferunt, invidia tabescere credunt. Et quos alacres et devotos in ministrando perspexerint, leves et inquietos esse asserunt. Quos debiles aut graves invenerint, quasi pigros et inertes accusant. Abstemios, morbo hypocrisis laborare, et eos qui plus necessitati indulgent, luxui deservire existimant. Et hunc quidem errorem multiplex confusio sequitur. Mala siquidem et pestilens curiositas, quæ secretum alienum improbe scrutari contendit, sæpe, quamvis nihil inveniat quod juste reprehendere possit, perversa tamen suspicari non desistit. Si vero aliquid dignum reprehensione invenerit, statim tumidam mentem non ad compassionem, sed ad comtemptum trahit. Contemptus autem iram excitat, quia typo superbiæ inflatus animus intolerabile esse credit, quidquid ab eo sustinet, quam despicit. Deinde ira in indignationem crescit, indignatio in contumeliam procedit, contumelia odium parit, odium autem inveteratum in invidiam transit, invidia vero animo tædium gignit, tædium autem cum insederit cordi, quasi tinea demolitur illud, et suffocato gaudio interno in semetipsa conscientia tabescit. Fit sibi ipsi gravis animus et quasi plumbum immobilis permanens sursum erigi non valet. Et qui prius pennis contemplationis cœlos penetrare consueverat, nunc gravis pressus pondere sub se cadit. Perhorrescit tenebras suas, quas intus patitur, et si possibile esset, vellet aufugere semetipsum. Igitur

relicta conscientia foras funditus terrenis se immiscet actionibus, ut vel occupatus oblivisci possit malorum suorum. Et quia levius esse judicat omne malum eo ipso quod intus tolerat, jam miser etiam dolores suæ occupationis foris amat. Et quia veram dulcedinem longo tædio palatum cordis gustare dedidicit, carnalis concupiscentiæ acetum sitiens anima cum desiderio bibit. Inventam igitur in curis exterioribus diabolus corrumpit, et jam nullo sibi judicio rationis renitentem, ad quælibet erroris præcipitia trahit. Sed quia nunc diximus ad quanta nos mala superbia præcipitat, dignum est ut etiam consideremus quid sit medicamentum, per quod nos gratia divina restaurat. Tale est enim antidotum hoc ut non solum pristinam reformet sanitatem, sed et majorem addat fortitudinem. Non solum reparet quod periit, verum etiam superaddat quod defuit. Unde per omnia laudabilis et gloriosus Deus, solus misericors et pius, qui gratis largitur donum, et gratis restaurat amissum, et qui indigni eramus etiam id recipere, quod perdidimus, sic restituit ut non ad interitum, sed ad incrementum cecidisse videamur. Igitur iste, qui per sapientiam excreverat, de altitudine sua superbivit, et ideo bonum est ei ut præcidatur, et assuescat in latum expandere ramos suos. Bonum est ei, ut intermisso studio contemplationis ad tempus foras exire compellatur, et exteriora dispensanda suscipiat, ut discat experimento, quam difficile fit per officium exterioribus inservire, et tamen per desiderium interiora non deserere. Et cum se ad curam suscepti regiminis imparem esse agnoverit, tunc sciat quid de iis sensisse debuerat, quos prius in eodem loco positos inconsiderate despiciebat. Et quia majorem potestatem major solet sollicitudo comitari, ipsa eum cura exerceat, ut dicat esse providus et circumspectus, et non torpescat otio, ut ante periculum animum firmet, ut non solum quid eveniat, sed quid evenire possit, attendat. Arridenti fortunæ non nimium credat, in adversis fiduciam non amittat, et quidquid finem habiturum est, sive bonum sit sive malum, æque despiciat. Omnem eventum consilio suo præveniat, amicos ante necessitatem comparare studeat, in proprio sensu non plusquam oportet confidat, omnes diligere, non omnibus æque credere. Majoribus obedientiam debitam, æqualibus dilectionem subjectis paternam sollicitudinem impendat. Et sic per diversa virtutum studia sapientiæ suæ ramos diffundat, et tunc demum arbor illa sapientiæ, quæ prius in modum flexibilis arundinis nudo stipite male excreverat, jugi jam studio virtutum roborata, et frondibus circumspectionis undique vestita, rursum ad alta cacumen elevet, tanto tunc melior quanto fortior, quanto robustior, quanto exercitatior, quanto circumspectione ornatior, ita ut etiam ipsa præcisio sua ei profuisse videatur.

Sed quia ipsa sapientia per circumspectionem ramos suos expandit, diffiniamus nunc quosdam generales modos, quibus circumspectio exercetur.

A Sunt autem quatuor. Timor, cura, necessitas, affectus. Timor est anxietas periclitandi. Cura est sollicitudo evadendi incommodi aut commodi adipiscendi. Necessitas est debitum dandi, aut indigentia accipiendi. Affectus est desiderium perfruendi. Timor premit, cura trahit, necessitas ligat, affectus vulnerat. Sic solent agricolæ quando volunt expandere ramos arborum, aut superponere eis pondera quæ deorsum premant, aut subtus alligare quæ deorsum trahant, aut juxta affigere stipites et alligare ramos, ne sursum eleventur, sed in latum se diffundant, aut ipsi nudo trunco infigere surculos, ut ubi concrescentes arborem vestiant. Timor igitur est quasi pondus superpositum. Cura quasi pondus subtus appensum. Ne- B cessitas est similis stipiti qui ligat. Affectus est quasi surculus, qui infixus vulnerat. Ista quatuor nascuntur ex quatuor generibus malorum, quæ homo sustinet in hoc mundo. Quæ sunt ira Dei, vanitas mundi, infirmitas humanæ conditionis, invidia diaboli. Ira Dei est dum flagellis atterimur. Vanitas mundi est cum modum necessitatis excedendo in voluptatem abimus. Infirmitas humanæ conditionis est quod facile lædimur adversis, et difficile ad bona agenda convalescimus. Invidia diaboli est dum ipso instigante ad vitia inflammamur. Igitur ira Dei timore premit, vanitas mundi curas superfluas mittendo deorsum trahit. Infirmitas nostræ conditionis diris nos necessitatibus ligat. Invidia diaboli illicitis deside- C riis nos imflammando vulnerat. Sed in his omnibus Dei servus exercetur ad præmium, et tunc ei quoque mala subjecta serviunt, cum eum affligendo probant, non subvertunt. Istæ siquidem passiones omnes, videlicet timor, cura et desiderium illicitum malæ sunt, et ipsa quoque necessitas vitæ præsentis a Domino militia appellatur. Sed Deus idcirco hæc ad tempus electorum suorum mentibus dominari permittit ut cum per experimentum didicerint quanta miseria falsis illis delectationibus insit, ardentius æterna illa et vera gaudia requirant, quæ nulla tristitia corrumpit. Et salubriter, aliquando derelicti permittuntur ad tempus servire passionibus carnis suæ, ut agnoscant infirmitatem suam, et de se non D præsumant, et tanto devotius postmodum divinæ gratiæ se subjiciant, quanto manifestius ex præcedenti casu didicerint ex sua virtute non esse quod stant. Est etiam adhuc aliud, pro quo nonnunquam servis Dei utile est, ut tententur, ut videlicet ipsæ tentationes eos exerceant, et cautiores reddant; quia conflictus vitiorum exercitia sunt virtutum. Et sicut sæpe cadendo discit homo qualiter gressum figere, et caute ambulare debeat, et in conflictu belli qui frequenter plagatus est, cautius venientem ictum excipit, sic qui a diabolo sæpe decipitur, subtilius post modum versutias ejus deprehendit, et machinationes subvertit. Et hoc est quod multos videmus post multa scelera ad virtutum summam ascendere, et tanta virtute omnes diaboli conatus contra se erectos atterere, ut in quo sæpius vicisse gaude-

bat, jam non spoliasse, sed contra se armasse potius videatur. Hoc quippe altum, hoc secretum Dei consilium est, ut illud etiam electis suis proficiat ad coronam, quod inimicus sibi gloriabatur cecidisse ad victoriam. Libet itaque nunc considerare qualiter ex ipsis, quas supra memoravimus, passionibus exercitia nascantur, ac deinde qualiter per ipsa exercitia circumspectio augeatur. Quatuor enim sunt timor, cura, necessitas, affectus; et ex tribus, id est timore, necessitate, affectu, nascitur quartum, id est cura. Quod enim timemus incidere sollicite studemus evitare, et quod dolemus adesse sollicite studemus a nobis removere, et quod desideramus adipisci, sollicite studemus obtinere; et sic post affectionem passionis requiritur cura sollicitudinis et post curam sollicitudinis sequitur conatus in exercitio operationis, et per exercitium operationis crescit cautela circumspectionis. Et quia ex vitio nostræ corruptionis hoc nobis inest ut magis solliciti simus pro eo adipiscendo, quod perverse cupimus, vel eo evitando, quod superflue formidamus, fit ut cautelam circumspectionis, quam in bonis studiis comparare negleximus per mala studia facile acquiramus. Sæpe etenim qui animæ mortem non metuit, mori in carne pertimescit, et qui perpetuos gehennæ cruciatus non considerat, pœnas temporales pati reformidat. Sæpe qui illam confusionem, quæ ante Dei oculos et sanctorum angelorum peccatoribus ventura est, timere adhuc non didicit, vilis esse in oculis hominum erubescit. Et pro his evitandis laborant homines, quæ servis Dei non solum fugienda non sunt, imo etiam nonnunquam cum fructu eorum agnoscuntur appetenda. Similiter sunt multi, qui animæ suæ jejunium ignorant, et pro cibo ventris comparando vehementer insudant. Et sæpe homines pro carnalibus desideriis adimplendis plurimos labores graves et amaros libenter tolerant, quos pro amore æternæ vitæ, vel ad modicum subire recusant, cum e contrario electi sine intermissione laborent, et affligant semetipsos, ne desideria carnis perficiant. Qui etiam necessitatibus suis non sine timore deserviunt, timentes ne usque ad delectationem effluat voluptatis, quod exigit infirmitas conditionis. Carnales autem quique, qui pro adimplendis desideriis suis libenter labores tolerant, foris non tantum opere, sed et mente vagantur. Et dum per experimenta rerum multa discunt, quasi ex ipsa occupatione sui prudentiores fiunt. De quibus Dominus in Evangelio dicit: *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua* (*Luc.* XVI). Sed hi tales alioquin miseratione divina ab errore suo conversi, prava studia deserunt, sed prudentia quam in pravis studiis didicerunt, non amittunt, et in bonis agendis tanto cautiores fiunt, quanto in malis perpetrandis prius studiosiores exstiterint. Unde manifeste ostenditur etiam hoc eis profuisse, quod ad tempus derelicti videbantur. Propter hoc superius dictum est quatuor esse quæ exercent circumspectionem, timorem videlicet, curam, necessitatem, affectum.

A Tres autem sunt timores mundani vel carnales, timor vilitatis, timor pœnæ, timor mortis, quorum singuli suas curas generant. Necessitas autem duplex: alia indebito dandi, alia indigentia accipiendi. Aliter enim dicitur. Necesse est tributum dare Cæsari, et aliter dicitur, necesse est escas dare ventri. Imo enim necesse est ut tributum des Cæsari, quia tu dare debes, imo necesse est, ut escas des ventri, quia indiget accipere. Uterque tamen exactor est, et Cæsar, et venter. Utrumque tributum est et esca et pecunia. Sed si proprius considerare volumus, minus nocet Cæsar tollendo pecuniam, quam venter accipiendo escam. Cæsar enim semel auferendo pecuniam solllcitudinem tollit, venter autem sine intermis-
B sione escam exigendo nunquam nos sine sollicitudine esse permittit. Cæsar auferendo pecuniam magis nos allevat, venter accipiendo escam per abundantiam ad vilia nos inflammat. Et ut breviter concludam ego per omnia miserabiliorem video eum qui servit ventri, quam illum qui servit Cæsari. Necessitas ergo alia est in debito dandi, alia in indigentia accipiendi. Et illa quidem, quæ in debito dandi est, multis modis accipitur. Debent enim prælati subjectis providentiam, debent subjecti prælatis obedientiam, debent æquales æqualibus charitatem fraternam, debent sapientes insipientibus doctrinam, debent divites pauperibus alimoniam. Sed quia sine prudentia et circumspectione, nec juste persolvere
C possumus quod debemus, nec petendo impetrare id quo indigemus, dum istis necessitatibus subjicimur, quid aliud quam ad prudentiam, et ad circumspectionem erudimur? Et sicut de timoribus dictum est, etiam singulæ necessitates generant curas suas.

Affectus est desiderium perfruendi. Desideriorum alia sunt bona, alia sunt mala. Et bona desideria sunt spiritualia, mala desideria carnalia. Spiritale desiderium quasi vinum dulce suaviter inebriat, carnale desiderium quasi vinum acidum, et intoxicatum bibentes aut in furorem vertit, aut necat. De illo vino dicitur, quod *calix in manu Domini vini meri plenus misto* (*Psal.* LXXIV), videlicet quod lætificat *cor hominis* (*Psal.* CIII). Et alibi: *calix* Domini *inebri-*
D *ansquam præclarus est!* (*Psal.* XXII.) Multa de illo vino in Scriptura dicuntur. De hoc autem vino dictum est: *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (*Deut.* XXXII), quod exprimitur de botro amarissimo, quod propinat Babylon de calice aureo fornicationum suarum, de quo inebriantur omnes gentes. De hoc etiam vino dictum est in Evangelio: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est* (*Joan.* II). De illo autem vino dictum est: *Tu servasti vinum bonum usque adhuc* (*ibid.*). Hoc carnale desiderium quasi peregrinus surculus infixus menti graviter eam vulnerat. Et hic est peregrinus, de quo per Natham ad David dicitur *qui ad divitem venerat*, pro quo *peregrino* pascen-

do dives relictis centum propriis *ovibus unam oviculam pauperis* auferebat (*II Reg.* XII). Desiderium enim carnalis concupiscentiæ quasi hospes peregrinus ad David venerat, quando deambulans *in solario domus* suæ *Bersabee uxorem Uriæ se lavantem* conspexit, et adamavit (*II Reg.* I). Tunc autem in pastu peregrini relictis centum ovibus suis unam oviculam pauperis occidit, quando relictis multis uxoribus suis ad implendam voluptatem suam unicam Uriæ uxorem abstulit. Peregrini igitur surculi nudo trunco infiguntur, ut eum vestiant, quia sæpe omnipotens Deus quos in otio suo tepidos, et quasi nudos a bonis operibus esse conspicit, illicitis desideriis ad tempus vulnerari permittit, ut timorati et circumspecti fiant. Qualiter autem isti affectus cum sint mali hominem exerceant, difficile est agnoscere, difficilius enarrare, ille autem novit qui facit.

CAP. XI *Quomodo floreat arbor sapientiæ per disciplinam.*

Per disciplinam floret. In flore tria sunt : spes, species, odor, quæ omnia per similitudinem in bono opere invenimus. Sicut enim in flore futurus fructus promittitur, ita in bono opere futuræ retributionis præmium exspectatur. Et eos, in quibus bona opera cernimus, ad sortem supernæ retributionis pertinere speramus. Item sicut flos per speciem fulget et per odorem demulcet, ita bonum opus per exemplum quidem fulget, quando præsentibus laudabile apparet, eosque ad imitationem accendit. Per odorem autem demulcet, quando absentibus, et longe positis per opinionem bonæ famæ innotescit.

CAP. XII. *Quomodo fructificet per virtutem.*

Per virtutem fructificat. Fructus boni operis est virtus occulta rectæ intentionis. Sub flore enim boni operis, quod foris per exemplum lucet, quasi quidam intus in mente absconditus fructus virtutis latet. Proinde quisquis vacuus a virtute bonum opus in oculis hominum foris exhibet, velut arbor est, quæ sine fructu floret.

CAP. XIII. *Quomodo per patientiam, et perseverantiam maturescat.*

Per patientiam et perseverantiam maturescit. Inchoata virtus non prodest, nisi ad finem perducatur. Ac per hoc quisquis virtutem inchoat, quasi quendam in se bonitatis fructum format ; sed si virtutem , quam incipit, ante finem deserit, velut immaturus et non aptus esui ante tempus fructus cadit. Et ideo patientia, et perseverantia valde nobis necessaria est, ut in bono, quod per Dei gratiam recte inchoavimus constanter usque in finem perseveremus.

CAP. XIV. *Quomodo per mortem carpatur.*

Per mortem carpitur. Quando fructus maturus est tunc discerpitur, ut ad patrisfamilias mensam veniat. Et nos, cum ad modulum nostræ perfectionis perducti fuerimus, ab hac vita per mortem præcidimur, ut ad convivium Regis æterni transferamur. Et hoc est quod in cantico amoris, sponsa ad dilectum suum loquitur, dicens : *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum* (*Cant.* V); et ipse versa vice ad ipsam ibidem respondet : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte mea* (*ibid.*). Per mortem ergo carpimur, ut quasi fructus bene redolentes ad nuptias Regis æterni præsentemur. Nos ibi cibus Dei erimus, quia ei complacebit in nobis, et ipse cibus noster erit, quia nos delectabimur in ipso faciem gloriam ejus contemplantes, ita ut illud prophetæ compleatur in nobis : *Satiabor cum apparuerit gloria ejus* (*Psal.* XVI). Concludamus ergo summum perfectionis gradum, et dicamus.

CAP. XV. *Quomodo per contemplationem cibat.*

Per contemplationem cibat. Iste est cibus. Ista est refectio, de qua Psalmista dicit : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem* (*Psal.* XV). Amen. Ecce arbor sapientiæ nostræ per quindecim gradus usque ad summum incrementum pervenit ; hic autem numerus magni mysterii conscius est. Primum quia ex septem et octo componitur. Septenarius vero præsentem vitam, quæ septem diebus currit, significat. Octonarius autem, qui post septem venit, æternam vitam designat. Septenarius ergo ad Vetus Testamentum pertinet, in quo promittuntur bona temporalia. Octonarius autem novo testamento congruit, in quo sperare jubemur æterna. Crescat, ergo per septem et octo sapientia. Per septem incipiat, et per octo ad consummationem pertingat. Prima sapientia sit a Deo terrena bona petere. Secunda sapientia et maxima sit a Deo Deum desiderare. Item quindecim si duplicentur triginta efficiunt, et sapientia si adjuncta charitate per dilectionem Dei et proximi geminetur, usque ad conformitatem ætatis plenitudinis Christi nos perducit. Item in quindecim medius idem est qui octavus, hinc inde habens septenarium. Et satis claret, quod septenarius ad requiem pertinet, hinc maxime quod *septima die requievit Dominus ab omni opere quod patrarat* (*Gen.* II). Rursum per prophetam repromittit Deus suis dilectoribus *Sabbatum* pro *Sabbato, et* mensem pro *mense* (*Isa.* VI); hoc est requiem pro requie, perfectionem pro perfectione; pro requie mentis requiem mentis et corporis, pro requie qua non consentiunt malis, requiem qua nulla sentiunt mala. Item pro perfectione operis perfectionem retributionis. Idem est enim quod dicis Sabbatum pro Sabbato, ac si diceret requiem pro requie ; et quod dicit mensem pro mense, ac si diceret perfectionem pro perfectione. Prima igitur requies primum Sabbatum nobis esse debet in præsenti vita cessare a malo, ut secundum Sabbatum adipisci mereamur, ut in æternum requiescamus cum Christo. Sed quisquis hoc modo a malis sabbatizare proponit, necesse est priusquam ad illud futurum Sabbatum veniat, multa in hoc mundo adversa patiatur. Et

ideo in arbore sapientiæ octavo gradu inter septem et septem, quasi inter Sabbatum et Sabbatum, tolerantia laboris figitur in centro mediæ unitatis, cum dicitur per charitatem roboratur. Contra enim magnas tribulationes necessaria est vel robusta charitas. Et hoc est quod Dominus in Evangelio, cum septem beatitudines enumerasset, in octava ad tolerantiam passionis admonuit, dicens : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Nam quod ibi dicitur : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, hoc hic dicitur per charitatem roboratur. Sed jam, dum incidentium rationum expositionum prosequimur, longius a proposito nostro digressi sumus. Unde et de hoc quoque veniam postulamus, quia ut verum fatear, sæpius in hoc tractatu scribenda plura invenimus, quam inventa scribemus. Neque enim vel in hoc meam insipientiam fateri erubesco. Nunc ergo ad propositum revertentes de fabricatione arcæ sapientiæ prosequamur.

LIBER QUARTUS.

Cujus hæc sunt capitula :

CAP. PRIMUM. *Ubi et ex quo ædificata domus Dei*

De ædificatione domus Domini loqui volumus, si tamen nos, qui indigni sumus de tanta re loqui, aliquid digne sufficimus. Sed et si ex nobis sufficientes non sumus, potens est ille sufficientiam nobis præstare, sine quo digne de eo non dicam loqui, sed nec cogitare quidquam idonei invenimur. Primum designandus est locus, in quo ædificari oporteat domum Domini. Deinde scribenda materia. Locus est cor hominis, materia cogitationes mundæ. Nemo se excuset. Nemo dicat, non possum ædificare domum Domino, non sufficit tantis impendiis tenuis paupertas mea, cui et ipse locus deest exuli, et peregrino, et in terra aliena degenti. Hoc opus est regnum, hoc multorum est opus populorum. Ego vero quomodo ædificabo domum Domino ? Cur sic cogites homo ? Non hoc exigit a te Deus tuus. Non dicit tibi, ut fundum emas alienum ad amplificanda atria sua. Cor tuum inhabitare vult, hoc amplifica, dilata ; dilata inquam, quia magnus est Dominus, et nescit in loco angusto habitare. Dilata ergo cor tuum, ut capere possis, quem capere non potest mundus. Dilata cor tuum, ut habere merearis hospitem Deum, et non (sicut consuetudo est inter homines) unius noctis hospitem, sed æternum habitatorem. Dilata ergo cor tuum. Quod si tu in dilatando deficis, ipse tibi dilatabit, cui ille aliquando dilatus ab eo dixit : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVII). Et de impensa quid dicam? Non necesse est maria transire, et ignotas exquirere regiones ad comparandos lapides pretiosos, et marmora electa, nec cedros excelsas incisas de Libano per alta maria navibus conductis advehere, aut nescio quod numerosa artificum millia congregare, qui et thesauros regum attenuare possent. Nihil horum a te postulatur in te, et de te fabricabis domum Domino Deo tuo. Ipse artifex eris, cor tuum locus, cogitationes tuæ materia. Nec timeas imperitiam tuam, qui hoc a te requirit peritus est artifex, et alios quos vult artifices facit. Multos ab eo eruditos testimonio divinarum Scripturarum didicimus. Ipse Noe arcam fabricare docuit. Ipse Moysi, ad cujus similitudinem arcam fabricaret, exemplar ostendit. Ipse Beseleel erudivit. Ipse Salomonem, ut ædificaret templum nomini ejus, sapientia illustravit. Paulum quoque Apostolum architectum fecit; et multos alios quos enumerare longum est. Et postremo nullus doctus fuit, qui ab eo non didicit, et quisquis ab eo discere meruit, nemo imperitus remansit. Sed si te de operibus ejus aliquid audire delectat, omnia hæc quæ vides, ipse de nihilo creavit. Ipse admirabilem mundi hujus machinam fabricavit. Ipse singula quæque qualiter in formas et species suas producenda fuerant, excogitavit, et universorum pulchritudinem ipse condidit. Perpende ergo quantum in rebus invisibilibus possit, qui hæc visibilia tam mira ratione disposuit. Hunc ergo invoca, hunc obsecra, ut te quoque docere dignetur. Invoca eum, dilige eum ; hoc est enim invocare eum, diligere eum. Dilige ergo eum, et ipse ad te veniet, et docebit te sicut promisit diligentibus se. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Non dixit, facta mansione veniemus, sed veniemus, inquit, et mansionem apud eum faciemus. Ego sic intelligo, quod mundi cordis amator apud nos manere non possit, nisi prius ipse sibi in nobis mansionem fecerit. Ipse quippe est sapientia, de qua dicitur : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX); et in alio loco, ipsa sapientia ubi et unde domus ejus constructa sit manifestat, dicens : *Ego sapientia in consilio*

habito, et sensatis *intersum cogitationibus* (*Prov.* VIII). Et alibi sedes sapientiæ appellatur animæ justi. Constat ergo, quod in corde hominis de cogitationibus sensatis sapientia sibi domum fabrefecit. Tria ergo sunt, locus, materia, artifex. Et, sicut diximus, locus est cor hominis materia cogitationes cordis, artificium autem duorum est, Dei videlicet et hominis, simul operantur hæc duo. Deus enim, qui dignatur cum hominibus habitare, non dedignatur cum homine habitaculum sibi præparare. Proinde non debet homo suam imperitiam aut infirmitatem considerans desperare, sed eum potius, qui secum operari dignatur, attendere. Deus enim est virtus et sapientia, et non potest aliquis aut cum virtute deficere, aut cum sapientia ignorare, maxime cum idem ipse sit, qui et nobis operantibus bonum cooperatur,et non operantibus ut velimus et possimus bonum operari, largitur. Dei quippe opus in nobis nobiscum est, et nostrum opus in nobis ab ipso est. Ejus opus in nobis nobiscum est, nostrum adjutorium, et nostrum opus in nobis ab ipso est, ef ipsius donum. His dictis ad ea,quæ proposuimus veniamus, id est ut postquam agnoveris ubi, et unde, et cum quo operari debeas, nunc qualiter opereris agnoscas. In omni ædificatione tria sunt præcipue consideranda, ordo, dispositio et definita dimensio, habens principium et finem determinatum. Superest nunc igitur inquiramus qualem esse oportet ordinem, et dispositionem cogitationum nostrarum, ut ex eis construatur domus Dei. Deinde etiam diligenter considerandum est, qua ratione domus hæc, quam ad inhabitandum Deo ædificamus, definitam dimensionem recipere possit, cum ipse ejus inhabitator Deus infinitus sit et immensus. Quod primum investigandum proposuimus primum prosequamur.

Cap. II. *De ordine et dispositione cogitationum nostrarum, quæ finitæ non sunt, ut ex eis construatur domus Dei.*

Omnium rerum numerus quantum ad nostræ intelligentiæ capacitatem pertinet infinitus est, quia a nobis comprehendi non potest. Ubi autem non est definitio, non est certitudo ; et ubi certitudo non est, confusio est; ubi vero confusio est, ordo esse non potest. Hinc ergo procedit, quod, dnm corda nostra ad appetitum terrenarum rerum immoderate laxamus, oborta mox inanium cogitationum turba, ita in diversa mens nostra rapitur,ut ipse quoque naturalis discretionis ordo perturbetur. Nam quia res mundanæ quas inordinate appetimus,infinitæ sunt,cogitationes quoque, quas ex ipsarum rerum memoria intrinsecus concipimus, finitæ esse non possunt. Nam dum per singula momenta aliæ ex aliis orientes multipliciter prodeunt, nec ipsi nos comprehendere valemus, quo ordine, vel quomodo ad cor veniunt, aut a corde recedunt.Proinde si ordinatas, et stabiles, ac quietas cogitationes habere volumus ab hac immoderata distractione corda nostra cohibere studeamus. Hoc autem fieri poterit, si certas

A quasdam et determinatas res nobis præscribamus, in quibus assidue intentio cordis nostri versari, et meditatio exerceri possit.Tria enim sunt, id est per infinita distrahi, in eodem semper persistere, moderate vagari, quorum primum habere non debemus,secundum hic habere non possumus, et idcirco solum hoc tertium superest, ut quia adhuc vere corde stabiles esse non possumus, interim saltem ab immoderata distractione corda nostra colligamus, ut dum semper nitimur minus instabiles fieri, semper magis ac magis incipiamus veram stabilitatem imitari. Et ut quod loquimur, per exemplum manifestius fiat, tres constituamus res ; unam in imo, alteram in summo, tertiam in medio. In imo ponamus mundum,
B in summo Deum, et in medio collocemus humanum animum. Deinde consideremus deorsum in mundo isto magnam quamdam, et horribilem omnium rerum confusionem,et infitam humanarum mentium distractionem ; sursum autem apud Deum perpetuam et inconcussam stabilitatem. Post hæc imaginemur quasi humanum de hoc mundo sursum ad Deum ascendentem, et in ascendendo magis semper ac magis in unum sese colligentem, et tunc spiritaliter videre poterimus formam arcæ nostræ, quæ in imo lata fuit, et sursum in angustum surrexit, quousque ad mensuram unius cubiti in cacumine suo perveniret. Similiter enim nos de hoc profundo, de hac convalle lacrymarum per quædam incrementa virtu-
C tum, quasi per quosdam gradus in corde nostro dispositos ascendentes paulatim in unum colligimur,quousque ad illam simplicem unitatem, et veram simplicitatem,æternamque stabilitatem, quæ apud Deum est, pertingamus. Nemo subito perfectus fit, sed proficiendo quisque ad perfectionem tendit, qui quandiu adhuc hahet, in quo proficere possit, nondum ad summam perfectionem pervenit. Hic, si volumus, considerare possumus modum reparationis nostræ. Omnipotens enim Deus, cui nihil impossibile est, posset utique si vellet eos, quibus misereri proposuit, de laboribus, et ærumnis, et de periculis præsentis vitæ, quæ tentationibus plena est, subito et absque dilatione ad æternæ vitæ stabilitatem trans-
D ferre, sed vult ut electi sui per varias tribulationes, et tentationes plurimas purgandi transeant, ut cum per multos dolores ad eum redeunt, discant quam longe ab eo peccando discesserint. Dum enim viam, per quam abierat peccando, pœnitendo non translati, sed reducti pergunt, ex ipsa diuturna (ut ita dicam) itineris fatigatione agnoscunt, quod de longinquo adducti sunt. Et hoc totum fit, ut hominibus gratia Dei commendetur, ut tanto ardentius Deum diligant, quando minus se ab eo etiam cum longe fuerint, vident derelictos, sicut per prophetam Isaiam ipse promisit dicens : *Abducam ab oriente semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni : Da ; et austro : Noli,prohibere. Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ* (*Isa.* XLIII). Potest unusquisque nostrum,qui

memor est ubi fuerit, et agnoscit ubi sit, in seipso fortassis videre quomodo homo per divinam misericordiam de longinquo adducatur, et de dispersione sui unum colligatur. Restat nunc ut consideremus, quæ sint illæ res, quas supradiximus, in quibus exerceri oporteat animum, ut paulatim assuescat se ab hujus mundi distractione retrahere, ut ad illam summam stabilitatem, id est contemplationem Dei roboratus assurgat, quod sic videri potest.

Cap. III. *De duobus operibus Dei, id est conditionis et restaurationis, in quibus exercendus est animus ne a mundo distrahatur.*

Omnia opera Dei propter hominem facta sunt, sive ea quæ pertinent ad primam conditionem hominis sive ea quæ facta sunt ad hominis reparationem. Ad conditionem hominis pertinet creatio mundi, id est cœli et terræ, et omnium, quæ in primordio facta esse leguntur a Deo. Ad repationem hominis pertinet incarnatio Verbi, et omnia quæ vel ante ipsam incarnationem ab initio ad ipsam præfigurandam et prænuntiendam præcesserunt, vel quæ post eam usque ad finem mundi propter ipsam prædicandam, et credendam finnt. Cum autem secundum illa prima opera, quæ ad conditionem hominis pertinent, omnium Deus sit, quia ipsa omnes creavit et hæc temporalia bona indiscrete omnibus bonis, et malis tribuit; secundum illa opera, quæ ad reparationem hominis pertinent, non omnium Deus esse voluit, sed eorum tantum, quos ipse ante tempora væcularia in proposito bonæ voluntatis suæ elegit, ut eos certo tempore vocaret, et justificaret, et glorificaret in dilecto Filio suo Domino nostro Jesu Christo (*Rom.* VIII). Inde est, quod in sacra Scriptura specialiter quorumdam se Deum nominat, sicut est illud: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, ei Deus Jacob* (*Exod.* III), quia sicut dictum est, qui omnes creavit, non omnes redimit, sed alios per misericordiam salvat, et alios per justitiam damnat. Igitur, ea quæ ad reparationem hominis facta sunt, non ad omnes pertinent, sed ad eos tantum, qui salvi fiunt. Et sicut non omnium sunt, ita etiam non apud omnes facta sunt, nec ad omnium notitiam pervenerunt, sed facta sunt certis quibusdam locis et temporibus, et cum certis personis secundum altitudinem divini consilii ad hoc ordinatis. Cum enim Deus secundum omnipotentiam suam multis modis ad restaurationis hominis uti potuisset, hunc tamen potissimum elegit, qui nostræ infirmitati cæteris convenientior fuit, ut opus misericordiæ suæ non solum potenter et juste, sed et sapienter impleperet. Primus autem homo deseruit Creatorem suum, cum eum per contemplationem præsentem aspiceret; nunc autem homo Creatorem, quem non videt per speciem, quærit per fidem. Primus autem homo sine labore stare potuit, et sponte cecidit; nunc autem sponte surgens homo ad Deum etiam per tormenta redit. Ordinatissimum igitur est de nostra reparatione divinæ dispensationis consilium. ut qui sponte cecidit, non coac- A tus, sed sponte surgat; et qui per liberum arbitrium infirmatus est, sanitatem non recuperet, donec per liberum arbitrium sanari velit. Hoc autem ex nobis non est ut velimus, sed Deus in nobis hoc operatur. Gratia enim Dei prævenit, et excitat liberum arbitrium nostrum, ut possit velle sanari, quia per se non potest velle sanari, qui per se potuit velle infirmari. Hoc igitur est quod nunc in electis agitur, ut videlicet in præsenti vita ad futuram beatitudinem præparentur, ut homo in hac infelicitate positus mereatur ad illam felicitatem ascendere, sicut primus homo in illa felicitate positus meruit ad hanc infelicitatem devenire. Sed et illud, meritum, quo homo infelix esse meruit, tantummodo ex homine fuit. Hoc vero B meritum, quo felicitatem æternam meretur, non ex homine est, sed gratia Dei hoc in homine operatur. Non ergo sine causa fit, quod Deus hominem post peccatum a cæcitate ignorantiæ revocans, sic cognitionem suam ab eo temperat, ut innotescat quidem et tamen semper maneat occultus. Si enim ita aperte se manifestaret hominibus, ut nullus de eo dubitare posset, tunc nec fides meritum, nec infidelitas haberet locum. Innotescit igitur ut fides nutriatur, et occultus permanet ne infidelitas convincatur. Occultus permanet ut fides probetur, innotescit ut infidelitas condemnetur. Quia enim et fideles aliquid habent, unde dubitare possent, et infideles unde credere valerent si vellent juste, et illis pro fide redC ditur præmium, et istis pro infidelitate supplicium. Placuit autem Deo ut beatitudinem, quam gratis daturus erat homini, prius hominem promereri faceret, sic tamen ut ab ipso esset et meritum et meriti præmium. Differt igitur nunc dare quod daturus est, plenam videlicet sanitatem, plenam cognitionem, plenam felicitatem, et interim per fidem illuminat nostram cæcitatem, ut per ipsam proficiendo ad manifestam mereamur pervenire ejus claritatem.

Cap. IV. *Quare in abdito, et obscure locutus sit Deus.*

Hoc est quod ab initio cum paucis, raro, obscure et in abscondito locutus est Deus. Scrutemur Scripturas, et inveniemus vix unquam Deum D in multitudine locutum, sed quotiescunque hominibus innotescere voluit, non gentibus et populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, et a communi frequentia hominum segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis, vel in solitudinibus et montibus se manifestavit. Sic locutus est cum Noe, cum Abraham, cum Isaac, cum Jacob, cum Moyse, cum Samuel, cum David, et cum omnibus prophetis. Denique in carne apparens, quamvis manifeste locutus sit mundo, tamen discipulos, ut illis gloriam suam manifestaret, seorsum in montem duxit (*Marc.* IX). Quibus et alibi dicit: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cœteris autem in parabolis* (*Matth.* XIII), et rersum: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce, et quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Matth.* X). Sed nec illi antiquo populo legem de-

dit in Ægypto, nec alibi, donec eum eduxisset in solitudinem seorsum. Neque ibi palam omnibus, sed Moyses solus ascendit in montem, ut legem, acciperet. Quid est ergo quod semper in secreto loquitur Deus, nisi quod nos ad secretum vocat? et quid quod cum paucis, nisi ut nos colligat? Considerate hæc duo quæ dixi, colligit et ad secretum vocat. Primus homo antequam peccaret non opus habuit, ut ei extrinsecus loqueretur Deus qui aurem cordis intrinsecus habuit, qua vocem Dei spiritualiter audire posset, sed postquam foris aurem ad suasionem serpentis aperuit, aurem intus ad vocem Dei clausit. Quia ergo homo auditum intus perdidit, quo Deum loquentem audiat, revocans nos Deus ad se foris clamat. Sed cum loquitur semper quasi occcultari volens se subtrahit, ut mentem humanam et per hoc quod loquitur de se admoneat, et per hoc quod se occultando fugit ad se trahat. Irritat enim desiderium nostrum ut augeat, quia et loquendo amorem sui in nobis excitat, et fugiendo ut se sequamur inflammat. Tale est enim cor hominis, ut si quod diligit adipisci non valeat, amplius desiderio suo inardescat. Sic in Canticis canticorum Sponsus venit : *Stat post parietem*, prospicit *per fenestras, et cancellos* (*Cant.* II), ut quasi lateat et non lateat, *Mittit manum suam per foramen* (*Cant.* V), tangit Sponsam et sono depresso, voce tenui vocat eam, et dicit: *Veni, amica, mea, columba mea. Ecce hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra ; vox turturis audita est in terra nostra* (*Cant.* II). Illa ut audit Sponsum adesse surgit mox, festinat, aperit *pessulum ostii* sui (*Cant.* V), et quasi venientem exceptura brachia ad amplectendum parat; vix tolerat, vix sustinet, vix expectat. Liquescit *anima* ejus (*ibid.*), ardet cor ejus, fervent præcordia ejus exsultat, gaudet, tripudiat, jucundatur, ruit obviam venienti. Sed ille, cum jam teneri putatur, declinat, et subito quasi de mediis elapsus amplexibus fugit. Quid est hoc ? Dum non quæritur, dum non vocatur venit, dum autem quæritur declinat, et dum vocatur fugit. Si non diligit, quare venit ? aut si non diligit, quare fugit ? Diligit autem, et ideo venit, sed quia hic non diligit, ideo fuit. Quid est hoc quod, dixi, hic non diligit ? In hoc mundo, in hoc sæculo, in hac terra, in hac patria, in hoc exsilio. Sed vocat nos ad terram suam, quia non decet talis amor patriam istam, immunitio amoris esset utilitas regionis. Jucundus amor amœnum quærit locum, ideo commendat nobis terram suam, ideo laudat patriam suam, ideo dicit : Flores apparuerunt in terra nostra ; *vineæ florentes odorem dederunt* (*Cant.* II) ; vox turturis audita est in terra nostra. Ut concupiscamus talem regionem, ut desideremus talem patriam, et sequamur eum. Ibi nos amat, ibi amore nostro frui desiderat, ibi amplecti a nobie postulat, ibi sequentes se non fugit sed venientes ad se exspectat. Offert ergo se dum non quæritur, ut nos ad amorem sui accendat. Dum quæritur fugit, ut nos post se currere faciat. Nisi enim prius ipse se nobis ostenderet, nemo eum diligeret. Et nisi dum quæritur fugeret, nemo eum sequi vellet. Flores, inquit, apparuerunt in terra nostra, non in terra mea, sed in terra nostra, ut eam communicaret nobiscum. Quasi diceret fidelis vobis adsum nuntius, vidi quod testor, audivi quod loquor. Nolite timere, nolite diffidere, nolite hæsitare. Sequimini quo voco, quia inde estis unde venio, non habetis hic manentem civitatem. Peregrinum est quod incolitis. Aliunde huc venistis, si patriæ vestræ memores essetis, utique peregrinationem non diligeretis. Propterea et ego huc veni, ut hinc vos educerem, non ut vobiscum hic permanerem. Et ideo de abscondito ad vos clamo, quia innotescere hic tantum, non permanere volo. Ideo de longinquo vos voco, quia ad reditum festino. Sufficit me tantum processisse, ut audiri possim. Damnum me pati existimarem, si quod superest viæ pergerem. Gravis est omnis mora. Flores apparuerunt in terra nostra. Discite quantum vos festinare debetis dum me fugientem cernitis. Non venissem, nisi vos post me trahere vellem. Hæc est causa, quare Deus in abscondito semper loquatur. Sicut in lege, et prophetis, et in Evangelio per parabolas, et ænigmata locutus est. Dignum est enim, ut sub figuris verborum abscondantur secreta mysticorum intellectum, quia cito vilescerent si passim omnibus paterent. Ita enim veritas et per inquisitionem fideles exercet, et ne ab infidelibus inveniatur, occulta permanet. Istos, dum difficile invenitur, majori desiderio inflammat ; illos, dum omnino inveniri non potest, excæcat. Ex eodem ergo et fideles proficiunt et infideles cadunt, quia et illi humiliter audiendo, et fideliter inquirendo verba Dei ad agnitionem veritatis perveniunt ; isti autem vel negligendo, vel contemnendo, vel prave intelligendo nunquam ad veritatem pertingunt. Jam diximus quare obscure, et in abscondito loquatur Deus ; nunc restat dicere, quare cum paucis, et raro loquatur.

CAP. V. *Quare cum paucis, et raro loquatur, et locutus sit Deus.*

Primi hominis natura ita a Deo, ordinata, et instituta fuerat, ut anima, quæ corpori præerat, per sensus quidem ministeria corporis foris impleret, sed intus per rationem semper ad Creatorem suum intenderet. Hoc est membra corporis sensificando foris ad agendum quidem moveret, sed intentionem, et desiderium intus ad solum Creatorem dirigeret, et nihil foris ageret, quod ex ejus dilectione non procederet, et ad ejus dilectionem non pertineret, ita ut omnem actum et charitas imperaret, et ratio disponeret, et sensus impleret atque perficeret. Quandiu ergo hunc ordinem naturæ suæ tenuit, quamvis foris per actionem variaretur, intus tamen per intentionem et amorem stabilis permansit, quia unum intendebat, et propter unum omnia faciebat, unum diligebat, et omnium voluntatum, atque actionum suarum finem ad unum referebat, et indeffessa mentis acie ad unum jugiter respicie-

bat Creatorem suum. Unde nec dubitare de Creatore suo poterat, cui semper intus per contemplationem præsens erat. Cujus visio, et per cognitionem cor ejus illuminavit, et per amorem stare et requiescere fecit. Sed postquam merito prævaricationis suæ ejectus est a facie Domini, factus est cæcus et instabilis. Cæcus per ignorantiam mentis, instabilis per concupiscentiam carnis. Quibus ab illo in omnem posteritatem transfusis, universa mala exorta sunt. Per ignorantiam enim ad hoc tandem devoluti sunt homines, ut Creatorem suum non agnoscerent, et aut omnino Deum non esse existimarent, aut divinitatem iis, qui dii non erant, attribuerent. Per concupiscentiam vero infinitis erroribus distracti, et dissipati sunt. Necesse enim fuerat, ut per concupiscentiam terrenarum rerum, quæ videbantur, immoderate diffluerent, qui tenebris ignorantiæ pressi alia invisibilia bona esse nescirent. Volens ergo Deus ab hac distractione corda nostra colligere, et ad interna gaudia contemplanda revocare, foris loquitur, ut nos intus redire admoneat. Sed quia mens visibilibus assueta nescit tam cito ad invisibilia consurgere, idcirco voluit ipse quædam etiam visibiliter exhibere miracula, in quibus nostrum affectum enutriret, et suam nobis charitatem commendaret. Hæc autem sunt specialiter illa, quæ ad reparationem hominis pertinent; nam ea, quæ ad conditionem hominis facta sunt, magis nobis potentiam opificis indicant; ea vero, quæ ad redemptionem hominis facta sunt, præcipue ad charitatem spectant. Hæc igitur operatus est Deus, ut qualem erga nos haberet dilectionem ostenderet, et nos ab amore hujus mundi ad amorem sui revocaret. Hæc igitur opera ita moderari voluit ne infinita essent, ne animum nostrum, qui colligendus erat, in occupatione sua distraherent; tamen multa essent, ut eumdem animum perfectæ adhuc stabilitatis impatientem rerum varietate delectarent. Propterea elegit unam gentem, et unum locum, ubi sacramenta non ad unius gentis tantum, sed ad salutem totius mundi pertinentia initiaret, ut unitas ubique commendaretur, et humanus animus intus et foris ad unitatem revocaretur, ut sicut ab uno salvatore est salus omnium, ita etiam ab uno loco, et ab uno populo manaret salutis initium. Qui enim propter nos omnia fecit, sic utique fecit, sicut magis nobis expedire cognovit. Hæc autem partim per homines, partim per angelos, partim per semetipsum operatus est Deus. Plurima per homines, per angelos multa, per semetipsum pauca. Propterea ut dum in meditatione eorum humanus animus de factis hominum ad facta angelorum et de factis angelorum ad facta Dei ascendendo proficit, paulatim sese in unum colligere assuescat, et quando magis multiplicitatem evadit, tanto amplius ad veram simplicitatem appropinquare incipiat. Dum ergo Deus, cum paucis et raro loquendo mentes nostras in unum colligit, obscure autem et in abscondito loquendo sursum ad se trahit, quid aliud quam, ut ita dicam, invisibilis cujusdam arcæ in cordibus nostris formam fingit? Quamvis ergo omnia opera sua propter hominem fecerit, alia tamen voluit esse opera illa, quæ sanis exhiberent obsequium, atque alia quæ infirmis conferrent remedium. Poterat enim mundus sano servire, sed non poterat ægrotum reparare. Proinde post illam primam rerum conditionem, quæ facta fuerunt, ut stantibus subessent, necesse erat alia facere, quæ jacentes erigerent. Quæ tanto primis digniora sunt, quanto magis necessaria, et quanto dignitate præcedunt, tanto prolixiori tempore currunt. Illa enim sex diebus facta sunt, ista sex ætatibus fiunt. Sex enim diebus facta est rerum conditio, et sex ætatibus perficitur hominum reparatio.

Cap. VI. *Quod aliter pensant electi opera Dei, et aliter reprobi.*

Sed sciendum est quod opera divina aliter electi atque aliter reprobi pensant. Electi namque opera restaurationis præferunt operibus primæ conditionis, quia illa ad servitutem, ista ad salutem facta sunt. Sed e contrario reprobi plus amant opera conditionis, quam opera restaurationis quia præsentem quærunt delectationem, non futuram felicitatem. Philosophi gentilium superstitiosa quadam curiositate naturas rerum, id est opera conditionis investigando, in cogitationibus suis evanuerunt. Philosophi Christianorum opera restaurationis jugiter meditando, omnem a cogitationibus suis vanitatem repellunt. Electi restaurationem sui considerantes, igne divini amoris inardescunt. Reprobi autem pulchritudinem rerum conditarum perverse amantes ab amore Dei refrigescunt, Reprobi dum rebus transitoriis cogitationes suas emergunt Creatoris sui obliviscuntur. Electi autem Creatoris sui oblivisci non possunt, de cujus misericordia semper circa sui reparationem meditantur. Reprobi dum temporalibus inhiant, cognitionem æternorum perdunt. Electi autem dum temporalia Dei beneficia recolunt, ad agnitionem æternorum proficiunt. Reprobi per visibilia ab invisibilibus cadunt; electi autem per visibilia ad invisibilia ascendunt. Sed sciendum est, quod alia sunt illa visibilia, de quibus ascendunt, alia illa sunt, per quæ ascendunt. De operibus conditionis per opera restaurationis ad conditionis et restaurationis auctorem ascendunt. Ascensus autem isti non extrinsecus, sed intrinsecus cogitandi sunt, per gradus in corde de virtute in virtutem dispositos. Quod sic fortassis facilius intelligere poterimus.

Cap. VII. *Duos esse mundos visibilem et invisibilem.*

Sicut duo opera, id est opera conditionis, et opera restaurationis distinximus, ita duos mundos esse intelligamus visibilem, et invisibilem. Visibilem quidem hanc machinam universitatis, quam corporeis oculos cernimus, invisibilem vero cor hominis quod videre non possumus. Et sicut in diebus Noe aquæ diluvii universam terram operuerunt, sola autem arca aquis superferebatur, et non solum mergi non poterat, verum etiam quanto amplius aquæ intumescebant, tanto altius in sublime elevabatur, ita et nunc intelligamus in

corde hominis concupiscentiam hujus mundi esse, quasi quasdam aquas diluvii; arcam vero, quæ desuper ferebatur, fidem Christi, quæ transitoriam delectationem calcat, et ad ea quæ sursum sunt, æterna bona anhelat. Ideo autem aquis concupiscentia hujus mundi comparatur, quia fluxa est et lubrica, et ad similitudinem aquæ deorsum currentis semper ima petit, suosque sequaces instabiles, et dissolutos reddit. Si intraverit homo ad cor suum, videre poterit quomodo semper et concupiscentia deorsum in ea quæ transitoria sunt, defluat; et fides in ea quæ sursum sunt, bona perpetua tendat. Sed cum Scriptura dicat concupiscentiam in carne habitare, fidem in corde, quomodo nos utramque in corde esse affirmamus, nisi quia tunc carne concupiscere dicimur, quando corde carnaliter concupiscimus? Utrumque tamen cordis est et concupiscere et credere, sed aliud habet ex hoc quod terrena diligit, aliud habet ex hoc quod cœlestia quærit; ideo concupiscentia deorsum et fides sursum. Concupiscentia ex carne cordi innascitur, fides non a carne, sed a Deo cordi inspiratur. Proinde Dominus cum fidelem Petri confessionem laudaret: *Caro* inquit, *et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis* (*Matt.* XVI). De concupiscentia autem Paulus dicit: *Non ego operor illud, sed peccatum, quod habitat in me* (*Rom.* VII). Et quid sit in meo eodem loco determinat. *Scio,* inquit, *quia non habitat in me hoc est in carne mea, bonum* (*ibid.*). Rursumque peccatum ipsum, quod in carne habitare dixerat, quid sit alibi declarat. *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* (*Gal.* V.) Utique desideria carnis concupiscentiam appellans.

Igitur concupiscentia in carne habitat, hoc est deorsum in corde, fides vero non in carne, sed in spiritu. Illud tamen diligenter considerandum est quod Apostolus cum dixit: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis, et non dixit non sentietis, sed non perficietis; manifeste declaravit omni homini quandiu in hac vita est, concupiscendi necessitatem ex corruptione primæ nativitatis inesse, adjuvante tamen gratia Dei, ut eidem concupiscentiæ non consentiat, nulli impossibile. Propterea alibi dixit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (Rom.* VI). Quasi diceret, non potest fieri, ut in vestro mortali corpore peccatum, id est fomes peccati, incentivum vitiorum, stimulus concupiscentiæ non sit, sed adjuvante gratia Dei fieri potest, ut non regnet, ut non præsit. Impossibile est ut illud non sentiatis, sed non necesse est ut illi consentiatis. Igitur omnis homo quoddam intus in corde suo diluvium concupiscentiæ patitur, a quo nullus nisi per arcam fidei liberatur. Ubi malus homo per siccum ambulans mergitur, et bonus homo in profundo maris mersus non læditur. Periculosum prorsus naufragium, quod intus est. Væ ei qui ibi periclitatur! Nullus portus illi tutus est, nulla statio secura, nulla serenitas tranquilla, qui intrinsecus concupiscentiæ suæ æstibus jactatur, et insatiabili libidinum A voragine absorbetur.

CAP. VIII. *De tribus speciebus hominum respectu arcæ.*

Hic considerare possumus tres hominum species, alios qui intus diluvium habent et non arcam, alios qui et diluvium, et arcam intus habent, sed in arca non sunt, alios qui in diluvio et arcam habent, et in arca manent. In diluvio sine arca sunt infideles, quos carnis desideria involvunt, qui præter hanc vitam transitoriam aliam esse nesciunt. In diluvio arcam habent, sed in ea non manent ii, qui jam per fidem post hujus mutabilitatis finem vitam immortalem esse venturam credere didicerunt, sed posthabita hac temporalium rerum delectationi animum suum subjiciunt. B Dicit enim Scriptura: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI). Ubi est delectatio tua, ibi est et cogitatio tua. Ubi vero est cogitatio tua, ibi est interioris hominis habitatio. Nam ibi quisque secundum interiorem hominem habitare dicitur, ubi cogitatione conversatur. Itaque ii, qui delectationem cordis sui in vanitate hujus mundi constituunt, quamvis arcam fidei habeant, intus tamen naufragi sunt. Ut autem taceam cæteros mundi amatores, quot modo litteratos cernimus, qui vocari Christiani volunt, et cum cæteris fidelibus Ecclesiam intrant, et de sacramentis Christi participant, in quorum cordibus sæpius est memoria Saturni et Jovis, Herculis et Martis, sive Achillis et Hectoris, Pollucis et Castoris, Socratis C et Platonis et Aristotelis, quam Christi et sanctorum ejus? Nugas poetarum diligunt; et veritatem divinarum Scripturarum aut negligunt, aut (quod pejus est!) irrident, et contemnunt. Videant nunc quid eis prosit foris Ecclesiam ingredi, et intus in corde a fide fornicari. Ego eis pronuntio, quod illis in fine sociandi sunt, quos nunc in cogitationibus suis per affectum cordis sibi conjungunt, et quorum hic vitam diligunt, eorum illic supplici participes erunt. Quid illis prodest habere fidem, et non manere in fide? Quid illis prodest navem integram habere, et in fluctibus naufragium, non dicam pati, sed sponte facere? Quid prodest veritatem cognoscere, et falsitatem diligere? Non sunt tales qui vere fideles D sunt. Vis scire quales sint? Audi qualis unus illorum fuerit, et tales omnes intellige. Dissimiles enim esse non possunt, qui veritate unum sunt. Audi ergo quid de illo: *Lex Dei ejus in corde ipsius* (*Psal.* XXXVI), hoc est arcam intus habere, et quia hoc fortassis non sufficit. Audi iterum: *In lege Domini voluntas ejus (Psal.* I); hoc est in arca habitare. Hic perfectus est, *qui diligit quod credit,* ut habeat fidem operantem ex dilectione, *quæ mundum vincit* (*Gal.* V; *I Joan.* V). Hæc est arca, in qua nos salvari oportet, quæ ab aquis portari potest, submergi autem omnino non potest, quia hoc mundo utitur quidem ad necessitatem, sed non succumbit ei per cupiditatem. Hoc est quod in psalmo dicitur: *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus. Animalia pusilla*

cum magnis, illic naves pertransibunt (*Psal.* CIII).

Madre enim in nobis est concupiscentia hujus mundi, in qua si quæ delectationes inveniri possunt multis amaritudinibus aspersæ sunt, quæ secundum affectum carnalem deorsum in corde nostro fluunt. Reptilia sunt carnales cogitationes diversorum vitiorum feditate deformes. Quas dum inordinate ad cor nostrum admittimus quasi quibusdam monstruosis reptilibus interiora nostra replemus. Navis est illa arca spiritualis, id est fides nostra, quæ intrinsecus sursum suspensa calcat concupiscentiam mundi. Naves autem dixit propter multas animas. Nam et multæ animæ una anima propter unam fidem et dilectionem, et una fides multæ fides propter multas animas fideles, quomodo dictum est. Fides tua te salvam fecit, et fides mea, et fides illius cum tamen una sit fides catholica. Sola ergo navis fidei mare transit, sola arca diluvium evadit, et nos si salvari cupimus non solum ipsa in nobis sit, sed nos in ipsa oportet maneamus. Et nemo fidens conscientiæ suæ dicat. Quid mihi cum hac arca ? Exsiccatum est in me diluvium carnalis concupiscentiæ. Qui foris est, nescit quid intus agatur ; sed si redierit homo ad cor suum inveniet, ibi tempestuosum salum sævis inundantium passionum et desiderium malorum procellis exagitari, quæ toties animum deorsum mergunt, quoties eum per consensum sibi subjiciunt. In omni enim homine, quandiu in hac vita corruptibili vivit, ubi caro concupiscit adversus spiritum, hoc diluvium est ; vel potius omnis homo in hoc diluvio est, sed boni in eo sunt sicut ii, qui in mari portantur a navibus, mali vero in eo sunt sicut naufragi, qui volvuntur in fluctibus. In bonis quidem aquæ hujus diluvii in hac vita minui incipiunt, et secundum differentiam gratiarum in singulis plus minusve decrescunt, plene tamen nunquam exsiccari potest terra humani cordis, quandiu in hac vita vivunt. Et ideo columba emissa non invenit hic, ubi requiescat pes ejus, sed semper ad arcam revertitur, quia mens pura, dum in hoc mundo nihil reperire potest, ubi affectionis suæ pedem secure figat, diu extra custodiam internæ meditationis morari reformidat ; sed si forte aliquando per cogitationem exiverit, cito quasi columba avolans, et elongans ad solitudinem conscientiæ redit ubique a strepitu exteriori, quasi in arca a fluctibus requiescit. Intelligamus ergo in nobis esse quod fugimus, in nobis esse quo fugere debemus concupiscentiam, et fidem. Concupiscentiam quam fugere debemus ; fidem, quam debemus apprehendere. De concupiscentia ascendere, ut illam proficiendo relinquamus ; per fidem ascendere, ut illam tenendo in melius semper proficiamus. Concupiscentia pertinet ad opera conditionis, fides pertinet ad opera restaurationis, quia et illa inordinate amando per concupiscentiam difinimus, et ista pie credendo per fidem solidamur. Et idcirco divina monita toties clamant nobis, et suadent mundum fugere, non utique ut extra cœlum et terram exeamus, sed ut in concupiscentia mundi non maneamus. Quid est non maneamus ? Quis manet in concupiscentia mundi? Qui delectationem animi sui in ea ponit, et ad eam explendam jugiter intendit. Qui de ea assidue cogitat, et propositum animi sui in ea confirmat. Qui eam ex deliberatione sequitur, atque in ea per consensum delectatur. Ideo ergo mundus in sacra Scriptura maledicitur, ideo inimicus Dei appellatur, videlicet non quia substantia mundi mala sit, sed quia pulchritudo mundi animas seducit. Substantia enim mundi fugienda non esset, si concupiscentia mundi mala non esset. Cum ergo concupiscentiam mundi fugimus, ideo fugimus quia mala est, cum vero substantiam mundi fugimus, ideo fugimus non quia mala sed quia occasio mali est. Excogitata enim mundi specie nascitur affectus concupiscentiæ. Proinde, si concupiscentiam mundi declinare volumus, prius necesse est memoriam mundi hujus a cogitatione nostra excludamus. *In meditatione mea* ait Propheta, *exardescit ignis* (*Psal.* XXXVIII). Sicut ignem ligna nutriunt, sic cogitationes desideria pascunt. Si bonæ cogitationes in meditatione fuerint, exardescet ignis charitatis. Sin autem malæ fuerint cogitationes, exardescet ignis cupiditatis. Nam sicut oculus pascitur ex specie, sic animus pascitur ex cogitatione, et turpi quodam commercio impudica mens desiderio suo fruitur, dum quodammodo intus per cogitationem rem concupitam amplexatur. Fit etiam nonnunquam, ut quod frequenter cogitamus otiose, aliquando concupiscamus illicite, reusque facti judicatur, qui per consensum in cogitatione delectatur. Sicut ergo infirmi a quibusdam cibis abstinent, non quia mali sint ipsi cibi, sed quia ipsis ad utendum idonei non sint ; sic et nos terrenarum rerum speciem a cogitationibus nostris arcere debemus, non quia res ipsæ malæ sint, sed ne animus noster, qui ex semetipso infirmatur, ex earum rerum recordatione amplius corrumpatur. Cæterum quantum ad ipsas res pertinet, quia omnis creatura Dei bona est, nulla res est, quæ cogitari non possit sine peccato. Rursumque si pravos affectus attendimus, nulla res est, in qua peccare non possimus cogitando. Nam et de malo bene, et de bono male, et de immundo munde, et de mundo immunde possumus cogitare. Cogitationes enim non ex re de qua surgunt, sed ex affectu quem gignunt, judicandæ sunt. Legimus sanctos viros non solum cogitasse, sed et locutos esse et scripsisse de rebus immundis quod utique non fecissent, si cegitationes rerum immundarum animam inquinarent. Nihil interest, quale sit illud quod cogitatur, sed qualis ex ipsa cogitatione affectus consequatur, quia cogitatio mentem non polluit, ubi delectatio conscientiam non corrumpit. Expedit tamen nobis sicut diximus, ut obliviscamur mundum istum, et deleamus memoriam ejus de corde nostro, ne forte dum frequenter de eo cogitamus, ad ejus concupiscentiam inflectamur. Satis, ut reor, aperte jam demonstratum est, unde hæc infinita, quam patimur, cogitationum nostrarum distractio oriatur, a mundo

videlicet et concupiscentia ejus, hoc est ab operibus A conditionis. Rursumque quid sit illud, per quod colligi possunt in unum cogitationes nostræ, hoc est per opera restaurationis. Et quia, sicut supradictum est, ordo esse non potest, ubi finis non est, superest ut relictis operibus conditionis quæramus ordinem cogitationum nostrarum ibi, ubi finitæ sunt, hoc est in operibus restaurationis; hoc est, quod superius investigare proposuimus, quisnam videlicet cogitationum nostrarum ordo esse deberet, quatenus ex eis spiritualis domus sapientiæ in nobis ædificari possit. Et quia ex rebus cogitationes veniunt, oportet ut ex ordine rerum sumatur ordo cogitationum. Deinceps ergo tractare incipiemus de operibus restaurationis relictis operibus conditionis, de quibus quasi de B quodam subterfluente diluvio egressi sumus, et nunc in opera restaurationis quasi in arcam ingredimur.

Cap. IX. *Quæ sunt opera restaurationis humanæ.*

Igitur opera restaurationis sunt omnia quæ ab initio mundi usque ad finem sæculi facta sunt, vel facienda pro restauratione hominum, in quibus et res gestas, et personas ipsas, per quas, et propter quas, et apud quas gestæ sunt, loca simul, et tempora, ubi et quando gestæ sunt, considerare oportet. In operibus restaurationis tribus modis ordo consideratur, secundum locum, secundum tempus, secundum dignitatem. Secundum locum, ut quid prope, quid longe gestum sit. Secundum tempus, quid prius, quid posterius gestum sit. Secundum C dignitatem, quid humilius, quid excellentius sit. Hoc postremum in multas partes dividitur, quid sanctum, quid sanctius, quid utile, quid utilius, quid honestum, quid honestius, quid pulchrum, quid pulchrius, quid mirabile, quid mirabilius, quid rarum, quid rarius, quid difficile, quid difficilius, quid credibile, quid credibilius, quid magnum, quid majus, quid obscurum, quid obscurius, et si qua sunt talia. Et hic ordo quidem, qui est secundum dignitatem, videtur ad altitudinem arcæ pertinere, ut si dixerimus ea, quæ sancta sunt in prima mansione computari, quæ sunt sanctiora in secunda, quæ vero sanctissima sunt in tertia, et sic de cæteris quæ enumeravimus.

Ordo autem loci, et ordo temporis fere per omnia D secundum rerum gestarum seriem concurrere videntur, et ita per divinam providentiam videtur esse dispositum, ut quæ in principio temporum gerebantur in Oriente, quasi in principio mundi gererentur, ac deinde ad finem profluente tempore usque ad Occidentem rerum summa descenderet, ut ex ipso agnoscamus appropinquare finem sæculi, quia rerum cursus jam attigit finem mundi. Imo primus homo in Oriente, in hortis Eden jam conditus collocatur, ut ab illo principio propago posteritatis in orbem proflueret. Item post diluvium principium regnorum et caput mundi in Assyriis, et Chaldæis, et Medis in partibus Orientis fuit. Deinde ad Græcos venit, postremo circa finem sæculi ad Romanos in Occidente, quasi in fine mundi habitantes, potestas summa descendit.

Atque ita serie rerum ab Oriente in Occidentem recta linea decurrente, ea, quæ a dextris vel a sinistris, hoc est ad aquilonem vel ad austrum gesta sunt, ita suis significationibus respondent, ut si quis diligentius consideraverit, per divinam Providentiam ita disposita esse ambigere non possit. Verbi gratia ut de multis pauca dicamus. Ægyptus ab Hierusalem ad austrum est, Babylon vero ad aquilonem. Ægyptus interpretatur *tenebræ*, et auster ventus est calidus. Designat ergo Ægyptus mundum istum in tenebris ignorantiæ, et calore carnalis concupiscentiæ positum. Babylon autem interpretatur *confusio*, et significat infernum, ubi nullus ordo est, sed sempiternus horror inhabitans. Legimus autem, quod ille antiquus Hebræorum populus prius in Ægypto in luto et latere servivit, ac deinde multis annis intercurrentibus captivus in Babylonem abductus est. Quod factum quid aliud nobis innuit, quam totius humani generis casum? quod propter peccatum originale a cœlesti patria exsulando, prius in hac vita mortali, per ignorantiam et concupiscentiam subditur vitiis, ac deinde post hanc vitam apud inferos captivatur in tormentis, hoc est in Babylone, ad aquilonem scilicet, ubi ille primus apostata angelus sedem posuit.

Igitur ordo dignitatis ad altitudinem arcæ pertinet, ordo temporis ad longitudinem arcæ, ordo loci ad altitudinem simul et longitudinem. Ad longitudinem arcæ pertinet: *Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, similiter et circa horam tertiam, et sextam, et nonam, et undecimam* egressus, *et* videns *alios stantes* misit eos *in vineam suam* (*Matth.* XX). Ad latitudinem arcæ pertinet: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verbo eorum* (*Psal.* XVIII). Ad altitudinem arcæ pertinet. *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini* (*Psal.* CXXI). Et ne per singula eundo moras innectam, breviter tibi dicam quod dicendum est. In his tribus dimensionibus omnis divina Scriptura continetur. Historia enim longitudinem arcæ metitur, quia in serie rerum gestarum ordo temporis invenitur. Allegoria latitudinem arcæ metitur, quia in participatione sacramentorum constat collectio populorum fidelium. Tropologia altitudinem arcæ metitur, quia in profectu virtutum crescit dignitas meritorum. Possumus adhuc, si volumus, aliter altitudinem arcæ distinguere, ut doctrina multiplex fiat manente eadem veritate. Nam ad hoc admonitum lectorem esse volumus, sæpe nos eadem rem in hoc tractatu diversis modis protulisse, propter affluentem doctrinæ exercitationem, ut omnem scientiæ viam prudens animus experiatur, hoc tantum observato, ut nihil quod veritati contrarium sit, aut sentiatur aut dicatur. Sicut ergo arca in tres mansiones distinguitur ita etiam opera restaurationis in tres ordines distinguuntur. In primo ordine quasi in prima mansione est umbra. In secundo ordine

quasi in secunda mansione est corpus. In tertio ordine quasi in tertia mansione est spiritus, vel, si mavis hoc modo dicere. Figura, res, veritas, ut idem intelligas esse umbram et figuram, idem corpus et rem, idem spiritum et veritatem. Unde umbra dicuntur illa, quæ ante adventum Christi sub lege naturali, et sub scripta lege corporaliter et visibiliter gesta sunt ad præfiguranda ea, quæ nunc post adventum Christi in tempore gratiæ corporaliter et visibiliter geruntur, quæ ideo umbra dicuntur, quia corporalia erant et figura corporalium. Corpus vocantur ipsa nostra sacramenta, quæ nunc in ista Ecclesia visibiliter geruntur. Spiritus autem est id quod gratia Dei sub visibilibus sacramentis invisibiliter operatur, verbi gratia (ut unum exemplum ponamus) : Mare Rubrum præfiguravit baptisma, quod nunc in sancta Ecclesia consecratur. Ipsum autem baptisma visibile significat emundationem criminum, quam Spiritus sanctus sub sacramento, quo corpora unguntur, invisibiliter in animabus operatur. Mare Rubrum igitur umbra et figura est; baptisma autem aquæ visibilis, quod nunc habemus, corpus et res ; emundatio vero peccatorum spiritus et veritas. Est adhuc, et alius modus, de quo superius locuti sumus, per quem altitudinem arcæ distinguere possumus. Opera enim restaurationis partim per homines, partim per angelos, partim per semetipsum operatus est Deus. In prima ergo mansione collocamus opera hominum. In secunda mansione opera angelorum. In tertia mansione opera Dei. Vel moraliter, prima mansio est fides, secunda mansio est spes, tertia mansio est charitas. Vel secundum anagogem, prima mansio est cogitatio recta, secunda mansio est meditatio provida, tertia mansio est contemplatio clara. Vel secundum operationem, prima mansio est scientia, secunda mansio est disciplina, tertia mansio est bonitas. Vel secundum status differentes, prima mansio est natura, secunda mansio est lex scripta, tertia mansio est gratia. Hæc enim tria si secundum tempus considerantur, longitudinem arcæ metiuntur, si secundum dignitatem discernuntur, altitudinem arcæ distinguunt, quia sicut tempore se subsequuntur, ita dignitate se præcedunt.

Quæ est ergo hæc arca, de qua tam multa dicuntur, et in qua tam multiplices viæ scientiarum continentur? Nunquid putas est labyrinthus? Non labyrinthus, nec labor intus, sed requies intus ; unde hoc scio ? Quia ille in ea habitat, qui dicebat: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos, et invenietis requiem*

A *animabus vestris* (*Matth.* I). Si enim labor est ubi ipse est, quomodo requiem inveniunt qui ad eum veniunt ? Nunc vero *in pace factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium et bellum* (*Psal.* LXXV) ; unde omnis strepitus, et tumultuatio longe abest, et ubi gaudium, et pax, et requies semper præsens est. Qualis ergo est hæc arca ? vis scire qualis ? Sustine me ut de multis pauca tibi dicam. Hæc arca similis est apothecæ omnium deliciarum varietate refertæ. Nihil in ea quæsieris quod non invenias, et cum inveneris unum, multa tibi patefacta videbis. Ibi universa opera restaurationis nostræ a principio mundi usque ad finem plenissime continentur, et status universalis

B Ecclesiæ figuratur. Ibi historia rerum gestarum texitur, ibi mysteria sacramentorum inveniuntur, ibi dispositi sunt gradus affectuum, cogitationum, meditationum, contemplationum, bonorum operum, virtutum et præmiorum. Ibi quid credere, quid agere, quid sperare debeamus ostenditur. Ibi forma vitæ hominis, et summa perfectionis continetur. Ibi elucent occulta, ibi operosa apparent facilia, et quæ per se videri poterant minus congrua, in ordine suo considerata probantur idonea. Ibi quoddam universitatis corpus effingitur, et concordia singulorum explicatur. Ibi alter quidam mundus huic prætereunti et transitorio contrarius invenitur, quia ea quæ in hoc mundo per diversa tempora transeunt, in illo mundo quasi in quo-

C dam æternitatis statu simul consistunt. Ibi præteritis præsentia non succedunt, nec præsentibus futura superveniunt, sed quidquid ibi est, præsens est, propter quod et ibi manent, et semper permanent, et semper gaudent, nihil dolentes præteritum, nihil timentes futurum, habentes quod diligunt, videntes quod concupiscunt, et ideo fortassis, dixit Apostolus : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* VII), forma hujus mundi, species hujus mundi, pulchritudo hujus mundi, qui est alter mundus, cujus figura non præterit, cujus forma non transit, cujus species non marcescit, cujus pulchritudo non deficit. Ille mundus in isto mundo est, et iste mundus illo mundo minor est, quia ille capit quem capere iste non potest. Istum

D mundum vident oculi carnis, illum mundum intrinsecus contemplantur oculi cordis. In isto mundo habent oblectamenta sua homines, in illo mundo ineffabiles sunt delectationes. In hoc mundo currunt homines, et plaudunt ad spectacula vanitatis, in illo mundo per æternum silentium exercentur, et jucundantur mundi corde in contemplatione veritatis. Quam, etc.

DE ARCA NOE MYSTICA.

CAPITULA.

Cap. i. *De arcæ igitur descreptione ut* supra.

Primum ad mysticam arcæ Noe descriptionem, in planitie ubi arcam depingere volo, medium centrum quæro, et ibi fixo puncto parvam quadraturam æquilateram ad similitudinem illius cubiti, in quo consummata est arca, ei circumduco. Itemque illi quadraturæ aliam paulo majorem circumscribo. Ita ut id spatium, quod est inter exteriorem et interiorem quadraturam, quasi limbus cubiti esse videatur. Hoc facto in interiori quadratura crucem pingo, ita ut cornua ejus singula latera quadraturæ attingant, eamque auro superduco. Deinde spatia illa, quæ in superficie quadraturæ inter quatuor angulos crucis et quadraturæ remanent, colore vestio, duo superiora flammeo, et duo inferiora sapphirino. Ita ut medietas una cubiti in flammeo colore ignem, et altera medietas in sapphirino colore nubem repræsentare videatur. Post hæc in limbo cubiti supra crucem scribo α, quod est principium. Econtrario subiter crucem scribo ω, quod est fininis. Ad dextrum cornu crucis scribo χ, quæ littera prima ponitur in nomine Christi, et significat Decalogum legis quæ antiquo populo primum quasi electo et justo ad dexteram collocato data est. Ad sinistrum autem cornu pono c, quæ est ultima in hoc nomine Christi, (7) et significat in centum perfectionem gratiæ, quæ data est gentilitati, quæ primum propter infidelitatem abjecta, et ad sinistram collocanda videbatur. Deinde spatium limbi circumquaque purpureo, et viridi colore induo, exterius purpureo, et interius viridi, et in medio crucis aureæ, quam feceram, agnum anniculum stantem pingo. Quo facto perfectus est cubitus. Cujus rei rationem si quæris, quid aliud hæc scriptura tibi dicere videtur, nisi quod principium et finis sit Christus lator Legis Veteris et Novæ? Et A pictura quid tibi ostendit aliud, quam si diceret, iste cubitus eumdem significat populum, quem columna ignis et nubis protegebat, quæ populum Israel in deserto præcedebat, illuminans per ignem et per nubem obumbrans. Et qui priori populo per ignem divinæ majestatis terribilis fuit puniendo peccata, et posteriori populo per nubem humanitatis mitis apparuit, condonando peccata qui pro peccatis hominum in cruce est immolatus quasi agnus mitis et non aperiens os suum, et pro justitia hominum resurgendo, et ascendendo super cœlos est exaltatus. Qui undique ad se venientibus per purpuram sanguinis exemplum passionis suæ proponit, et in viridi colore immacescibile præmium supernæ remunerationis. Vel B in purpura, sanguinem passionis Christi sanctificat, et in viridi colore aquam, qua mundum olim judicavit. Vel in purpura damnationem malorum, quos juste reprobavit, in viridi colore liberationem bonorum, quos juste et misericorditer salvabit. Qui stat quia invitat, stat quia confortat, stat quia adjuvat, stat quia coronat, stat quia vigilat ut custodiat civitatem suam. Ita medio cubito consummato aliam quadraturam circa prædictum centrum longe extra circumduco, et tantæ magnitudinis, quantæ magnitudinis arcam facere volo, quæ quadratura sexies, tam longa sit quam lata, quia arca trecentos cubitos in longitudine habuit, quinquaginta in latitudine, hoc est sexies longa ad latitudinem. Ego tamen propter compe- C tentiorem formam in pictura usque ad quadruplam fere longitudinem breviavi. Post hæc per mediam hanc quadraturam, id est per medium fundum arcæ, secundum longitudinem duabus lineis ductis tantæ latitudinis spatium includo, quantæ est interior quadratura medii cubiti. Similiter per mediam latitudinem, ab uno pariete

(7) Ductoris error.

usque ad alterum duabus lineis protensis ejusdem A latitudinis spatium signo. Ita ut hi duo cinguli, quorum alter per mediam longitudinem, alter per mediam latitudinem protenditur, altrinsecus esse intersecante in modum crucis sub medio cubito conveniant, et interiori latitudi ipsius respondeant, limbo ejus tantummodo hinc inde excedantur. Hoc ita peracto, spatia quæ inter medium centrum, vel potius medium cubitum, et singulos angulos arcæ interjacent, unumquodque in tria æqualia positis punctis divido, et apposita regula binis punctis coadjacentibus secundum longitudinem, et latitudinem de puncto semper ad punctum circumquaque lineam traho; et ita duas alias quadratas sexies similiter longas ad latitudinem suam efficio, quæ tali proportione a B se distant, ut quantum prima vincit mediam, tantum media vincat tertiam. Inter quas tertia quadratura, quæ minima est, et secundum positionem plani infra alias clauditur, medium cubitum ambit, et duos supradictos cingulos, quorum alter longitudinem, alter latitudinem arcæ metitur, quadrifariam intercidit. Alterum sursum et deorsum. Alterum sinistrorsum et dextrorsum. Deinde secunda tertiam complectitur, et similiter supradictos cingulos intersecat. Deinde alia, quæ in plano extrema est, in alto autem ima, cæteras omnes includit, et quatuor extrema cornua duarum zonarum singulis lateribus, accingens, totas eas intra se comprehendit.

Hoc facto, si nosse cupis quomodo hæc figura C formam arcæ repræsentet, intellige quod de illa zona, quæ per mediam latitudinem arcæ protenditur, fiat columna quadrata æquilatera in medio arcæ erecta, cujus altitudo tanto minor sit latitudine arcæ, quanto minor est ternarius quinario, quia altitudo arcæ erat triginta cubitorum, et latitudo quinquaginta. Si autem scire cupis qua ratione ex ipsa zona columnam fieri intelligendum sit, sic considera. Cubitus ille, qui nunc secundum positionem plani in medio ipsius zonæ affixus jacet sursum elevetur, sic ut ipsam zonam quasi per medium complicando secum sursum trahat, deinde ambæ medietates ejus deorsum pendentes plano ad planum invicem compingantur ut columna erecta videatur. In cujus summitate emineat cu- D bitus ille, qui secundum positionem plani prius in medio ejus jacebat. Nihilque aliud esse intelligatur cubitus ipse, quam columnæ præcisio desuper, et limbus cubiti sit quædam ora sive eminentia facta desuper in capite columnæ ad excipienda tigna circumquaque ab imo surgentia, quæ ipsi columnæ infixa sunt sub eadem eminentia, sub qua etiam summitas tecti consummata est, ad similitudinem imbricis summitatem tectorum excipientis. Et quamvis altitudo columnæ non videatur major esse medietate zonæ, cum facta sit ex ipsa duplicata intelligenda est tamen tanto major esse, quanto majora sunt triginta quam viginti quinque, sed hoc in plano repræsentari non potuit. Rursum cum medietas tantum zonæ altitudinem columnæ teneat, quare ambæ medietates ejus depictæ sint, hæc est ratio.

CAP. II. *De columnæ in arcæ medio erectæ significatione mystica, de lignorum super eam erectione, de mansionibus inter quadraturas lignis infixas designatis, de columnæ supradictæ positione, et de omnium horum mysterio.*

Culumna ista, quæ in medio arcæ erigitur, significat lignum vitæ, quod plantatum est in medio paradisi, id est Dominum Jesum Christum secundum formam humanitatis susceptæ in medio Ecclesiæ plantatum, qui Christus Deus et homo est. Et ideo latus columnæ, quod ad aquilonem respicit, humanitatem ejus significat, quam pro peccatoribus assumpsit ; illud autem, quod ad austrum spectat, divinitatem ejus figurat, qua mentes fidelium pascit. Et hæc est causa, quare in plano bis altitudinem depinximus, quoniam oportebat utriusque lateris superficiem repræsensentari, quod nisi geminata figura fieri non potuit. Statuta igitur columna in medio arcæ, erigantur a singulis angulis tigna usque ad summitatem ipsius, eique sub eminentia extremæ oræ infigantur. Deinde duæ interiores quadraturæ sursum eleventur, quousque utraque secundum suam positionem tignis eisdem ex omni parte orthogonaliter conjungatur extrema quadratura in imo remanente ; et tunc videbis quomodo illud spatium, quod est inter primam quadraturam et secundam, pro prima mansione computetur, quod est inter secundam et tertiam pro secunda et quod est inter tertiam et supremum cubitum pro tertia. Hoc facto completam habes formam arcæ subtus latam, et desuper angustam usque ad mensuram unius cubiti. Supradictæ autem columnæ positio talis est, ut a medio fundo arcæ surgat, et in omnibus mansionibus medium locum obtineat et totam portet fabricam. Cujus mysterium hoc est, columna Christus est, australe latus ejus (quod divinitatem ipsius significat) lignum vitæ vocatur, et ideo viridi colore super ductum est. Aquilonare vero latus (quod humanitatem ejus figurat) liber vitæ dicitur, et hoc sapphirino colore superductum est. Columnæ arca innititur, et Christo innititur Ecclesia sua, quia nimirum stare nullatenus posset, nisi ipse eam sustineret, secundum quod scriptum est in Canticis canticorum : *Quæ est ista, quæ ascendit dc deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?* (*Cant.* VIII). Rursum sicut columna singulorum mansionum altitudinem metitur, sic Christus uniuscujusque virtutem et profectum dispensat. Et sicut columna distinguit stationes, sic Christus pro arbitrio dignationis suæ in sancta Ecclesia dona gratiarum suarum distribuit, alios constituens prophetas, alios apostolos, alios vero evangelistas, et cæteros quoscunque spiritualium donorum participes. Et sicut columna medium ubique tenet locum, sic Dominus Jesus Christus dicit : *Ubicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Si ergo tanta est infirmitas nostra,

ut ascendere non possimus in tertiam vel secundam mansionem, non tamen desperemus, sed congregemur in unum per fidem nominis ejus, et simus saltem in prima mansione, simus in unitate Ecclesiæ, teneamus rectam et inviolatam fidem, et ipse veniet ad nos, ut stet in medio nostrum congratulans bono incœpto nostro, paratus adjuvare et ad altiora erigere, ut sit unus in omnibus, unus inter omnes, unus præ omnibus Dominus Jesus Christus. A

Cap. III. *De zona quæ per medium fundum secundum longitudinem a fine usque ad finem arcæ porrigitur, quomodo Ecclesiam figuret.*

Restat nunc ut ostendamus quid sibi vult zona altera, quæ per medium fundum secundum longitudinem a fine usque ad finem arcæ porrigitur. B Si enim arca Ecclesiam significat, restat ut longitudo arcæ longitudinem figuret Ecclesiæ. Longitudo autem Ecclesiæ consideratur in diuturnitate temporum, sicut latitudo in multitudine populorum. Tunc enim Ecclesia dilatari dicitur, quando numerus credentium augetur, et multi ad fidem colliguntur. Longitudo autem ejus in prolixitate temporum consistit, qua de præteritis per præsentia ad futura se extendit. Tempus autem longitudinis ejus est ab initio mundi usque ad finem, quia sancta Ecclesia in fidelibus suis ab initio cœpit, et usque in finem sæculi durabit. Credimus enim nullum tempus esse ab initio mundi usque ad finem sæculi, in quo non inveniantur fideles Christi. Igitur zona ista, quæ protenditur a fine C usque ad finem arcæ, designat cursum temporis ab initio mundi usque ad finem sæculi. Medietas autem ejus, quæ est superius a capite arcæ usque ad columnam, significat omne tempus ab initio mundi usque ad incarnationem Verbi; altera vero medietas, quæ est a columna deorsum, designat omne tempus ab incarnatione Verbi usque ad finem sæculi. Ideo in superiori medietate a capite arcæ usque ad columnam, scribitur linea carnalis generationis ab Adam usque ad Christum. In altera autem medietate a columna deorsum scribuntur nomina apostolorum a Petro, ac deinceps eo ordine, quo sibi in regimine Ecclesiæ quasi filii spiritales patribus successerunt. Quia enim ab Adam usque ad Christum vetus generatio fuit, quæ D est secundum carnem, ideo cursus temporum in priori parte sæculi per carnalem generationem distinguitur. Quia vero in Christo nova generatio fuit, quæ est secundum spiritum, ideo cursus temporum in posteriori parte sæculi, id est post Christi adventum, per spiritalem generationem determinatur. Has autem generationes tali modo dispono: superiorem medietatem, quæ est a columna sursum, in tres partes æquales divido, et unaquæque tertia sexta pars est totius longitudinis.

Cap. IV. *De quadratura in fronte arcæ designante quatuor mundi partes per litteras nominis Adam scriptionem nominum suorum inchoantes, et de patriarcharum stemmatibus per nominum ipsorum descriptionem ad Adam usque ad Christum; et deinde de Novi Testamenti principibus, et subsecutis sanctis secundum dispositionem et divisionem arcæ, et secundum mundi ætates.*

Hac divisione facta incipio sursum a capite et primum nomen Adam taliter scribo. In ipsa fronte arcæ facio parvam quadraturam ad figurandas quatuor partes mundi, deinde superiori ejus lateri, id est orienti appono A, hoc est primam litteram nominis Adam. Inferiori autem lateri, id est occidenti, appono D, hoc est secundam. Dextero lateri, id est aquiloni, appono A, id est tertiam. Sinistro lateri, id est australi, appono M, id est quartam litteram. In Græco autem singulæ partes mundi ab his litteris incipiunt. Anatole, ανατολη id est oriens, incipit ab *a*, et ideo orienti appositum est A; Dysis Δύσις id est occidens, incipit *a*, *d*, et ideo occidenti appositum est D; Arctos, ἄρκτος id est septentrio, incipit ab *a*, et ideo septentrioni apponitur rursum A; Mesembria, μεσημβρία id est meridies sive auster, incipitur ab *m*, et ideo australi lateri apponitur M. Cujus rei rationem quidam talem tradunt: Dicunt enim quod recte primus parens a quatuor partibus mundi nominis sui elementa contraxit, qui per omnes partes mundi in prole sua diffundendus fuit. Post Adam secundum lineam generationis scribuntur Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Jaret, Henoch, Mathusalem, Lamech, Noe, Sem, Arphaxat, Sale, Heber, Phalech, Reu, Saruch, Nachor, Thare, Abraham, Isaac et Jacob; et hi in prima parte collocantur.

In secunda parte primo scribo Judam, et circa ipsum reliquos patriarchas hinc inde a dextris et a sinistris hoc modo dispono: Incipiens a dextro pariete secundum ordinem generationis, Ruben, quia primogentus fuit, primum scribo; deinde Simeon, deinde Levi. Et hi a dextris Judæ collocantur; hi quatuor filii Liæ fuerunt. A sinistris Judæ similiter secundum ordinem generationis primum scribitur Dan, deinde Nephtalin, hi filii Balæ ancilæ Rachelis. Post Nephthalin ponitur Gad, deinde Aser, hi filii Zelphæ ancilæ Liæ. Deinde Issachar, deinde Zabulon, hi rursum filii Liæ: deinde novissime Joseph, et post eum Benjamin, hi filii Rachel. Post hæc singulis nominibus suas imagines superpono semiplenas, a pectore sursum, quales nonnunquam in tabulis solent figurari, quas Græci frequentiori Iconas εἰκόνας vocant, ut sic duodecim patriarchæ secundum latitudinem per transversum in stationibus suis ordinati appareant, quasi quidam senatus Dei civitatis. Deinde reversus ad lineam generationis post Judam pono Phares, Ephrom, Aram, Aminadab, Naasson, Salmon, Booz, Obeth, Isai, David, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Josaphat, Joram, Aazias, Joas, Amazias, Ozias, Joathan, Achas. Et hi sunt in secunda parte.

Deinde in tertia parte secundum ordinem ponuntur Ezechias, Manasses, Amon, Josias, Eliachim, Joachim, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoch, Achin, Eliud, Eleazar, Mathan, Jacob, Joseph. Inter Joseph autem et columnam

scribo, hucusque primus Adam secundum carnem. Post hæc reliquam medietatem, quæ est a columna deorsum, similiter in tres partes æquales divido, has autem ternas partes supra, et ternas infra, designant latera mansionum, ubi intersecant ipsam zonam secundum positionem plani. Igitur facta hac divisione, post columnam primum in ipsa linea Petrum, et circa ipsum a dextris et a sinistris reliquos apostolos, cum suis iconibus, sex a dextris et a sinistris quinque, ut ex una parte columnæ duodecim patriarchæ, et ex altera parte duodecim apostoli sint constituti ad similitudinem viginti quatuor seniorum in Apocalypsi in circuitu throni sedentium. Et sicut duodecim patriarchæ superius latitudinem arcæ continent (quia ab eis antiquus ille populus scriptæ legis universus secundum carnem descendit), ita duodecim apostoli inferius, quia ab eis omnis populus novæ legis, id est gratiæ, per fidem spiritualiter propagatus est. Deinde post Petrum sequitur : Clemens, Anacletus, Evaristus, Alexander, Sixtus, Thelesphorus, Iginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleuterius, Victor, Zepherinus, Calistus, Urbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionysius, Felix, Euthicianus, Gaius, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, Melchiades, Sylvester, Marcus, Julius, Liberius, Felix, Damasus, Siricius, Anastasius, Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cœlestinus, Sixtus, Leo, Hilarius, Simplicius, Felix, Gelasius, Anastasius, Simmaclus, Hormisda, Joannes, Felix, Bonifacius, Joannes, Agapitus, Silverius, Vigilius, Pelagius, Joannes, Benedictus, Pelagius, Gregorius, Sabinianus, Bonifacius, Deusdedit, Bonifacius, Honorius, Severinus, Joannes, Theodorus, Martinus, Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Bonus, Agatho, Leo, Benedictus, Joannes, Conon, Sergius, Joannes, Joannes, Sisinius, Constantinus, Gregorius, Gregorius, Zacharias, Stephanus, Paulus, Stephanus, Adrianus, Leo, Stephanus, Paschalis, Eugenius, Valentinus, Gregorius, Leo, Sergius, Benedictus. Nicolaus, Adrianus, Joannes, Joannes, Martinus, Adrianus, Stephanus, Formosus, Bonifacius, Stephanus, Romanus, Theodorus, Joannes, Benedictus, Leo, Christophorus, Sergius, Anastasius, Lando, Joannes, Leo, Stephanus, Joannes, Leo, Stephanus, Marinus, Agapitus, Joannes, Benedictus, Leo, Joannes, Benedictus, Domnus, Bonifacius, Benedictus, Joannes, Joannes, Joannes, Cregorius, Joannes, Sylvester, Joannes, Joannes, Sergius, Benedictus, Joannes, Benedictus, Sylvester, Gregorius, Clemens, Damasus, Leo, Victor, Stephanus, Benedictus, Nicolaus, Alexandrinus, Gregorius, Victor, Urbanus, Paschalis, Gelasius, Galistus, Honorius. Et quod super est spatium usque ad fidem arcæ illos capiet, qui post nos futuri sunt, usque ad finem sæculi. Ab Adam usque ad diluvium prima ætas sæculi continens annos 1656. Secunda ætas a diluvio usque ad Abraham continens annos 292. Tertia ab Abraham usque ad David habens annos 942. Quarta a David usque ad transmigrationem continens annos 475. Quinta a transmigratione usque ad adventum Christi habens annos 585. Sexta ætas, quæ nunc agitur, nulla annorum serie certa, sed ut ætas decrepita ipsa morte totius sæculi consumenda. Has ærumnosas, plenasque laboribus mundi ætates quicunque felici morte vicerunt, septima jam Sabbati perennis ætate suscepti, octavam beatæ resurrectionis ætatem, in qua cum Domino perenniter regnabunt, exspectant.

Cap. V. *Iterum de trina arcæ divisione secundum longitudinem, qua significantur homines legis naturalis, scriptæ et gratiæ.*

Post hæc arcam in tres partes divido, et primam partem, quæ est ab initio usque ad duodecim patriarchas, tempus naturalis legis accipio. Secundam, quæ est a duodecim patriarchis usque ad columnam, id est usque ad incarnationem Verbi, tempus scriptæ legis. Tertiam, quæ est a columna deorsum, id est ab incarnatione Verbi usque ad finem sæculi, tempus gratiæ. Et secundum has divisiones ipsa etiam latera arcæ utrinque distinguo. Deinde in utroque latere per singulas divisiones ternos colorum tractus duco, ut velut trabes quædam in longum porrectæ lateraliter conjungatur data singulis congrua latitudine. Nam exterior quasi foris apparens latior cæteris esse debet. Post hunc interior medius quasi inter duos coarctatus minimum latitudinis habebit. Horum positio sic variatur, ut ille, qui in prima parte exterior est, in secunda sit medius, et qui in prima parte medius est, in secunda sit interior, et qui in prima parte est interior, in secunda sit exterior. Rursus qui in secunda parte exterior est, in tertia sit medius, et qui in secunda est medius, in tertia sit interior, et qui in secunda est interior, in tertia sit exterior. Cujus rei mysterium hoc est : Tres colores isti significant tres maneries hominum, id est homines naturalis legis, homines scriptæ legis, homines gratiæ. Nam sicut tria tempora sunt, id est tempus naturalis legis, tempus scriptæ legis, et tempus gratiæ, ita tres sunt maneries hominum, id est homines naturalis legis, homines scriptæ legis, homines gratiæ. Homines naturalis legis pertinent ad tempus naturalis legis. Similiter homines scriptæ legis pertinent ad tempus scriptæ legis et homines gratiæ ad tempus gratiæ. Et tamen si diligenter attendimus, in singulis his temporibus omnes istas maneries hominum invenimus. Verbi gratia : In tempore naturalis legis, et similiter homines scriptæ legis, et homines gratiæ tunc erant, sed homines naturalis legis tunc erant in proprio, homines scriptæ legis et homines gratiæ, quasi in alieno. Tempus enim naturalis legis proprie pertinet ad homines naturalis legis, quia illi tunc et numero plures, et conversatione manifestiores, et statu excellentiores erant. Homines autem scriptæ legis et homines gratiæ adhuc erant et numero pauci, et conversatione occulti exstiterant. Similiter de tempore scriptæ legis, et tempore gratiæ sciendum. Exponamus igitur nunc, qui dicantur homines naturalis legis, scriptæ legis et gratiæ, ut quod de his

dicimus ex proposita distinctione singulorum facilius colligamus. Natura tribus modis in sacra Scriptura accipi solet, pro illo scilicet integro et incorrupto bono, in quo conditus fuit primus homo, secundum quam acceptionem dicimus omnia naturaliter esse bona. Deinde pro illa corruptione peccati, in qua nascitur, secundum quam, dicit Apostolus : *Natura filii iræ sumus (Ephes.* II), id est corruptibili nativitate et peccato obnoxia. Accipitur etiam natura pro reliquiis illis naturalis boni, quæ in homine post peccatum remanserunt. Naturale enim bonam per peccatum in homine corrumpi potuit, exstingui omnino non potuit, quia vivit adhuc scintilla quædam naturalis rationis in mente hominis, per quam discernit inter bonum et malum, secundum quam dicit Apostolus : *Cum enim gentes, quæ non habent legem, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex* (*Rom.* II). Igitur homines naturalis legis sunt qui, aliam legem non habentes, per naturalem rationem mores et vitam suam instituunt. Vel homines naturalis legis sunt, qui secundum corruptionem peccati, cum qua nati sunt, in concupiscentia ambulant post desideria carnis suæ: homines vero scriptæ legis sunt, in quibus major viget cognitio, qui ex traditionibus Scripturarum, et ex præceptis, quæ recta et bonesta sunt, formam vivendi accipiunt. Homines autem gratiæ dicuntur, *in quorum cordibus diffusa est charitas per Spiritum sanctum, qui datus est eis* (*Rom.* V), per quem illuminantur, ut quid agendum sit agnoscant et adjuvantur, ut adimplere valeant bonum, quod intelligere meruerunt. Ex his colligere possumus, qualiter in tempore legis omnes istæ tres maneries hominum fuerint. Erant enim homines tunc justi pauci quidem, et pene adhuc mundo incogniti, quos Deus per Spiritum sanctum ad amorem sui accenderat, quibus etiam sæpe visibiliter apparens, et mutuis se collocutionibus familiarem præstans viam veritatis, et loquendo foris, et intus aspirando patefecit. Isti homines gratiæ erant. Erat rursus aliud genus hominum, qui justos istos familiarius noverunt, vel ex affinitate generis vel ex propinquitate conversationis, qui cum ex dictis eorum, et factis multa exempla ad justitiam et disciplinam morum pertinentia didicissent, non ad virtutem, sed ad quamdam vitæ hujus honestatem eos imitati sunt. Tales erant omnes religiosorum virorum mali filii, vel affines, sive etiam quicunque familiares, qui disciplinam eorum non per amorem, sed per quamdam vivendi consuetudinem tenuerunt, et ejusmodi quasi homines scriptæ legis erant. Reliqua humani generis multitudo nec præceptionibus divinis, nec humanis institutionibus regebatur, sed erat lex unicuique sua voluntas, et dum impune licuit quidquid placuisset, hoc potissimum quisque sequebatur, quo cum naturalis motus, sive carnis ad concupiscentiam, sive rationis ad quamdam formam justitiæ impellebat. Et ideo non immerito isti homines naturalis legis appellantur, qui tantum regebantur naturali motu sive concupiscentiæ, sive rationis. Concupiscentia autem, sicut supra narratum, est, ideo naturalis dicitur, quia in illa concipitur, et cum illa nascitur homo. Ratio vero ideo naturalis appellatur, quia illam ex prima adhuc conditione retinet homo. Illa igitur naturalis est conditione, ista nativitate. Illa naturalis est, quia eam cum primum conderemur accepimus; ista naturalis, quia illam cum nasceremur in hanc vitam nobiscum et in nobis apportavimus. Tales homines habebant prima tempora sæculi, quando lex non erat, quæ peccata puniret, et libere peccabant homines, nec abscondebant peccata sua, quibusdam peccata prorsus esse non credentibus, aliis autem peccata quidem agnoscentibus, sed levia, et facili piaculo solvenda existentibus. Sed postquam lex subintravit et ostendit hominibus peccata sua, simulque arguit, prohibuit, pœnam indixit, cœperunt homines abscondere peccata sua, et quædam opera virtutum foris exhibere, non ut implerent justitiam, sed ut vitarent pœnam, sicque multiplicati sunt homines scriptæ legis. Homines vero paucissimi naturalis legis effecti sunt; homines vero gratiæ aliquanto manifestiores esse cœperunt, quam prius fuerant, quia lex bona, per hoc quod homines ad justitiam invitavit, justorum vitam clariorem reddidit. Adveniente autem gratia (postquam rigor legis in misericordiam mutatus est), rursus multiplicantur homines naturalis legis, dum jam palam sectantur vitia sua, qui prius timore pœnæ coerciti latuerunt, homines vero scriptæ legis minuuntur. Tamen hoc tempus ideo tempus gratiæ appellatur, quoniam nunc homines gratiæ, quamvis non sint numero plures, tamen sunt statu excellentiores, quia veritas a paucis quidem tenetur, sed ab omnibus fere cognoscitur, et communi omnium judicio antefertur. Et jam palam est quod « homo non ex operibus legis, sicut olim existimabatur, sed ex gratia Dei justificatur. » Cujuscunque igitur temporis homines naturalis legis sunt aperte mali, homines autem scriptæ legis ficte boni, homines vero gratiæ vere boni. Homines naturalis legis partim sunt extra Ecclesiam, sicut infideles quique, partim in Ecclesia, sicut ii qui solam fidem habent absque operibus, sed nullo modo de Ecclesia sunt, quia boni non sunt. Homines scriptæ legis tantummodo in Ecclesia sunt, quia fidem habent, sed de Ecclesia non sunt, quia boni non sunt. Soli autem homines gratiæ in Ecclesia sunt, et de Ecclesia sunt, quia et fidem habent, et boni snnt. Hoc significare volunt illi tres tractus colorum, quos in lateribus arcæ ordinavimus, viridis, croceus, purpureus. Viridis color, qui in tempore naturalis legis forinsecus jacet, significat homines naturalis legis, qui tunc manifestiores erant, qui in compositione arcæ est, sed arcæ similis non est, sed foris cum terra similitudinem habet. Arca enim, quæ in superficie intrinsecus secundum diversitatem mansionum variis coloribus vestita est, in ea tantum parte ubi homines naturalis legis interius collocantur viridi colore obduci non

debet, neque croceo ubi homines scriptæ legis intrinsecus sunt, sed ubi homines gratiæ interius ponuntur, purpureum oportet ut habeat colorem, quatenus hic solum similitudo utrinque respondeat interius, quemadmodum hominibus naturalis legis superficies terræ per colorem viridem concordat intrinsecus. Croceus vero color in tempore naturalis legis intrinsecus collocatus est, quia significat homines scriptæ legis, qui secundum prophetæ sententiam *nutriebantur in croceis* (*Thren.* IV), qui tunc occulti erant, et hic in arca quidem situs est, sed nec arcæ, nec terræ similis est, quia ficte boni nec per opera foris infidelibus, nec per virtutem intus fidelibus similes sunt. Purpureus autem color in tempore naturalis legis quasi coarctatus in medio utrorumque jacet, quia propter regium decus significat homines gratiæ, qui tunc occultissimi erant. Qui color in arca est et positione et similitudine, quia homines gratiæ et fidem habendo in ecclesia sunt, et vitutem habendo boni sunt. Positio istorum colorum in cæteris temporibus secundum quod significatio postulat variatur. Item homines naturalis legis sunt, qui solam fidem habent mortuam sine operibus. Homines scriptæ legis sunt qui fidem habent et opera fidei, sed charitatem non habent. Soli autem homines gratiæ fidem habent operantem ex dilectione.

CAP. VI. *De trina arcæ secundum latitudinem divisione, qua supradicti homines significantur, et de trabibus ibidem positis.*

Dehinc ad latitudinem manum verto et incipiens sursum a dextro cornu usque ad lineam generationis geminas trabes porrigo, et ab inde sursum, id est a linea generationis usque ad sinistrum cornu, similiter duas signo, easdem quidem sed transpositas. Deinde vero a dextro cornu in sinistrum continuo ductu sine transpositione duas ibidem trabes protendo. Hoc modo lateribus secundum longitudinem et latitudinem compositis inscriptiones eorum taliter distinguo : In dextro latere a fine usque ad finem scribo, trecentorum cubitorum erat longitudo ejus. Econtrario in sinistro latere in parte prima pono tempus naturalis legis, in secunda tempus scriptæ legis, in tertia tempus gratiæ, ut quasi primus centenarius sit tempus naturalis legis secundus tempus scriptæ legis, tertius tempus gratiæ. In superiori parte a dextro latere usque ad sinistrum scribo, quinquaginta cubitorum latitudo ejus. Econtrario in inferiori latere quasi expositionem hujus tituli scribo, universitas fidelium sub uno capite Christo. In superiori quoque cornu super capita duarum trabium, quæ in longitudinem vadunt, pono mons Sion, in sinistro, latera aquilonis, subtus contra medium, civitas Regis magni. Dextræ namque trabes geminæ significant montem Sion, hoc est populum Judæorum introque sexu; et sinistræ latera aquilonis, hoc est populum gentium similiter in utroque sexu ad fidem concurrentium; et unam civitatem Dei, hoc est Ecclesiam, ex utroque facientum. Propterea in superiori latere et transpositio trabium et divisio titulorum facta est, inferius autem et ductus unus, et titulus unus, quia hi duo populi in seipsis divisi fuerant, in fide postmodum Christi unum facti sunt. Deinde in dextro cornu superius capitibus trium trabium, quæ in longitudinem porriguntur, per transversum superscribo homines, postea in sinistro cornu quasi hujus tituli determinationem, exteriori quidem trabi in capite ascribo naturæ, interiori autem suppono legis, mediæ vero gratiæ; hoc significare volens quod istæ tres trabes utrinque positæ singuificant homines naturalis legis, scriptæ legis et gratiæ, de quibus superius locuti sumus.

CAP. VII. *De inscriptionibus trium mansionum arcæ, et de distinctione ejusdem, quæ secundum altitudinem est, et de duodecim scalis, quibus ad easdem ascenditur.*

Inscriptiones mansionum tales sunt : in dextro latere primæ mansioni inscribitur fides, secundæ mansioni spes, tertiæ mansioni charitas. In sinistro latere primæ mansioni inscribitur scientia, secundæ mansioni inscribitur disciplina, tertiæ bonitas. In superiori latere primæ mansioni inscribitur natura, secundæ lex, tertiæ gratia. In inferiori latere primæ mansioni inscribitur recta secundæ utilis, tertiæ necessaria. Quatenus hæc ultima dispositio supradictis singulis respondeat sic habe, recta fides, utilis spes, necessaria charitas. Item recta scientia, utilis disciplina, necessaria bonitas. Item recta natura, utilis lex, necessaria gratia. Sunt aliæ differentiæ adhuc, quibus altitudo arcæ distinguatur. Prima mansio sunt conjugali, secunda continentes, tertia virgines. Vel ita : Prima mansio utentes mundo, secunda fugientes mundum, tertia obliti mundum. Vel ita · Prima mansio sunt repentia, secunda ambulantia, tertia volantia. Item per singulos angulos ascendentibus a rigore orientis, id est a superbia, prima mansio est timor, secunda est dolor, tertia est amor. Ascendentibus a colore occidentis, id est a concupiscentia carnis prima mansio est patientia, secunda misericordia, tertia compunctio. Ascendentibus a frigore occidentis, id est ab ignorantia, prima mansio est cognitio, secunda est meditatio, tertia est contemplatio. Ascendentibus a calore orientis, id est a spiritus fervore, prima mansio est temperantia, secunda prudentia, tertia est fortitudo. Ideo per quatuor angulos arcæ erectæ sunt sursum duodecim scalæ, per singulos angelos tres, in unaquaque mansione quatuor, in singulis angulis singulæ; et unaquæque scala decem passibus distinguitur, qui simul sunt centum viginti, id est sexaginta et sexaginta. Per quos ascendunt ad supremum cubitum quasi ad Deum viri et mulieres sexaginta et sexaginta, alternatim per singulas scalas quasi sexaginta fortes qui *ambiunt lectulum Salomonis (Cant.* III), *et sexaginta reginæ* (*Cant.* VI), quæ scandunt ad amplexum Salomonis; per duodecim scalas, id est per apostolicam doctrinam, per decem tramites, id est per decem præcepta legis, a quatuor angulis mundi fide Trinitatis imbudi et

doctrina evangelica.

A frigore orientis sursum scripti sunt triginta libri divinæ paginæ per ordinem in singulis mansionibus decem,hoc est ad singulos passus singuli in latere scalarum deforis ordinati,et unusquisque librorum exterius tribus gradibus distinguitur, propter triplicem intelligentiam,id est historiam, allegoriam,tropologiam.Ex altera parte scalarum ab eodem angulo sursum scribitur ad primam quidem scalam : Hic ascendunt timentes gehennam, vocante Isaia et dicente : *Vermis eorum non morietur,et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI). Ideo autem hoc de Isaia dicitur,quia iste in ista scala supremus librorum est, cujus finis talis est. Et hic versus extrinsecus per singulos passus,tribus gradibus distinguitur propter tria, quæ in Ezechiele dicuntur, quæ sunt lamentatio,carmen et væ. Lamentatio pertinet ad præsentem miseriam,carnem ad futuram gloriam,væ ad gehennam.Et oportet ut qui per timorem proficiunt, non solum gehennam timeant, sed et de præsenti miseria doleant, et futuram gloriam diligant. Sed tamen in hac scala timor principalis est.In secunda scala scribitur sic : Hic ascendunt lugentes præsentis vitæ exsilium, propter vasa domus Domini, quæ captiva ducuntur in Babylonem. Hoc ideo dicitur, quia in fine libri Paralipomenon (qui in illa scala est supremus) hoc narratur. Et hic versus similiter per singulos passus tribus gradibus distinguitur, propter supradicta tria, sed hic dolor est principalis.In tertia scala sic scribitur : Hic ascendunt suspirantes ad patriam, suspensi ad reditum Sponsi,et dicentes : *Veni, Domine Jesu Christe* (*Apoc.* XX).Item a frigore occidentis sursum scribuntur libri idem triginta, scilicet qui in priori angulo dispositi sunt, per singulas mansiones decem,quatenus hi duo anguli ordine librorum distincti respondeant Aquilonari lateri columnæ,quod liber vitæ appellatum est. De cujus rei mysterio postea latius tractabimus. Et sicut supra factum est, ita hic quoque singulos libros ternis gradibus secundum ascensum distinguimus.Ex altera vero parte scalarum ab eodem angulo sursum scribo ad primam scalam sic : Hic ascendunt hi qui per ignorantiam primam cognitionem Dei in creaturis accipiunt, docente Scriptura et dicente : *In principio fecit Deus cœlum et terram (Gen.* I). Quia Genesis in hac scala primus liber est. Hic versus autem ab imo sursum distinguitur tribus gradibus, quod significat tria in operibus Dei admiranda,videlicet immensitatem, pulchritudinem, utilitatem. Immensitas ad potentiam,pulchritudo ad sapientiam, utilitas ad benignitatem pertinet. Quæ si quis plenius nosse voluerit, inspiciat tractatum,quem fecimus,cui titulus est de tribus diebus.In secunda scala sic scribitur : Hic ascendunt ii qui ad institutionem recte vivendi meditationi divinæ legis invigilant, audientes Scripturam dicentem : *Ego constitui te ut evellas, et destruas, et disperdas,et dissipes et ædifices,et plantes* (*Jerem.*I). Hoc in Jeremia invenitur,qui primus in hac scala

A est. Hic autem versus foris duobus gradibus distinguitur, propter duo quæ necessaria sunt ad recte vivendum, quæ Psalmista commemorat,dicens: *Declina a malo,et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). In tertia scala sic scribitur : Hic ascendunt ii qui interiori oculo emundato internæ visionis lumen contemplari sitiunt,quasi de Babylone ascendentes ad Jerusalem (*I Esdr.* IV). Quod scilicet in Esdra legitur, qui primus in hac scala est. Hic autem versus distinctionem non habet, sed unus ductus coloris ab imo sursum trahitur, quia contemplatio uniformis est, et simplex.

Item a calore occidentis ab imo sursum ex uno latere scalarum trium,uno ductu hic versus scribitur : Hic ascendunt ii qui ab æstu vitiorum ad B lignum vitæ refugiunt,et sub foliis ejus quasi sub umbraculo meridiano a fervore se abscondunt (*Eccli.* XXXIV). Hic autem versus foris ab imo sursum distinguitur septuaginta septem gradibus, id est per singulas scalas viginti sex uno minus. Isti autem gradus significant, quod in Evangelio de remissione peccatorum dicitur : *Septuagies septies* (*Matth.* XVIII).Septem enim universitatem significare solent illius rei,cui apponuntur.Undecim vero transgressionem. Septuaginta septem ergo universam transgressionem significant,quæ hic ascendentibus relaxatur. In altero autem latere primæ scalæ scribitur : Hic ascendunt ii qui per abstinentiam et afflictionem mortificant *membra* sua, *quæ sunt super terram, cum vitiis et* C *concupiscentiis* (*Coloss.* III). Et hic versus quadraginta gradibus distinguitur, qui numerus abstinentiæ signum est. In secunda scala scribitur : Hic ascendunt ii qui *eleemosynis*,et cæteris misericordiæ operibus priora *peccata* redimunt (*Dan.*IV).Et iste versus quadraginta sex gradibus distinguitur,quia eleemosyna abstinentiæ juncta, quasi sex cum quadraginta,perfectum opus facit. In tertia scala sic scribitur.Hic ascendunt hi qui contriti cordis et spiritus contribulati juge sacrificium Deo in odorem suavitatis offerunt (*Psal.*L). Et hic versus quinquaginta gradibus distinguitur, qui numerus signum est remissionis et libertatis, quia ex quo homo hæc tria exercet, id est abstinentiam, eleemosynam, compunctionem, statim D absolutionem peccatorum suorum, et sancti Spiritus consolationem in primordia veræ libertatis inveniet. A calore orientis, qui est ultimus angulus revertentibus,et discedentibus primus,ab imo sursum uno tractu scribitur ? Hic ascendunt ii qui non jam de malo ad bonum transeunt,sed de bono in melius proficiunt,quos lignum vitæ fructu suo pascit et provehit. Hic versus in prima scala triginta gradibus distinguitur propter primum ordinem fidelium,qui sunt in Ecclesia sancta,qui sunt conjugati, qui in Evangelio triceno fructu significantur.In secunda scala distinctio fit sexaginta graduum, qui numerus ad continentes pertinet. In tertia centum, qui numerus ad virgines pertinet, quibus nihil altius,quia cœlibem et cœlestem vitam ducunt.In altero autem primæ scalæ latere ascriptus est hic versus : Hic ascendunt

licite utentes mundo quasi reptilia in arca, et filii Israel in campo edentes, et bibentes, et videntes a longe gloriam Dei. Hic versus quinque et semis gradibus distinguitur propter bonam operationem minus perfectam, cujus perfectio in pleno senario significatur, quam necdum isti apprehendere possunt. In secunda scala scribitur : Hic ascendunt obliviscentes et fugientes mundum quasi quadrupedia jam ambulantia in arca, et Aaron cum senioribus filiorum Israel in ascensu montis. Hic autem versus sex gradibus distinguitur propter perfectionem operis, ad quam isti jam promoti sunt. In tertia scala sic scribitur : Hic ascendunt obliti mundum quasi volatilia in arca, et Moyses solus super verticem montis in nube cum Domino, hic autem versus septem gradibus distinguitur, quia tales cum perfectione operis habent et requiem mentis. Sciendum autem quod isti gradus forinsecus semper versibus ascribendi sunt, ut inter gradus et scalas versus ipsi sursum protendantur, et variis coloribus distinguendi. Nos ad significandam historiam viridem colorem posuimus, ad tropologiam croceum, ad allegoriam cæruleum.

Cap. VIII. *De supradictis scalis moralis repetitio.*

Nunc revertamur ad scalarum allegoriam. Ascendentibus a frigore orientis prima scala est timor, secunda dolor, tertia amor. Ascendentibus a frigore occidentis, prima scala est cognitio, secunda meditatio, tertia contemplatio. Ascendentibus a calore occidentis, prima scala est patientia, secunda misericordia, tertia conpunctio. Et istæ tres scalæ justitiam perficiunt. In quarta scala sequuntur reliquæ tres quaternarum virtutum. Ascendentibus autem a calore orientis prima scala est temperantia, secunda prudentia, tertia fortitudo. Sunt etiam singulæ virtutes istæ in suis locis depictæ. Quatuor angulos respondere facimus quatuor partibus mundi, a quibus colliguntur ii qui ad præmium supernæ remunerationis ascendunt, electi Dei, a calore orientis, a frigore orientis, a calore occidentis, a frigore occidentis. Calor orientis est fervor spiritualis, frigus orientis est timor superbiæ. Calor occidentis concupiscentia carnis, frigus occidentis, cæcitas ignorantiæ. In calore orientis creatus fuit primus homo, postea superbiendo transivit ad frigus orientis quasi ad Aquilonem ad consortium diaboli. Deinde per concupiscentiam carnis cecidit ad calorem occidentis, et per ignorantiam ad frigus occidentis. Sicque per quatuor partes mundi diffusus est et dissipatus. Cum autem colligitur et revocatur, primum de quatuor partibus mundi ad arcam, id est Ecclesiam, accedit, et inde sursum ascendens paulatim se in unum colligit, quousque ad summum perveniat. Ubi autem primum cecidit, ibi primum ascendit, id est in frigore orientis, et ibi calcat caput serpentis, id est superbiam. Postea ascendit a calore occidentis, et ibi calcat ventrem serpentis, id est concupiscentiam. Postea ascendit a frigore occidentis, et ibi calcat pectus serpentis, id est ignorantiam. Postea

A revertitur ad calorem orientis, ubi creatus fuit, et inde ascendens totum serpentem complicatum deorsum premit, ita ut in singulis scalis qui ultimus est, ascendentium serpentem pede utrumque stipitem scalæ amplexum sic calcare videatur. Duo autem stipites corpus et animam designant, quos serpens amplectitur, quia in utroque adhuc quoquomodo dominatur. Sed ii qui per tramites, id est divina præcepta ascendunt, ubique deorsum serpentem premunt. Sunt etiam in quatuor angulis arcæ quatuor evangelistæ depicti. In frigore orientis leo, ut terreat elatos. In frigore occidentis aquila, ut illuminet cæcos. In calore occidentis vitulus, ut carnem mactet. In calore orientis homo, ut hominem ad originem suam revocet. Per

B librum vitæ, qui ad aquilonem respicit, ascendunt qui a frigore orientis, et qui a frigore occidentis, et propterea utraque parte a summitate inferioris scalæ intrinsecus manus cum volumine aperte deorsum extenditur, ut quasi a libro vitæ veniens, hinc increpet, hinc erudiat. In uno scripta est increpatio. Væ, væ, væ. In altero scripta est eruditio Judæ. *In principio creavit Deus cœlum et terram (Gen.* I), secundum quod significatio ascensionum utriusque exigit. Per lignum vitæ ascendunt, qui a calore orientis, et qui a calore occidentis, propterea in utraque parte de summitate inferioris scalæ ramus tenditur deorsum, hinc habens folia, hinc fructum, ut quasi a ligno vitæ veniens hos pascat, illos obumbret. Virtutes autem

C contra singulas scalas a latere intrinsecus hoc modo depictæ sunt.

Cap IX. *Ascentiones ad virtutes a frigore orientis.*

Primum a frigore orientis timor contra volumen nudus ascendit, exuviis superbiæ deorsum abjectis, propter ignem et vermes, qui sub pede scalæ depicti sunt. In secunda scala depingitur dolor, et juxta eum transmigratio Babylonis incipiens a Joachim, et ita oblique descendens usque ad pedem secundæ scalæ, ibique exiens ab arca in Babylonem, cujus situs in mappa mundi ibidem constat. Juxta tertiam scalam amor pingitur quasi una de virginibus cum ardente lampade et vase olei, expectans adventum sponsi. Singulæ autem virtutes, una manu sursum porrecta, gestum ascendentis exprimunt. In hoc etiam differentia

D attendenda est, quia in scalis ascendunt homines, juxta scalas intrinsecus per campos disponuntur virtutes. In calore occidentis juxta pedem primæ scalæ mulier quædam nuda pubetenus de caverna procedit foliis supradicti rami obumbrata, contra quam a latere incentor vitiorum ignem de ore et naribus emittit, ad exprimendam concupiscentiam. Paulo altius in eadem scala nudus quidam virgis cæditur, ad exprimendam patientiam. In secunda scala quidam eleemosynam largitur, ad significandam misericordiam. In tertia scala quidam in similitudine orantis pectus tundens describitur, ad compunctionem denotandum. Omnes autem virtutes sursum respicere debent, ut pro humana laude nihil fiat. A frigore occidentis juxta pedem primæ scalæ quidam de caverna obvoluta facie

prodiens corruit, et in lapidem offendens, vas quod portat confringit, ad exprimendam ignorantiam, quæ per varios errores animæ integritatem dissipat. Post hæc in eadem scala cognitio erecta pingitur contra volumen, quod deorsum extenta manu porrigitur, et juxta eam fragmenta vasis. In hoc volumine, sicut diximus, scriptum est : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I), quia primo cognitio Dei in creaturis est. In secunda scala meditatio sedens exprimitur, et colligens fragmenta vasis fracti. In tertia scala contemplatio formatur ad similitudinem fabri, conflans eadem fragmenta, ita ut liquefactio per ductum coloris (quem superius juxta versum hujus scalæ sursum porreximus) quasi per fistulam in medium cubitum, quasi in monetam currere videatur. Propter hoc mysterium, quia integritatem animæ, quam ignorantia frangit, cognitio invenit, meditatio colligit, contemplatio per ignem divini amoris liquefaciendo in monetam divinæ similitudinis reformandam fundit.

CAP. X. *Ascensiones a calore et frigore orientis.*

A calore orientis juxta primam scalam pingitur temperantia ad similitudinem patrisfamilias sedentis ad mensam, comedentis et eleemosynam distribuentis, quasi qui licite mundo utatur. In secunda scala pingitur prudentia, in similitudinem peregrini ambulantis quasi qui mundum fugiat. In tertia scala pingitur fortitudo deorsum nube amicta, quasi quæ mundum calcaverit, et in sublime sit elevata sursum erectis manibus. Hoc autem, sicut diximus, observandum est, ut virtutes juxta scalas intrinsecus disponantur, homines autem in scalis per singulos tramites, singuli alternatim viri et feminæ, ut sint sexaginta fortes Israel et sexaginta reginæ. Repetamus nunc breviter numerum et ordinem supradictarum virtutum. In frigore orientis ascendentibus de superbia prima scala est timor, secunda dolor, tertia amor. In calore occidentis ascendentibus a concupiscentia, prima scala est patientia, secunda misericordia tertia compunctio. In frigore occidentis ascendentibus ab ignorantia prima scala est cognitio sive cogitatio, secunda meditatio, tertia contemplatio. In calore orientis ascendentibus non de vitio, sed per virtutem proficientibus, prima scala est temperantia, secunda prudentia, tertia fortitudo, et ibi consummatio vitæ perfectæ est. Primus ascensus, qui est scilicet a frigore orientis, est in affectibus. Secundus, qui est a calore occidentis, est ex operibus. Tertius, qui est a frigore occidentis, est in cogitationibus. Quartus, qui est a calore orientis, est in virtutibus jam dictis. Multa sunt alia, quæ dici possent de his, quæ necessario nos in hoc loco præterire oportet.

CAP. XI. *De ostio arcæ.*

Ostium autem arcæ taliter disponimus. Quia enim columna Christum significat, qui dicit : *Ego sum ostium* (*Joan.* X), columna autem propter prædictas causas quasi bis, id est binis lateribus, in arca præsentata est, ideo in utroque latere columnæ, id est in libro vitæ ad aquilonem et ligno

A vitæ ad austrum deorsum ostium pingimus, et tamen sicut unam columnam utroque latere, ita unum ostium utroque ostio figuramus. Ostium, quod est ad aquilonem, per librum vitæ significat fidem, per quam ab infidelitate ingredimur in Ecclesiam, quod fit per humilitatem Christi, per quam revocati sumus, et hoc ostium clausum esse debet, ut amplius ad antiquos errores non revertamur. Ostium, quod est ad austrum, per lignum vitæ significat transitum ab hac vita ad futuram gloriam, id est ad fructum ligni vitæ. Et hoc ostium apertum est, quia illuc semper oculos mentis dirigere debemus, ut quam primum ab hac miseria exeamus. Aliud etiam quiddam per ostium figuramus. Quia enim ostium deorsum est, et fe-

B nestra sursum (quam posuimus supra compunctionem cum extenta manu et columba), ideo ostium congrue designare potest exitum per operationem, et fenestra exitum per cogitationem. Quatuor autem modis eximus per operationem. Omnis namque actio vel terrena est vel spiritualis. Propter cupiditatem terrenis actibus inservire unus modus est, quasi immundum animal. Propter necessitatem eas disponere alius modus est, quasi mundum animal. Propte cupiditatem spirituales actiones tertius modus est suscipere, quasi id faciat malus homo. Propter utilitatem proximi, et laudem Dei, quartus modus est, quasi id bonus homo faciat. Ideo per ostium quatuor animalia exeuntia depinximus, immundum animal asinum, et mundum

C animal bovem. Bonum hominem Noe, et malum hominem Cham. Bono homini Deus ostium aperit, malus homo inobedienter exiens ex altera parte valvas frangit.

CAP. XII. *Exeundi per cogitationem modi quatuor.*

Similiter per cogitationem quatuor modis eximus. Primus modus est, quando consideramus omnem creaturam quid sit ex se. Secundus modus, quando consideramus omnem creaturam quid sit ex beneficio Creatoris. Tertius modus est, quando consideramus quomodo utatur Deus ministerio creaturarum ad implenda judicia sua. Quartus modus est, quando consideramus quomodo utatur homo beneficio creaturarum ad implenda desideria sua. Ex se sunt omnia vana, et transitoria. Ex

D beneficio Creatoris perpetua. Dum Deo serviunt, sunt instrumentum justitiæ. Dum homini serviunt, fiunt instrumentum concupiscentiæ. Hoc modo corvus exivit, qui cadaver invenit, et in eo resedit. Hæc in eo libro, quem de arca dictavi, plenius cuncta disserui. Tres priores modi ad columbam pertinent, id est ad tria bonarum cogitationum genera, quæ sunt cogitatio, meditatio, contemplatio. Vanitatem cogitamus, justitiam meditamur, perpetuitatem contemplamur.

CAP. XIII. *De sex mansiunculis arcæ ad litteram.*

Nunc de mansiunculis quomodo disponendæ sint videamus. Dicunt nonnulli mansiunculis fuisse quosdam nidos, id est quædam receptacula ad parietem arcæ foris constructa, propter illa animalia, quæ nec semper in arida, nec semper in aqua degere possunt, sed vicissim alternando, nunc

de aqua ad aridam, nunc de arida redeunt ad A aquam. Quibus quia toties arca aperiri non potuit, divina providentia actum est, ut ne vel ipsa quidem perirent, foris eis ad parietem arcæ receptacula fierint, quorum aditus semper apertus esset exterius, parietate arcæ integro intrinsecus permanente. Quæ taliter disposita creduntur, ut dum arca aquis superferretur, foris per aquam ascendentibus, aditus eorum per planum occurreret. Horum receptaculorum numerum Scriptura non dicit. Nos tamen ad similitudinem sex civitatum, quæ homicidis in refugium deputatæ sunt (quia ad eamdem significationem spectant) sex mansiunculas in arca disposuimus hoc modo. Primum Jordanis fluvius per mediam arcam, id est de uno pariete in alterum juxta latus columnæ desuper B ducitur, ad similitudinem baptismi, qui in sancta Ecclesia quasi finis est legis, et initium gratiæ, cujus aqua sanctificationis de latere Christi fluxit. Et quia sex civitatum tres ultra Jordanem, tres citra constituendæ præcipiuntur, nos similitudinem sequentes etiam mansiunculas nostras collocamus, scilicet ultra ceu supra Jordanem tres, id est in superiori parte, et tres citra, id est in parte inferiori arcæ. Prima posita est desuper in fronte arcæ, id est in initio naturalis legis. Secunda et tertia in lege scripta, id est super ripam Jordanis hinc inde. Quarta et quinta, et sexta in tempore gratiæ. Duæ sub apostolis contra duas superiores hinc inde, una in fine arcæ deorsum contra primam. Et ita lex naturalis habet unam, lex scripta C habet duas, gratia tres. Quarum mysterium hoc est. Arca significat Ecclesiam, diluvium concupiscentiam mundi hujus. Animalia illa, quæ frequenter de arca ad aquam, et iterum de aqua ad arcam redeunt, infirmos quosque, et carnales in Ecclesia constitutos, qui peccando, sæpe ad concupiscentiam hujus mundi labuntur, quibus tamen remedia pœnitentiæ quasi quædam mansiunculæ in arca spirituali, id est in sancta Ecclesia præparata sunt. De quibus mansiunculis quasi unam lex naturalis habuit, id est sacrificium. Legi scriptæ duæ addictæ sunt, id est oblatio et purificatio. Gratia autem contra tria carnalia, tria habet spiritualia, confessionem, orationem, carnis afflictionem. Confessio immolat, oratio mundat, D carnis afflictio mactat. Post hæc inter legem naturalem et scriptam et utroque latere aperitur, et per illam, quæ est ad Aquilonem, populus captivus ab Hierusalem ducitur in Babylonem. Per illam, quæ est ad austrum, populus de Ægypto liberatus intrat ad terram promissionis tendens. Quod quemadmodum etiam secundum situm locorum competat, in descriptione mappæ mundi postea clarebit, quia Babylon ab Hierusalem est ad aquilonem. Ægyptus ad austrum. Et ideo ab hac porta, qua populus ingreditur deorsum in latere arcæ intrinsecus in ordine scribuntur quadraginta duæ mansiones usque ad ripam Jordanis, per quas populus Dei spiritaliter ab Ægypto naturalis legis per desertum scriptæ legis tendit ad terram promissionis gratiæ.

Cap. XIV. *De mansionibus quadraginta duobus.*

Mansiones autem hæ sunt: Prima Rameses, secunda Sochot, tertia Etham, quarta Siaroch, quinta Mara, sexta Helim, septima mare Rubrum, octava solitudo Sin, nona Descath, decima Alis, undecima Raphidim, duodecima Sina, decima tertia sepulchra concupiscentiæ, decima quarta Ascereth, decima quinta Rethma, decima sexta Ramoth, decima septima Lemna, decima octava Redsa, decima nona Caltha, vicesima Rapher, vicesima prima Arada, vicesima secunda Marcloth, vicesima tertia Thaath, vicisima quarta Thare, vicisima quinta Mercha, vicesima sexta Asmona, vicesima septima Maceroth, vicesima octava Maveiachan vicesima nona Galath, trigesima Gethabatha, trigesima prima Ebrona, trigesima secunda Asiongaber, trigesima, tertia Sin, quæ est Cades, trigesima quarta mons Hor, trigesima quinta Selmona, trigesima sexta Finon, tricesima septima Oboth, tricesima octava Gebarin, tricesima nona Dibungath, quadragesima Solmon deblathain. Et quia una de sex mansiunculis super ripam Jordanis in latere primæ mansionis ex hac parte sita est, propterea cum in quadragesima mansione ad eam ventum fuerit, duæ sequentes desuper scribuntur in secunda mansione usque itidem ad ripam Jordanis. Sunt autem hæc: quadragesima prima mons Abarim contra Nobo, quadragesima secunda campestria Moab super Jordanem juxta Jericho. De interpretatione autem, et mysterio istarum mansionum in alio fortassis opere, quod de hac eadem arca facere cogitamus, latius quæ dicenda sunt exsequemur; et quare naturalis lex Ægypto, scripta lex deserto, gratia vero terræ promissionis comparetur, et qualis de illa per hanc ad istam transitus habeatur. Hæc ad constructionem arcæ, his qui plura facere aut non valent, aut nolunt sufficere possunt. Adjecimus tamen quædam, quæ breviter commemorabimus. Hoc modo arca perfecta, circumducitur et circulus oblongus, qui ad singula cornua eam contingat, et spatium quod circumferentia ejus includit, est orbis terræ. In hoc spatio mappa mundi depingitur ita ut caput arcæ ad orientem convertatur, et finis ejus occidentem contingat, ut mirabili dispositione ab eodem principe decurrat situs locorum cum ordine temporum, et idem sit finis mundi, qui est finis sæculi. Conus autem ille circuli, qui in capite arcæ prominet ad orientem, Paradisus est, quasi sinus Abrahæ, ut postea apparebit majestate depicta. Conus alter, qui prominet ad occidentem, habet universalis resurrectionis judicium in dextra electos, in sinistra reprobos. In cujus coni angulo Aquilonari est infernus, quo damnandi cum apostatis spiritibus detrudentur. Post hæc supradicto circulo alter paulo laxior circumducitur, ut quasi zonam videatur efficere, et hoc spatium aer est. In quo spatio secundum quatuor partes mundi quatuor anni tempora disponuntur, ita ut ver sit ad orientem, ad austrum æstas, ad occidentem autumnus, ad aquilonem hiems. Ver pingitur a lumbis sursum puer fistulam manu tenens et cantans. Æstas

juvenis flores aspicit. Autumnus in virili ætate expressus fructus naribus admovet et olfacit. Hiems formam senis gestans fructus comedit. Et omnes a lumbis sursum pinguntur singuli in principiis suis.

Cap. XV. *De proprietate quatuor temporum anni, et conclusione operis.*

Ver habet delectationem aurium, æstas oculorum, autumnus olfaciendi, hiems gustandi; quia oblectamentum pueritiæ in auditu doctrinæ, oblectamentum juventutis in exemplo operis, oblectamentum virilis ætatis in appetitu est probitatis, oblectamentum senectutis in experientia virtutis. Tenent et singuli singulos anni quadrantes. Æstas tenet superiorem, hiems inferiorem, ver dextrum, autumnus sinistrum. Et in singulis quadrantibus extensæ sunt quasi duæ chordæ propter geminam singulorum proprietatem, quibus ad invicem collatis musicum octochordium exprimitur, de quo harmonia concordiæ universalis temperatur. Ver est humidum et calidum. Æstas calida et sicca. Autumnus siccus et frigidus. Hiems frigida et humida. In quibus omnibus multo sermone propter operis compendium supersedebitur. In hoc eodem spatio duodecim venti disponuntur, singulis temporibus terni attributi sub ætherea plaga, quasi deorsum præcipites, et a scapulis prominentes alati sub singulis mensibus singuli ordinati. De his quatuor sunt cardinales, qui singuli duos hinc inde habent suffraganeos. A medio orientis flat subsolanus duos hinc inde habens sibi conspirantes, a dextris vulturnum, a sinistris eurum. A meridie flat auster sive notus, habens a dextris euronotum, qui et euroauster, a sinistris libonotum, qui et austro africus. A medio occidentis flat zephyrus, qui et favonius habens a dextris africum qui et libs, a sinitris corum, qui et argentes. A medio septentrionis fiat aparctias, qui et septentrio habens a dextris circium, qui et thracias, et trasceas vel thrascias, a sinistris boream, qui et aquilo. Et principales quidem singuli geminis spirant cordibus suffraganei singuli singulis. Post hæc alius adhuc circulus prædictis duobus exterius circumducitur, et spatium quod includit pro ætherea plaga accipitur. In quo spatio duodecim menses disponuntur secundum ordinem temporum, et mensibus duodecim signa supponuntur, ita ut semper in medio mensis signum incipiat, et econverso mensis in medio signi. Et hæc signa singula desuper triginta gradibus distinguuntur, initio desuper sumpto a primo gradu arietis. Et sic contra mundum in circuitu ordinatis omnibus signis supinatis quidem ad ipsum firmamentum, mensibus autem ab inferiori sursum erectis, ita ut signa quidem sursum versa in ipso circulo, qui aplanes dicitur, stare vel ambulare videantur. Menses autem post illa, et sub illis in æthere stantes appareant, sicque in supremo signa, sub signis menses, sub mensibus venti, sub ventis tempora demonstrantur. In qua distributione magna naturæ ratio, effectusque signatur, totusque cœli ambitus sic per perficitur. Hoc modo constructa machina universitatis in parte ejus superiori majestas a scapulis sursum, pedibusque deorsum eminens, et quasi in solio sedens formatur. Ita ut expansis hic inde brachiis omnia continere videatur. Tribusque digitis per medium extensis usque ab orbem terræ, et cæteris in palmum reflexis cœlos concludit. Et in dextera quidem sua tenet thronum, qui oblique deorsum dependet per aeris spatium, usque supra eum locum ubi in cono inferiori, sicut diximus, ad dextram pertem electi resurgunt, quos et angeli ibidem præparati in cœlum suscipiunt. Ideoque in ipso throno scriptum est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum est ab initio sæculi (Matth.* XXV). In sinistra autem sua tenet sceptrum, quod dirigitur deorsum usque ad eum locum, ubi malos ad sinistram resurgentes dæmones obvii rapiunt, et ideo in ipso sceptro scriptum est : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus* (*ibid.*). Deinde linea generationis ad Adam sursum extra arcam per medium prominentis coni usque ad cœli verticem extenditur, et in ea per ordinem sex rotulæ circinantur, ita ut novissima ipsius arcæ introitum complecti videatur. Istæ autem sex rotulæ exprimunt opera sex dierum. Prima namque quæ et suprema taliter figurari debet, qualis fuit mundus prima die quando lux creata est. Secunda, quando firmamentum inter aquas et aquas positum est. Tertia, quando aquæ in unum collectæ sunt, et terra germinibus vestita. Quarta, quando sol, et luna, et stellæ factæ sunt. Quinta, quando pisces in aqua, et aves in aere collocati sunt. Sexta, quando bestiæ factæ sunt in terra et homo. Ut verbum ab ore majestatis exeat, et omnis ordo creaturarum subsequatur, et ipsius arcæ protensio pertingat a principio mundi usque ad finem sæculi, per medium terræ hinc inde habens loca, montes, flumina, castella et oppida constituta, ad austrum Ægyptum, et ad aquilonem Babyloniam. Post hæc circa thronum ex utraque parte, circa medium duo seraphim pinguntur, qui extensis alis sursum et deorsum valant caput majestatis et pedes, facie tamen intecta manente. Sub alis autem seraphim desuper in eo spatio, quod est inter scapulas majestatis et alas ex utraque parte ordines angelorum constituuntur novem, ad contemplandam faciem majestatis conversi. Ipsa namque summa et vera unitas medium et supremum locum obtinet. Deinde primus ordo angelorum diademate hinc inde binos; secundus ordo hinc inde ternos; tertius ordo hinc inde quaternos; quartus ordo hinc inde quinos; quintus ordo hinc inde senos; sextus ordo hinc inde septenos; septimus ordo hinc inde octonos; octavus ordo hinc inde novenos; nonus ordo hinc inde denos, ut a prima unitate sit origo omnium. Et in secunda unitate consummetur creatio angelorum, qui simul sunt centum et octo. De singulis autem ordinibus singulis labentibus remanent nonaginta novem, quibus homo centesima ovis additur, et superna civitas consummatur. Hæc de arcæ nostræ figuratione dicimus, ut si cuilibeat decoram

domus Domini, et mirabilia ejus (quorum non est numerus) intueri, hoc interim exemplari affe- A ctum suum provocet. Sit Deus benedictus per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

DE VANITATE MUNDI

ET

RERUM TRANSEUNTIUM USU

LIBRI QUATUOR,

In quorum duobus collocutores sianatos inveni singulis litteris D I, quibus doccens et interrogant satis indicantur intelligendi.

LIBER PRIMUS

D. O. munde immunde, o munde immunde, quare sic dileximus te? Hiccine est fructus tuus? Hæc promissio tua? Hæc de te spes nostra? Quare in te speravimus? Quare tibi credidimus? Quare de te cogitare voluimus? Ecce quomodo decepti sumus. Nihil reliqui habemus, inanes remansi sumus. O munde immunde, quare sic deleximus te? I. Quid vides, o homo? D. Nihil melius quam fugere. I. Non satis intelligio quid dicere velis: video tamen, sicut iste tuus stupor indicat, quod vel grave aliquid pateris, vel novum vidisti, vel malum moliris. Ne igitur abscondas quidquid illud sit, quia si periculum est, simul liberasti me. Sin autem nullum est periculum, et vane conturbaris, forsitan consolabor te. D. Consurge, et ascende, et aspice mecum, et ostendam tibi mirabilia magna, antiquis vetera, præsentibus nova, et posteriora futuris. I. Quando rem ipsam videro, de qua loqueris, tunc melius fortasse intelligam quid dicere velis. Nunc igitur ostende mihi quo ascendere debeam, ut et ego videre possim mirabilia ista, de quibus tu sic conturbaris. D. Oculus carnis quanto sublimior, et in altiore loco constitutus fuerit, tanto amplius per visionem in latum se diffundit. Facilius quippe desuper in subjecta acie visionis expanditur, quando omnia quodammodo coram posita intuetur; sed hæc quidem eo ipso, per corporis instrumentum emicat, multis ac variis modis nullo etiam foris interveniente obstaculo, in semetipsa caligat. Nam quia augusta est, maxima comprehendere non sufficit; et quia hebes est, minima non discernit, quia autem pigra est, cum in remotissima extenditur etiam si intercurrat, sola tamen spatii longinquitate hebetatur, quia vero perspicax non est, intima quæque non penetrat, sed ea sola, quæ in rerum superficie sunt constituta, oberrat. Sed nec ea quæ præterita sunt respicere, nec ea quæ futura sunt potest previdere. Hoc ego dixi, ut scias quantas augustias corporea hæc visio patiatur, quæ nisi coram posita intueri non valet. In his quoque, eam et maxima quantitate excedunt, et minima subtilitate fugiunt, et remota longinquitate evadunt, et intima obscuritate subducunt. Nolo igitur ut cogites visionem hujus oculi, quando audis te ad videndum invitari. Habes alium oculum intus multo clariorem isto, qui præterita, præsentia et futura simul respicit, qui suæ visionis lumen et aciem per cuncta diffundit, qui occulta penetrat, subtilia investigat, luce aliena ad videndum non indigens, sed sua ac propria luce prospiciens. Quia igitur ea, quæ tibi demonstraturus sum, carnis oculus simul comprehendere non potest, ad hanc visionem non carnis, sed cordus oculus præparandus est. Constitue igitur te quasi in quadam mentis specula, et ejus aciem in arcam hujus mundi circumquaque lustrandam dirige, ut totus contemplanti coram positus sit mundus, et inde tibi universa demonstrabo, quæ prius vel non visa ignorasti, vel visa non quomodo oportuit, considerasti.

I. Vere nunc fateor, quod nihil universorum aspectui cernentis absconditur, cum cordis oculos studiose ad videndum aperitur. Quando autem carnis oculum ad videndum aperio, quamlibet late cuncta pateant, in comparatione totius minimum est, quod comprehendo. Sed ecce dum conor, quantum valeo, cor sursum erigere, invenio me hucusque non solum corpore, sed corde quoque deorsum fuisse. Nam quanto magis contemplandis quibusdam mundi rebus affectu et cogitatione succubui, tanto ad contemplandam rerum universitatem minus idoneus minusque expeditus fui. Nunc igitur ab his quibus hactenus inhærebam, mentem exuo, et quasi deposito onere levatus sim, cunctis me statim superiorem agnosco. Nescio enim quo pacto mirabili, subito in me hoc factum sit, ut, dum studeo nullis specialiter per cupiditatem inhærere, cunctis incipiam per contemplationem superexcellere. Incipe igitur, quia mundum jam universum eoram me constitutum aspicio, et quidquid ex omnibus mihi demonstrare volueris sine mora ac difficultate videbo. D. Vides igitur mundum istum? I. Video et bene. Nunquam tam bene vidi, quia nunquam tam dili-

genter consideravi. D. Quid ergo tibi videtur? Qualis est species ejus? I. Pulchra valde. Miror tale opus Dei. D. Deum in cunctis mirabilem invenis, omnes hoc jam cognoverunt.

Sed sileamus interim de operibus Dei, opera hæc hominum tanta ac talia videns mundum admirari cœpisti. Nam et hoc scire debes, quod mundum hic accipio non hanc solummodo speciem divini operis, sed mutabilitatem humanæ in hoc mundo conversionis. Dic igitur mihi opera hominum, quæ vides, qualia sunt? Quid tibi videtur? I. Magnum quoque in his decorem aspicio, et dum considero quid homo sit, miror quomodo talia facere possit. D. Si bene considerares quid sit homo, non mirareris quod talia facere posset, sed quod in talibus confideret. Sed quia mundum attendere cœpisti, nec dignitatem hominis, nec vilitatem humani operis, idcirco tam stulte et inordinate admiraris. I. Quamvis multum contra meam existimationem loquaris, fieri tamen potest, ut et ego deceptus sim, et tu verum dixeris. Volo igitur magis auscultare quam contendere, ut si assertionem tuam probare potueris, impudenter restitisse non pœniteat, si autem non poteris, prudenter tacuisse non noceat. Dic ergo quæ sit dignitas hominis, quæ vilitas humani operis. Quia profecto si id quod foris apparet solum inspicitur, homo ipse opere suo nec quantitate major, nec forma decentior, nec tempore diuturnior invenitur. D. Primum de operibus hominum tecum disputare volo.

Vides igitur universa opera hominum quanta et qualia sunt. I. Magna et admiranda satis mihi videntur: sed nunquid tu aliter existimas? D. Prorsus aliter existimo, et aliter te quoque existimare volo. I. Non sum tam pertinax, quin libenter a veritate vinci velim, tantum perge quo libet, et sequar te. D. Respice omnia, et considera diligenter singula. I. Respicio et considero, et quid in his omnibus demonstrare velis exspecto. D. Quid vides? I. Navigantes video in mari, et magnam tranquillitatem maris, magnamque serenitatem aeris, ventis quoque secundis leniter spirantibus, optato cursu navigium ferri. Viros autem per navem discumbentes ad epulas, et canentes in lyris, et tibiis, et citharis omni genere dulcis cantilenæ auditum mulcentes. Ipsis etiam aquis melodia resultantibus pisce maris greges circunducere, et exsultantibus alludendo lætitiam augere. D. Quid tibi videtur? I. Quid? nisi magnum gaudium, magna jucunditas, et (si esse posset diuturna) magna felicitas. D. Istud ergo est, propter quod mundus placet tibi. I. Et cur displicere debeat ignoro. D. Fige paulisper oculum, et noli declinare intuitum dum videas finem. I. Persequor euntes, et quid sequatur exspecto. D. Quid vides? I. Timeo dicere quod tamen celare non possum. D. Quid igitur vides? I. Video undique nigrescere cœlum, et acri ventorum concursu nubes agitari et conturbari, mare fluctibus intumescere et quasi ab uno sursum fundo totum in cumulum ferri, heu quid laudavi? D. Quid est? I. O miseri, quid

A vobis cum mari? Quare fallaci sereno credidistis? Quare in dubio securi fuistis? Quare tranquillitatem æquoris suspectam non habuistis? Quare perfido elemento vitam vestram committere non timuistis? Quare soliditatem littoris deseruistis? Quare securum iter in terra non tenuistis? Quid vobis lucra tanto periculo acquisita? Ecce quam exiguum bonum secuti estis, et ecce quantam calamitatem incurristis, et quia verum malum, quod vobis imminebat, providere noluistis, ab appetitu fallacis boni, qui vos trahebat, animos non cohibuistis? O infelices et miseri? Ecce illa lætitia vestra quomodo tam cito mutata est, et vita vestra ad quam miseriam devoluta est! Prius vobis inaniter exsultantibus pisces maris allu-

B serunt, nunc vos naufragos et miserabiliter abjectos pisces maris in pastum accipiunt. D. Quid tibi videtur, quale est hoc opus hominum? I. Vanitas est, et vanitas vanitatum. D. Converte te nunc ad aliud, et vide. I. Conversus sum, et video. D. Quid vides? I. Video homines pergentes viam suam multis et magnis mercibus onustos, camelos immunerabilies onera diversa portantes, plaustra plurima, et bigas non paucas in comitatu euntium. Omnem speciem pigmentorum atque aromatum ibi video, omnia genera pretiosarum vestium agnosco, ingentes massas metallorum omnium, et omnem lapidem pretiosum ibi conspicio, equos et mulos, et mancipia, greges armentorum et pecorum, absque numero. D. Unde putas isti ve-

C niunt, aut quo vadunt? I. Videtur quod homines de regione longinqua adveniant, et omnes has rerum copias in exteras nationes lucri causa commutandas traducant. Apparent autem viri ferventes et alacres, et quantum ex ipso eorum gaudio datur intelligi, prospere incedentes. D. Quid tibi videtur? I. Studium satis laboriosum ego video, sed rerum novitas, et lucri cupiditas dulcia laborantibus solatia præstant. D. Exspecta, et videbis tantus labor quantum capiet fructum. I. Fructus præsens est, si permanens esse potest. D. Sustine parumper quod futurum est cito veniet. I. Jam longius processerunt. D. Quid vides? I. Cuneum armatorum de fauce prodire ego video, et timeo ne insidiæ sint. D. Timor tardus dolorem non ef-

D fugiet. I. Uno pariter impetu descendunt, et quasi viri latrones ad diripiendam prædam veniunt. Jam viatores nostros anxios et tremantes circa sarcinas suas conglobari video, arma capessere quemque e regione sui oneris adventum hostium exspectare, omnia circumspicere, nullum hominem præter eos hinc aut illinc patere, loca circum omnia longe lateque deserta esse, omnem hominum conversationem procul consistere, auxilium nullum vel sperari posse. Undique hostes concurrere, uno animo impetum facere, multitudine plures, cupiditate fortes, solitudine audaces. Quid, miseri, frustra contenditis? Quid resistitis? Quid in supremo periculo constituti, vitam cum rebus perdere vultis? Hei mihi, jam alios necari, alios spoliari prospicio, anos mortuos cadere, alios vix nudos effugere video. Sed utrum sic ca-

dentes, an sic effugientes magis miseros dicam, ignoro. Illi enim moriendo a miseria liberantur, isti mortem effugiendo ad alteram miseriam reservantur. Quos potius plangam? Quos magis arguam? Plangam morientes, et arguam fugientes. Nonne etiam rectissime et illi de tali morte arguendi, et isti de tali fuga plangendi sunt? Quia et illos in mortem miseram traxit avaritia, et istos fugientes a morte excipit morte major miseria. D. Quid tibi videtur, quale est hoc opus hominis? I. Vanitas est, et vanitas vanitatum.

D. Adhuc convertere ad alia, et vide. I. Conversus sum, et video. D. Quid vides? I. Video domum divitis. D. Quid ibi vides? I. Rerum omnium affluentiam. Natos proficientes, servos alacres, fecundos greges, horrea plena, apothecas redundantes, in vita sanitatem, in abundantia pacem, in pace securitatem, in securitate felicitatem. D. Quid tibi videtur? I. Nihil ego hic dolendum vel timendum video. Prioribus tamen exemplis edoctus temere deinceps quempiam beatificare non præsumo. Volo potius a te audire quid existimandum sit. D. Talem ergo felicem putas? I. Cur non putem nescio. D. quid ergo plus felicem facit multa possidere an paucis indigere? I. Magis paucis indigere quam multa possidere. D. Ergo felicius est nullis indigere? I. Felicius plane. D. Non ergo felix existimandus est homo si multa possidet, sed si multis non indiget. I. Sed tamen felicem homines vocant, qui habet unde necessitatem suppleat, quia experti sunt quam miser sit ille, quem in sua necessitate rerum inopia coangustat. D. Si mala pauperis et divitis comparare volueris, divitem magis quam pauperem miserum agnoscis. Dives enim quanto plura possidet, tanto majorem sollicitudinem habet. Et cum solus præ omnibus sollicitudinis pondus sustineat, aliis amplius quam ipsi prosunt ea, quæ vel cupide quærit, vel avare conservat. Hunc enim sine intermissione suarum æstus curarum exagitat. Timet ne parta deficiant, quoniam tametsi magna est rerum possessio, non est tamen minor distrahentium multitudo. Timet violentiam potentum, suspectam habet fidem familiarum, semper imminentes pavet insidias exterorum, et quod se scit cum odio omnium possidere, hoc misera quadam et infelici contentione contra omnes nititur defendere, sicque fit ut, dum se studio gravitatis a communi omnium societate separat, cunctis odiosus, et ab omnium charitate alienus fiat. Certum etiam habet, quod si quando eum rerum abundantia defecerit, nulla eum alienæ compassionis miseratio exceptura sit. Rerum suarum ipsum quidem cura non deserit, sed usus ad alienos transit interim, ut sæpe illis etiam largiri necesse sit, a quibus nec honorem, nec gratiam, nec utilitatem sperare possit. Cum retinet maledicitur, non tribuit, vanis adulationibus irridetur, sed mens conscia non minus irrisione sui quam maledictione offenditur. Semper acerba, semper tristis, semper pusillanimis, semper cura præsentium oppressa, et timore uturorum anxia; in bonis præsentibus non con-

A fidens, sed semper mala imminentia metuens. In tantis ergo doloribus et perturbationibus mentis, quæ, quæso, potest vera esse sanitas, aut delectatio carnis? Quod fomentum corpori acerbum non redditur, ubi conscientia talibus aculeis laceratur? Hæc est felicitas divitum, quam tu dum falsa foris bona cerneres laudare cœperas, quia veram intus miseriam non videbas. I. Si sic diviti est, inimicus sibi fit, qui multa possidere concupiscit. D. Quid ergo tibi videtur, quale est hoc opus hominum? I. Hoc quoque vanitas est et vanitas vanitatum. D. Converte nunc te ad alia, et vide. I. Conversus sum. et video. D. Quid tu vides? I. Video nuptias celebrari. D. Quid tibi in eis videtur? I. Magna lætitia ibi est, magnus

B ornatus, et apparatus multus, et (ut quod mihi videtur non taceam) hoc opus idcirco cæteris operibus hominum beatius judico, quoniam ipsum præcipue est, quod per dilectionis vinculum pacem et concordiam parit animorum. Hoc societatem commendat, amorem sanctificat, amicitiam servat. Hinc fructus prolis oritur, hinc generis nostri propago dilatatur, hinc mortis diræ necessitati resistitur, et damna patrum in filiis reparantur. Nam cur illud commemorem, quod in hoc solo carnis concupiscentia, quæ alio nec sine magno labore cohiberi, nec sine turpitudine laxari potest, ita honeste atque pudice conjugali commercio excipitur, ut quasi nulla castitatis damna sentiatur. Nam, etsi ipsa concupiscentia experiri

C voluptatem suam linitur, nulla tamen pudicitiæ confusio generatur. Quis ergo tot ac tanta bona contemnenda existimet nisi qui ea, quæ hoc excepto mala sequuntur, non videt? D. Recte de bonis nuptiarum judicare posses, si etiam mala earum attenderes. Nam quia solum bona, et non mala nuptiarum consideras, idcirco in earum consideratione rectam judicii censuram non servas. Negari enim non potest aliqua quidem bona nuptiis inesse, sed si diligenter considerare volumus, plura eis mala admista inveniemus. Nam illa animorum concordia quam rara sit, quis ignorat? Imo vero velociter cum pertæsum fuerit societatis, idipsum, quod concordiam generare debuerat, odii et discordiæ fomitem subministrat,

D et tanto jam miserabilius simul vivere incipiunt, quanto discordes ab invicem separari minus possunt. Hinc rixæ quotidianæ et jurgia crebrescunt, post dura verba, dira verbera succedunt. Neuter alterum effugere potest, una domus, una mensa, unus lectus, in quo nihil durius est quam nec concordem socium, nec hostem habere separatum. Nam sicut iis, quibus in charitate mens una est, nihil obstat etiam si corpore separati sunt, ita magnum tormentum est iis, qui corporaliter sociati sunt, si animo convenire non possunt. Præterea quod de propagatione hominum testimonium laudis adduxisti, nos sic quidem verum esse concedimus ut tamen officium nuptiarum non sanitatis gaudium sed infirmitatis remedium ostendamus, majus enim esset ut nullus vivens moreretur, quam ut quisquam morienti

successurus nasceretur. Nunc autem qualiscunque infelicitati nostræ consolatio tribuitur, quando ii, qui morientes retineri non possunt, per nascentes restaurantur, ut quia semper permanentes habere non possumus, saltem semper succedentes habemus. Suscipiamus ergo, imo sustineamus qualecunque hoc doloris nostri remedium, sed non in eo putemus esse felicitatis oblectamentum. Laudamus potionem, quam quidem non sine amaritudine bibimus, non sine tortione eructamus, quia majorem et periculosiore per eam amaritudinem expellimus. Si consideramus delectationem concumbentis, consideremus etiam augustiam parturientis. Et ut interim taceamus alias molestias et incommoditates, quæ voluptatem carnis sequuntur, quia ipsa et vigorem naturalem frangit, et omnem virtutem atque decorem corporis tam intus quam extra emarcescere facit : quis dicere potest, nisi qui expertus est, quantus labor, quanta molestia sit infantes excipere, et præter cæteras miserias, quæ magis tacendæ sunt, lactare, educare, nutrire, pueros instruere, disciplina pariter et scientia informare, et ad legitimam usque ætatem perducere? Quis non satis care unius noctis delectationem emisse se dicat, quam tot annorum labore et cura recompensat? Si hoc nubentes attendere vellent, certe in nuptiis magis flendum quam ridendum sibi fore cognoscerent. Nunc autem quasi modica eis concupiscentiæ esca in hamo anteponitur ut ad diram laboris et doloris necessitatem capiantur. Tale est gaudium, quod vides. I. Nihil per omnia contradici potest, validæ sunt rationes tuæ. D. Quid ergo tibi videtur, quale est hoc opus hominum? I. Vanitas est hoc quoque, et vanitas vanitatum.

D. Converte adhuc te ad aliud et vide? I Conversus sum, et video. D. Quid vides? I. Scholam discentium video. Magna est multitudo, diversas ibi ætates hominum conspiscio, pueros, adolescentes, juvenes, senes ; diversa quoque studia. Alii ad formata nova elementa atque voces insolitas edendas rudem adhuc linguam inflectere discunt. Alii verborum inflexiones, compositiones et derivasiones, primum audiendo cognoscere, deinde conferendo adinvicem, atque identidem repetendo memoriæ commendare satagunt. Alii ceras stylo exarant. Alii figuras variis modis et diversis coloribus in membranis docta manu calamum ducente designant. Alii autem acriori et ferventiori quodam studio de magnis (ut videtur, negotiis disceptationes quasdam ad invicem exercent, et se quibusdam verborum inexionibus et gryphis vicissim fallere contendunt. Calculantes etiam quosdam ibi video. Alii tensum in ligno nervum percutientes diversorum sonorum, melodias proferunt. Alii vero quasdam descriptiones, et mensurarum formas explicant. Alii cursus et positiones siderum, et cœli conversionem quibusdam instrumentis manifeste describunt. Alii de natura herbarum, de constitutionibus hominum, de qualitate rerum omnium et virtute pertractant. In his autem omnibus licet non una sit discendi, forma

A una tamen omnibus est proficiendi voluntas, hoc autem sive otium negotiosum, sive negotium otiosum appellandum sit, cunctis humanis actionibus tuo quoque judicio præferendum existimo, eo quod nihil transitorium, nihil caducum, sed quod æternum est sapientiæ decus, per id mentibus inseritur, et radix ejus amplius non eradicanda plantatur. D. Imago veritatis fallit te. Nam et ista est consuetudo mundi hujus, ut id quod magis ad animos hominum illa queandos præparat, ne caveri aut vitari possit quadam similitudine veritatis intexat. Error enim quando manifestius agnoscitur, tanto citius reprobatur. Occultus autem dum foris speciem veritatis erexit, intus venenum falsitatis infundit. Talia sunt ista
B non sapientiæ, sed dementiæ humanæ studia quibus imprudentes et stulti tam inutili quam pertinaci labore naturas rerum inquirunt, Auctorem vero suum, et naturarum simul omnium artificem ignorant, et tamen quærere negligunt, quasi sine Deo aut veritas possit inveniri aut felicitas possideri. Et ut apertius adhuc agnoscas quam infructuosa, imo quam perniciosa sint studia hæc, animos non solum ad cognoscendam veritatem non illuminant, sed ne veritatem agnoscere possint, prorsus excæcant. Rapiunt enim cor hominis et quodammodo extra semetipsum abducunt, ut dum ad alia, quæ ad rem non pertinent, consideranda trahitur, ad circomspectionem sui minime revertatur. Sic solent aves capi, quibus
C in tenebris terræ noctis hinc quod intueantur lumen ostenditur, hinc quo capiantur laqueus præparatur. Quid ergo prodest homini, si rerum omnium naturam subtibiliter investiget, efficaciter comprehendat ; ipse autem unde venerit, aut quo post hanc vitam iturus sit non consideret, nec intelligat? Quid enim est ista vita mortalis, nisi via quædam Transeuntes enim sumus, et ea quæ in hoc mundo sunt quasi a latere transeundo conspicimus. Quid ergo, si nova aliqua et ignota nobis transeuntes cernimus, nunquid ad inquirenda ea aut subsistere, aut ab itinere nostro declinare debemus? Hoc faciunt isti quos tu vides, qui quasi stulti viatores, propositivi obliti sunt, et ad inquirenda hæc, quæ vident ignota, quasi in
D via consederunt. Jamque usu et assiduitate hujus vanitatis adeo a semetipsis exsulant, ut nec in via se esse meminerint, nec patriam requirant. I. Si sic est, ut dicis, omnibus aliis istos miserabiliores judico, quorum vita tanto errore involvitur, ut non solum alii, verum etiam ipsi in studio suo decipiantur. D. Prorsus sic esse et conversatio eorum probat, et finis demonstrat. Conversatio quidem, qua nihil turpius, finis vero, quo nihil infelicius esse potest, ut morientes spem salutis non habeant, qui viventes per iter virtutis incedere nolebant. I. Vere fateor quod omnino ineptum est illum sapientem dicere, qui quamlibet ab alia oculum habeat apertum, suum tamen interitum aut prævidere nequeat, aut cavere detrectet. Quod autem ejusmodi homines nec cautelam instantium, nec providentiam habeant futu-

rorum, lubrica eorum vita et dissoluta conversatio, nec non et infames gressus satis demonstrant. D. Quid ergo, tibi videtur, quale est hoc opus hominum ? I. Video plane quod et hoc vanitas, et vanitas, vanitatum est.

LIBER SECUNDUS.

Longum est per singula vanitatem hujus mundi demonstrare. Scias tamen quod ex istis omnibus quæ vides nihil permanens est *(Eccle.* II), sed *transeunt universa, et revertuntur* illuc unde orta sunt. Omnia sicut initium, ita habent et finem, sed dissimiliter currunt, et non æque perveniunt. Alia recens orta sunt, alia jam olim occiderunt, alia inter medium pertranseunt, alia ortis nascentia succedunt, simul tamen omnia defluunt, et ad unum locum tendunt. O magnum flumen, quo raperis ? Parvus est ortus tuus, de fonte exiguo manas, de vena modica erumpis. Curris et crescis, descendis et absorberis. Curris, sed deorsum ; crescis, sed ad interitum : venis, et præteris, sed effluis, sed absorberis. O vena quæ non deficis, o cursus qui non requiescis, o vorago quæ non repleris ! Quantum vanitas subjicit ! Quantum mortalitas trahit, tantum insanabilis mors deglutit ! Nec illa edere, nec ista trahere, neque hæc unquam cessat absorbere. Semper præsentia transeunt, semper futura succedunt, et quia continuus est successus, perpetuus status esse putatur. Sunt enim oculi mortalium depressi, et cursum universorum non respiciunt, atque in exiguis rerum particulis defixi, quid agatur in toto non attendunt. Brevis est etiam vita hominis super terram, et dies ejus in certa sorte percurrunt. Mens vero tenebris suis obvoluta non multum valet aut futura prospicere, aut præterita meminisse. Cumque solum iis, quæ coram posita sint, occupata tenetur, innovatio præsentium aufert ei præteritorum memoriam. Hinc est quod homines cum de mutabilitate rerum aliquid audiunt, continuo stupent et admirantur quasi novum aliquid acciderit, quia profecto hoc sermo loquentis improvidis mentibus novum ingerit, quod in rerum cursu jam olim vetus fuit. Sic ergo mutabilitas rerum præsentium semper vetus est, semperque nova. Vetus iis, qui pridem illam experimento vel ratione dedicerunt, nova iis, qui nunc primum vel experimento excitati, vel doctrina admoniti illam cognoscere incipiunt. Sed et futuris posterior erit ista cognitio, quia ii quoque, qui post nos futuri sunt non mox ut mundo uti cœperint, nisi post longa experimenta istam mutabilitatis ejus cognitionem habebunt. Respice ergo hunc mundum miserum, et magis miseros qui diligunt eum. Iste est, quem putavimus aliquando nobis esse amicum, in quo nobis tempora longa promissimus, vitam quietam, tranquillam pacem, felicitatem perpetuam. Iste est, cujus pulchritudinem dileximus, cujus speciem laudavimus, cujus jucunditatem concupivimus, cujus gloriam desideravimus, cujus gaudium amplexi sumus. Certe vides nunc quam sint vana hæc omnia, et nunquam sapientibus, aut virtutis amatoribus appetenda. Ubi enim sunt patres nostri ? Ubi sunt illi divites et potentes, quos olim in hujus mundi gloria elatos vidimus ? Ubi postremo sunt omnes, de quorum amicitia et familiaritate præsumebamus ? Ecce transierunt universi ante nos, et nos soli relicti sumus post eos. Cogitemus nunc sæculum illud præteritorum temporum, quando cum illis fuimus, et quæ futura adhuc fuerant nesciebamus, quando unum nobis cum illis erat propositum, una voluntas, unum desiderium, una mansio, una dilectio, unus amor vitæ, una mortis exspectatio. Modo sublati sunt illi a nobis, et quasi præcurrentes citius hinc exierunt, ubi erant exsules, et citius illuc pervenerunt, ubi sunt cives. Nos igitur si illos præsentes vere diliximus, nunc in eorum absentia amorem nostrum comprobemus. Sequamur desiderio ubi illi sunt, et citius ad eos pervenire, simulque cum eis esse desideremus. Infideles pariter, et inconstantes esse comprobamur, si propter amorem præsentium prioris dilectionis obliviscimur. O sæculum antiquum, ubi est ? Olim enim dum eras dilexi te et modo iterum cum non es diligo te, neque unquam transitus tuus amorem tui minuere potuit apud me. Quando eras dilexi te, ut permaneres modo autem quando non es, diligo te, non tamen volo ut huc revertaris ad me. Miror ipse desiderium meum et affectum meum convenio, nec comprehendo. Quid ergo diligo in te si nolo ut subsistas, nec opto ut redeas ? Quis est affectus iste tam extraneus, tam inauditus, ubi res diligitur, et præsentia ejus non amatur ? Quis explicet cordi meo quæ sit ista dilectio ? Scio quidem quod diligo te, neque tamen volo ut revertaris ad me. Et ideo fortassis iterum redire te nolo, quia ibi potius ubi tu es tecum esse desiderio. Olim ergo perverse dilexi te, quia ubi ego sum, te ut mecum transires esse volui, nunc consideratius diligo te, quia ibi tecum esse volo, ubi semper subsistas. Ego in exsilio sum, ut in patria es, et idcirco de te cogitare nunquam fastidio, quia per memoriam et recordationem tui quodammodo mente ad patriam recurro. O quam dulce est in terra aliena præteritorum meminisse ! Non saturatur mens desiderio, sequitur præteri-

torum semitam, videt intus viam qua transeat, videt finem quo tendat, videt locum quo perveniat, videt portum ubi requiescat. I. Sicut olim cum mundum istum existimavi stabilem, species ejus me accendebat ad amorem præsentium ; ita nunc mirum in modum ejus mutabilitas me provocat ad desiderium futurorum. Rapior affectu et trahor desiderio quo currunt omnia, etiam nunc in rebus hoc ipsum, quod transeunt, diligo, quia ex ipsa mutatione, et exemplo universorum ad transeundum hinc amplius inardesco. Videntur mihi in quodam procinctu esse universa et totius naturæ quasi clamor exhortationis aures meas pulsat simul currentium, ut ad finem suum cuncta perveniant.

D. Ergo cognoscis omnia, quæ in hoc mundo sunt caduca, esse transitoria ? I. Res ipsa probat, etiam si ego non cognoverim. D. Quid ergo illis erit, qui in istis confidunt ? I. Quid nisi ut inanes et vacui remaneant cum pertransierint ipsa quæ diligunt? D. Bonum est ergo fugere hinc, et certiorem mansionem quærere. I. Nihil melius, sed quæso te, edoce me quo extra mundum ibimus, ut cunctis quæ in mundo sunt transeuntibus, nos stabiles permanere possimus ? D. Interim considera mundum hunc universum, propter mutabilitatem rerum omnium quasi diluvium quoddam decurrentium aquarum. I. Video plane nihil esse stabile, sed omnia ire in præceps. D. Deinde cogita amatores hujus mundi quasi quosdam naufragos qui mersi in hujus salis profundo deorsum rapiuntur. I. Nihil convenientius dici potest, sic sunt omnes, qui transitoria diligunt, cum iis, quibus inhærent defluunt. D. Puto autem te non ambigere quin apud Deum nihil pætereat, sed omnia immutabili æternitate subsistant. I. Nemo est qui ambigat. De contemplare ergo Deum quasi sursum in summo, mundum autem hunc deorsum in imo. Illum in eodem semper æternitatis suæ statu consistere, hunc autem cursu mutabilitatis suæ semper fluere atque instabilem esse. I. Manifesta res est, prosequere incœptum tuum. D. Deinde considera humanum animum quasi in quodam medio collocatum, qui quadam conditionis suæ excellentia, et huic, quæ deorsum est, mutabilitati supereminat, et ad illam, quæ sursum est apud Deum verum, immubilitatem necdum pertingat. I. Pulchra est, et admodum placet dispositio ista. D. Si autem animus his, quæ deorsum transeunt, se per cupiditatem immerserit, statim per infinitas distractiones rapitur, et a semetipso quodammodo divisus dissipatur. I. Perquam periculosa est ista distractio. At scire velim utrum quisquam ita late dispersus rursus colligi possit. D. Potest omnino si se iterum erexerit, et hæc infima excutiens, rursus esse secum didicerit. Tanto denique amplius quisque animo in unum colligitur, quanto magis ima deserens cogitatione et desiderio sursum elevatur, donec tandem omnino immutabilis sit, cum ad illam unam, et summam immutabilitatem pervenerit. Ascendit ergo animus ab hac infinita distractione, quæ deorsum est, tantoque magis, ut dictum est, in unum colligitur, quanto magis sursum elevatur, donec ad veram et unicam (quæ est apud Deum) immutabilitatem perveniat, ubi vicissitudine, requiescat. I. Quia prius de diluvio mentionem feceras, videtur mihi quasi nunc consequenter quamdam specialis arcæ formam in corde humano effingas. Sane mihi diligentius consideranti admirabilis apparet fabrica ista, et quamvis adhuc nesciam propter quid ad illam sermonem diverteris, existimo tamen magnum aliquid esse, quod demonstrare conaris. Tria siquidem proponis mihi hactenus tam incognita quam inaudita, nunc autem tam insolita quam admiranda. Primum est universus mundus iste cum omnibus quæ in eo sunt in modum decurrentium aquarum præterfluens, cujus inundationes, et motus mutabilitatis sive diluvio omnia occupanti, sive mari magno comparemus, res ipsa simillima est. Secundum est cor humanum ab his transitoriis et mutabilibus se erigens, et paulatim colligens se in unum ut ubi mutabilibus proximum est, ibi quasi arca deorsum in fundo latum appareat, coadunatur autem, et quodammodo in unum colligatur, ubi magis æternis et immutabilibus appropinquat. Deinde in supremo et tertio loco Deum constituis, ut arcam cordis humani deorsum huic fluctuanti salo insidentem, et quasi gubernator dirigat, et quasi anchora teneat, et quasi portus excipiat. Video itaque hæc tria imo quasi diluvium quoddam, mundum istum in medio quasi arcam quamdam, cor humanum in supremo quasi gubernatorem Deum. Porro arca hæc non solum novitate, sed magnitudine quoque me ad stuporem excitat, quam tantæ immensitatis esse conspiscio, ut et deorsum fundus ejus aquis hujus diluvii insideat, et cacumen ejus sursum usque ad Deum pertingat. Verum hæc qui ad propositum nostri sermonis pertineant, quamvis sine causa te ea commemorasse non existimo, scire tamen plenius concupisco. D. Recolis quid primum tibi persuadere cœperim ? I. Recolo ; dixisti enim mundum istum fugiendum esse, et quod spes in eo habenda non sit. Propterea quod nihil omnium, quæ in eo sunt, diu subsistere ac permanere possit. Quod cum manifesta et irrefragabili veritate mihi comprobasses, cœpi ego quoque hoc vehementer velle, et quomodo hinc fugiendum esset nulla potui ratione invenire. Deinde tu quædam inducere cœpisti, utrum ad demonstrandum hoc nescio, ubi distinctione quadam pulchra satis et artificiosa mundum hunc quasi diluvium quoddam in imo, cor humanum quasi arcam quamdam in medio, Deum vero quasi gubernatorem constituisti in supremo. D. Profecto hæc idcirco adduxi, ut tibi periclitanti viam salutis ostenderem, et quasi vere naufrago vel in diluvio arcam, vel in mari navem præpararem. Cum enim in medio fluctuantis hujus sali profundo jacteris, quomodo putas aut periculum evadere, aut ad portum perpetuo sine omni immutabilitatis venire poteris, nisi hujus salutaris ligni (sive hoc ar-

cam, sive navem nomines) adminiculo transveharis? I. Novæ istæ similitudines tuæ in novum ambiguitatem me pertrahunt. Si enim totus mundus mare vel diluvium est, quem locum extra mundum navigabimus, ubi tranquillam et stabilem mansionem inveniamus? Præterea si cor hominis arca, et navis est, qua ratione homo vel intrare cor suum, vel cum corde suo mundum transnavigare potest? Postremo cum Deus, quem tu portum esse dixisti, sursum sit, qualis erit cursus iste, ubi more insolito et inaudito et iter navis sursum dirigitur, et navigans a semetipso portatur? D. Quando mentis oculum ad invisibilia erigere volumus, similitudines visibilium rerum quasi quædam cognitionis vestigia respicere debemus. In spiritualibus ergo, et invisibilibus cum aliquid supremum, dicitur non quasi localiter supra culmen aut verticem cœli constitutum, sed intimum omnium significatur. Ascendere ergo ad Deum hoc est intrare ad semetipsum, et non solum ad se intrare, sed ineffabili quodammodo in intimis etiam seipsum transire. Qui ergo seipsum, ut ita dicam, interius intrans et intrinsecus penetrans transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit. Quando autem homo per sensus carnis ad visibilia ista, quæ transitoria sunt et caduca, concupiscendo exit, tunc nimirum a dignitate conditionis suæ quasi ad infima quædam et abjecta descendit. Quod ergo intimum est, hoc est proximum, et supremum, et æternum; et quod extremum est, hoc est infimum, et longinquum, et transitorium. Ab extremo itaque redire ad intimum, hoc est ab imo ascendere ad supremum, atque a dispersione confusionis et mutabilitatis colligi in idipsum. Quia vero mundum hunc extra nos, Deum autem intra nos esse cognoscimus, ob hoc a mundo, ad Deum revertentes, et quasi ab imo sursum ascendentes per nos metipsos transire debemus. Sicque ipsi quodammodo inter undas nos transvehimus, quando ab iis quæ foris mutabilia sunt, ad nos ingressi stabilitatem invenimus. I. O arcam salutarem, o portum felicem! Beatus qui hoc tempestuosum salum illæsus potest evadere, et ad illam unicæ quietis tranquillitatem pervenire. Optarem in illam ingredi, optarem in illa in salvari, optarem illa perduci doce ergo, obsecro, quomodo quisque cordis sui arcam intrare debeat, et cum in illa fuerit, quid agendo, periculum evadere, et ad portum optatæ quietis possit pervenire. D. Quia semel rerum similitudines in loquendo suscepimus, justum est, ut in decursu nostri sermonis prout res postulat deinceps eas teneamus. Mundus diluvium est, cor autem hominis, si per amorem mundanorum se deorsum inclinat, naufragatur inter fluctus sæculi, et mutabilibus admistum inter labentia fluit geminoque salutis periculo et per affectum infimorum profunde mergitur, et per occupationem plurimorum late dissipatur. Si vero rursum se ab amore præsentium per desiderium erexerit æternorum, ac per considerationem propriam cogitationes suas ad semetipsum

A collegerit, jam quodammado fluctibus rerum superenatat, et cuncta transitoria quasi subterlabentia calcat, atque in eo quod se paulatim per gradus virtutum, magis semper ad magis sursum erigit et in unum colligit, quamdam arcæ formam spiritualiter in se expressam repræsentat.

Quædam ergo corda sursum sunt, quædam semetipsa deorsum demerserunt. Deorsum sunt illa corda quæ configurantur huic sæculo, sursum vero sunt illa, quæ conversationem suam habent in cœlo. Deorsum sunt, quæ terrena sapiunt, sursum sunt quæ jugiter meditantur cœlestia; secundum id ergo cui per amorem conjungitur, cor hominis sursum ac deorsum esse judicatur. Et recte extra semetipsum esse dicitur, quando ad B exteriora et transitoria hæc exspectenda dilabitur. Tunc autem ad semetipsum revertitur quando ea quæ ad suam salutem pertinent, meditatur. Sunt ergo quædam quæ amando et cogitando cor hominis deorsum premitur, scissumque per varia dissipatur et sunt iterum quædam, quæ amando et meditando sursum elevatur, et ad semetipsum colligitur. Propter quod oportet nos omnium rerum speciem in duo dividere, et in altera parte opera conditionis, in altera vero opera restaurationis collocare. Et ut breviter distinctionem horum signemus, opera conditionis sunt elementa mundi hujus quæ facta sunt, ut stanti homini servirent. Opera restaurationis sunt sacramenta incarnationis Verbi, quæ ad remedium data sunt, C ut lapsum erigerent. Hæc duo opera tantum differenti tempore facta sunt, quantum dignitate se præcedunt. Opera enim conditionis quasi exiguum aliquid divinæ virtutis indicium brevi in principio mundi tempore, hoc est sex diebus perfecta sunt. Opera vero restaurationis a principio sæculi usque ad finem non nisi sex ætatum emenso spatio quasi eximia quædam majestatis et divinitatis insignia perfici aut consummari possunt. Opera ergo conditionis ad tempus data, post in servitutem facta sunt. Opera vero restaurationis in perpetuum data sunt ad salutem. Propter quod electi opera restaurationis magis diligunt, reprobi autem opera conditionis operibus restaurationis anteponunt. Reprobi visibilibus inhærendo cum transeuntibus defluunt, electi vero vi-D sibilia, et transitoria contemnendo ad æterna conscendunt. Illi per visibilia ab invisibilibus corrunt. Isti a visibilibus ad invisibilia ascendunt. De operibus ergo conditionis subter defluentibus electi quasi de quodam naufragio emergunt, et per opera restaurationis, id est sacramenta salutis suæ subvecti quasi in quadam salutari arca mergi amplius omnino non possunt. Quia igitur homo opera conditionis perverse amando dispersus fuerat, et per opera restaurationis colligendus erat, ipsa quidem restaurationis opera sic facta sunt, ut et multa quidem essent, non tamen infinita, quatenus cor hominis veræ adhuc stabilatatis impatiens, et varietate reficerent et paucitate in unum congregarent. Et sicut prius homo per visibilia a contemplatione Dei ceciderat, ita nunc

per visibilia Dei opera admonitus ad ipsum iterum contemplandum resurgere consuescat. Quia rursum ipsa restaurationis opera quædam per homines quædam per angelos, quædam per semetipsum operatus est Deus, cum de operibus hominum ad opera angelorum, et iterum de operibus angelorum ad opera Dei contemplenda transimus, quasi de prima mansione ad secundam, et de secunda ad tertiam mansionem in spirituali arca ascendimus, et tandem ipsum supremum, in quo arca consummatur, cubitum tangimus, quando per opera Dei ad ejus cognitionem pervenimus.

Arca autem in longitudine trecentorum cubitorum porrigitur, quia, sicut dictum est, « opera restaurationis nostræ a principio mundi usque ad finem per tria tempora, naturæ, legis et gratiæ, quasi per tres centenarios extenditur. » Latitudo autem ejus in quinquaginta cubitos, et altitudo in triginta definitur, quia omnis multitudo fidelium, in quibus et propter quos hæc facta sunt, per septies septem, id est quadraginta novem uno adjecto capite Christo exprimitur, et omnis summa gestorum, quæ a principio Deus fecit propter hominem, in triginta voluminibus divinæ paginæ continetur. Docebo ergo te quid facias. Calca et contemne caduca et transitoria, et ecce de diluvio emersisti. Considera jugiter et meditare reparationis tuæ sacramenta et divinæ pietatis tibi impensa beneficia, et in arcam intrasti. Quando autem cogitationem tuam ab exordio mundi usque ad finem sæculi in contemplationem mirabilium Dei ducis, et quid propter nostram salutem vel sub scripta, vel sub naturali lege, vel sub scripta, vel tandem sub gratia operatus sit perpendis, quasi trecentorum cubitorum longitudinem in corde tuo metiris. Quando autem universitatem fidelium consideras, quasi in mensuram quinquaginta cubitorum cor tuum dilatas. Quando vero scientiam divinæ Scripturæ studio et assiduitate comprehendis, in altitudinem triginta cubitorum cor tuum erigis. Longitudo igitur arcæ in tempore est, latitudo in multitudine, altitudo in operum quantitate. Sive etiam longitudo considerari potest in gestis, hoc est hisiora, latitudo in sacramentis, hoc est allegoria, altitudo in virtutibus, hoc est, tropologia, ut in his finibus concludatur omnis Scriptura divina. De his scriptionibus in alio quodam libro, quem *De arca* composuimus, plura diximus, quæ omnia hic recapitulare non oportet. Hoc autem solum restat ut intremus in hoc salutare habitaculum, quatenus et mala ista quæ foris sunt effugere et delectationes illas dulcedinis Dei, quas ipse abscondit diligentibus se, intus valeamus invenire. Hæc est enim domus Dei et cella vinaria, quo rex sponsam suam introduxit, ut ordinaret in ea charitatem suam (*Cant.* I), quam si semel ingressi fuerimus, poterimus, Deo juvante, tam facile in illa jucunditate universa mundi hujus oblectamenta despicere quam in illa securi adversa non timere.

I. Quomodo intrabimus in domum Domini? D. In multitudine misericordiæ ejus. I. Quid est

A in multitudine misericordiæ ejus? D. Quia multa est miseria nostra, idcirco multitudo misericordiæ nobis est necessaria. Quoties enim mens ad semetipsam redire, suosque affectus et cogitationes pariter ad secretum internæ contemplationis retrahere nititur, tot obsistentes aditum ei ingredienti præcludunt, quot vitæ veteris desideria ad priscæ consuetudinis discursus, erroresque ipsam retrahendo stabilem esse non sinut. Sed expetenda est atque imploranda divina misericordia, quæ nos promoveat quoties ab ingressu quietis intimæ nostra miseria nos retardat. I. Ecce ingredimur in domum Domini quandiu permanebimus in ea? D. Donec transeat iniquitas, donec cessent aquæ diluvii, in arca nos esse oportet,
B postea securi exibimus, quia finito hoc sæculo non erit amplius quod timendum sit, quando nec mundus foris caducum, nec homo intus corruptum aliquid habebit. I. Et postquam ingressu fuerimus in domum Domini, quid ibi faciemus? D. Erimus in pace perpetua et jucunditate. Omnes enim qui ibi manent, non laborant neque solliciti sunt, quia nec indigentia illic est præsentium, nec timor futurorum. I. Quid ergo faciemus ibi, si non laborabimus? D. Unum est ibi omnium contemplari mirabilia Dei, et laudare eum in operibus suis. Et si onerosum tibi non esset, unum exemplum proponerem, in quo quemadmodum in illo interiori cordis habitaculo conversari debeas, patenter demonstrarem. I.
C Imo vero hoc vehementer expeto, nec onerosum ullatenus esse poterit, quod des derantem animum ad effectum desiderii sui perducit. D. Habitaculum illud interius, quod propter varias rerum similitudines, nunc arcam, nunc domum appellare solemus, quasi domus est divitis patrisfamilias, animus autem quasi filius delicatus, qui in domo patris sui tantum delicate nutritur, quantum, tenere diligitur. Considerimus ergo quomodo vivat parvulus in domo patris sui, quia in domo Dei opportet, et nos taliter conversari. Ipse namque dicit: *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XXVIII). Quid ergo parvulus facit? D. Non est solllicitus, nec concupiscit, ludo simplici, et innocenti exercet se, in tantum domestica
D diligit, ut ad regnum etiam translatus magis antiqua requirat, et solitis interesse desideret. Cognoscit possessionem patris sui, nunc in campo nunc in horto, nunc in pomeriis, nunc in pratis, nunc ad fontes, nunc ad vineas discurrit singulis anni temporibus, proprias delectationes habet. In vere arantes et seminantes sequitur, in æstate metentes et in antumno vindemiantes comitatur. Ubique pastum, ubique jocum, ubique refectionem, ubique delectationem invenit, et præter illas quotidianas et domesticas epulas, quibus domi pascitur, etiam foris cibariis servorum nonnunquam degustatis ad priores delicias renovatur. Gaudet novellos fructus decerpere, et spicas etimmaturis adhuc granis igne tostas confricare betros maturescentes eligere, avicularum nidos

explorare, et vel ova, vel pullos inventos cum magno gaudio et tripudio domum deportare, et quasi de sua venatione, licet tenui, magis quam de alienis copiis refectionem quærere. Si forte cognoverit patrem suum quoquam iturum sive ad villam, sive ad castellum, sive ad nundinas, sive ad solemnitates, et in proximo rediturum, optat simul ire ut illa nova, et insolita videat, ut reversus possit sodalibus suis narrare quæ viderit, quis cultus homininum, quis situs locorum, quæ magnitudo urbum, quæ celsitudo domorum, quæ copia rerum venalium, quod invenerit, quod emerit, quod attulerit. Reversurus ergo libenter exit, sed si quis exilium, unde reditus amplius sperari non posset, ire eum compelleret, non sine magno gemitu et dolore de patria domo exiret. Libenter ergo exit, ut redeat, videre ea quæ foris sunt, aliquando appetit ut vel ditior vel recentior ad sua revertatur. Mansionem autem perpetuam non nisi in domo patris sui, et cum domesticis ejus, inter quos natus, et cum quibus enutritus est, habere desiderat, cum illis vivere et inter illos senescere, ab illis optat nec in morte separari, ut nec moriens deserat, quos vivos, et notos, et charos habebat. Hanc cupit semper habere societatem, hanc mansionem, has delicias, hanc jucunditatem. Nihil extra requirit, nihil amplius concupiscit. Taliter studeamus conversari in domo Domini, et inveniemus pacem pariter, et requiem, et jucunditatem. Simus simplices aliena non concupiscentes, delectationes quas nobis Deus præparavit, quæ in domo ejus inveniuntur, magis quam oblectamenta mundi hujus amantes. In eis jugiter exerceamus cor nostrum. Lætificemus animum nostrum, accendamus affectum. abemus ibi fontes lucidissimos. Habemus prata florida, campos planos et spatiosos, vineas uberes, greges fecundos, messem fertilem, pomaria fructifera, hortos irriguos, et omnium deliciarum genera, quæ mens bene potest petere vel feliciter possidere. I. Dic, oro apertius, quænam sint hæc, quæ recitasti, oblectamenta. D. Arbores fructiferæ sunt homines justi bonorum operum exempla nobis ad refectionem portantes, fontes sunt sapientes, campi humiles, vinæ per disciplinam semetipsos excolentes, diversis virtutibus quasi horti, et prata vernantes, messe laboris sui alios reficientes, et gregem fidelium verbo, et exemplo alios ad fidem trahendo, et quasi pariendo multiplicantes. Has delicias in domo Dei extrinsecus habemus, exceptis illis singularibus epulis, quibus mater gratia nos intrinsecus quotidie saginat et reficit. Ingrediamur ergo nunc, et Dominus dux erit nobis, ut dirigat gressus nostros in semita mandatorum suorum, ut recolentes miserationes ejus, quæ a sæculo sunt, in ejus amore exerceamus cor nostrum, et accendamus desiderium (*Psal.* CXVIII). Cum autem ingressi fuerimus, ego ducam te præcedens per omnia a prima fronte domus usque ad interiora penetralium, in longum, et latum, et altum, universa lustrabimus cænacula, et tristega, tandem conscendemus et non cessabimus donec ad solium regis perveniamus. De ambulabimus per cuncta opera restaurationis nostræ ab exordio usque ad consummationem sæculi secundum decursum temporum, eventus rerum et facta hominum. Cumque intrinsecus quæ sunt contemplati fuerimus, ego aliquando aperiam fenestram arcæ, et alternatim ea, quæ foris sunt, respicientes in aquis hujus diluvii oculos mentis renovabimus. Magis enim delectabile erit alternis vicibus, nunc ea, quæ evasimus quasi de quadam statione, mala prospicere nunc ea quæ invenimus et possidemus bona reductis ad interiora oculis considerare. I. Arctius ipsa bona amabimus, si vicissim miseriæ quoque et periculi semper reminisci, semper moneri studuerimus. D. Tuum ergo erit ex omnibus, quæ vel intrinsecus vel extrinsecus videris mirabilia, quantum volueris et dignum judicaveris interrogare, meum autem erit quantum voluero tuis interrogationibus respondere. Introducam autem primum te in partem superiorem domus, hoc est in frontem, quæ est ad orientem ut ingressus noster simul fiat ab initio mundi, et ab initio sæculi. Nam quia longitudo domus trecentorum est cubitorum, superior frons orientem tangit, inferior autem usque ad occidentem pervenit. Latus vero sinistrum ad austrum et dextrum ad aquilonem respicit, qui divita providentia decursum rerum sic ordinavit, ut ea quæ in principio sæculi facta sunt, in oriente quasi in principio mundi fierent, tandemque decurrentibus temporibus ad finem sæculi rerum summa ad occidentem descenderet, hoc est ad finem mundi; ideo primus homo postquam creatus est, positus est in paradiso; in plaga orietali, ut inde quasi a principio mundi per omnes terras proflueret universa propago generis humani. Deinde caput regnorum primum in oriente apud Assyrios fuit, novissimis autem temporibus sæculi ad Romanos in occidente positos potestas summa descendit. Incipientibus ergo nobis ab origine rerum omnium et per opera restaurationis secundum longitudinem arcæ decurrentibus ad finem et consummationem universorum, semita strata est per medium sæculi, ut transeuntibus a latere hinc inde pateant quæcunque sive ad aquilonem sive ad austrum, hoc est, ad dextram et sinistram quasi extra arcam in diluvio fiant. Spatiosa quidem, sed non fastidiosa erit ista deambulatio, ubi intrinsecus tantarum rerum varia oblectatio transeuntibus erit obvia, et rursum per fenestram prospicientibus foris tam mirabilis confusio et fluctuatio mutabilitatis mundanæ, oculis longe lateque de alta specula ac firmissima statione intuentibus erit subjecta. I. Ecce ad principium mundi ingredimur, sed ego cum oculos retrorsum flectere incipio quasi extra mundum, et ante tempora quid sit scire cupiens nihil video. D. Ab alto exordio interrogationes tuæ initium summunt.

—

LIBER TERTIUS.

Intermissis rebus transeuntibus, inquiritur de divinis. Interloquuntur autem *A* et *R*, id est, ut ego interpretor, Anima et Ratio.

A. Quoties Dei æternitatem mente volvo, qualiter aut ubi ante rerum omnium principium exstiterit, nullatenus comprehendo. Ubi enim esse potuisset, cum non esset aliquid ubi esse potuisset? Hoc itaque meam considerationem perturbat, quod invenire non possum ubi Deus fuit quando præter Deum nihil fuit. R. Si consideres omne quod est, et perpendas totum hoc ubi est, quis extra locus erit? Totum capiat cum nihil sit, quod totum non capiat. Si ergo universitatis locum non invenis, quomodo universitatis auctorem loco concludis? Non enim propterea Deus mundum fecit, ut mundus contineret Deum, quasi stabilis esse non potuisset fulcimento carens, sed sicut æternitate totum præcessit, ita immensitate totum exedit nullo indigens, si neque operis sui perfectione consummatus, cui sine illo, et cum non esset nihil defuit, et ex illo cum factum esset nihil accessit. A. Quare ergo fecit Deus creaturam, si bonum ejus auctum non est per creaturam? R. Charitate non necessitate fecit Deus opera sua, non ut ab eis bonum suum augeret, sed ut eis bonum suum impenderet. Fecit enim rationalem creaturam, ut eam in se beatificaret, cui quidem ad obsequium cætera omnia subjecit, seipsum in præmium ad gloriam proponens. Ut ergo laus Dei consummata esset, visibilia et invisibilia omnia uno commercio sociavit, quia rationalem creaturam, quam ad gloriam suam condiderat, partim jussit in sua puritate persistere, partim eam corporeis indumentis et terrenis mansionibus copulans, luteam materiam fecit ad vitæ sensum vegetare. Hæc autem dispensatio Creatoris magnæ fuit machinationis principium, quia in eorum conditione prius ostendere voluit, quod postmodum in eis ipse ex dignatione facturus fuit. Ad ostendendam ergo æternam charitatem, facta sunt exemplaria nova et infimorum summa imis sociata sunt, quia summorum ima summo omnium socianda sunt, ut quod esset corpus spiritui, hoc esset spiritus Conditori. Nam quia in rebus conditis nihil excellentius est spiritu, nihil terra infirmius vel corruptibilius invenitur, dum corpori humano de te terra facto, et corruptibilem materiam habenti rationalem spiritum, id est animam rationalem sociam tribuit, in unum quodammodo consortium summis ima conjunxit, præmittens, scilicet futuræ societatis exemplum, ut quod tunc esset in conditione corpus spiritui, hoc postmodum fieret ex dignatione assumptus spiritus sibi. Sicut enim excellentiam spiritus infirmitati corporalis naturæ conjunxerat una creationis conditio, ita humilitatem creaturæ spiritualis sociare debuerat excellentiæ Creatoris una pietatis dignatio. A. Cum constet rationalem spiritum, qui ad vegetandum corpus humanum datus est, excellentiorem fuisse in sua puritate perstitisset, quomodo ad charitatem facientis pertinuit, quod ad depressionem patientis accessit? R. Quoniam ad hoc in parte humiliata est, ut in toto sublimaretur rationalis creaturæ conditio, ut mirabilius postmodum sublimis fieret, quo sine miseria prius ex parte humiliata fuisset. Quia enim omnis illa natura socianda fuerat in gloria excellentiæ Creatoris, expediebat ut prius disceret quantum infra illum esset per naturam, quæ copulanda illi fuerat, et quodammodo coæquanda per gratiam, ut inde amplius diligeret munus gratiæ in gloria, quo verius cognosceret conditionem naturæ in humiliatione sua. Comprobavit ergo Deus potentiam suam fingendo hominem, quam postmodum exhibiturus erat hominem glorificando, ut sciret homo, quod si potuit Deus tam disparem naturam corporis et animæ ad unam fœderationem atque amicitiam conjungere, nequaquam ei impossibile futurum rationalis creaturæ humilitatem, licet longe inferiorem, ad suæ gloriæ participationem sublimare. Et si tanta fuit sapientia Conditeris in societate animæ ac corporis temperanda, ut tam excellenti naturæ non solum pœna non sit vel miseria inferioris consortium, sed hoc ei pro summa pœna constet, cum ab ea lege mortalitatis addicta morti, cogitur pati divortium, quanto magis ineffabilis erit, cum sibi factam naturam eamdem per charitatem uniens, illam veram summeque beatam vitam, vitæ alteri a se factæ ad æternam vitam infundens, felicem beatamque unionem nunquam dissidium passuram efficiet.

A multum tamen charitatis privilegio refragari videtur, quod spiritualis naturæ lutæ substantiæ copulata est, quia licet exemplum illis profuerit ad agnitionem charitatis, qui in sua puritate permanserunt, tamen quantum illis detraxerit gloriæ, qui humiliati sunt, constat. Quapropter, quantum illi amplius gratiæ debent, qui sine depressione edocti sunt, tantum justæ querelæ adversus charitatem habere videntur, qui propter aliorum eruditionem sunt humiliati. R. Sed recompensatur glorificationi, quod datum non est humiliationi, et tanto in exaltatione amplius accipiunt, quanto minus in conditione acceperunt. Quia enim per terram carnis puritati aliorum homo subjicitur, postmodum per gloriam ejusdem carnis ad consortium angelorum sublevatur, ut non solum de sui clarificatione spiritus gaudeat, sed ut illius quoque gloria, cujus infimitas ei detrimento fuisse visa est, in augmentum glorificationis accedat. Sic igitur plus angelis in conditione datum est, sed hominibus in glorificatione am-

plius est collatum, quia in eo quoque ad gloriam conscendunt, in quo paulominus humiliati a gloria inferiores fuisse visi sunt, ut in una charitate similiter gaudeant, qui ad unam charitatem vocati, et ad unam claritatem conditi, unam gloriæ mensuram dissimili licet distributione percipientes exultant. Ergo Deus spiritum rationalem, quem ad suam gloriam condiderat, ita, ut dictum est, dispari sorte disponens, partim jussit in sua puritate persistere, partim ut corporibus terrenis sociatus ad vitam ea, et sensum animaret, illis quos in sua puritate reliquerat, sursum in cœlo mansionem constituens ; illos vero, quos corporibus terrenis sociaverat, deorsum in terrena habitatione disponens utrisque regulam obedientiæ proponens, quatenus et illi ab eo ubi erant non caderent, et isti ab eo ubi erant ad id, ubi illi erant ascenderent, ut cum isti pervenissent, illi non discessissent supra id quod facti erant, ad id quod facti erant pertingerent, ut cum eo essent a quo facti erant. A. Quia propositum nostrum ad hominis conditionem specialiter respicit, ad ea quæ de ipso post hæc dicenda sunt, narrationem deflecte. R. Posuit ergo Deus hominem in paradisum quasi in locum disciplinæ et scholam virtutum, ut ibi per obedientiam mandati exercitaretur, accepturus si persisteret præmium, si prævaricaretur, pœnam. Quapropter in paradiso solum bonum, sed non summum positum est, ut in eo quod solum erat bonum a puritate virtus inciperet, in eo autem quod summum non erat bonum esset quo exercitata proficeret. Sed quia homo prævaricando obedientiam deseruit, sententia maledictionis percussus, in ea quam incorruptam acceperat natura pœnam mortalitatis, quam ad omnem posteritatem suam transmitteret, seminandam accepit. Hic omnes homines ex radice vitiata mortales, procreati, testimonium primæ prævaricationis asserimus. Et quamvis quidem per gratiam ad vitam renascamur, omnes tamen per naturam ad mortem nascimur et damnationem.

A. processus sæculi deinde qualis fuit ? R. Protoplastus Adam ejectus a sede paradisi, ut pater fieret qui non erat filius, ex ea quam latus edidit, et costa produxit, duos genuit divisionis signum et divisionis principium, propter quod ex illa perditionis massa jam tunc dividi inceperunt vasa iræ et vasa misericordiæ. Nam justum impius zelando dum noluit mutare quod fuit, non potuit tolerare quod vidit. Peremit itaque frater fratrem affectum naturæ oblitus, et ne periret, signo perditionis accepto, vagus et profugus super terram effectus est. Testem quippe sui sceleris fugere volens, et conscientiam non valens, tremens et stupens, seorsum solus habitare cœpit, propterea societate hominum indignus, quod societatis amicam et concordiæ vinculum pacem disrupit primus. Adam autem, cum esset centum triginta annorum, genuit Seth pro Abel quem occiderat Cain, eo quod semen justum omnino perire non potuit. Seth autem centum et quinque annorum A genuit Enos, qui cœpit invocare nomen Domini, non quidem religionis institutor primus, sed paternæ devotionis egregius imitator effectus. Enos vero nonagenarius genuit Cainam. Cainam autem septuaginta annos habens genuit Malaleel. Et Malaleel sexaginta quinque annorum genuit Jared. Jared autem centum sexaginta duos annos vixit, et genuit Henoch. Et vixit Henoch annos sexaginta quinque, et genuit Mathusalem, et ambulavit Henoch cum Deo. Postquam autem genuit Mathusalem, vixit trecentos annos, et non comparuit ultra, quia tulit eum Deus extra homines mansurum, et ultra homines victurum, ut vivus nasciturum, exspectaret socium, postea cum socio interiturus. Mathusalem autem cum vixisset centum octoginte sep- B tem annos, genuit Lamech. Vixit autem Lamech centum octoginta duos annos, et genuit Noe consummationis terminum, et perfectionis signum sub quo finem haberet iniquitas, reparationem mortalitas, æquitas consummationem (*Gen.* V). Porro Cain filius Adam, auctor discordiæ et divisionis caput propaginem generationis seorsum extendens, primo genuit filium, quem vocavit Henoch, ædificavitque civitatem, quam appellavit Henoch ex nomine filii sui, ostendens quod in hac vita mansionem quæreret, et ad illam, quæ in futuro sanctis servatur, hæreditatam se posse pervenire desperaret. Henoch autem filius Cain genuit Irad, et Irad genuit Maviael vero genuit Muthusael, et Mathusael genuit Lamech, qui oc- C cidit Cain (*Gen.* IV), ut qui in primo filio suo mansionem dedicaverat, acciperet in septimo perditionem. Sicut econtrario in linea justorum Abel primus occiditur, et Henoch septimus, qui interpretatur *dedicatio*, non mortuus sed translatus memoratur, qui nimirum prius in hac vita mali quidem gaudent, sed boni tribulationem sustinent, et post cum mali pereunt, tunc boni plene a malo liberati ad vitam et gaudium sempiternum pertingunt. Lamech igitur *accepit duas uxores, quarum uni era nomen Ada, alteri Sella (ibid).* primus incontentiæ exemplum proponens, prius imitator patris, post interfector futurus. *Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum* (*ibid*), superstitionis sci- D licet atque avaritiæ inventor, et *Thumal* [Jubal], qui *fuit pater canentium cithare et organo* (*ibid*) lasciviam atque luxuriæ mollitiem secutus. *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri* (*ibid.*), furori videlicet arma ministrans. Noeman quoque genuit Sella sororem Tubalcain, quæ indecima generatione sua transgressionem malorum significat, et novissima intentionem demonstrat. Quid est enim quod in generatione malorum femina novissima ponitur, nisi ut patenter detur intelligi, quod pravorum intentio omnis ad delectationem carnalem dirigitur ? Omne siquidem quod agunt in hoc fine constituunt atque inde Dei præcepta transgrediuntur unde se ad promissa ejus non extendunt.

A. Valde admiror, et stupeo in memetipsa cum

dispositionem divinam in rebus transactis considere quoniam ex ipsa rerum prætereuntium ordine nescio quo pacto fixam quamdam providentiam attendo.

R. Quid mirum? Quia enim Deus nobis per opera sua loquitur, quid aliud quam vocem loquentis ad nos percipimus, cum oculos mentis nostræ ad consideranda mirabilia ejus aperimus?

A. Perge igitur, et prosequamur ea quæ restant, ut in his quæ facta sunt invenire possimus eum qui fecit. R. Breviter ad memoriam revocanda sunt quæ diximus. A primo namque parente incipientes duas generationes seorsum extendimus, alteram per Seth, quæ numeri simul et progressionis suæ metam in denario collocavit, alteram vero per Cain, id est malorum, cujus porrectionem septenarius continuit, multitudo autem usque ad undenarium se effudit. Præceperat autem Deus, ne generatio justorum propagini impiorem misceretur, ne forte succum amaritudinis traheret, si vitiatæ radici inserta fuisset. Primo servabatur mandatum Dei, permansitque diu utrorumque discreta religio. Procurrente anni tempore dum mora negligentiam aleret, simulque cupiditas persuaderet præsumptionem, vicit tandem amor carnis reverentiam Creatoris. Et *videntes filii Dei filias hominum*, hoc est fideles impiorum filias, *quod essent pulchræ*, elegerunt sibi ex omnibus quascunque voluerunt, et *ingressi ad eas genuerunt* homines peccatores, semen nequam, qui per impiam superbiam Deum contemnerent, et malis quotidie operibus iram atque furorem ultionis divinæ in se provocare non timerent. Et *pœnituit* Deum *quod hominem fecisset in terra* (*Gen.* VI). Pœnituit Deum, non sui mutatione sed nostri. Pœnituit, non quia ipse male fecerat, sed quia quod bene fecerat ipse, a bono defecerat. Ideo pœnituit Deum non corrigendo quod fecerat, quia bene fecerat, sed corruptum cernens quod ipse sine corruptione ad incorruptionem creaverat. Non ergo pœnituit eum de suo, sed de nostro pœnituit eum pro suo, quia quod suum erat bonum erat, quod nostrum erat malum erat, et in suo erat. Non enim alibi potuisset esse malum, quod nostrum erat, nisi in suo quod suum non erat, et ideo mota est pietas, ne periret bonum a malo, quod factum non erat ad malum. Pœnituit ergo Deum quod hominem fecisset in terra, et voluit delere de terra quod malum erat in terra, et nisi justus stetisset coram eo, periisset radix generis humani cum vitio suo et totum corruptum cum corruptione subiisset judicium, nisi misericordia interveniente et gratia veritas liberasset justum. *Noe* enim *invenit gratiam coram Domino, et erat Noe vir justus atque perfectus in generatione sua (ibid.)*, et ideo invenit gratiam, quoniam, etsi erat comparatione pessimorum justus, ut placere debuisset ne periret, erat tamen cur et ipse judicium evadere non potuisset, nisi gratiam inveniret. Invenit ergo gratiam justus ne periret, quia etiam hoc prius ex gratia acceperat, ut justus esset, et subeunte mundo

A exterminium servatus est in mundo sine mortis periculo, qui vixerat in mundo sine dolo. Justus quippe erat nec sine peccato erat, sed sub peccato non erat, quia gratiam invenerat. Propterea monstratum est ei in quo salvus esse potuisset, lignum, et venientibus aquis illæsus permanere sub arcæ culmine, quam ipse fabricavit jubente Deo, ut in futuro sæculo semen servaretur.

Amo igitur sexcentesimo vitæ Noe *inundaverunt aquæ diluvii super terram (Gen.* VII), et deleta est omnis caro de sub cœlo in terra. Et erat *Noe* in arca ipse, *et uxor ejus*, tres *filii ejus*, *et uxores filiorum ejus* (*ibid.*), octo animæ ut viverent et non perirent cum mundo in signum futuræ posteritatis, et sacramentum resurrectionis,
B qui primum judicium in aqua salvi evafierent, ut consummationis in igne formam demonstrarent. A. Magna valde et stupenda sunt universis opera Dei, quibus non solum præteritorum scelerum exercet judicium, sed et futurorum format exemplum. Quæ mens in horum consideratione non corruat, ut non dicam subsistat, nec tota dissolvatur a semetipsa in perscrutatione? Sed quia ipsa, quæ pro miraculo et districtione pertimescimus, pro veritate libenter amplecti debemus, ut ea non sentiamus ad damnationem, semper audire ad eruditionem studeamus. R. Noe intra claustra arcæ sævientis diluvii periculo tutus columba indice in ramo olivæ virentis cum didicisset, quod cessassent aquæ super terram, exivit de arca Deo
C referente claustra, ac patefaciente in principium sæculi venturi. Et educta sunt pariter omnia animantia, quæ inibi servabantur in posteritatis propaginem super terram. Sed et Sem, et Cham, Japhet, filii ejus, et uxores eorum cum eo : et cœpit iterum mundus alio exortu prodire prioris generationis damna compensans (*Gen.* VII-X). Et erat genus humanum, stirpe jam triplici, totum ut cresceret, quo ex una radice prodierat. Sem ergo et Japhet honorem dantes principio suo benedictionem meruerunt super terram et multiplicati sunt in hæreditate promissionis. Cham maledictionis hæres in filio suo dolorem possidet quem ipse prior intulit paternitati. Disseminatum est deinde genus humanum, et multiplicata sunt
D iterum mala, et supervenerunt pariter excogitantes cogitationes malignas, ut se contra Deum erigerent, et ædificarent ædificationem in cœlo, qui corde erant in terra. Hoc fecerunt filii hominum provocantes iram de excelso, nec recordantes judicia mutuenda, et putaverunt ascendendo sine pœna peccare, ut aquam evaderent in igne judicandi (*Gen.* XI) Et ecce machina illa contradictionis in sublime cacumen extulerat, et lætabantur impii vota sua completum iri in malum, cum subito respectus desuper linguas omnium confundens malignam conspirationem dissipavit et dispersi sunt ex eo loco in omnem terram malitia non recedentes ab invicem. In hoc tempore surrexit Heber patriarcha magnus, ut non deficerent viri virtutum, qui nomen bonum et dilectum Deo posteritati reliquit, ut sciant ii, qui Deo placent,

quoniam transire oportet et recedere a generatione pessima. Deinde venit Abram (*Gen.* XIII), nominis patrum hæres, et egressus jubente Deo de terra sua, de Ur Chaldæorum transivit, ut veniret in terram promissionis quia illam promiserat ei Deus. Hæc est terra dilecta Deo, quæ ab initio fundata est, et præparata iis, qui hæreditatem possidebuat, non illa gentium quæ contaminatur ab impiis, sed illa, quam non vident, nec inveniunt nisi beati. Hæc terra in cœlis est figuram habens in terra, non quod bonum hominis in terra sit, sed quia signo in terra quæritur, quod in cœlo a spiritu possidetur. In terram itaque Chanaan venit Abraham, et fuit perehrimus in ea omnibus diebus, spe promissionem expectans, et non minoratus est obedientia propter dilationem, ut non immolaret unigenitum, in quo promissionem acceperat, si providentia divina voce desuper lapsa dextram non cohibuisset parentis (*Gen.* XXII). Post eum successit Isaac sacrificium vivum, stans pro patre in gaudium, et ipse decedens reliquit Jacob successorem, qui fuit luctator fortis, ut vinceret et benediceretur. Ex quo duodecim tribus ortæ sunt, et populus sanctus Israel. Post hoc Joseph a fratribus venditur (*Gen.* XXXVII), quem mox secutus pater, cum septuaginta animabis in Ægyptum venit, ut habitaret ibi in tempore angustiæ. Mortuo autem Jacob et filiis ejus, cœpit multiplicari Israel, et crescere vehementer, ut manifestum fieret quod Deus Hebræorum Dominus esset in universa terra. Jam enim erat populus Dei, et gens sancta segregata ab impiorum natione, ex eo pullulare incipiens quo Abraham exivit de Ur Chaldæorum, ut separetur ab iis, cum quibus habitabat, et non fieret unum cum iis, ad quos pergebat. Propterea ergo populus Dei divisus ab impiis a generatione sua primum modicus ut cresceret, ut sciant qui recta gradiuntur via, quoniam oportet a parvis incipere, ut ad magna perveniatur. Potens est enim Deus noster modica exaltare, et alta deprimere, ut non habeat homo fiduciam in magnificentia sua, quia spes hominis mortalis est sicut ipse homo.

A. Magni isti et potentes virtutibus viri in sæculis suis, cum quibus Deus locutus est secreta sua, qui oculis suis antiqua viderunt, quæ nostra generatio miratur præterita. Velim autem nosse quales illi fuerunt, inter quos isti conversatione probati placuerunt, ut alterutrum hinc bonorum æmulatio provocet, illinc malorum despectio exemplum patientiæ confirmet. R. Erant temporibus illis mali potentes in sœculo numerositate, et viribus atque divitiis in tantum superiores, ut bonorum vita inter eos posset esse, sed cognosci ab eis perpaucitate non posset. Jam tunc enim regna mundi in filiis hujus sæculi cum magno fastu et pompa surgentia, a quatuor plagis mundum cinxerant quasi proprium possessura; Assyriorum ab oriente, ubi primus regnavit Belus; et Sycionorum ab occidente, ubi primus regnavit Agialeus et Sytharum ab aquilone, ubi primus regnavit Thanus; et Ægytiorum a meridie, ubi primus regnavit Mineus. Sed Assyriorum regnum potentia et viribus famosissimum post Belum Ninus filius ejus obtinuit, qui patris affectum orbatus consolari volens sculptilibus ad paternam imaginem fabrefactis idololatriæ exordium jecit. Dum enim memoriam parentis per vultus sculptiles apud homines perpetuam facere voluit, posteris causam primam nescientibus exemplum erroris reliquit. Videntes enim homines putaverunt divinum aliquod imaginibus præsentari, et culturam exhibentes sculptili Bel fecerunt, famosum malum in terra. Inde alii post alios mutuato [*al.* imitato] errore cum nomine, singuli per linguas suas una vanitate diversa numina, Bel et Belial, et Baalim, Beelzebub quoque et Beelphegor vocaverunt. Et sic quidem sculptilium culturam humanus error suscepit, quam prius stultitia humana vana pietate instituit. Ninus autem regnum Assyriorum virtute et industria ampliando totam pene Asiam tandem suæ ditioni subjecit, qui et Zoroastrem regem Bactrianorum bello superans interfecit, et ejus malefici codices igne concremavit, ut Dei justitia, quæ cuncta disponit, recte in hoc victoriam præstitisse videatur impio, ut impietas non regnaret. Hujus itaque anno quadragesimo tertio Abraham patriarcha natus est, qui tunc quidem obscurus latuit inter potentes hujus sæculi, magnus futurus et excelsus in regno Dei. Post Ninum Semiramis uxor ejus gubernandum suscepit imperium, quæ virilem habitum assumens, virtuti artem superadjiciens. Indos quoque extremos populos bello perdomuit, et ad ultimos usque fines terræ dilatans imperium, Babyloniæ muros incredibili humanis mentibus amplitudine exstruxit, confusionem extollens ut iret ipsa in opus suum. Nam tandem in ultima confusione a filio per incestum cognita abominandum cunctis scelus perpetrans, primum viscera sua per libidinem polluit, postea in viscera sua ulciscentem parricidio maculavit, justo scelere ab eo interfecta, quem scelere majori ipsa necaverat [*al.* polluerat]. Suscipiens ergo filius post mortem matris lugubre imperium hæres factus est, et tyrannus, trucidatæ parentis successor violentus effectus. Post hunc cucurrit Assyriorum imperium exempla scelerum ad posteros transmittens, ut in libidine semper et sanguine versarentur, qui libidinis pariter et sanguinis tam crudele ac detestandum ab initio documentum acceperant. Nec enim decuit Babyloniæ regnum aliis studiis ampliari, nisi ut immunditia et crudelitate grassarentur filii confusionis. Et quis omnes horum temporum pestilentias et confusiones enumerare queat, quæ per orbem terrarum regna mundi invicem se collidentia passa sunt? Nam et Scythæ, et Amazones his temporibus seminarunt novum ac singulare malum in terris; et Ægyptus supra se vires effundens, et quasi intumescendo terminos suos egrediens, dum aliena inconsulte appetit, propria amisit, multa sunt alia, quæ dinumerare si nunc conaremur, ne illis quidem solis propositum nostrum sufficere potuisset, sed nos in parte totum judicantes, videamus quanta sit confusio

hujus mundi, et quemadmodum nihil tutum esse possit in terra, gratias agentes quod hæc omnia mala jam mente secura contemnimus, et quasi de tuta statione fluctuantem, et bullientem in se mundum sine periculo admiramur. A. Revertamur iterum ad domesticam narrationem, quia magis nunc libet audire quæ vera sunt, quia vana et falsa audiendo quantum illa fastidio, tantum ad ista inardesco.

LIBER QUARTUS.

De inquisitione mysticæ arcæ, et de contextu historiæ sacræ et profanæ, per quam cognoscitur etiam regnorum instabilitas; concluditque, rebus transeuntibus prudenter utendum. Loquitur autem in exordio, ut opinor, Ratio significata per *R*.

Cum tempus jam advenisset, ut educeret populum suum Deus de Ægypto, apparuit Moysi in rubo per ignem ostendens charitatem (*Exod.* III); quia ipsa est, quæ liberat a morte, et non est qua Deus ad hominem veniat nisi per charitatem. Dedit ergo mandatum, ut educeret filios Israel de Ægypto in prodigiis, et plagis, et portentis, ut ostenderet mirabilia sua, et scirent omnes gentes, quod Deus ipse est omnipotens. Venit Moyses in præcepto, et scindens mare Rubrum virga aperuit, ut daret viam populo eunti ad salutem. Educta ergo sunt agmina filiorum Israel de Ægypto per semitam abyssi, quos Pharao secutus in virtute sua cum curribus et exercitibus absorptus est quasi non fuisset, et populus liberatus laudem Domino decantavit (*Exod.* XIV). Dehinc per deserti viam gradientes cœleste obsequium comitatur in columna nubis et ignis præeunte viam ostendens in invio, in æstu umbram præbens, et lucem in tenebris (*Exod.* XIII). Cœli manna pluerunt, et spiritus congregavit volatilium multitudinem. Petra autem fudit potum ad mensam filiorum Dei. In tantis mirabilibus significavit se Deus hominibus, ut in Sina legem daret, et mandata, et tabernaculum cœlestium imaginem, et arcam fœderis æterni cum tabulis consignatis. Post annos quadraginta ascendit Moyses in montem, et vidit terram de longe, et contestatus populum de ritu sacro mandatorum decessit in pace (*Deut.* XXXIV). Tunc Josue minister ejus surrexit, et traduxit in terram promissionis filios Israel. Non enim potuit Jordanis sustinere sacra mirabilia, sed deterritus fugit, et viam patefecit, ut transirent agmina exercitus pugnaturi (*Josue*, I). Tunc Josue gentes præliis delevit et divisit terram tribubus duodecim in funiculo distributionis (*Josue*, XV). Post hunc Othoniel populum judicavit, et Sangar sexcentos stravit viros vomere (*Jud.* III). Aioth in populi liberationem periculo se dedit, et regem alienigenam mundius crudelis exstinxit. Debbora quoque in verbo prophetia confortata, Sisaram in torrente Cison, et Jabin, multitudinem eorum dispersit, et delevit hostes Dei victoria gloriosa (*Jud.* V). Dehinc Gedeon vellus expandit in arca, et rore concepto, et ipse novo triumpho lagenas et lampades cum trecentis a flumine portavit, ad bellum (*Jud.* IX). Abimelech autem cerebro excusso, et vertice contrito parabolarum omen invenit rhamnus a lignis silvarum conculcatus (*Jud.* IX). Post hæc Thola, et Jair Judices fuerunt temporibus suis (*Jud.* X). Dehinc Jephte pro victoria belli voto obligatus filiam immolavit, crudele posteris pietatis relinquens exemplum (*Jud.* X). Post hunc venit Abessan judex populi, cui successit Abialon, et ille moriens judicem Abdon habuit successorem (*Jud.* XII).

Hujus temporibus famosa illa cunctis malis suis Troja Myrmidonum manibus excisa concidit, cujus ærumnas, et lamentabiles casus ne te a proposito divertam narrare devito. Post Abdontem venit Samson fortissimus, et ipse salvavit populum suum tempore suo mirabilibus magnis (*Jud.* XIII). Mille viros stravit in mandibula capitis asinini, cum arma non haberet, spiritu irruente in eum (*Jud.* XV). Et portæ fores cum postibus ejus extulit in humeris ad terrorem inimicorum suorum (*Jub.* XVI). Mulier una vicit invincibilem, et virtutem horrendam cunctis feminæ petulantia emollivit. Captus gaudium fecit inimicis suis, et damnatus tenebris sempiternis molæ gyrum ducere jubetur, opprobrium superborum. Sed virtus deifica jam satis ludificato illabitur, et capillo capitis pullulante pristinum robur membris marcentibus reparatur. Quassat columnas lacertis et manibus, et ruente culmine morte sua ulciscitur in hostes (*ibid.*). Plangit Israel, quem miratur salvatorem suum, et quem vivum exegit ad mortem, mortuum agnovit redemptorem. Hinc Heli, quadraginta annis populum judicavit, et ipse stultitiæ suæ exemplum efferens, dum filiorum suorum intemperantiam cohibere distulit, pœnam cum filiis pereuntibus corruens dedit (*I Reg.* I). Tunc arca Dei in alienigenas deportatur propter peccata populi, sed cadens Dagon truncatus majestati contestatur (*I Reg.* I). Dehinc secreta pudoris putrefacta superbos compellunt consortium timere sanctitatis, et sic arca testamenti ad cultores pietatis remissa est. Surrexit Samuel propheta sanctus (*I Reg.* X *et seq.*), et unxit regem populo, et Saul mandatum non servans abjectus est, obedientiæ virtutem reprobationis exemplo confirmans. Post hæc in Bethleem mittitur in lentisco olivum, et exquiritur inter fratres puer David, qui pascebat oves in deserto, ut rex esset in Israel. Spiritus autem recessit a Saule, ut requiesceret super David, et cum vesania torqueretur impius,

cithara modulamine mystico impetum mitigavit. Cadit Philistæus in gladio suo, et lapide fundæ, et gloriosus bellator capite amputato Goliath tropæum reportavit. Hinc motus invidia rex persequitur innocentem. Sed manus omnipotentis fortiter dirigebat, donec in solio regni humilem collocaret. Cadit in Gelboe Saul, et Jonathas; sed David dilectionis memor planctum levavit super eos. Propterea exaltatus est et magnificatus valde, et nominatus in universa terra. Subjecit hostes in fortitudine, et mensus est terram inimicorum suorum. In diebus ejus exaltatum est regnum Israel, et ipse magnificavit gloriam, et addidit ut ampliaret cultum sanctitatis *(II Reg.* I *et seq.)*. Post eum surrexit Salomon filius ejus *(III Reg.* I. *et seq.)*, qui ædificavit templum Domino, et ostendit sapientiam suam in operibus suis. Non enim erat sapiens in terra sicut Salomon, quem repleverat Deus scientia et intellectu, ut investigaret omnia, et esset scrutator mirabilium secretorum. Sed species carnis decepit cor ejus, et corruit prudentia in conspectu pulchritudinum exterarum. Propter hoc Deus scidit regnum ejus in manu filii ejus, et dedit illud servo suo Jeroboam filio Nabath, ut prævaricatio surgeret in Israel. Tunc recesserunt decem tribus, ne essent cum domo David. Sed judas stetit cum fide, ne rueret gloria Hierusalem. Jeroboam filius Nabath excogitavit malitiam de corde suo, ut firmaret impietate thronum suum, et constituit vitulos aureos, ut gloriam tolleret ab Israel. Ibi cecidit Israel, et Ephraim præcipitatus est, et dereliquerunt Dominum, et abierunt in nihilum, ut delerentur a terra. Tunc surrexerunt prophetæ, et viri scrutatores, et locuti sunt in spiritu, ut averterent indignationem. Et venit Elias Thesbites *(III Reg.* XVII) cohibens pluviam de cœlo, et rorem ne stillaret super terram. Ipse traxit ignem et descendere fecit flammam desuper in ira furoris Domini, ut ostenderet virtutem ex alto (*IV Reg.* I). Prophetæ Baal corruerunt coram eo, et prævaluit solus in testamento sancto, ut daret gloriam Deo. Mortuus surrexit in prece ejus quasi dormiens suscitatus, et ipse curru igneo raptus in æthera non visus est ab hominibus ultra super terram (*IV Reg.* II. *et seq.*). Eliseus rapta chlamide divisit Jordanem, et transivit ut staret in loco ejus spiritu duplicato. Ipse dulces fecit aquas, et cibum mortis condimento mitigavit, revocans et ipse animas abeuntes in tabernacula sua. Agmina missa alia via produxit ad conspectum principis demonstrans in mirabilibus multitudinem curruum ignitorum. Michæas Dominum vidit in solio suo, et regem ipsum constanter arguens, non timuit in comminationibus suis (*Michœ.* I). Jonas ceto absorptus item in siccum projicitur, ut nuntiet in mandato Ninivitis subversionem *(Jonœ.* I, II). Isaias propheta videns et ipse thronum Excelsi ventura prædixit, et consolatus est Hierusalem in tempore angustiæ *(Isa.* I *et seq.)*. Sed in his omnibus non sunt reversi filii Israel a viis suis, ut redirent ad Dominum. Sed ipse quoque Ezechias, qui placere videbatur A Chaldæis, revelavit secreta in gloriationem. Propterea dicit Deus ut traderet populum suum in manus Chaldæorum, et misit Jeremiam sanctificatum ex utero ut ventura prædiceret. Nam Israel persistens in aversione ad Assyrios abierat, et Juda cum Hierusalem non timuit provocare Dominum in iracundia magna. Idcirco locutus est super eos abjectionem, et venit rex Babyloniæ, et transtulit Judam in terram suam in Chaldæos, ut deserta esset sanctificatio. Sed Ezechiel, et Daniel potentes in mirabilibus, viderunt visiones, et regna ventura, et consolati sunt peregrinationem in terra aliena.

Post annos septuaginta revocavit Dominus populum suum in Hierusalem, et Esdras, et Nehe- B mias, et Zorobabel ædificaverunt templum et civitatem. Jesus sacerdos magnus populum gubernavit in tempore suo, et reliquit infulis honorem post se in generationes. Sed cum furor indignationis advenisset, surrexit Mathathias cum filiis suis ut defenderet legem Domini, et prævaluerunt viri virtutum, ut non in perpetuum dominaretur iniquitas. Judas Machabæus terror inimicorum suorum accinxit se ad prælium in fortitudine, et fugavit agmina, et exercitum gentium contrivit, ut staret Hierusalem. Post hunc surrexit Jonathas frater ejus, et dedit se periculo pro gente sua, et ipse salvavit eos in tempore suo. Post hunc Simon frater ejus suscepit imperium, ut pacem poneret in terra. Sed fraude circumventus proxi- C morum decessit, exemplum virtutis posteris relinquens. Joannes autem filius ejus vir gloriosus pro patre stetit munimentum populi temporibus suis. Sed filii prævaricationis pactum testamenti tenere noluerunt, et ideo translatum est regnum ad semen alienum. Venit enim Herodes, qui non erat de Israel, et arripuit sceptrum dominationis in populum, ut ad exortum cœlestis imperii carnale regnum deficeret, et promissus a sæculis rex Israel cum non esset sceptrum in Juda, ut prophetia impleretur, æternum reciperet quod temporale transierat.

A. In exordio magnarum rernm ab integro potius sermonem formare debemus, et idcirco placet, ut prius ea, quæ de superiorum temporum D excursu adjicienda sunt, explicentur, ut in his, quæ ad salutem veram suscipere oportet, finem faciamus. Dic ergo nunc breviter, quas in his, quæ modo cursim transisti, temporibus mundus in suis concussiones et fluctuationes passus sit. Hoc enim conducit, ut ad nostra recentes iterum veniamus. R. Assyriorum regnum, cum multa tyrannide, et sanguinis effusione mundum longe, lateque oppressisset, novissime ad regem vastatorem sui devolutum est. Qui gloriam præcedentium regum vita ignominiosa obfuscans, quasi vir in feminam (primæ commutationis transverso ordine) abierat, ignavia et turpitudine universis odiosus. Hunc Arbaces præfectus Medorum obsidens vitam miseram miserabiliore morte finire coegit, regnumque illud (crudelitate sua ubique famosum) subito prosternens potestatem in Medos traduxit.

Medorum postea regnum Persæ sub Cyro rege destruxerunt; qui et ipse Chaldæorum imperio obtento Babyloniam illam a sæculis famosam et obtinuit et delevit, ne ultra glorietur mundus in sublimi. Cyrus, rex Persarum, magnificus triumphis, tantis rebus effectis nihil ultra sibi obstare putavit, et Tanaim transiens Scytharum regnum manu horrenda invasit. Sed ut ostendatur, quod homo gloriari non debet in semetipso, sanguinem, quem vivus sitiit, mortuus bibit. Deinde Persarum regnum cum multa diu superbia et crudelitate effervens Macedonum tandem manibus subvertitur, et comminutum (quasi per membra corpus pestiferum) dissipatur; hinc Ægyptus reges suos armata tyrannide. Syria vero, et Asia, et Græcia viscera sua mutua crudelitate dilacerant, quousque tandem (cum tempus advenisset ultionis) Roma potestatem suam exaltans omnium regnorum cumulum æmulatur. Sic alternis agitationibus mundus nunquam stabilis esse potest, sed quidquid alteri accrescit, ut surgat, alteri decrescit, ut corruat. A. Satis est hæc modo pro exemplo miseriæ commemorasse, ut ad ea rursum, quæ nos præ oculis semper habere oportet, et nunquam oblivisci, citius revertamur. Hoc ergo nunc, ut arbitror, primum commemorandum secundum narrationis seriem, quemadmodum deficientibus regibus legitimis in Judæa, et arripiente alienigena principatum rex cœlestis sui adventus quasi in hoc causam esse commodiorem voluerit, ut suum vindicaret imperium. R. Licet pro Judææ imperio totius mundi Factor et Dominus ad terras non descenderit, qui totum mundum suo adventu salvare disposuit, tamen quia in Judæa tantum prophetiæ præcesserant, et illis nuntiatus fuit, qui electi erant quasi ministri per quos dispensatio salutis omnium ageretur, propterea adventus sui principium ex eis congrue moderari debuit, qui non pro eis tantum, sed pro omnibus fuit nasciturus. Tamen ei diligentem statum universitatis attendimus, non minus adventum illius ex regno gentium, quam Judæorum intelligi posse manifesta ratione invenimus. Quia enim ille et Judæorum regnum quasi suum vindicare, et gentium regnum quasi contrarium expugnare, et sibi subjicere venit, idcirco et in Judæa alienigenam regnantem, et in gentibus (collectis quasi in unum viribus) regnum stabile ac robustum invenire voluit. Neque enim decuit, ut adversarios tunc aggrederetur expugnandos, quando collapsis viribus in semetipsis ruituri viderentur, ne forte victoria non fortitudini vincentis, sed subacti potius infirmitati ascribenda putaretur. Idcirco exspectavit donec mundus totus in unum vires suas conflasset imperium, et Roma victrix super regna omnia superbo fastu caput extulisset. Tunc ergo dominante superbia humilis venit, ut in sua humilitate celsitudinem mundi sterneret, manifeste demonstrans quantus in sua majestate foret, qui in nostra infirmitate positus, universa subjecit. Nascituro igitur in carne humana Dei Filio, angelus ad virginem mittitur adventum nuntiaturus majestatis, ut virgo, quæ nova lege paritura fuit, novo modo conciperet. Sic Virgo credula Verbum concepit per aurem, ut immaculatam conceptionem generatio incorrupta sequeretur. Natus est ergo in Bethlehem panis cœli, ut reficeret mundum languidum, et positus in præsepio significavit se esse pabulum animalium sanctorum. Huic angeli cum splendore lucis venientes locuti sunt in terra pacem de excelsis et pastores currentes ad præsepium juxta eis datum signum in pannis invenerunt involutum.

Stella Magos rutilans desuper excitavit, et radio splendoris sui cultores Numinis nova novos conduxit ad cunabala. Suscitantur prophetæ, et currunt obviam venienti, Simeon et Anna, exspectantes redemptionem Israel, et suscepto in ulnas puero, mundo nuntiant Salvatorem. Dedicata autem primum Hierusalem civitate sancta adventu suo, ut etiam gentes visitaret, in Ægyptum deportatur ubi, completo tempore quod prædefinitum erat, quasi post introitum gentium ad colligendas iterum reliquias Israel in Judæam revertitur. Interim currente tempore cum virum implesset ætate corporis, æternitatis Dominus, venit ad Joannem apud Jordanem, ut aquas criminibus diluendis suo ingressu sanctificaret, ubi cœlis apertis, et throno Dei desuper coruscante, Spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum, voce pariter delapsa : Tu es *Filius meus dilectus, in quo complacui mihi* (*Matth.* III). His mirabilibus completis tremente Baptista ascendit de Jordane Filius Dei, et exemplum formans conservandæ sanctificationis desertum petiit, habitans eremum in jejunio quadraginta dierum et noctium. Sed ut ostenderetur, quod vita hominis super terram tentatio est, et quod ubique, pugnando vincere oportet, admissus est hostis voluntate permittentis, non sævientis potestate, et proponens suasiones ineptas ratione confutatur, potestate puniendus. Dehinc victor obsequio angelorum honoratus, post jejunium sibi salutem hominum essuriens procedit ad publicum, et manifesta mundum exhortatione contestans nuntiat venisse regnum cœlorum. Pœnitentibus veniam spondet peccatorum, persistentibus in crimine pœnas venturas gehennæ tormenta in judicio extremo præparata annuntians. Et ut veritas ubique manifesta fieret, et nullum latere potuisset, qua via hominem ad vitam redire oporteat, elegit duodecim discipulos ut irent in mundum universum prædicare Evangelium regni, et verbum vitæ hominibus. Ipso autem completo mysterio, et mortem morte sua triumphans, cum reversus fuisset ab inferis spoliato tartaro, videntibus discipulis suis ad dexteram Patris æterni perenniter victurus ascendit, mittens illos in mundum testificari resurrectioni vitæ, et baptizare in remissionem peccatorum credentes in eum. Contestantibus autem angelis venturum ad judicium, et judicaturum mundum in operibus suis, in terrore horribili paventes, continuo profecti sunt pronuntiantes gentibus universis sacra mirabilia. Repleti etenim

Spiritu sancto, miraculis multis et prodigiis verbum confirmaverunt, et cœperunt homines concurrere undique stupentes et admirantes in his quæ fiebant pavescenda. Tunc mundus infremuit, et antiqui erroris ritus corruere cernens amata relinquere noluit, nec suscipere incognita. Trucidantur itaque præcones veritatis, ne falsitas subvertatur, sed patientia morientium irrefragabile præbuit vivis testimonium veritatis. Cadentibus igitur granis paucis seges multiplicata surrexit, quia inde auctus est in vivis numerus fidelium, unde in morientibus minui videbatur. Mirare ergo in duodecim viris mundum debellatum, et qualibus non est multum laboris ostendere, ut miraculum Dei, non hominum sit opus eximium. Pauci numero et despicabiles sapientiam mundi sine eloquentia infatuaverunt, uires autem et ferocitatis impetum patientia prostraverunt. Et surrexit fidelium numerus in universo mundo, aucta fide et florente disciplina exornato sanctorum populo, exsultantibus animis pro regno cœlorum et vita perpetua in pressuris alacres effecti. Tunc ingemuit diabolus vinci se arte sua, et oppressum iri in eo, quo se existimavit servos Dei oppressurum. Vidit enim mundus nova bella, et victorias insperatas, et contemni se in flore suo miratus est prius amatus sterilis. Milites autem Christi regem suum sequentes nec minis, nec blandimentis teneri potuerunt, quippe qui prospera promittentem despexerunt, nec timuerunt adversa comminantem. Propterea cœlestis vita in terra colebatur, et virtutum flores quasi de paradiso Dei in deserto sæculi pullulare cœperunt. Alii martyrio rosas, alii lilia castitate, alii puritate violas plantaverunt, et omnes sanctorum populi mundum sua præsentia et virtute vernantes decoraverunt. Alii miraculis coruscaverunt, alii virtutibus et signis effulserunt, alii secreta cœlorum videre meruerunt, alii ventura prænuntiaverunt, alii dæmones ex obsessis corporibus fugaverunt. Alii gratia sanitatum mirabiles apparuerunt. Alii in populis virtutum exempla efferentes posterioris imitatione digni exstiterunt. Alii secreta eremi penetrantes interioris hominis habitum studiosissime coluerunt. Hi sunt adhuc quos mundus pariter minatur et odit, quorum licet humilitatem superbus despiciat, conversationem tamen attingere non potest infirmus.

A. Quemadmodum in patribus antiquis exempla subjecta virtutem docuerunt, ita nunc oportet æmulationem proposita inspectione novis exemplaribus suscitare. R. Duodecim viri in primis mundum debellaverunt electi a Christo in miraculum concertationis, ut veteres figuras nova veritate adimpleret. Vellus enim carnis jam rorem conceperat Deitatis, et electi de cunctis flumine hausto cum lagenis et tubis ad prælium perrexerunt. Non fuerunt arma miraculo pugnaturis, sed lampades latuerunt dum vasa testea frangerentur. Dextræ tubas bajularunt, ut in omnem terram exiret sonus eorum et honor verbi corporis obsequio in sui clarificatione uteretur, dum

A conscissis viribus in morte carnis lampades miraculorum coruscarent. Non ergo stare potuerunt hostes visis mirabilibus contra Dei bellatores, et castra Madiam in toto mundo timore constrata lumini coruscanti reverentiam præbuerunt. Petrus autem vexillum efferens crucis primus hostes aggreditur, et ut impios sacerdotes debellaret assumpto secum Joanne Verbi amico ascendit in templum. Ad imperium autem libentis claudus prosiliens statim turbas populorum in unum congregavit, et contestante Petro in conspectu omnium resurrectionem in Christo (vitæ et mortis indicium) agmina multiplicavit in millibus. Post hæc in synagoga pontificam contumaciam humiliavit rationis constantia, quia reserato carceris ingressu, angelis B famulantibus, in templo docuerunt. Cum autem quinque millia hominum docentibus apostolis credidissent, tribus millibus adjunctis, consummatus est numerus ad beatitudinem consignatus. Sed hostes zelantes tantam gloriam ferre non potuerunt, et quia digni inventi non sunt qui reciperentur in vocationem acquisitionis, medicos salutis ejecerunt. Tunc Philippus elevata lampade signorum tuba prædicationis insonuit, et antiquum prophetarum certamen consummaturus Samariam aggreditur veterem eorum parentem. Jamque enim elevatus in curru Agnum prædicaverat immolatum prophetarum excipiens excolenda novalia, et ideo alienigena baptizato, ab alienatis revocavit. Matthæus Æthiopiam, Bar-C tholomæus et Thomas Indiam, Andreas Achaiam, Joannes Asiam, Simon et Judas Zelotes Persidem, et caput illud antiquum superbiæ Babyloniam aggressi subegerunt. Paulus vero ultimus tempore, primus certamine Græciam magnam, et insulas regionum ab Hierusalem ad fines multos perdomuit, ut tandem cum Petro principe consors potestatis in culmine mundi triumpharet. Deinde milites ducum industria exercitati quæ commemoranda et digna relatu gesserint, si cuncta dici non possunt, non sunt silentio prætereunda universa. Primus Stephanus audens præeuntem regem secutus ad prælium, hostes provocavit, sine formidine consistens in multitudine inimicorum, e cum fremerent indignantes, et unum multi supe-D rare non possent, ille Jesum ad dexteram De videre contestatur, ut quo propugnatore in auxili opportuno invincibilis esset turbæ ostenderet. Se cum lapides torrentes ad impetum ferocium voli tarent, nocentes miseratus genua curvavit in pre cem, ibique immaculatum Deo spiritum commen dans Sauli conversionem obtinuit cum salut multorum. Jacobus autem pertinaciam Judæ non abhorrens gladio triumphavit pœnam relin quens tyranno, ut sanctorum patientia demons tretur in sustentatione ordinata habitura judiciun cum patientia. Hinc alii atque alii fortiter agente per diversa præliorum certamina constantiam t nuerunt, ut in omni gente fidei palma floreret, e qui electi fuerunt ab initio, intrarent in repr missionem. Petrus enim Romæ throno veritati constituto per crucem triumphans ascenderat, e

Clemens successor cathedræ infulam pontificalem acceperat. Qui et ipse lacessitus fortiter laborem sustinuit, et ne castra Dei impetus inimicorum concuteret, ultro se opponens dignitatem traditæ potestatis martyrio compensavit. Dionysius Areopagita, accepto mandato Galliam penetravit, et pugnans ut vinceret, prævaluit stabilire leges cœli in terra. Ipse enim, ut ostenderet viam vitæ, propter testimonium veritatis verbum sanguine consecravit, et ne mors vitam hæreditaret, in mortuis vitæ signum faciens, caput manibus bajulavit occisus.

Laurentius in craticula ignem vicit, et flammas incendii et Cæsarem stupefactum arguens carnem edendam obtulit frustra sævienti in carnem. Vincentius autem nominis sui memor tyrannum derisit crudelia comminantem, et ungulas cum equuleo despiciens, flagra quoque et incendio superavit. Et erat haud modicum nisi et feminæ ad prælium properarent viros confundere in judicio æquitatis. Venit Agatha, et mammillas præbuit amputandas, ostendens quod ad ferrum non expavesceret Spiritu sancto confortata, ut lac fidei credentibus ministraret. Agnes inter flammas ambulavit intrepida, ut sexum et ætatem natura miraretur martyrio robustam, quæ sensu consuevit necdum maturo consistere. Margarita bellans vicit admirabili constantia, ut mentem carnis tormenta non subderent in abalienationem æquitatis. Hostem enim in manifestam producit confusionem, qui victus retrorsum foris paruit, duplici ignominia confutandus. Cecilia coronas merebatur [*al.* mercabatur] merito castitatis probata, juvenibus incorruptionis lilia amplexantibus cum fide, ubi rosas etiam miscuit cum purpura in martyrio cruoris decoranda. Lucia autem sponsum prædonem castitatis ad immortalis aspectum [*al.* apicem] conferre non dignata (matre precibus sanata) opes pauperibus erogavit, ut post oblata munera seipsam Deo holocaustum superimpenderet suavitatis. Compensavit autem virilis sexus infantilis victorias feminarum, ut undique circumstarent palmæ triumphorum in gloria Dei.

Venit Vitus puer et ipse annis virtutem adjiciens pugnavit viriliter, coronam arripiens per vulnera pretiosa, nunquam exemplo gloriæ et fortitudinis æmulationi futurus sine stupore spectabilis. Cyricus cum matre, tanta pertulit et tam horrenda tormentorum genera, ut quid amplius mireris non invenias, nisi forte infantiam cumulandam existimes gloria ad laudem constantiæ muliebris. Venerat ut jam mundus patientia vinceretur bellatorum Christi, et efferbuit pusillum plus solito in novissima defectione pacandus. Jam enim millia multa simul mandat perimenda, et grassatur in turmas populorum cæde crudeli, quoniam victum expavit congressu certaminis singularis.

Gloriosa Thebæorum agmina legiones suas ad martyrii palmam armaverunt, ut jam voti esse pro Christo mori, non necessitatis constaret. Nam et molam Victor post ungulas et equuleum cum taureis sævientis tyranni trucibus edictis non teritus elisit, et trocleas comminuit, quia angelus Dei sua præsentia invictum animo martyrem patenti miraculo clarificavit ut vinceret. Vox enim elapsa desuper vicisse Victorem palam protestatur, quia palmas triumphorum (quas non potuerunt videre oculi impiorum) ut confunderentur semper, aliquando audire debuerunt. Et alii atque alii plurimi quasi uno et vere uno duce spiritu ultro se ad martyria offerentes, ostenderunt se amplius posse patiendo, quam ii, qui insania, vexabantur, potuerunt nocendo. Non ergo ultra se potuit continere ait confusionem sui non erubesceret mundus, sed dedit manus patientia superatus, ne totus occideret, si sævitiam in membris, quæ resecabantur in fine prolongaret. Non enim causa perire potuit justitiæ æternæ, et ideo cessavit aliquando iniquitas persequentium, et patientium virtus sicut non novit cedere, sic minis minui non novit. Ceciditque altitudo potentiæ contradictionis, et ferocitas minarum impietatis pacata est in humiliationem peccatorum sine contradictione, ut mandaretur placabilis, et summus pontifex Sylvester fontem vivum regis precibus in terrore magno complacatus in purificationem demonstravit. Ipse vero cum cognovisset virtutem Altissimi in lavacro emundationis, præcepit aras dæmonum et culturas coinquinationis finem habere in ruinam confusionis, ut vere rex fieret in æquitate, qui prius fuerat persecutor. Sacerdos autem Dei sacra confirmatus gratia, potentia verborum et ratione futavit rebelles et incredulos, mystica legis edisserens sacramenta in concione populorum frequentium regis et principium cum indicibus propositionum, atque inde miraculis crebrescentibus ipsum esse Jesum Christum, qui in hunc mundum pro salute hominum advenerat Dei Patris imperio palam omnibus verissime confirmavit. Fulget crucis vexillum in loco sanctitatis, et regina compos voti cum gaudio remeavit, nec potuit ultra signo gloriæ sublimato potestas adversa prosperari.

Post hæc ergo in toto mundo lilia pacis pullulare cœperunt, et Ecclesia mater jam martyrum purpura decorata, confessorum quoque candore adornari gaudebat. Non enim in uno tantum loco fulsit gratia, sed ad fines usque orbis terrarum vernantia spectacula ager plenus benedictione pandebat. Nam et deserta in ubertatem versa infusionem pinguedinis supernæ dum acciperent in jucunditate floruerunt. Plena erant invia, et sicca fluenta manabant gratia. Paulus enim, et Antonius, et Hilarion, lapides pretiosi inventi sunt, ubi non erat pretium et decor, et ipsi in fundamento positi mirabilem structuram superædificaverunt, ut ædificaretur domus saltus Libani in deserto, et saltus in Carmel computaretur ad Libanum. Macharius, et Pannucius, et Arsenius, et Pastor juncto sibi Moyse in spiritu eodem et virtute populum multum Deo ad terram promissionis per desertum sæculi traduxerunt, et cum his omnes nominati, et potentes in mirabilibus vir sancti, et electi transierunt. Ut autem filiæ quoque

Pharaonis domum verus Salomon ædificaret, A Ephrem, et Basilius, et Gregorius, Hieronymus, et Ambrosius, et Augustinus cum multis aliis per orbem terrarum columnæ erecti sunt, mira sapientia fabricati et sculpti in omnem formam decoris et gratiæ. Nam Gregorius alter spiritu plenus, et ipse domum vario decore adornavit, ministrans pulchritudines multas et jucunditates veritatis. Martinus, et Nicolaus, et Benedictus miraculis effulserunt in sanctitate mirabili, et in his omnibus plenitudo in finem properans, alios quoque omnes qui vocati sunt associans, quotidie consummatur. Unde nos considerare oportet quanta illic gloria futura sit, cujus simulacrum est omne hoc quod cernimus, exiguum quidem excellentia decoris quo tendit ut perficiatur, quoad nobis sit B consummatum. Illuc animos erigere atque intimis desideriis properare debemus, ne forte in eo quod jam vidimus speciem boni, in opprobrium agnitionis prospexerimus, et fructum in gaudium felicitatis non capiamus. Hoc enim totum imago est Hierusalem cœlestis in terra, ad quam bene in gradibus virtutum ascenditur ab iis qui præsenti æmulatione ad veram pacem, stabilitatemque æternam totis desideriis colliguntur. Multi et varii sunt sermones hominis, quia cor hominis, unum non est. Nam, quia intus mens fonte veritatis per multa desideria scinditur, propterea foris sermo in multas assertiones derivatur. Salomon vitæ humanæ incertum considerans, et qualiter inconstantia fluctuaret mortalitatis conditio, C dum et foris rerum mutabilium varietate quatitur et intus desideriorum inconstantia dissipatur, utrumque hoc in semetipso exemplo pariter eruditione proposuit, cum se et rerum transitu, et mentis defectu toties mutatum ostendit. Audivimus enim jam supra quoties animum suum de alia appetenda transtulerit, et cum experimento rerum admonitus de vanitate præsentium semper habita despexerit, tamen fluctibus concupiscentiæ suæ jactatus nunquam ambire cessaverit habenda. Quia enim existimavit se in rebus transeuntibus stabile invenire posse, ubi delectationem suam tranquilla pace, inconcussa stabilitate defigeret, idcirco quoties in rebus habitis vel id quod concupierat invenit, vel quod amaverat perdidit, ad alia rursum appetenda conversus desiderium suum vel supplere, vel reparare contendit. Nunc autem tandem omnibus experimento probatis mutabilium conditionem agnoscit, et quod nihil ex omnibus, quæ transeunt, perpetuo stare possit, fatetur dicens : *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa (Eccles.* III). Omnia tempus habent, ut nihil perpetuum, semperque permanens inveniatur, sed omne quod est aut aliud subsequatur ut non ab initio veniat, aut præcurrat aliud ut usque ad finem se non extendat. Omnia etiam tempus habent, videlicet certum ac definitum, vel quando incipiant, vel quando finiantur. Sive etiam quandiu subsistant, ut prudens animus in his omnibus non putet aliquid esse, quod semper stare possit, ut in eo fiduciam ponat, sed potius veris, et permanentibus bonis se conformans, ita rerum mutabilium vanitatem despiciat, ut licet unaquaque re pro tempore utatur dum præsens est, nunquam tamen in ejus transitu animum a statu suo declinare permittat. Ille enim prudentissimus est, qui sic scit transeuntia in usum vertere, ut tamen non norit in eorum defectu mentem a sua stabilitate declinare. Male ergo fecit cum quædam sibi (quasi potiora) ex omnibus ad jucunditatem elegit, et in eis felicem se esse posse credidit, quia et omnia suo tempore bene utenti bona sunt et tamen omnia, quæ mutabilitati subjacent, licet in miseria qualemcunque consolationem præbeant, felicitatem tamen conferre non possunt. Nihil ergo suo tempore adjiciendum, et nihil non suo tempore eligendum ; sed sic animus ad usum temporis præparetur, ut tamen ad mutabilitatem temporis non mutetur.

ERUDITIONIS DIDASCALICÆ
LIBRI SEPTEM.

LIBER PRIMUS, — DE STUDIO LEGENDI,

Cujus hæc sunt capitula :

homo similis sit Deo. — Cap. X. *De triplicibus operibus.* — Cap. XI. *Quid sit natura.* — Cap. XII. *De ortu logicæ.* — Cap. XIII. *Epilogus supradictorum.*

Cap. I. *Duo esse præcipua, quibus ad scientiam quisque instruitur; et quæ sit operis hujus materia.*

Duæ præcipuæ res sunt, quibus quisque ad scientiam instruitur: videlicet lectio et meditatio, e quibus lectio priorem in doctrina obtinet locum: et de hac tractat liber iste dando præcepta legendi. Tria autem sunt præcepta magis lectioni necessaria. Primum ut sciat quisque quid legere debeat. Secundum, quo ordine legere debeat, id est, quid prius, quid posterius. Tertium: quomodo legere debeat. De his tribus per singula agitur in hoc libro. Instruit autem tam sæcularium quam divinarum Scripturarum lectorem: unde in duas partes dividitur, quarum unaquæque tres habet distinctiones in prima parte docet lectorem artium, in secunda divinum lectorem. Docet autem hoc modo, ostendendo primum, quid legendum sit; deinde quo ordine, et quomodo legendum sit: ut autem sciri possit, quid legendum sit, in prima parte primum enumerat originem omnium artium; deinde descriptionem et partitionem earum, id est, quomodo unaquæque contineat aliam, vel contineatur ab alia, secans philosophiam a summo usque ad ultima membra. Deinde enumerat auctores artium; et postea ostendit, quæ ex his videlicet artibus præcipue legendæ sint. Deinde etiam quo ordine et quomodo legendæ sint, aperit. Postremo legentibus vitæ suæ disciplinam præscribit: et sic finitur prima pars. In secunda parte determinat quæ Scripturæ divinæ appellandæ sint; deinde numerum et ordinem divinorum librorum et auctores eorum, et interpretationes nominum. Postea agit de quibusdam proprietatibus divinæ Scripturæ, quæ magis sunt necessariæ. Deinde docet, qualiter legere debeat sacram Scripturam is, qui in ea correctionem morum suorum, et formam vivendi quærit. Ad ultimum docet illum, qui propter amorem scientiæ eam legit: et sic secunda quoque pars finem accipit.

Cap. II. *De origine artium, et animæ perfectione.*

Omnium expetendorum prima est sapientia, in qua perfecti boni forma consistit. Sapientia illuminat hominem, ut seipsum agnoscat, qui cæteris similis fuit, cum se præ cæteris factum esse non intellexit. Immortalis quippe animus sapientia illustratus respicit principium suum, et quam sit indecorum, agnoscit, ut extra se quidquam quærat: cui quod ipse est, satis esse poterat. Scriptum legetur in tripode Apollinis: Γνῶθι σεαυτόν id est « Nosce teipsum »; quia nimirum homo si non originis suæ immemor esset, omne quod mutabilitati obnoxium est, quam sit nihil, agnosceret. Probata apud philosophos sententia: « Animam ex cunctis naturæ partibus asseri esse compactam. » Et Timæus Platonicus: « Ex dividua, et individua, mistaque substantia; itemque eadem et diversa, et ex utroque commista natura, quo

A universitas resignatur, ἐντελέχειαν formavit. » ipsa namque et initia, consequuntur, capit: quia et invisibiles per intelligentiam rerum causas comprehendit, et visibiles actualium formas per sensuum passiones colligit; sectate in orbes geminos motum glomerat, quia sive per sensus sus ad sensibilia exeat, sive per intelligentiam, ad invisibilia ascendat, ad seipsam rerum similitudines trahens regyrat: et hoc est, quod eadem mens, quæ universorum capax est, ex omni substantia atque natura, quo similitudinis repræsentet figuram coaptatur. Pythagoricum namque dogma erat, « similia similibus comprehendi »; ut scilicet anima rationalis nisi ex omnibus composita foret, nullatenus omnia comprehendere posset, secundum quod dicit quidam:

B *Terram terreno comprendimus, æthera flammis,*
Humorem liquido, nostro spirabile flatu.

Nec tamen existimare debemus viros in omni rerum natura peritissimos, hoc de simplici essentia sensisse, quod ulla se partium quantitate distenderet, sed ut apertius mirabilem ejus demonstrarent potentiam, dicebant ex omnibus naturis constare: non secundum compositionem sed secundum compositionis rationem. Neque enim hæc rerum omnium similitudo aliunde aut extrinsecus animæ advenire credenda est, sed ipsa potius eam in se, et ex se nativa quadam potentia et propria virtute capit. Nam sicut Varro in Periphysion dicit: « Non omnis varietas extrinsecus rebus accidit, ut necesse sit quidquid variatur, aut amittere aliquid quod habuit, au aliquid aliud et diversum extrinsecus quod non habuit assumere. Videmus quod paries extrinsecus, adveniente forma imaginis cujuslibet similitudinem accipit: cum vero impressor ne allo figuram imprimit, ipsum quidem non intrinsecus, sed ex propria virtute et naturali habilitate aliud jam aliquid reprentare incipit. Sic nimirum mens rerum omnium similitudine insignita, omnia esse dicitur, atque ex omnibus compositionem suscipere, non integraliter, sed virtualiter atque potentialiter continere. Et hæc est illa naturæ nostræ dignitas, quam omnes æque naturaliter habent, sed non omnes æque noverunt. Animus enim corporis passionibus consopitus, et per sensibiles formas extra semetipsum abductus, oblitus est quid fuerit, et quia nil aliud fuisse se meminit, nil præter id quod videtur, esse credit. Reparatur autem per doctrinam, ut nostram agnoscamus naturam, et ut discamus extra non quærere, quod in nobis possumus invenire. Summum igitur in vita solamen est studium sapientiæ, quam qui invenit, felix est, et qui possidet, beatus.

Cap. III. *Quod studium sapientiæ philosophia sit.*

Primus omnium Pythagoras « studium sapientiæ philosophiam nuncupavit, » maluitque philosophus quam sophos dici. Nam antea sophi, id

est sapientes vocabantur. Pulchre equidem inqui- A sitores veritatis non sapientes sed amatores sapientiæ vocat ; quia nimirum adeo latet omne verum, ut ejus amore quantumlibet mens ardeat, quantumlibet ad ejus inquisitionem surgat, difficile tamen ipsam, ut est, veritatem comprehendere queat. Philosophiam autem earum rerum, quæ vere essent, suique immutabilem substantiam sortirentur, disciplinam constituit. « Est » autem « philosophia amor et studium et amicitia quodammodo sapientiæ » sapientiæ vero non hujus, quæ in ferramentis quibusdam, et in aliqua fabrili scientia notitiaque versatur, sed illus sapientiæ, quæ nullius indigens, vivax mens, et sola rerum primæva ratio est. Est autem hic amor sapientiæ, intelligentis animi ab illa pura sapientia illumi- B natio, et quodammodo ad seipsam retractatio atque advocatio, ut videatur sapientiæ studium divinitatis et puræ mentis illius amicitia. Hæc igitur sapientia cuncto animarum generi meritum suæ divitatis imponit : et ad propriam naturæ vim puritatemque reducit. Hinc nascitur speculationum cogitationumque veritas, et sancta puraque actuum castimonia. Quoniam vero humanis animis hoc excellentissimum bonum philosophiæ comparatum est, ut viæ filo quodam procedat oratio, ab ipsis animæ efficientiis ordiendum est.

Cap. IV. *Triplicem esse vim animæ, et solum hominem ratione præditum.*

Triplex omnino animæ vis in vegetandis corporibus deprehenditur : quarum una quidem vi- C tam solum corporis subministrat, ut nascendo crescat, alendoque subsistat. Alia vero sentiendi judicium præbet. Tertia vi mentis et ratione subnixa est. Quarum quidem primæ id officium est, ut creandis, nutriendis alendisque corporibus præsto sit: nullum vero præstet rationis sensusve judicium. Hæc autem est herbarum atque arborum, et quidquid terræ radicitus affixum tenetur. Secunda vero composita atque conjuncta est, ac primam sibi sumens et in partem constituens, varium, de quibus potest capere, ac multiforme judicium capit. Omne enim animal, quod sensu viget, idem et nascitur, et nutritur, et alitur. Sensus vero diversi sunt, et usque ad quinarium numerum crescunt : ita quidquid tantum alitur, non D etiam sentit. Quidquid vero sentire potest, etiam alitur, et ei prima quoque vis animæ, nascendi scilicet atque nutriendi, probatur, esse subjecta. Quibus vero sensus adest, non tantum eas rerum capiunt formas, quibus sensibili corpore feriuntur præsente ; sed abscedente quoque sensu sensibilibusque sepositis, cognitarum sensu formarum imagines tenent, memoriamque conficiunt : et prout quodque animal valet, longius breviusque custodit. Sed eas imaginationes confusas atque inevidentes sumunt, ut nihil ex earum conjunctione ac compositione efficere possint : atque idcirco meminisse quidem nec æque omnia possunt, amissam oblivionem recolligere ac revocare non possunt. Futuri vero iis nulla cognitio est. Sed vis animæ tertia, quæ secum priores alendi ac sentiendi trahit, iisque velut famulis atque obedientibus utitur: eadem tota in ratione constituta, eaque vel in rerum præsentium firmissima conclusione, vel in absentium intelligentia, vel in ignotarum inquisitione versatur. Hæc humano tantum generi præsto est, quæ non solum sensus imaginationesque perfectas, et non inconditas capit, sed etiam pleno actu intelligentiæ quod imaginatio suggessit, explicat atque confirmat. Itaque (ut dictum est) huic divinæ naturæ non ea tantum in cognitione sufficiunt, quæ subjectat sensibus comprehendit, verum etiam ex sensibilibus imaginatione concepta, et absentibus rebus nomina indere potest, et quod intelligentiæ ratione comprehendit, vocabulorum quoque positionibus aperit. Illud quoque ei naturæ proprium est, ut per ea, quæ sibi nota sunt, ignota investiget. Et non solum unumquodque an sit, sed quid sit etiam, et quale sit, nec non et cur sit oportet agnoscere.

Quam triplicem animæ vim sola (ut dictum est) nominum natura sortita est. Cujus animæ vis intelligentiæ motibus non caret, quia in his quatuor proprie vim rationis exercet. Aut enim aliquid an sit, inquirit, aut sicut esse constiterit, quid sit, addubitat ; quod si etiam utriusqne scientiam ratione possidet, quale sit unumquodque, ratione investigat, atque in 'eo cætera accidentium momenta perquirit. Quibus cognitis, cur ita sit quærit, et rationo nihilominus investigat. Cum igitur hic actus sit humani animi, ut semper in præsentium comprehensione, aut in absentium intelligentia, aut in ignotorum inquisitione atque inventione versetur: duo sint in quibus omnem operam vis animæ ratiocinantis: impendit, unum qui dem utrerum naturas inquisitionis ratione cognoscat ; alterum vero, ut ad scientiam prius veniat, quod post gravitas mortalis exerceat.

Cap. V. *Quæ res ad philosophiam pertineant.*

Sed ut video, inextricabilem jam ipso loquendi ordine labyrinthum incidimus, ubi nobis non perplexus sermo, sed res obscura difficultatem pariat. Quia enim de studio sapientiæ loqui suscepimus, idque solis hominibus quodam naturæ privilegio competere attestati sumus : consequenter nunc omnium humanorum actuum moderatricem quamdam sapientiam posuisse videmur. Si enim brutorum animalium natura, quæ nullo regitur rationis judicio, motus suos secundum sola sensuum passiones diffundit, et in appetendo seu fugiendo aliquid, non intelligentiæ utitur discretione, sed cæco quodam carnis affectu impellitur : restat ut rationalis animæ actus cæca cupiditas non capiat, sed moderatrix semper sapientia præcedat. Quod si verum esse consisterit, jam non solum ea studia, in quibus vel de rerum natura vel disciplina agitur morum, verum etiam omnium humanorum actuum seu studiorum rationes non incongrue ad philosophiam pertinere dicimus. Secundum quam acceptionem sic philosophiam definere possumus. « Philosophia est disciplina omnium rerum humanarum atque divinarum rationes plene investigans. » Nec movere de-

bet quod supra diximus : Philosophiam esse amorem et studium sapientiæ : non hujus, quæ instrumentis explicatur, ut est architectura, agricultura, et cætera hujusmodi sed ejus sapientiæ, quæ sola rerum primæva ratio est. Potest namque idem actus et ad philosophiam pertinere secundum rationem suam, et ab ea excludi secundum administrationem. Verbi gratia, ut de præsenti loquamur, agriculturæ ratio philosophi est, administratio rustici. Præterea opera artificum, etsi natura non sint, imitantur tamen naturam, et sui exemplaris formam (quæ natura est, qua imitantur,ratione exprimunt. Vides jam, qua ratione cogimur philosophiam in omnes actus hominum diffundere, ut jam necesse sit, tot esse philosophiæ partes, quot sunt rerum diversitates, ad quas ipsam pertinere constiterit.

Cap. VI. *De ortu theoricæ, practicæ, mecanicæ.*

Omnium autem humanarum actionum seu studiorum, quæ sapientia moderantur, finis et intentio ad hoc spectare debet : ut vel naturæ nostræ reparetur integritas, vel defectuum, quibus præsens subjacet vita, temperetur necessitas. Dicam apertius quod dixi. Duo sunt in homine : bonum et malum, natura et vitium. Bonum quia natura est, quia corruptum est, quia minus est, exercitio reparandum est. Malum, quia vitium est, quia corruptio est, quia natura non est, excludendum est. Quod si funditus exterminari non potest, saltem adhibito remedio temperandum est. Hoc est omnino quod agendum est, ut natura reparetur, et excludatur vitium, integritas vero vitæ humanæ duobus perficitur : scientia et virtute, quæ nobis cum supernis et divinis substantiis similitudo sola est. Nam homo cum simplex natura non sit, sed gemina compactus substantia, secundum unam partem sui, quæ potior est, et (ut apertius id quod oportet, dicam) quæ ipse est, immortalis est : secundum alteram vero partem quæ caduca est, quæ sola his, qui nisi sensibus fidem præstare nesciunt, cognita est, mortalitati et mutabilitati obnoxius est : ubi toties mori necesse est, quoties amittere id quod est. Et hæc est ultima pars rerum, quæ principium et finem habet.

Cap. VII. *De tribus rerum differentiis.*

Sunt autem in rebus alia, quæ nec principium habent, nec finem, et hæc æterna nominantur : alia quæ principium quidem habent, sed nullo fine clauduntur : et dicuntur perpetua ; alia quæ initium habent et finem ; et hæc sunt temporalia. In primo ordine id constituimus, cui non est aliud esse, et id quod est, id est, cujus causa et effectus diversa non sunt : quod non aliunde, sed a semetipso subsistere habet : ut est solius naturæ genitor et artifex.

Illud vero, cui aliud est esse : et id quod est, id est, quod aliunde ad esse venit, et ex causa præcedente in actum profluxit, ut esse inciperet, natura est, quæ mundum continet omnem. Idque in gemina secatur. Est quiddam, quod a causis suis primordialibus ut esse incipiat, nullo movente ad A actum prodit ; solo divinæ voluntatis arbitrio : ibique immutabile omnis finis atque vicissitudinis expers consistit. Ejusmodi sunt rerum substantiæ, quas Græci οὐσίας dicunt : et cuncta superlunaris mundi corpora, quæ esiam ideo quod non mutentur, divina appellata sunt. Tertia rerum est, quæ principium et finem habent, et per se ad esse non veniunt, sed sunt opera naturæ quæ oriuntur super terram, sub lunari globo, movente igne artifice, qui vi quadam descendit in res sensibiles procreandas. De illis ergo dictum est : Nihil in mundo moritur, eo quod nulla essentia pereat. » Non enim essentiæ rerum transeunt, sed formæ. Cum vero forma transire dicitur, non sic intelligendum est, ut aliqua res existens perire omB nino, et esse suum amittere credatur, sed variari potius ; vel sic fortassis ut quæ juncta fuerant, ab invicem separantur ; vel quæ separata erant, conjungantur ; vel quæ hic erant, illuc transeant ; vel quæ nunc erant tunc subsistant, in quibus omnibus esse rerum nihil detrimenti patitur. De iis dictum est : « Omnia orta decidunt, et aucta senescunt ; » eo quod cuncta naturæ opera, sicut principium habent, ita etiam a fine aliena non sunt. De illis dictum :

De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
(Pers. *Stat.* III, v. 83.)

Et eo quod omnis natura et primordialem habet causam, et subsistentiam perpetuam. De iis dictum est:

C *Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil*: eo quod omne opus naturæ sicut temporaliter ex occulta causa in actum profluit : item eodem actu temporaliter destructo eo, unde venerat, reversurum sit.

Cap. VIII. *De mundo superlunari et sublunari.*

Hinc est, quod mathematici mundum in duas partes diviserunt : in eam scilicet partem, quæ est a circulo lunæ sursum, et in eam, quæ deorsum est. Et superlunarem mundum, eo quod ibi omnia a primordiali lege consistant, naturam appellabant sublunarem opus naturæ, videlicet superioris ; quia omnium genera animantium, quæ in eo vitalis spiritus infusione vegetantur, a superioribus per invisibiles meatus infusum nutriD mentum accipiunt : non solum, ut nascendo crescant, sed etiam ut alendo subsistant. Eumdem etiam superiorem mundum tempus vocabant, propter cursum et motum siderum quæ in eo sunt : inferiorem temporalem, quia secundum motus superiores agitur. Item superlunarem, propter perpetuam lucis et quietis tranquillitatem elysium. Hunc autem propter inconstantiam et confusionem rerum fluctuantium, infernum nuncupabant.

Hæc paulo latius prosecuti sumus, ut ostendamus hominem, qua in parte mutabilitatis particeps est, in ea quoque necessitati esse obnoxium : in ea vero, qua immortalis est, divinitati esse cognatum. Ex quo colligit potest id, quod supra dictum est ; quod videlicet omnium humanarum actionum ad hunc finem concurrit, intentio, ut

vel divinæ similitudinis imago in nobis restauretur, vel hujus vitæ necessitudini consulatur, quæ quo facilius lædi potes adversis, eo magis foveri et conservari indiget.

CAP. IX. *In quo homo similis sit Deo.*

Duo vero sunt quæ divinam in homine similitudinem reparant, id est, speculatio veritatis et virtutis exercitium; quia in hoc similis Deo est, quod sapiens et justus est, sed iste mutabiliter, ille immutabiliter et sapiens et justus est. Illarum vero actionum, quæ hujus vitæ necessitudini deserviunt, trimodum genus est. Primum, quod naturæ instrumentum administrat; secundum, quod contra molestia, quæ extrinsecus accidere possunt, munit; tertium quod contra jam illata præstat remedium. Cum igitur ad reparandam naturam nostram intendimus, divina actio est: cum vero illi quod infirmum in nobis est, necessaria providemus, humana. Omnis ergo actio vel divina est, vel humana. Possumus autem non incongrue illam (eo quod de superioribus habeatur) intelligentiam appellare: hanc vero (quia de inferioribus habetur, et quasi quodam consilio indiget) scientiam vocare. Si igitur sapientia, ut supra dictum est, cunctas, quæ ratione fiunt, moderatur actiones: consequens est jam ut, sapientiam has duas partes continere, id est, intelligentiam et scientiam dicamus. Rursus intelligentia, quoniam et in investigatione veritatis, et in morum consideratione laborat, eam in duas species dividimus; in theoricam, id est speculativam; et practicam, id est activam: quæ etiam ethica, id est moralis appellatur. Scientia vero, quia opera humana prosequitur, congrue mechanica, id est adulterina vocatur.

CAP. X. *De triplicibus operibus.*

Sunt etenim triplicia opera, id est, opus Dei, opus naturæ, opus artificis imitantis naturam. Opus Dei est, quod non erat creare: unde illud: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). Opus naturæ, quod latuit ad actum producere: unde illud: *Producat terra herbam virentem* (*ibid*). etc. Opus artificis est disgregata conjungere, vel conjuncta segregare: unde illud: *Consuerint folia ficus, et fecerunt sibi perizomata* (*Gen.* III). Neque enim potuit vel terra cœlum creare, vel homo herbam producere; quia nec palmum ad staturam suam adjicere potest. In his tribus operibus convenienter opus humanum, quod natura non est, sed imitatur naturam, mechanicum, id est, adulterinum nominatur: quemadmodum et clavis subintroducta mechanica dicitur. Qualiter autem opus artificis imitetur naturam, longum esset enerosum prosequi per singula. Possumus tamen exempli causa in paucis id demonstrare. Qui statuam fudit, hominem intuitus est. Qui domum fecit, montem respexit. Quia enim, ut ait Propheta: *Qui emittis fontes in convallibus, intra medium mantium pertransibunt aquæ* (*Psal.* CIII): eminentia montium aquas non retinet: ita domus in altum quoddam cacumen levanda fuit, ut irruentium tempestatum molestias tuto excipere posset. Qui usum vestimentorum primus adinvenit, consideravit, quod singula quæque nascentium propria quædam habeant munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, piscem squama operit, lana ovem induit, pilus jumenta et feras vestit, concha testam excipit: ebur elephantem jacula timere facit. Nec tamen sine causa factum est, quod cum singula animantium naturæ suæ arma secum nata habeant, solus homo inermis nascitur et nudus. Oportuit enim, ut illis, quæ sibi providere nesciunt, natura consuleret: homini autem ex hoc etiam major reperiendi occasio præstaretur, cum illa, quæ cæteris naturaliter data sunt, propria ratione sibi inveniret. Multa enim nunc magis enitet ratio hominis hæc eadem inveniendo, quam habendo claruisset. Nec sine causa proverbium sonat, quod

Ingeniosa fames omnes excuderit artes.

Hac equidem ratione illa, quæ nunc excellentissima in studiis hominum vides, reperta sunt. Hac Eadem pingendi, texendi, sculpendi, fundendi, infinita genera exorta sunt, ut jam cum natura ipsum miremur artificem.

CAP. XI. *Quid sit natura.*

Quia vero jam toties naturam nominavimus: licet, ut ait Tullius, « naturam diffinire difficile sit, » non tamen hujus vocabuli significatio omnino silentio prætereunda videtur. Neque, quia non omnia quæ volumus dicere, possumus, id quod possumus, tacere debemus. Plura veteres de natura dixisse inveniuntur, sed nihil ita, ut non aliquid restare videatur. Quantum tamen ego ex eorum dictis conjicere possum, tribus maxime modis hujus vocabuli significatione uti solebant, singulis suam diffinitionem assignando.

Primo modo per hoc nomen significare voluerunt illud archetypum exemplar rerum omnium, quod in mente divina est: cujus ratione omnia formata sunt: et dicebant naturam esse unius cujusque rei primordialem causam suam: a qua non solum esse, sed etiam tale esse habeat. Huic significationi talis diffinitio assignatur: « Natura est, quæ unicuique rei suum esse tribuit. » Secundo modo naturam esse dicebant, proprium esse uniuscujusque rei cui significationi diffinitio assignatur: « Natura unamquamque rem informans, propria differentia dicitur; » Secundum quam significationem dicere solemus: Natura est omnia ponderosa ad terram vergere, levia alta petere, ignem urere, aquam humectare. Tertia diffinitio talis est: « Natura est ignis artifex, ex quadam ut prodens in res sensibiles procreandas. » Physici namque dicunt, omnia ex calore et humore procreari. Unde Virgilius Oceanum patrem appellat: et Valerius Soranus in quodam versu de Jove, in significatione ignis ætherei dicit:

Juppiter omnipotens rerum regumque repertor,
Progenitor genitrixque Deum verum unus et idem.

Cap. XII. *De ortu logicæ.*

Postquam igitur theoricæ, et practicæ, et mechanicæ ortum demonstravimus : superest logicæ quoque originem investigare : quam idcirco ultimam annumero, quia postremo inventa est. Cæteræ prius repertæ fuerant ; sed necesse fuit logicam quoque inveniri ; quoniam nemo de rebus convenienter disserere potest, nisi prius recte loquendi rationem agnoverit. Nam sicut dicit Boetius : Cum primitus antiqui circa naturas rerum et morum qualitates investigandas operum impenderent necesse fuit, sæpe falli eos ; quia vocum et intellectuum discretionem non habebant : ut in multis evenit Epicuro, qui atomis mundum consistere putat,et honestum voluptate metitur.

Hoc autem idcirco huic atque aliis accidisse manifestum est, quoniam disputandi quidquid ratiocinatione comprehenderant, hæc in res ipsas quoque venire arbitrabantur. Hic vero magnus est error : neque enim sese res ut in numeris, ita etiam in ratiocinationibus habent. In numeris enim quidquid in digitis recte computantis evenerit, id sine dubio in res quoque ipsas evenire necesse est, ut si ex calculo centum contigerit, centum quoque res illi numero subjectas esse necesse est. Hoc vero non æque in disputatione servatur.Neque enim quidquid sermonum decursus invenerit, id in natura fixum tenetur. Quare necesse est falli, qui abjecta scientia disputandi, de rerum natura perquirerent.Nisi enim prius ad scientiam venerit, quæ ratiocinatio veram teneat semitam disputandi, quæ verisimilem agnoverit, et quæ fida, et quæ possit esse suspecta, rerum incorrupta veritas ex ratiocinatione non potest inveniri. Cum igitur veteres sæpe multis lapsi erroribus falsa quædam et sibi contraria in disputatione colligerent, atque id fieri impossibile videretur, ut de eadem re contraria conclusione facta, utraque essent vera, quæ sibi discutiens ratiocinatio conclusisset,cuive ratiocinationi credi oporteret, esset ambiguum, visum est prius disputatione ipsius veram atque integram considerare naturam : qua cognita, cum illud quoque, quod per disputationem inveniretur, an vere comprehensum esset posset intelligi.Hinc igitur profecta logicæ peritia disciplinæ, quæ disputandi modos, atque ipsas ratiocinationes internoscendi vias parat, ut quæ ratiocinatio nunc quidem vera, nunc autem falsa : quæ vero semper falsa,quæ nunquam falsa possit agnosci.Hæc tempore quidem postrema est, sed ordine prima : hæc enim inchoantibus philosophiam prima legenda est,proptereaque in eo docetur vocum et intellectuum natura, sine quibus nullus philosophiæ tractatus rationabiliter explicari potest.

Logica dicitur a Græco vocabulo λογος, quod nomen geminam habet interpretationem. Dicitur enim λογος sermo sive ratio : et inde logica sermotionalis sive rationalis scientia dici potest. Logica rationalis, quæ discretiva dicitur, continet A dialecticam et rhetoricam. Logica sermotionalis genus est ad grammaticam, dialecticam atque rhetoricam : et continet sub se disertivam. Et hæc est logica sermotionalis, quam quartam post theoricam,practicam et mechanicam annuramus. Nec putandum est ideo, logicam, id est, sermotionalem dici, quod ante ejus inventionem nulli fuerint sermones : et quasi homines mutuas locutiones prius non habuerint.Erant prius et sermones communes et litteræ ; sed nondum ratio sermonum et litterarum in usum redacta fuerat, nulla adhuc recte loquendi vel disputandi præcepta data erant. Omnes enim scientiæ prius erant in usu quam in arte. Sed considerantes deinde homines usum in artem posse converti, et quod vagum fueral et licentiosum prius, certis regulis et B præceptis posse restringi, cœperunt, ut dictum est, consuetudinem, quæ partim casu, partim natura exorta fuerat, ad artem reducere : id quod pravum usus habebat emendantes, quod minus habebat supplentes, quod superfluum habebat resecantes : et de cætero singulis certas regulas et præcepta præscribentes.

Hujusmodi fuit origo omnium artium : hoc per singula currentes, verum invenimus. Priusquam esset grammatica, et scribebant et loquebantur homines ; priusquam esset dialectica,ratiocinando verum a falso discernebant ; priusquam esset rhetorica, jura civilia tractabant ; priusquam esset arithmetica, usum numerandi habebant ; C priusquam esset musica, canebant ; priusquam esset geometria, agros mensurabant ; priusquam esset astronomia,per cursus stellarum discretiones temporum capiebant.Sed venerunt artes,quæ licet ab usu principium sumpserunt,usu tamen meliores sunt. Hic locus esset exponendi, qui fuerint singularum artium inventores,quando exstiterint, aut ubi,aut quomodo per eos disciplinæ exordium sumpserint ; sed volo quadam prius philosophiæ divisione singulas a se invicem discernere.

Cap. XIII. *Epilogus supradictorum.*

Oportet ergo breviter recapitulare, quæ supradicta sunt,ut facilior fiat transitus ad sequentia. D Quatuor tantum diximus esse scientias, quæ reliquas omnes continent, id est theoricam, quæ in speculatione veritatis laborat ; practicam, quæ morum disciplinam considerat ; mechanicam, quæ hujus vitæ actiones dispensat ; logicam quoque, quæ recte loquendi et acute disputandi scientiam præstat.Hic itaque non absurde ille quaternarius animæ intelligi potest, quem ob reverentiam sui antiqui in jusjurandum asciverant.Unde et illud dictum est :

Per, qui nostræ animæ numerum dedit illi quaternum.

Hæ qualiter sub philosophia contineantur, et rursum quas sub se contineant, repetita breviter diffinitione philosophiæ, ostendamus.

LIBER SECUNDUS,

Cujus hæc sunt capitula :

CAP. I. *De discretione artium.*

« Philosophia est amor sapientiæ, quæ nullius indigens, vivax mens, et sola rerum primæva ratio est. » Hæc definitio magis ad etymologiam nominis spectat. φιλος enim Græce, *amor* dicitur Latine, σοφια, sapientia ; et inde philosophia dicta est, id est, amor sapientiæ. Quod autem additur, « quæ nullius indigens, vivax mens, et sola rerum primæva ratio est, » divina sapientia significatur, quæ propterea nullius indigere dicitur : quia nihil minus continet, sed semel et simul omnia intuetur præterita, præsentia et futura. Vivax mens idcirco appellatur : quia quod semel in divina fit ratione, nulla unquam oblivione aboletur. Primæva rerum ratio est, quia ad ejus similitudinem cuncta formata sunt. Dicunt quidam, quod illud unde agunt artes, semper maneat. Hoc ergo omnes artes agunt, hoc intendunt, ut divina similitudo in nobis repararetur, quæ nobis forma est, Deo natura : cui quanto magis conformamur, tanto magis sapimus. Tunc enim in nobis incipit relucere, quod in ejus ratione semper fuit : quod quia in nobis transit, apud illum incommutabile consistit. Aliter : « Philosophia est ars artium, et disciplina disciplinarum, » id est ad quam omnes artes et disciplinæ spectant. Ars dici potest scientia, quæ artis præceptis regulisque consistit, ut est in Scriptura : Disciplina, quæ dicitur plena, ut est in doctrina. Vel ars dici potest, quando aliquid verisimile atque opinabile tractatur. Disciplina, quando de iis, quæ aliter se habere non possunt, veris disputationibus aliquid disseritur. Quam differentiam Plato et Aristoteles esse voluerunt inter artem et disciplinam. Vel ars dici potest, quæ fit in subjecta materia et explicatur per operationem, ut architectura. Disciplina vero, quæ in speculatione consistit et per solam explicatur A ratiocinationem, ut logica. Aliter : « Philosophia est meditatio mortis : » quod magis convenit Christianis, qui sæculi ambitione calcata conversatione disciplinali, similitudine futuræ patriæ vivunt. Aliter : « Philosophia est disciplina omnium rerum divinarum atque humanarum rationes probabiliter investigans. » Sic omnium studiorum ratio ad philosophiam spectat. Administratio non omnis philosophia est : et ideo philosophia aliquo modo ad omnes res pertinere videtur.

CAP. II. *In quas partes dividatur philosophia.*

Philosophia dividitur in theoricam, practicam, mechanicam, et logicam. Hæ quatuor omnem continent scientiam. Theorica interpretatur *speculativa;* B practiva *activa,* quam alio nomine ethicam, id est moralem dicunt, eo quod mores in bona actione consistant ; mechanica *adulterina*, quia circa humana opera versatur ; logica *sermotionalis,* quia de vocibus tractat. Theorica dividitur in theologiam, mathematicam et physicam. Hanc divisionem Boetius facit aliis verbis : Theoricen secans in intellectibilem, et in intelligibilem, et naturalem : per intellectibilem significans theologiam ; per intelligibilem mathematicam ; per naturalem physicam. Denique intellectibile sic diffinit.

CAP. III. *De theologia.*

« Intellectibile est, quod unum atque idem per se in propria semper divinitate consistens, nullis C unquam sensibus, sed sola tantum mente intellectuque capitur. » Quæ res ad speculationem Dei atque ad animi incorporalitatem considerationemque veræ philosophiæ indagatione componitur, quam, inquit, Græci theologiam nominant. Dicta autem « Theologia » quasi sermo habitus de divinis, Θεος enim Deus, λόγος, *sermo* vel *ratio* interpretatur. Theologia igitur est, quando aut

ineffabilem naturam Dei aut speciales creaturas A ex aliqua parte profundissima qualitate disserimus.

Cap. IV. *De mathematica.*

Mathematica autem doctrinalis scientia dicitur. Matesis enim quando *t* habet sine aspiratione, interpretatur *vanitas*, et significat superstitionem illorum, qui fata hominum in constellationibus ponunt: unde et hujusmodi mathematici appellati sunt. Quando autem *t* habet aspiratum, doctrinam sonat. Hæc autem est, quæ abstractam considerat quantitatem. « Abstracta » enim « quantitas dicitur, quam intellectu a materia separantes, vel ab aliis accidentibus, ut est, par, impar, et hujusmodi, in sola ratiocinatione tractamus, quod doctrina facit, non natura. » Hanc Boetius intel- B ligibilem appellat, quæ primam partem intellectibilem cogitatione atque intelligentia comprehendit: quæ sunt omnium cœlestium operum supernæ divinitatis, et quidquid sub lunari globo beatiore animo atque puriore substantia valet; et postremo humanarum animarum, quæ omnia cum prioris illius intellectibilis substantiæ fuissent, corporum tractu ab intellectibilibus ad intelligibilia degenerarunt, ut magis ipsa intelligantur, quam intelligant, et intelligentiæ puritate tunc beatiora sint, quoties sese intellectibilibus applicarint. Spirituum namque et animarum natura, quia incorporea et simplex est, intellectibilis substantiæ particeps est. Sed quia per instrumenta sensuum non uniformiter ad sensibilia comprehendenda C descenditur, eorumque similitudinem per imaginationem ad se trahit: in eo quodammodo suam simplicitatem deserit, quo compositionis rationem amittit. Neque enim omnimodo simplex dici potest, quod composito simile est. Eadem igitur res diversis respectibus intellectibilis simul et intelligibilis est. Intellectibilis eo quod incorporea sit natura, et nullo sensu comprehendi possit. Intelligibilis vero ideo, quod similitudo quidem est sensibilium, nec tamen sensibilis. Intellectibile est enim, quod nec sensibile est, nec similitudo sensibilis. Intelligibile autem quod ipsum quidem solo percipitur intellectu, sed non solo intellectu, percipit, quia imaginationem vel sensum habet, quo ea, quæ sensibus subjacent, comprehendit. D Tangendo ergo corpora degenerat; quia dum visibiles corporum formas per sensuum passiones percurrit, easque attractas per imaginationem in se trahit, toties a sua simplicitate scinditur, quoties aliquibus contrariæ passionis qualitatibus informatur. Cum vero ab hac distractione ad puram intelligentiam conscendens in unum se colligit, fit beatior intellectibilis substantiæ participatione.

Cap. V. *De quaternario animæ.*

Hujus quoque progressionis regressionisque rationem ipse etiam numerus docet. Dic ter unum fiunt III: dic ter tria fiunt IX: dic ter novem fiunt XXVII: dic ter XXVII: fiunt LXXXI. Ecce in quarto gradu tibi unitas prima occurrit, idemque evenire videbis, si usque ad infinitum duxeris multiplicationem ut semper in quarto gradu unitas emineat. Rectissime autem simplex animæ essentia unitate exprimitur, quæ ipsa quoque incorporea est. Ternarius quoque propter indissolubile mediæ unitatis vinculum congrue ad animam refertur, sicut quaternarius, quia duo media habet, ideoque dissolubilis est, et proprie ad corpus pertinet. Prima igitur progressio animæ est, qua de simplici essentia sua, quæ monade figuratur in virtualem ternarium se extendit, ubi jam per concupiscentiam aliud appetat: aliud per iram contemnat, per rationem inter utrumque discernat. Et recte a monade in triadem profluere dicitur, quia omnis essentia naturaliter prior est potentia sua. Rursum quod eadem unitas in ternario multiplicante ter invenitur, hoc significat, quod anima non per partes, sed tota in singulis suis potentiis consistat. Neque enim vel rationem solam, vel iram solam, vel concupiscentiam solam tertiam partem animæ dicere possumus; cum nec aliud, nec minus sit in substantia ratio quam anima, nec aliud, nec minus ira quam anima, nec aliud, nec minus concupiscentia quam anima, sed una eamdemque subtantia, secundum diversas potentias suas diversa sortitur vocabula. Deinde a virtuali ternario secunda progressione ad regendam humani corporis musicam descendit quæ novenario componitur: quibus quia novem sunt foramina in humano corpore; secundum temperantiam naturalem; influit et effluit omne quo idem corpus vegetatur et regitur. Hic quoque ordo est, quia prius naturaliter anima potentias suas habet quam corpori commisceatur. Postea autem in tertia progressione per sensus jam extra se profusa: ad visibilia hæc quæ per XXVII, qui solidus numerus est, et trina dimensione ad similitudinem corporis extenditur, figurantur dispensanda: per infinitas actiones. In quarta autem progressione, soluta a corpore ad puritatem simplicitatis suæ revertitur: ideoque in quarta multiplicatione ubi ter XXVII, in LXXXI, excrevit, monas in summo apparet, ut evidenter clareat quod anima post hujus vitæ terminum qui per LXXX, designatur: ad unitatem suæ simplicitatis redeat, a qua prius discesserat, cum ad humanum corpus regendum descendebat. Quod autem in octoginta meta humanæ vitæ naturaliter consistat, propheta declarat: *Si*, inquit, *in valetudine* [*potentatibus*] LXXX *anni: et amplius eorum labor et dolor* (*Psal.* LXXXIX). Hanc quadruplam progressionem illum quaternarium animæ, de quo supra locuti sumus quidam intelligendum putant: eumque ad differentiam quaternarii corporis, quaternarium animæ appellatum.

Cap. VI. *De quaternario corporis.*

Nam corpori quoque suum assignant quaternarium. Sicut monas animæ, ita dias corpori congruit. Dic bis duo fiunt IV, dic bis IV, fiunt VIII; dic bis VIII, fiunt XVI: dic bis XVI fiunt XXXII. Hic in quarto loco; similiter idem numerus, id est binarius, a quo multiplicatio initium sumpsit, tibi occurrit: idemque si in infinitum

processeris, indubitanter continget ut quarto semper gradu binarius emineat. Et hic est quaternarius corporis, in quo intelligi datur omne quod a dissolubilibus compositionem accipit, ipsum quoque esse dissolubile. Vides nunc satis aperte ? ut puto, quomodo animæ de intellectibilibus ad intelligibilia degenerant : quando a puritate simplicis intelligentiæ quæ nulla corporum fuscatur imagine, ad visibilium imaginationem descendunt : rursumque beatiores fiunt, quando se ab hac distractione ad simplicem naturæ suæ fontem colligentes, quasi quodam optimæ figuræ signo impressæ componuntur. Est igitur,ut apertius dicam, intellectibile in nobis id quod est intelligentia : intelligibile vero id quod est imaginatio. Intelligentia vero est de solis rerum principiis, id est Deo, ideis, et hyle : et de incorporeis substantiis pura certaque cognitio. Imaginatio est memoria sensuum ex corporum reliquiis in hærentibus animo, principium cognitionis per se certum nihil habens. Sensus est passio animæ in corpore, ex qualitatibus extra accidentibus.

CAP. VII. *De quadrivio.*

Cum igitur, ut supradictum est, ad mathematicam proprie pertineat abstractam attendere quantitatem : in partibus quantitatis species ejus quærere oportet. « Quantitas abstracta nihil aliud est nisi forma visibilis secundum lineamentarem dimensionem animo impressa,quæ in imaginatione consistit, » cujus geminæ sunt partes ; una continua, ut arbor, lapis, quæ magnitudo dicitur ; alia discreta, ut grex,populus, quæ multitudo appellatur. Rursus multitudinis, alia sunt per se, ut tres, quatuor, vel quilibet alius numerus : alia ad aliquid ut duplum dimidium, sesquialterum, sesquitertium, vel quodlibet tale. Magnitudinis vero alia sunt mobilia, ut sphæra mundi, alia immobilia ut terra. Magnitudinem ergo quæ per se est,arithmetica speculatur ; illam autem quæ ad aliquid est : musica. Immobilis magnitudinis geometria pollicetur notitiam. Mobilis vero scientiam astronomicæ disciplinæ peritia sibi vindicat. Mathematica igitur dividitur in arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam.

CAP. VIII. *De arithmetica.*

'Αρετη' Græce,*virtus* interpretatur Latine: arithmus numerus ; inde arithmetica virtus numeri dicitur. Virtus autem numeri est, quod ad ejus similitudinem cuncta formata sunt.

CAP. IX. *De musica.*

Musica a *moy*, id est, *ab aqua* vocabulum sumpsit, eo quod nulla euphonia : id est, *bona sonoritas* : sine *humore* fieri potest.

CAP. X. *De Geometria.*

Geometria *mensura terræ* interpretatur, eo quod hæc disciplina primum ad Ægyptiis reperta sit,quorum terminos cum Nilus inundatione sua limo obduceret, et confunderet limites,perticis et funibus terram mensurare cœperunt, deinde a sapientibus etiam ad spatia maris,et cœli,et aeris, et quorumlibet corporum mensuranda deducta

A fuit et extensa.

CAP. XI. *De astronomia.*

Astronomia et astrologia in hoc differre videntur, quod astronomia de lege astrorum nomen sumpsit, astrologia autem dicta est quasi sermo de astris disserens. Νομος enim *lex* et Λογος *sermo* interpretatur. Ita astronomia videtur esse quæ de lege astrorum et conversione cœli disserit, regiones, circulos, cursus, ortus et occasus siderum, et cur unumquodque ita vocetur, investigans. Astrologia autem quæ astra considerat secundum nativitatis et mortis et quorumlibet aliorum eventuum observationem quæ partim naturalis est,partim superstitiosa. Naturalis in complexibus corporum, quæ secundum superiorum contempe-

B rantiam variantur,ut sanitas,ægritudo, tempestas, serenitas, fertilitas et sterilitas. Superstitiosa in contingentibus et in iis, quæ libero arbitrio subjacent; quam partem mathematici tractant.

CAP. XII. *De arithmetica.*

Arithmetica materiam habet parem et imparem numerum. Par numerus, alius est pariter par; alius pariter impar, alius impariter par. Impar quoque numerus tres habet species. Prima est primus et incompositus, secunda secundus et compositus, tertia per se secundus et compositus et ad alios comparatus : primus et compositus.

CAP. XIII. *De musica triplici.*

Tres sunt musicæ : mundana, humana, instrumentalis. Mundana, alia in elementis, alia in pla-

C netis, alia in temporibus. Quæ in elementis : alia in numero, alia in pondere, alia in mensura. Quæ in planetis : alia in situ, alia in motu, alia in natura. Quæ in temporibus; alia in diebus, vicissitudine lucis et noctis, alia in mensibus, crementis, decrementisque lunaribus; alia in annis, mutatione veris, æstatis, autumni, hiemis. Humana musica : alia in corpore, alia in anima, alia in connexu utriusque. Quæ in corpore : alia est in vegetatione, secundum quam crescit quæ omnibus nascentibus convenit. Alia est in humoribus : ex quorum complexione humanum corpus subsistit. Quæ sensibilibus communis est, alia in operationibus : quæ specialiter rationalibus congruit, quibus mechanica præest; quæ si modum non

D excesserint bonæ sunt, ut inde non nutriatur cupiditas : unde infirmitas foveri debet, sicut Lucanus in laude Catonis refert.

Huic epulæ vicisse famem, magnique penates
Submovisse hiemem tecto : pretiosaque vestis
Hirtam membra super, Romani more Quiritis,
Induxisse togam, etc,

LUCAN. lib. II, v. 383 et seqq.

Musica in anima, alia est in virtutibus, ut est justitia, pietas et temperantia; alia in potentiis, ut est ratio, ira et concupiscentia. Musica inter corpus et animam : est illa naturalis amicitia qua anima corpori non corporeis vinculis, sed affectibus quibusdam colligatur ad movendum et sensificandum ipsum corpus, secundum quam amicitiam nemo carnem suam odio habuit. Musica hæc

est, ut ametur caro: sed plus, ut foveatur, corpus, non perimatur virtus.

Musica instrumentalis : alia in pulsu, ut fit in tympanis et chordis; alia in flatu, ut in tibiis et organis; alia in voce, ut in carminibus et cantilenis. Tria quoque sunt genera musicorum : unum quod carmen fingit, aliud quod instrumentis agit, tertium quod instrumentum opus carmenque dijudicat.

CAP. XIV. *De geometria.*

Geometria tres habet species : planimetriam, altimetriam, cosmimetriam. Planimetria, planum metitur, id est, longum et latum, et extenditur ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum. Altimetria altum metitur, et extenditur sursum et deorsum. Nam et mare altum dicitur, id est, profundum; et arbor alta, id est sublimis. Κόσμος *mundus* interpretatur, et inde dicta est cosmimetria, id est mensura mundi : hæc metitur sphærica, id est, globosa, rotunda, sicut est pila et ovum, unde etiam a sphæra mundi propter excellentiam dicta est cosmimetria, non quia tantum de mundi mensura agat, sed quia mundi sphæra inter omnia sphærica dignissima sit.

CAP. XV. *De astronomia.*

Nec contrarium est, quod superius immobilem magnitudinem geometriæ attribuimus, et mobilem astronomiæ quia hoc secundum primam inventionem dictum est; secundum quam etiam geometria mensura terræ dicitur. Vel possumus dicere quod id quod geometria in sphæra mundi considerat, id est dimensio regionum et circulorum cœlestium, immobile sit, secundum hoc quod ad geometricam considerationem pertinet. Geometria enim non considerat motum, sed spatium. Quod autem astronomia speculatur mobile sit, id est, cursus astrorum et intervalla temporum. Sicque universaliter dicemus immobilem magnitudinem geometriæ esse subjectam : mobilem astronomiæ; quia, licet ambæ de eadem re agant, una tamen contemplatur id quod permanet, altera id quod transit speculatur.

CAP. XVI. *Diffinitio quadrivii.*

Arithmetica est igitur numerorum scientia; musica est divisio sonorum et vocum varietas. Aliter, musica sive harmonia est plurium dissimilium in unum redactorum concordia. Geometria est disciplina magnitudinis immobilis formarumque descriptio contemplativa, per quam uniuscujusque termini declarari solent. Aliter, geometria est fons sensuum et origo dictionum. Astronomia est disciplina investigans spatia, motus et reditus cœlestium corporum certis temporibus.

CAP. XVII. *De physica.*

Physica causas rerum in effectibus suis et effectus in causis suis investigando considerat :

Unde tremor terris; qua vi maria alta tumescant.

VIRGIL. *Georg.* lib. II, v. 479.

Herbarum vires, animis irasque ferarum :
Omne genus fruticum, lapidum quoque reptiumque.

Φύσις *natura* interpretatur, unde etiam superiori divisione theoricæ, physicam naturalem Boetius nominavit. Hæc etiam physiologia dicitur, id est, sermo de naturis differens quod ad eamdem causam spectat. Physica aliquando large accipitur æquipollens theoricæ : secundum quam acceptionem, philosophiam quidam in tres partes dividunt, id est physicam, ethicam, logicam : in qua divisione mechanica non continetur; sed restringitur philosophia circa physicam, ethicam et logicam.

CAP. XVIII. *Quid sit proprium uniuscujusque artis.*

Cum vero omnes artes ad unum philosophiæ tendant terminum, non una tamen via omnes currunt, sed singulæ suas proprias quasdam considerationes habent, quibus ab invicem differunt. Logica consideratio est in rebus, attendens intellectus rerum, sive per intelligentiam : ut neque sint hæc, neque horum similitudines, sive per rationem, ut neque sint hæc; sed horum tamen similitudines. Considerat ergo logica species et genera rerum. Mathematicæ autem proprium est, actus confusos inconfuse per rationem attendere : verbi gratia, in actu rerum non invenitur linea sine superficie et soliditate (nullum enim corpus sic solummodo longum est, ut latitudine vel altitudine careat; sed in omni corpore hæc tria simul sunt) : ratio tamen attendit sine superficie et crassitudine lineam pure per se : quod est mathematicum, non quia in re ita vel sit, vel esse possit; sed quia ratio sæpe actus rerum considerat, non ut sunt, sed sicut esse possunt; non in se, sed quantum ad ipsam rationem, id est, ut ratio pateretur esse. Secundum quam considerationem dictum est continuam quantitatem in infinita decrescere, et discretam crescere in infinitum. Talis est enim vivacitas rationis ut omne longum in longa dividat, latum in lata, et cætera : utque ipsi rationi nihil carens intervallo intervallum generet. Physicæ autem est proprium, actus rerum per mistos, impermiste attendere. Actus enim corporum mundi, non sunt puri; sed compositi ab actibus purorum, quos physica cum per se non inveniantur pure tamen et per se considerat : purum scilicet actum ignis : sive terræ, sive aeris, sive aquæ, et ex natura uniuscujusque per se considerata, de concretione et efficientia totius judicat. Hoc etiam non prætereundum est, quod sola physica proprie de rebus agit, cæteræ omnes de intellectibus rerum. Logica tractat de ipsis intellectibus, secundum prædicamentalem constitutionem. Mathematica vero secundum integralem compositionem, et ideo logica quandoque utitur pura intelligentia, mathematica autem nunquam sine imaginatione est : ideoque nihil vere simplex est. Quia enim logica et mathematica priores sunt ordine discendi quam physica, et ad eam quodammodo instumenti vice funguntur, quibus unumquemque primum informari oportet antequam physicæ speculationi operam det : necesse fuit, ut non in actibus rerum ubi fallax experimentum

est; sed in sola ratione, ubi inconcussa veritas manet suam considerationem ponerent. deinde ipsa ratione prævia, ad experientiam rerum descenderent. Postquam igitur demonstravimus quomodo divisio theoricæ quam ponit Boetius superiori conveniat, breviter nunc utrasque repetemus, ut singula utriusque verba divisionis invicem conferamus.

CAP. XIX. *Collatio supradictorum, et divisio theoricæ.*

Theorica dividitur in theologiam, mathematicam et physicam, vel ita : Theorica dividitur in intellectibilem, et intelligibilem, et naturalem ; vel aliter : Theorica dividitur in divinalem: et doctrinalem, et philologiam. Eadem est igitur hæc theologia, intellectibilis et divinalis. Eadem mathematica, intelligibilis et doctrinalis Eademque physica, philologia, et naturalis. Sunt qui has tres theoricæ partes mystice quodam Palladis nomine, quæ dea sapientiæ fingitur esse, significari putant. Dicitur enim tritonia, quasi τριτη γνῶσις id est *tertia cognitio*, videlicet Dei, quam intellectibilem nominavimus, et animarum : quam intelligibilem diximus, et corporum quam naturalem appellamus. Et ab his tribus tamen sapientia vocabulum sumit : quia licet tres reliquas, id est ethicam, mechanicam, logicam congrue ad sapientiam referre possimus, expressius tamen logicam propter vocis eloquentiam : mechanicam, et ethicam propter circumspectionem morum, et operum prudentiam sive scientiam appellamus : solam autem theoricam propter speculationem veritatis rerum sapientiam nominamus.

CAP. XX. *Divisio practicæ.*

Practica dividitur in solitariam privatam, et publicam. Vel aliter : In ethicam, œconomicam, et politicam, vel aliter : moralem et dispensativam, et civilem. Una est solitaria, ethica, et moralis. Una rursum, privata, œconomicá et dispensativa. Eademque publica, politica, atque civilis. Œconomus interpretatur *dispensator*. Inde œconomica dicta est dispensativa. Πόλις Græce, Latine civitas dicitur, inde politica dicta est, id est civilis. Quando ethicam partem constituimus practicæ, stricte accipienda est ethica in moribus uniuscujusque personæ, et est eadem quæ solitaria. Solitaria igitur est quæ sui curam gerens cunctis sese erigit, exornat augetque virtutibus, nihil in vita admittens, quo non gaudeat, nihilque faciens pœnitendum. Privata est, quæ rei familiaris officium mediocri componens dispositione distribuit. Publica est, quæ reipublicæ curam suscipiens cunctorum saluti suæ providentiæ solertia, et justitiæ libra, et fortitudinis stabilitate, et temperantiæ patientia medetur. Solitaria igitur convenit singularibus, privata patribus familias, politica rectoribus urbium. Practica actualis dicitur, eo quod res propositas operationibus suis explicet. Moralis dicitur, per quam mos vivendi honestus expetitur vel acquiritur, et instituta ad virtutem tendentia præparantur. Dispensativa dicitur, cum domesticarum rerum sapienter ordo disponitur. Civilis dicitur; per quam totius civitatis utilitas administratur.

CAP. XXI. *Divisio mechanicæ in septem scientias.*

Mechanica septem scientias continet : lanificium, armaturam, navigationem, agriculturam, venationem, medicinam, theatricam. Ex quibus tres ad extrinsecum vestimentum naturæ pertinent, quo seipsa natura ab incommodis protegit, quatuor ad intrinsecum, quo se alendo et fovendo nutrit, ad similitudinem quidem trivii et quadrivii; quia trivium de vocibus quæ extrinsecus sunt, et quadrivium de intellectibus qui intrinsecus concepti sunt pertractat. Hæ sunt septem ancillæ quas Mercurius a philologia in dotem accepit; quia nimirum eloquentiæ cui juncta fuerit sapientia, omnis humana actio servit, sicut Tullius in libro Rhetoricorum de studio eloquentiæ dicit : hæc tuta, hæc honesta, hæc illustris, hæc eadem vita jucunda fit. Nam hinc ad rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium præsto est sapientia. Hinc ad eos qui ipsam adepti sunt, laus, honos, dignitas, confluit. Hinc amicis quoque eorum certissimum, tutissimumque præsidium est. Hæ mechanicæ appellantur, id est adulterinæ : quia de opere artificis agunt quod a natura formam mutuatur. Sicut aliæ septem liberales appellatæ sunt; vel quia liberas, id est, expeditos et exercitatos animos requirunt, quia subtiliter de causis rerum disputant; vel quia liberi tantum antiquitus, id est, nobiles in eis studere consueverant : plebei vero et ignobilium filii in mechanicis propter peritiam operandi. In quo priscorum apparet diligentia, qui nihil intentatum linquere voluerunt; sed omnia sub certis regulis et præceptis stringere. Mechanica est scientia ad quam fabricæ omnium rerum concurrere debent.

CAP. XXII. *De lanificio.*

Lanificium continet omnia texendi, consuendi, retorquendi genera, quæ fiunt manu, acu, fuso, subula, girgillo, pectine, alibro, calamistro, chilindro, sive aliis quibuslibet instrumentis : ex quacunque lini vel lanæ materia, et omni genere pellium erasarum vel pilos habentium, canabis quoque vel suberis juncorum, pilorum, floccorum, aut alia qualibet re hujusmodi, quæ in usum vestimentorum, operimentorum, linteorum, sagorum, saginarum, substratoriorum, cortinarum, matularum, filtrorum, telarum, cassium, funium, redigi potest. Stramina quoque ex quibus galeros et sportellas texere solent homines : hæc omnia studia ad lanificium pertinent.

CAP. XXIII. *De armatura et fabrili.*

Secunda est armatura. Arma aliquando quælibet instrumenta dicuntur; sicut dicimus, arma belli, arma navis, id est instrumenta belli et navis. Cæterum proprie arma sunt quibus tegimur, ut scutum, thorax, galea, vel quibus percutimus, ut gladius bipennis, sarissa. Tela autem sunt quibus jaculari possumus, ut hasta, sagitta. Dicta autem arma ab armo, id est brachio, quia bra_

chium muniunt, quod ictibus opponere solemus. Tela autem dicuntur a Græco telon, id est longum, eo quod longa sint hujusmodi, inde et protelare, id est prolongare dicitur. Armatura igitur quasi instrumentalis dicitur scientia, non tam ideo quod instrumentis operando utatur, quam quod de præjacenti alicujus massæ materia aliquod, ut ita dicam, instrumentum efficiat. Ad hanc omnis materia lapidum, lignorum, metallorum, arenarum, argillarum pertinet. Hæc duas habet species, architectonicam et fabrilem. Architectonica dividitur in cœmentariam, quæ ad latomos et cœmentarios; et in carpentariam, quæ ad carpentarios et tignarios pertinet, aliosque hujusmodi utriusque artifices, in dolabris et securibus, lima et asciculo, serra et terebra, runcinis, artavis, trulla, examussi, polientes, dolantes, sculpentes, limantes, scalpentes, compingentes, linientes, in qualibet materia, luto, latere, lapide, ligno, osse, sabulo, calce, gypso, et si qua sunt simillia operantium. Fabrilis dividitur in malleatoriam, quæ feriendo massam in formam redigit. Et in exclusoriam, quæ fundendo massam in formam redigit. Unde exclusores dicti sunt, qui de confusione massæ noverunt formam vasis exprimere.

Cap. XXIV. *De navigatione.*

Navigatio continet omnem in emendis, vendendis, mutandis, domesticis sive peregrinis mercibus negotiationem. Hæc rectissime quasi quædam sui generis rhetorica est; eo quod huic professioni eloquentia maxime sit necessaria. Unde et is qui facundiæ præesse dicitur, Mercurius, quasi mercatorum ύριος id est *Dominus* appellatur. Hæc secreta mundi penetrat, littora invisa adit; deserta horrida lustrat, et cum barbaris nationibus et linguis incognitis commercia humanitatis exercet. Hujus studium gentes conciliat, bella sedat, pacem firmat, et privata bona ad communem usum omnium immutat.

Cap. XXV. *De agricultura.*

Agricultura quatuor species habet; arvum agrum qui satis dationi deputatur, et consitum qui fruticibus et arboribus, ut sunt vineta, pomaria, silvæ; pascuum ut prata, tempe, tesqua, saltus; floridum, ut horti sunt, et rosaria.

Cap. XXVI. *De venatione.*

Venatio dividitur in ferinam, aucupium, et piscaturam. Ferina multis modis exercetur. Retibus, pedicis, laqueis, præcipitiis, arcu, jaculis, cuspide, indagine, pennarum odore, canibus, accipitribus. Aucupium fit laqueis, pedicis, retibus, arcu, visco, hamo. Piscatura fit sagenis, retibus, gurgustiis homis, jaculis. Ad hanc disciplinam pertinet omnium ciborum, saporum et potuum apparatus. Nomen tamen accepit ab una parte sui, quia antiquitus plus venaticis vésci solebant, sicut adhuc in quibusdam regionibus ubi rarissimus panis est, carnem pro cibo, et mulsum vel aquam pro potu habent. Cibus in duo dividitur: in panem et obsonium. Panis dictus est, vel quasi ponis, quia omnibus mensis apponitur, vel a græco πᾶν quod est *omne*, quia nullum convivium bonum sine pane ducitur, vel quod pascat. Panis multa sunt genera: azymus, fermentatus, subcinericius, rubigus, spongia, placenta, clibanicus, dulciarius, siligineus, hordeaceus, amolum, simila, et cætera multa. Obsonium dicitur quasi adjunctum pani, quod nos cibarium dicere possumus. Hujus multa sunt genera. Carnes, pulmenta, mulsa, olera, fructus. Carnium, aliæ sunt assæ, aliæ frixæ, aliæ elixæ, aliæ crudæ, aliæ salsæ. Aliæ dicuntur succidia: Lardum quoque sive taxea; perna vel petasunculus; axungia, arvina, sepum, adeps. Pulmenti item sunt genera, lucanicæ farcimen, minutal, afrotum, mortisia galantiæ, et cætera quæcunque princeps cocorum excogitare potuit. Mulsa habent lac, colostrum, babdutam, butyrum, caseum, serum. Olerum et fructuum nomina annumerare quis potest? Saporum alii calidi sunt; alii frigidi, alii amari, alii dulces, alii humidi. Potuum alii tantum sunt potus, id est qui humectant tantum, non nutriunt, ut aqua; alii potus et cibus, id est qui humectant et nutriunt, ut vinum. Rursus qui cibus sunt, alii naturaliter sunt cibus, ut vinum et sicera quælibet, alii accidentaliter, ut cervisia, medones. Venatio igitur continet omnia pistorum laniorum, cocorum, cauponumque officia.

Cap. XXVII. *De medicina.*

Medicina dividitur in duas partes, occasiones et operationes. Occasiones sex sunt: aer, motus et quies, inanitio et repletio; cibus et potus; somnus et vigiliæ, et accidentia animæ. Quæ ideo dicuntur esse occasiones, quia faciunt et conservant sanitatem, si temperata fuerint, si intemperata infirmitatem. Accidentia animæ ideo dicuntur occasio sanitatis vel infirmitatis, quia aliquando vel commovent calorem impetuose ut ira, vel leniter ut delectationes, vel attrahunt et celant; idque aut impetuose ut terror et timor, aut leniter ut angustia. Et sunt quæ commovent naturalem virtutem intus et extra, ut est tristitia. Omnis operatio medicinæ, aut intus fit, aut extra. Intus ut ea quæ ore, naribus, auribus sive ano intromittuntur, ut potiones, vomitiones, pulveres, clystera, etc., quæ bibendo, vel masticando, vel attrahendo sumuntur. Foris ut epidimata, cataplasmata, emplastra. Chirurgia, quæ duplex est in carne, ut incidere, suere, urere. In osse, ut solidare, et juncturæ reddere. Nec moveat quampiam, quod cibum et potum inter attributa medicinæ annumero, quæ superius venationi attribui, quia secundum diversos respectus hoc factum est. Vinum quoque in botro agriculturæ est; in penu, cellarii; in gustu, medici. Similiter ciborum apparatus ad pistrinum, macellum, coquinam pertinet; virtus saporis ad medicinam.

Cap. XXVIII. *De theatrica scientia.*

Theatrica dicitur scientia ludorum a theatro quo populus ad ludendum convenire solebat, non quia in theatro tantum ludus fieret, sed quia ce-

lebrior locus fuerat cæteris. Fiebant autem ludi A alii in theatris, alii in atriis, alii in gymnasiis, alii in amphicircis, alii in arenis, alii in conviviis, alii in fanis. In theatro gesta recitabantur, vel carminibus, vel larvis, vel personis, vel oscillis. In atriis choreas ducebant et saltabant. In gymnasiis luctabantur. In amphicircis cursu certabant vel pedum, vel equorum, vel curruum. In arenis pugiles exercebantur. In conviviis, rhythmis et musicis instrumentis, et odis psallebant, et alea ludebant. In fanis tempore solemni deorum laudes canebant. Ludos vero idcirco inter legitimas actiones connumerabant, quod temperato motu naturalis calor nutritur in corpore; et lætitia ejus reparatur. Vel quod magis videtur, quia necesse fuit populum aliquando ad ludum convenire, voluerunt determinata esse loca ludendi, ne in diversoriis conventicula facientes, probrosa aliqua aut facinorosa perpetrarent.

CAP. XXIX. *De logica quæ est quarta pars philosophiæ; et de grammatica.*

Logica dividitur in grammaticam, et in rationem disserendi. Γράμμα Græce, *littera* interpretatur Latine, inde dicta est grammatica, id est litteralis scientia. Littera proprie est figura quæ scribitur; elementum sonus qui pronuntiatur. Cæterum hic large accipienda est littera, ut et vocem et scripturam intelligamus utrumque enim ad grammaticam pertinet. Quidam dicunt grammaticam non esse partem philosophiæ, sed quasi quoddam appendicium et instrumentum ad philosophiam. De ratione autem disserendi Boetius dicit : « Quod pars esse possit et instrumentum ad philosophiam, sicut pes, manus, lingua, oculi, etc. partes sunt corporis et instrumenta. » Grammatica simpliciter agit de vocibus, id est secundum se inventionem et formationem, compositionem, inflectionem, prolationem, et cætera ad pronuntationem tantum pertinentia pertractans. Ratio disserendi agit de vocibus secundum intellectus.

CAP. XXX. *De grammaticæ divisione.*

Grammatica dividitur in litteram, syllabam, dictionem et orationem; vel aliter grammatica dividitur in litteras, id est in id quod scribitur; et vocales, id est in id quod pronuntiatur; vel aliter : Grammatica dividitur in nomen, verbum, participium, pronomen, adverbium, præpositonem, conjunctionem et interjectionem; in vocem articulatam, litteram, syllabam, pedes, accentus, posituras, notas, orthographiam, analogiam, etymologiam, glossas, differentias, barbarismum, solœcismum, vitia, metaplasmas, schemata, tropos, prosas, metra, fabulas, historias. Quorum idcirco expositionem transeo, quia prolixior esset quam hujus schedulæ brevitas expetat, et quia etiam in hoc opusculo, divisiones tantum rerum et nomina investigare proposui, ut tantummodo quoddam principium doctrinæ lectori conderetur. Qui autem scire desiderat, legat Donatum, Servium, Priscianum de accentibus et de duodecim versibus Virgilii, et Barbarismum, et Isidorum in libris etymologiarum.

CAP. XXXI. *De ratione disserendi.*

Ratio disserendi integrales partes habet, inventionem et judicium; divisivas vero demonstrationem, probabilem, sophisticam. Demonstratio est in necessariis argumentis, et pertinet ad philosophos. Probabilis pertinet ad dilecticos et ad rhetores. Sophistica ad sophistas et cavillatores. Probabilis dividitur in dialecticam et rhetoricam, quarum utraque integrales habet partes inventionem et judicium. Quia enim ipsum genus, id est artem dissertivam, integraliter constituunt, necesse est ut in compositione omnium specierum ejus simul inveniatur. Inventio est quæ docet invenire argumenta et constituere argumentationes. Scientia judicandi, quæ de utroque judicare docet. B Quæri potest, utrum inventio et judicium sub philosophia contineantur. Videtur enim neque sub theorica, neque sub practica, neque sub mechanica, neque sub logica (de qua magis videretur) contineri. Sub logica non continetur, quia neque per grammaticam, neque per dissertivam. Per dissertivam non continentur, cum integraliter eam constituant; nulla autem res esse possit simul integralis et divisiva pars ejusdem generis. Sicque philosophia non omnem scientiam continere videtur. Sed sciendum quod scientia duobus modis accipi solet, id est pro aliqua disciplinarum, sicut, cum dico dialecticam esse scientiam, id est artem vel disciplinam; et pro qualibet cognitione, sicut cum dico scientiam habere eum qui scit aliquid. C Verbi gratia : Si scio dialecticam, scientiam habeo, et si scio notare, scientiam habeo; et si scio Socratem esse Sophronici filium, scientiam habeo. Et universaliter omnis qui aliquid scit, potest dici scientiam habere. Sed tamen aliud est, cum dico : dialectica scientia, id est ars vel disciplina; atque aliud cum dico : scire quod Socrates est Sophronici filius est scientia, id est cognitio. De omni scientia quæ est ars vel displina, verum est dicere quod sit pars philosophiæ divisiva; non autem universaliter dici potest, quod omnis scientia, quæ est cognitio, pars sit philosophiæ divisiva. Est tamen prorsus omnis scientia, sive disciplina, sive quælibet cognitio pars philosophiæ, vel divisiva, vel integralis; disciplina autem est scientia, D quæ absolutum finem habet, in quo propositum artis perfecte explicatur, quod scientiæ inveniendi vel judicandi non convenit; quia neutra per se soluta est, et ideo disciplina dici non possunt, sed partes disciplinæ, id est dissertivæ. Rursum quæritur utrum inventio et judicium eædem partes sint dialecticæ et rhetoricæ; quod inconveniens videtur, ut duo opposita genera eisdem prorsus constituantur partibus. Dici ergo potest has duas voces æquivocas esse ad partes dialecticæ et rhetoricæ, vel (quod fortassis melius est) dicamus inventionem et judicium proprie partes esse dissertivæ et sub his vocibus univocari. In inferioribus tamen hujus generis quibusdam proprietatibus se differre, quæ tamen differenti per has voces non discernuntur; quia per eas non secundum hoc quod species componunt, sed secundum hoc

quod partes sunt generis, significantur. Grammatica est scientia loquendi sine vitio. Dialectica disputatio acuta, verum a falso distinguens. A Rhetorica est disciplina, ad persuadendum quæque idonea.

LIBER TERTIUS,

Cujus hæc sunt capitula :

Cap. I. *De disciplina et ejus divisione.*

Philosophia dividitur in theoricam, practicam, mechanicam, logicam. Theorica dividitur in theologiam, physicam, mathematicam. Mathematica in arithmeticam, musicam, geometriam. Practica in solitariam, privatam, publicam. Mechanica dividitur in lanificium, armaturam, navigationem, agriculturam, venationem, medicinam, theatricam. Logica dividitur in grammaticam et disertivam. Dissertiva dividitur in demonstrationem probabilem et sophisticam. Probabilis dividitur in dialecticam et rhetoricam. In hac divisione solummodo divisis philosophiæ partet continentur; sunt aliæ adhuc subdivisiones istarum partium, sed istæ nunc sufficere possunt. In his igitur si solum numerum respicis, XXI; si gradus computare volueris, triginta octo reperies. Auctores harum scientiarum diversi leguntur. Alii incipiendo, alii augendo, alii perficiendo artes invenerunt, sicque ejusdem artis plures sæpe referuntur auctores. Ex his paucorum nomina subter annumerabo.

Cap. II. *De auctoribus artium.*

Theologus apud Græcos Linus fuit, apud Latinos Varro; et nostri temporis Joannes Scotus; de decem categoriis in Deum physicam naturalem, apud Græcos Tales Milesius unus de Septem sapientibus reperit, apud Latinos Plinius describit. Arithmeticam Samius Pythagoras invenit; Nicomachus scripsit. Apud Latinos primum Apuleius, deinde Boetius transtulit. Hic etiam Pythagoras Machematetrados fecit, id est librum De doctrina quadrivii, et V. ad similitudinem vitæ humanæ invenit. Musicæ repertorem Moyses dicit fuisse Tubal, qui fuit de stirpe Chain; Græci Pythagoram, alli Mercurium, qui primus tetrachordum instituit; alii Linum, vel Zetum, vel Amphionem. Geometriam apud Ægyptum primum dicunt esse repertam, cujus auctor apud Græcos optimus Euclides fuit. Hujus artem transtulit Boetius; Heratostenes quoque sagacissimus in geometria, qui ambitum orbis reperit. Dicunt quod Cham filius Noe astronomiam primus inve- B nerit. Chaldæi primum astrologiam docuerunt, secundum nativitatis observationem. Josephus autem asseverat Abraham primum docuisse apud Ægyptios astrologiam. Astronomiam Ptolomæus rex Ægypti reparavit. Hic etiam canones instituit quibus cursus astrorum invenitur. Aiunt quidam Nembroth gigantem summum fuisse astrologum, sub cujus nomine etiam astronomia invenitur. Græci dicunt hanc artem ab Athlante primum excogitatam, propter quod etiam cœlum sustinuisse fertur. Etichæ inventor Socrates fuit, de qua XXIV libros secundum positivam justitiam tradidit. Deinde Plato discipulus ejus libros multos De republica secundum utramque justitiam, naturalem scilicet et positivam, conscripsit. Deinde C Tullius in latino sermone libros De republica ordinavit. Fronto quoque philosophus scripsit librum Stratagematon id est militaris subtilitatis. Mechanica diversos habuit auctores. Hesiodus Ascræus primus apud Græcos in describendis rebus rusticis studuit. Deinde Democritus; Mago quoque Carthaginensis XXVII, voluminibus studium agriculturæ conscripsit; apud Latinos primus Cato opus De agriltura instituit, quod deinde Marcus Terentius Varro expolivit. Virgilius quoque Georgica fecit. Deinde Cornelius et Julius Atticus Æmilianus, sive Columella insignis orator, qui totum corpus disciplinæ hujus complexus est. Palladius quoque De agricultura scripsit; Vitruvius autem De architectura. Lanificii usum apud D Græcos primam Minervam monstrasse ferunt. Hanc etiam primam telam ordinasse, lanasque colorasse, olivæ quoque et fabricæ inventricem fuisse credunt. Ab ipsa Dædalus didicit; et ipse post eam fabricam fecisse creditur. Apud Ægyptum autem Isis filia Inachi usum serendi lini reperit, et qualiter inde vestimenta fierent monstravit. Similiter lanæ usum ibidem ipsa reperit. In Lybia primum usus lanæ exortus est a templo Ammonis. Ninus rex Assyriorum primus bella movit. Vulcanum primum fabrum fuisse credunt. Divina autem historia asserit Tubal. Primus Pro-

metheus ferreo circulo lapidem imprimens, usum A annuli invenit. Navigii usum Pelagi primi invenerunt. Ceres prima in Græcia apud Eleusim usum frumenti invenit; Isis in Ægypto. Pilumnus in Italia usum frumenti et farris, et ritum molendi et pinsendi. Tagus in Hispania ritum serendi. Osiris apud Ægyptum cultum vinearum reperit. Liber apud Indos. Dædalus primus mensam fecit et sellam. Apitius quidam Romanus primus composuit apparatum coquinæ, qui tandem in ea re consumptis bonis morte voluntaria periit. Medicinæ auctor apud Græcos Apollo fuit. Hanc filius ejus Esculapius laude et opere ampliavit qui postquam fulmine periit, diu medendi cura intermissa est, latuitque per annos pene quingentos, usque ad tempus Artaxerxis regis. Tunc eam revocavit in B lucem Hippocrates, Asclepio patre genitus in insula Co. Ludi a Lydis initium sumpsisse creduntur, qui ex Asia venientes, in Etruria consederunt sub Tyrreno duce; ibique inter cæteros, superstitionum suarum ritus, spectacula instituerunt; quem morem Romani imitati sunt, accersitis inde artificibus, indeque *ludi* a Lydis vocati sunt. Litteræ Hebræorum a Moyse per legem initium sumpsisse creduntur; Chaldæorum et Syrorum per Abraham; Ægyptiorum litteras Isis invenit; Græcorum phœnices, quas Cadmus a Phœnice in Græciam attulit. Carmentis mater Evadri, quæ proprio nomine. Nicostrata vocabatur, Latinas litteras reperit. Divinam historiam primus Moyses scripsit. Apud gentiles primus Dar- C hes Phrygius Trojanam historiam edidit, quam in foliis palmarum ab eo scriptam esse ferunt. Post Darhetem in Græcia Herodotus historicus primus habitus est. Post quem Pherecides iisdem temporibus claruit; quibus Esdras legem scripsit. Fabulas primum invenisse creditur Alcinon [*al.* Alcman. Crotoniensis. Ægyptus mater est artium, inde in Græciam; deinde in Italiam venerunt. In ea primum grammatica reperta est tempore Osiris mariti Isidis. In ea quoque dialectica primum inventa est a Parmenide, qui civitates et cætus hominum fugiens in rupe consedit non modico tempore, sicque dialecticam excogitavit, unde et rupes Parmenidis appellata est.

Plato autem post mortem Socratis magistri sui, D amore sapientiæ in Ægyptum migravit, ibique perceptis liberalibus disciplinis. Athenas rediit; et apud Academiam villam suam coadunatis discipulis philosophiæ studiis operam dedit. Hic primus logicam rationalem apud Græcos instituit, quam postea Aristoteles discipulus ejus ampliavit, perfecit et in artem redegit. Marcus Terentius Varro primus dialecticam de Græco in Latinum transtulit. Postea Cicero adjecit. Demosthenes fabri filius, apud Græcos rhetorice princeps creditur. Tisias apud Latinos. Corax apud Syracusas. Hæc ab Aristotele et Gorgia et Hermagora in Græco scripta est, translata in Latinum a Tullio, Quintilliano et Titiano.

—

CAP. III. *Quæ artes præcipue legendæ sint.*

Ex his autem omnibus scientiis supra enumeratis septem specialiter decreverant antiqui in studiis suis ad opus erudiendorum, in quibus tantam utilitatem esse præ cæteris omnibus perspexerunt, ut quisquis harum disciplinam firmiter percepisset, ad aliarum notitiam postea inquirendo magis et exercendo, quam audiendo perveniret. Sunt enim quasi optima quædam instrumenta et rudimenta quibus via paratur animo ad plenam philosophicæ veritatis notitiam. Hinc trivium et quadrivium nomen accepit, eo quod ii quasi quibusdam viis vivax animus ad secreta sophiæ introeat. Nemo tunc temporis nomine magistri dignus videbatur; qui non harum VII scientiam profiteri posset. Pythagoras hanc in studiis suis consuetudinem servasse legitur, ut usque ad septenium secundum numerum videlicet septem artium liberalium nullus discipulorum suorum de iis quæ ab ipso dicebantur rationem poscere auderet; sed fidem daret verbis magistri quousque omnia audivisset, sicque jam per semetipsum rationem eorum posset invenire. Has septem quidam tanto studio didicisse leguntur, ut plane ita omnes in memoria tenerent, ut quascunque scripturas deinde ad manum sumpsissent, quascunque quæstiones solvendas aut comprobandas proposuissent, ex his regulas et rationes ad definiendum, id de quo ambigeretur, folium librorum non quærerent, sed statim singula corde parata haberent. Hinc profecto incidit eo tempore tot fuisse sapientes ut plura ipsi scriberent quam nos legere possimus. Scolastici autem nostri aut nolunt aut nesciunt modum congruum in discendo servare, et idcirco multos studentes, paucos sapientes invenimus. Mihi vero videtur non minori cura providendum esse lectori ne in studiis inutilibus operam suam expendat, quam ne in bono et utili proposito tepidus remaneat. Malum est bonum negligenter agere, pejus est in vanum labores multos expendere. Sed quia non omnes hanc discretionem habere possunt, ut intelligant quod sibi expediat, idcirco quæ scripturæ mihi utiliores videantur, lectori breviter demonstrabo, ac deinde de modo quoque disserendi pauca adnectam.

CAP. IV. *De duobus generibus scripturarum.*

Duo sint genera scripturarum. Primum genus est earum quæ propriæ artes appellantur. Secundum est earum quæ sunt appendentia artium. Artes sunt quæ philosophiæ supponuntur, id est quæ aliquam certam et determinatam philosophiæ materiam habent ut est grammatica, dialectica, et cæteræ hujusmodi. Appendentia artium sunt, quæ tantum ad philosophiam spectant, id est quæ in aliqua extra philosophiam materia versantur; aliquando tamen quædam ab artibus discerpta sparsim et confuse attingunt, vel si simplex narratio est, viam ad philosophiam præparant. Hujusmodi sunt omnia poetarum carmina, ut sunt tragœdiæ, comœdiæ, satiræ, heroica quoque et lyrica, et iambica, et didascalica quæ-

dam; fabulæ quoque et historiæ; illorum etiam A scripta quos nunc philosophos appellare solemus, qui et brevem materiam longis verborum ambagibus extendere consueverunt, et facilem sensum perplexis sermonibus obscurare, vel etiam diversa simul compilantes, quasi de multis coloribus et formis, unam picturam facere. Nota quæ tibi distinxi. Duo sunt artes et appenditia artium. Sed inter hæc tanta mihi distantia esse videtur, ut ille ait:

Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis.
(Virg. in Bucol.)

Ita ut quicunque ad scientiam pertingere cupit, si relicta veritate artium reliquis se implicare voluerit, materiam laboris nedum plurimam sed B et infinitam sustinebit, et fructum exiguum. Denique partes sine appendiciis suis perfectum lectorem facere possunt; illa sine artibus nihil perfectionis conferre valent. Maxime autem cum nihil in se exspetendum habeant unde lectorem invitent, nisi traductum ab artibus et accommodatum; neque quisquam in eis quærant nisi quod artium est. Quapropter mihi videtur primum opera danda esse artibus ubi fundamenta sunt omnium; et pura simplexque veritas aperitur; maxime his VII quas prædixi, quæ totius philosophiæ instrumenta sunt. Deinde cætera quæque si vacat, legantur, quia aliquando plus delectare solent seriis admista ludicra, ei raritas pretiosum facit bonum. Sic in medio fabulæ cursu inventam C sententiam avidius aliquando retinemus. Verumtamen in septem liberalibus artibus fundamentum est omnis doctrinæ, quæ præ cæteris omnibus ad manum habendæ sunt, utpote sine quibus nihil solet aut potest philosophica disciplina explicare aut definire.

CAP V. *De artium cohærentia.*

Hæ quidem ita sibi cohærent, et alternis vicissim rationibus indigent, ut si una defuerit, cæteræ philosophum facere non possint. Unde mihi errare videntur qui non attendentes talem in artibus cohærentiam, quasdam sibi ex ipsis eligunt, et cæteris, intactis, his se posse fieri perfectos putant.

CAP. VI. *Unicuique arti quod est tribuendum esse.*

D Est rursum alius error non multo minor isto, quem summopere vitare oportet. Sunt enim quidem, quæ licet ex iis quæ legenda sunt nihil prætermittant, nulli tamen arti quod suum est tribuere norunt, sed in singulis legunt omnes. In grammatica de syllogismorum ratione disputant, in dialectica inflexiones casuales inquirunt, et quod magis irrisione dignum est, in titulo totum pene legunt librum, et incipit tertia vix lectione expediunt. Non alios docent hujusmodi, sed suam ostentant scientiam. Sed utinam quales mihi, tales omnibus apparerent! Attende quam perversa sit hæc consuetudo; cum profecto quanto magis superflua aggregaveris, tanto minus ea quæ utilia sunt capere possis vel retinere. In qualibet igitur arte duo nobis maxime discernenda sunt et distinguenda: primum, qualiter oporteat in ipsa arte agere; secundum, qualiter oporteat ipsius artis rationes quibuslibet aliis rebus accommodare. Duo sunt agere de arte, et agere per artem. Verbi gratia, agere de arte, ut est agere grammatice. De grammatica agit, qui regulas de vocibus datas, et præcepta ad hanc vocem pertinentia tractat; grammatice agit omnis qui regulariter loquitur vel scribit. Agere igitur de grammatica, quibusdam tantummodo ut Prisciano, Donato, Servio, et similibus, convenit. Agere vero grammatice, omnibus. Cum igitur de qualibet arte agimus, maxime in docendo ubi omnia ad compendium restringenda sunt, et ad facilem intelligentiam revocanda, sufficere debet id de quo agitur, quanto brevius et aptius potest explanare, ne si alienas nimium rationes multiplicaverimus, magis turbemus quam ædificemus lectorem. Non omnia dicenda sunt quæ dicere possumus, ne minus utiliter dicantur ea quæ dicere debemus; id tandem in unaquaque arte quæras quod ad eam specialiter pertinere constiterit. Deinde cum legeris artes, et quod uniuscujusque sit proprium agnoveris disputando et conferendo, tunc demum rationes singularum invicem conferre licebit; et ex alterna consideratione vicissim quæ minus prius intellexeras investigare. Noli multiplicare diverticula quoadusque semitas didiceris: securus discurres cum errare non timueris.

CAP. VII. *Quid sit necessarium studentibus.*

Tria sunt necessaria studentibus. Natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur ut facile audita percipiat, et percepta firmiter teneat. In exercitio, ut labore et sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, ut laudabiliter vivens, mores cum scientia componat. De his tribus per singula modo introductionis pauca perstringemus.

CAP VIII. *De ingenio et memoria, quæ duo pertinent ad naturam.*

(7*) Multi sunt, quos ipsa adeo natura ingenio destitutos reliquit, ut ea etiam quæ facilia sunt, intellectu vix capere possint, et horum duo genera esse videntur. Nam sunt quidam, qui licet suam hebetudinem non ignorent, eo tamen quo valent conamine ad scientiam anhelant; et indesinenter studio insudantes, quod minus habent effectu operis, obtinere videntur affectu voluntatis. Ast alii quoniam summa se comprehendere nequaquam posse sentiunt, minima etiam negligunt; et quasi in suo torpore securi quiescentes eo amplius in maximis lumen veritatis perdunt, quo minima quæ intelligere possent, discere fugiunt. Unde Psalmista: *Noluerunt*, inquit, *intelligere ut bene agerent* (*Psal.* XXXV). Longe enim aliud est nescire atque aliud nolle scire. Nescire siquidem infirmitatis est; scientiam vero detestari, pravæ voluntatis. Est aliud genus homi-

(7*) Capituli hujus partem priorem, quæ in editis desiderabatur, evulgavit D. Mabillonius *Veterum Analectorum* editionis novæ, pag. 132, ex ms. codice monasterii S. Taurini apud Ebroicas.

num, quos admodum natura ingenio ditavit A et facilem ad veritatem veniendi aditum præstitit; quibus, etsi par sit valetudo ingenii, non eadem tamen omnibus virtus aut voluntas est per exercitia et doctrinam naturalem sensum excolendi. Nam sunt plerique qui negotiis hujus sæculi et curis supra quam necesse sit impliciti aut vitiis et voluptatibus corporis dediti, talentum Dei terra obruunt, et ex eo nec fructum sapientiæ, nec usuram boni operis quærunt, quæ profecto valde detestabiles sunt. Rursus aliis rei familiaris inopia et tenuis census discendi facultatem minuit. Quos tamen plene per hoc excusari minime posse credimus, cum plerosque fame, siti, nuditate laborantes, ad scientiæ fructum pertingere videamus. Et tamen aliud est cum non possis, B aut ut verius dicam, non facile possis discere, atque aliud posse et nolle scire. Sicut enim gloriosius est, cum nullæ suppetant facultates, sola virtute sapientiam apprehendere, sic profecto turpius est vigere ingenio, divitiis affluere, et torpere otio.

Qui doctrinæ operam dant, ingenio simul et memoria pollere debent, quæ duo in omni studio et disciplina ita sibi cohærent, ut si desit alterum, neminem alterum ad perfectum ducere possit, sicut nulla prodesse possunt lucra, ubi deest custodia; et incassum receptacula munit, qui quod recondat non habuerit. Ingenium invenit et memoria custodit sapientiam. Ingenium est vis quædam naturaliter animo insita per se valens. In- C genium a natura proficiscitur, usu juvatur, immoderato labore retunditur, et temperato acuitur exercitio. Unde satis eleganter a quodam dictum est: « Volo tandem tibi parcas; labor est in chartis, curre per aera. » Duo sunt quæ ingenium exercent: lectio et meditatio. Lectio est, cum ex his quæ scripta sunt, regulis et præceptis informamur. Trimodum est lectionis genus docentis, discentis, vel per se inspicientis. Dicimus enim lego librum illi, et lego librum ab illo, et lego librum. In lectione maxime consideranda sunt ordo et modus.

Cap. IX. *De ordine legendi.*

Ordo consideratur alius in disciplinis, ut si dixerim grammaticam dialectica antiquiorem, vel D arithmecam priorem musica. Alius in libris, ut si dixero Catilinarium Jugurthino priorem. Alius in narratione, quæ est in continua serie. Alius in dispositione. Ordo in disciplinis attenditur secundum naturam; in libris secundum personam auctoris, vel subjectam materiam. In narratione secundum dispositionem, quæ duplex est: naturalis, scilicet quando res eo refertur ordine qua gesta est; et artificialis, id est, quando id quod postea gestum est prius narratur: et quod prius, postmodum dicitur. In expositione consideratur ordo secundum inquisitionem. Expositio tria continet: litteram, sensum, sententiam. Littera et congrua ordinatio dictionum, quam etiam constructionem vocamus. Sensus est facilis quædam et aperta significatio, quam littera prima fronte præfert. Sententia est profundior intelligentia, quæ nisi expositione vel interpretatione non invenitur. In his ordo est, ut primum littera, deinde sensus, deinde sententia inquiratur: quo facto, perfecta est expositio.

Cap. X. *De modo legendi.*

Modus legendi in dividendo constat. Omnis divisio incipit a finitis, et ad infinita usque progreditur. Omne autem finitum magis notum est, et scientia comprehensibile. Doctrina autem ab his quæ magis nota sunt incipit; et per eorum notitiam ad scientiam eorum quæ latent pertingit. Præterea ratione investigamus; ad quam proprie pertinet dividere, quando ab universalibus ad particularia descendimus dividendo, et singulorum naturas investigando. Omne namque universale magis est determinatum suis particularibus. Quando ergo discimus, ab iis incipere debemus quæ magis sunt nota et determinata et complectentia; sicque paulatim descendendo, et per divisionem singula distinguendo, eorum quæ continentur naturam investigare.

Cap. XI. *De meditatione.*

Meditatio est cogitatio frequens cum consilio, quæ causam et originem, modum et utilitatem uniuscujusque rei prudenter investigat. » Meditatio principium sumit a lectione; nullis tamen regulis stringitur aut præceptis lectionis. Delectatur enim quodam apto decurrere spatio, ubi liberam contemplandæ veritati aciem affligat; et nunc has, nunc illas rerum causas perstringere, nunc autem profunda quæque penetrare: nihilque anceps, nihilque obscurum relinquere. Principium ergo doctrinæ est in lectione, consummatio in meditatione. Quam si quis familiarius amare didicerit, eique sæpius vacare voluerit, jucundam valde reddit vitam, et maximam in tribulatione præstat consolationem. Ea enim maxima est, quæ animam a terrenorum actuum strepitu segregat, et in hac vita etiam æternæ quietis dulcedinem quodammodo prægustare facit. Cumque jam per ea quæ facta sunt, eum qui fecit omnia quærere didicerit, et intelligere: tunc animam pariter et scientia erudit et lætitia perfundit, unde fit, ut maximum sit in meditatione oblectamentum. Tria sunt genera meditationis. Unum constat in circumspectione morum, aliud in scrutatione mandatorum, tertium in investigatione divinorum operum. Mores sunt in vitiis et virtutibus. Mandatum divinum, aliud præcipiens, aliud promittens, aliud terrens. Opus Dei est, et quod creat potentia, et quod moderatur sapientia, et quod cooperatur gratia. Quæ omnia quanta sint admiratione digna, tanto magis quisque novit, quanto attentius Dei mirabilia meditari consuevit.

Cap. XII. *De memoria.*

De memoria hoc maxime in præsenti prætermittendum non esse existimo, quod sicut ingenium dividendo investigat et invenit, ita memoria colligendo custodit. Oportet ergo ut quæ discendo divisimus, commendando memoriæ ea colligamus. Colligere est ea de quibus prolixius vel scriptum

vel disputatum est ad brevem quamdam et compendiosam summam redigere, quæ a majoribus epilogus, id est, brevis recapitulatio supradictorum appellata est. Habet namque omnis tractatio aliquod principium cui tota rei veritas et vis sententiæ innititur, et ad ipsum cuncta alia referuntur: hoc quærere et considerare colligere est. Unus fons est, et multi rivuli, qui anfractus fluminum sequeris, tene fontem et totum habes. Hoc idcirco dico, quoniam memoria hominis hebes est, et brevitate gaudet, et si in multa dividitur, fit minor in singulis. Debemus ergo in omni doctrina breve aliquid et certum colligere, quod in arcana memoriæ recondatur, unde postmodum cum res exigit aliqua deriventur. Hoc etiam sæpe replicare, et de ventre memoriæ ad palatum revocare necesse est, ne longa intermissione obsolescat. Unde rogo te, o lector, ne nimium læteris, si multa legeris, sed si multa intellexeris nec tantum intellexeris sed etiam retinere potueris. Alioqui nec legere multum prodest, nec intelligere. Quare superius me dixisse recolo, eos qui doctrinæ operam dant, ingenio et memoria indigere.

Cap. XIII. *De disciplina.*

Sapiens, quidam cum de modo et forma discendi interrogaretur : « Mens, respondit, humilis, studium quærendi, vita quieta, scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena : hæc reserare solent nonnulla obscura legenti. » Audierat puto quod dictum est : « Mores ornant scientiam. » et ideo præceptis legendi, præcepta quoque vivendi adjungit, ut et modum vitæ suæ et studii rationem lector agnoscat. Illaudabilis est scientia, quam vita maculat impudica. Et idcirco summopere cavendum est ei qui quærit scientiam, ut non negligat disciplinam.

Cap. XIV. *De humilitate.*

Principium autem disciplinæ humilitas est, cujus cum multa sint documenta, hæc tria præcipue ad lectorem pertinent. Primum ut nullam scientiam, nullam scripturam vilem teneat; secundum, ut a nemine discere erubescat ; tertium, ut cum scientiam adeptus fuerit, cæteros non contemnat. Multos hoc decepit, quod ante tempus sapientes videri volunt. Hinc namque in quemdam elationis tumorem prorumpunt; ut jam et simulare incipiant quod non sunt et quod sunt erubescere ; eoque longius a sapientia recedunt quod non esse sapientes, sed putari volunt. Cujusmodi multos novi, qui cum primis adhuc elementis indigeant, non nisi summis interesse dignantur, et ex hoc solummodo se magnos fieri putant, si magnorum et sapientium, vel scripta legerint, vel audierint verba. Nos, inquiunt, vidimus illos ; nos ab illis legimus. Sæpe nobis loqui solebant. Illi summi, illi famosi, cognoverunt nos. Sed utinam me nemo cognoscat, et ego cuncta noverim ! Platonem vidisse, non intellexisse gloriamini ; puto indignum vobis est deinceps ut me audiatis. Non ego sum Plato, nec Platonem videre merui ; sufficit vobis ipsum, philosophiæ fontem potastis, sed utinam adhuc sitiretis ! Rex post aurea pocula, de vase bibit testeo.

A Quid erubescitis ? Platonem audistis, audietis et Chrysippum. In proverbio dicitur : « Quod tu non nosti, fortassis novit asellus. » Nemo est cui omnia scire datum sit, nec quisquam rursum cui aliquid spirituale a natura accepisse non contigerit. Prudens igitur lector omnes libenter audit, omnia legit, non scripturam, non personam, non doctrinam spernit. Indifferenter ab omnibus quod sibi deesse videt, quærit ; nec quantum sciat, sed quantum ignoret considerat. Hinc illud Platonicum aiunt : « Malo aliena verecunde discere, quam mea impudenter ingerere. » Cur discere erubescis, et nescire non verecundaris ; pudor iste, major est illo. Aut quid summa affectas, cum tu jaceas in imo ; considera potius quid vires tuæ B ferre valeant. Aptissime incedit, qui incedit ordinate. Quidam dum magnum saltum facere volunt, præcipitium incidunt. Noli ergo nimis festinare, hoc modo citius ad sapientiam pertinges. Ab omnibus libenter disce quod tu nescis ; quia humilitas commune tibi facere potest, quod natura cuique proprium fecit ; sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Nullam denique scientiam vilem teneas, quia omnis scientia bona est. Nullam si vacat scripturam vel saltem legem contemnas, quia si nihil lucraris, nec perdes aliquid, maxime cum nulla scriptura sit secundum meam existimationem, quæ aliquid expetendum non proponat, si convenienti loco et C ordine tractetur ; quæ non aliquid etiam speciale habeat quod diligens verbi scructator alibi non inventum, quanto rarius, tanto gratius carpat. Nihil tamen bonum est quod melius tollit. Si omnia legere non potes, ea quæ sunt utiliora lege etiam si omnia legere potueris, non omnibus tamen idem labor impendendus est ; sed quædam ita legenda sunt ne sint incognita, quædam vero ne sint inaudita, quia aliquando pluris esse credimus quod non audivimus, et facilius existimatur res cujus fructus agnoscitur. Videre nunc potes quam necessaria tibi sit hæc humilitas, ut nullam scientiam vilipendas et ab omnibus libenter discas. Similiter tibi quoque expedit, ut cum tu aliquid sapere cœperis, cæteros non contemnas. D Hoc autem tumoris vitium hinc quibusdam accidit, quod suam scientiam nimis diligenter inspiciunt, et cum sibi aliquid esse visi fuerint, alios quos non noverunt, tales nec esse nec potuisse fieri putant. Hinc etiam ebullit quod nugigeruli nunc quidam nescio unde gloriantes, priores patres simplicitatis arguunt, et secum natam, secum morituram credunt sapientiam. In divinis eloquiis ita simplicem modum loquendi esse aiunt, ut in eis magistros audire non oporteat ; posse satis quemque proprio ingenio veritatis arcana penetrare. Corrugant nasum, et valgium torquent in lectores divinitatis, et non intelligunt quod Deo injuriam faciunt, cujus verba pulchro quidem vocabulo simplicia, sed sensu pravo insipida prædicant. Non est mei consilii hujusmodi mitari. Bonus enim lector humilis debet

esse et mansuetus, a curis inanibus et voluptatum illecebris prorsus alienus, diligens et sedulus, ut ob omnibus libenter discat, nunquam de scientia sua præsumat, perversi dogmatis auctores quasi venena fugiat, diu rem pertrectare antequam judicet discat, non videri doctus, sed esse discat vel quærat, dicta sapientium intellecta diligat, et ea semper coram oculis quasi speculum vultus sui tenere studeat. Et si qua forte obscuriora intellectum ejus non admiserint, non statim in vituperium prorumpat, ut nihil bonum esse credat nisi quod ipse intelligere potuit. Hæc est humilitas disciplinæ legentium.

CAP. XV. *De studio quærendi.*

Studium quærendi ad exercitium pertinet, in quo exhortatione magis quam doctrina lector indiget. Qui enim diligenter inspicere voluerit, quid antiqui propter amorem sapientiæ pertulerint, quam memoranda posteris virtutis suæ monimenta reliquerint, quamlibet suam diligentiam inferiorem esse videbit. Alii calcaverunt honores, alii projecerunt divitias, alii acceptis injuriis gaudebant, alii pœnas spreverunt, alii contubernia hominum deserentes et intimos recessus et secreta eremi penetrantes, soli se philosophiæ dedicaverunt, ut eo contemplationi vacarent liberius, quod nullis quæ virtutis iter impedire solent cupiditatibus, animum subjecissent. Parmenides philosophus quindecim annis in rupe Ægyptia consedisse legitur. Et Prometheus ob immodicam meditandi curam in monte Caucaso vulturi expositus memoratur. Quia enim sciebant verum bonum non in æstimatione hominum sed in pura conscientia esse absronditum ; et eos jam non homines esse, qui rebus perituris inhærentes bonum suum non agnoscerent, ideo quantum mente et intelligentia a cæteris differrent, ipsa locorum distantia demonstrabant, ne una teneret habitatio, quos non eadem sociabat intentio. Quidam philosopho cuidam referebat dicens : « Nunquid non vides quod te deridemt homines. » Et ille : « Ipsi me, » inquit, « derident, et eos asini. » Cogita si potes quanti æstimaverit laudari ab eis a quibus nec vituperari timuit. De alio rursum legitur, quod post omnia disciplinarum studia et artium acumina ad opus figuli descenderit et alterius cujusdam discipuli cum laudibus magistrum suum efferrent, inter cætera, nec sutoriæ peritia eum carere gloriati sunt. Hanc igitur diligentiam in nostris lectoribus esse vellem, ut nunquam in eis senesceret sapientia. Sola Abisag Sunamitis senem David calefecit (*III Reg.* I), quia amor sapientiæ etiam marcescente corpore dilectorem sui non deserit. Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia decrescunt cætera. Senectus enim illorum qui adolescientiam suam honestis artibus [*al.* actibus] instruxerint, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Unde et sapiens ille vir Græciæ Themistocles cum repletis centem septem annis se mori cerneret, dixisse fertur : « sese dolere quod egrederetur de vita quando sapere cœpisset. » Plato octoginta unius annorum scribens mortuus est. Socrates nonaginta novem annos in docendi scribendique doloreque labore complevit. Taceo cæteros philosophos, Pythagoram, Democritum, Xenocratem, Zenonem, et Eleatem, qui jam ætate longæva in sapientiæ studiis floruerunt.

Ad poetas venio Homerum, Hesiodum, Simonidem, Tersilochum, qui grandes natu cycnæum nescio quid et solito dulcius vicina morte cecinerunt. Sophocles cum post nimiam senectutem, et rei familiaris negligentiam a suis accusaretur amentiæ ; Oedippi fabulam quam nuper scripserat, recitavit judici, et tantum sapientiæ in ætate jam fracta specimen dedit, ut severitatem tribunalium in favorem theatri converteret. Nec mirum cum etiam Cato censorius et Romani generis disertissimus jam senex græcas litteras discere, nec erubuerit, nec desperaverit. Certe Homerus refert quod de lingua Nestoris jam vetuli et pene decrepiti dulcior oratio fluxerit. Animadverte igitur quantum amaverint sapientiam, quos nec decrepita ætas ab ejus inquisitione revocare. Iste igitur tantus amor sapientiæ, tanta in senibus abundantia congrue etiam ex ipsius supradicti nominis interpretatione colligitur. Interpretatur enim Abisag *pater meus superfluus* vel *patris mei rugitus* , ex quo ostenditur abundantissimum, et ultra humanam vocem in sensibus divini sermonis tonitruum commorari. Verbum namque superfluum in hoc loco plenitudinem non redundantiam significat. Porro Sunamitis in lingua nostra coccinea dicitur, quod satis convenienter fervorem sapientiæ significare potest.

CAP. XVI. *De quatuor reliquis præceptis.*

Quatuor quæ sequuntur sic alternatim disposita sunt, ut alterum semper ad disciplinam, alterum ad exercitium spectet.

CAP. XVII. *De quiete.*

Vitæ quies, sive interior, ut mens per illicita desideria non discurrat ; sive exterior, ut otium et opportunitas honestis et utilibus studiis suppetat ; utraque ad disciplinam pertinet.

CAP. XVIII. *De scrutinio.*

Scrutinium autem, id est meditatio ; ad exercitium, spectat. Videtur autem scrutinium sub studio quærendi contineri. Quod si verum est superfluo repetitur, cum in superiori parte annumeratum sit. Sed sciendum est hanc inter hæc duo esse differentiam, quod studium quærendi instantiam significat operis, scrutinium vero diligentiam meditationis. Opus peragunt labor et amor, consilium pariunt cura et vigilia. In labore est ut agas ; in amore ut perficias ; in cura est, ut provideas ; in vigilia, ut attendas. Isti sunt quatuor pedissequi qui portant lecticam philologiæ, quia mentem exercent, cui sapientia præsidet. Cathedra quippe philologiæ sedes est sapientiæ, quæ his suppositis gestari dicitur, quoniam in his se exercendo promovetur. Unde pulchre

juvenes propter robur a fronte lecticam tenere A dicuntur; videlicicet, φιλος καὶ κόπος, id est *amor et labor*, quia foris opus peragunt, a posteriori puellæ, videlicet ἐπιμέλεια καὶ ἀγρυπνία, quæ interpretantur *cura* seu *diligentia* et *vigilia*, quia intus in secreto consilium pariunt. Sunt quidam qui putant per cathedram philologiæ humanum corpus significari, cui anima rationalis præsidet, quod ministri quatuor portant, id est, quatuor elementa componunt. De quibus duo superiora, id est ignis et aer, actu et nomine masculina sunt. Duo vero inferiora, id est terra et aqua femina.

Cap. XIX. *De parcitate.*

Parcitatem quoque lectoribus suadere volunt, id est superflua non sectari, quod maxime ad B disciplinam spectat.

Pinguis enim venter, ut dicitur, *sensum non* [*gignit acutum.*

Sed quid ad hoc scholastici nostri temporis respondere poterunt, qui non solum in studiis suis frugalitatem sequi contemnunt, sed etiam supra id quod sunt divites videri laborant. Nec jam quid didicerit quisque jactitat, sed quid expenderit. Sed fortassis suos magistros imitari volunt, de quibus quid digne dicam non invenio.

Cap. XX. *De exsilio.*

Postremo terra aliena posita est, quæ et ipsa quoque hominem exercet. Omnis mundus philosophantibus exsilium est. Quia tamen, ut ait quidam :

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia hæc et transitoria primum commutare, ut postmodum possit etiam derelinquere. Delicatus ille est adhuc cui patria dulcis est. Fortis autem jam qui omne solum patria est, perfectus vero cui mundus totus exsilium est. Ille mundo amorem fixit, iste sparsit, hic exstinxit. Ego a puero exsulavi, et scio quo mœrore animus arctum aliquando pauperis tugurii fundum deserat, qua libertate postea marmoreos lares et tecta laqueata despiciat.

LIBER QUARTUS,

Cujus hæc sunt capitula :

Cap. I. *De studio divinarum Scripturarum.* C

Scripturæ quæ velde Deo velde bonis invisibilibus loquuntur, nec omnes, nec solæ divinæ appellandæ sunt. In libris siquidem gentilium multa de æternitate Dei, animarum immortalitate et de virtutum præmiis sempiternis, pœnisque malorum, satis probabili ratione scripta invenimus, quos tali vocabulo indignos esse nemo dubitat. Rursus Veteris et Novi Testamenti seriem percurrentes, rotam pene de præsentis vitæ statu et rebus in tempore gestis contextam cernimus, raro aliqua de dulcedine æternorum bonorum et cœlestis vitæ gaudiis manifeste deprimi. Tamen has scripturas divinas appellare fides catholica solet. Philosophorum scripturæ, quasi luteus paries dealbatus, nitore eloquii foris pollent. Quæ si D quando veritatis prætendunt speciem, falsa admiscendo, quasi quodam colore superducto lutum erroris operiunt. Contra, divina eloquia aptissime favo comparantur, quæ et propter simplicitatem sermonis arida apparent, et intus dulcedine plena sunt; unde constat quod merito tale vocabulum sortita sunt, quæ sola sic a falsitatis contagione aliena inveniunt, ut nihil veritati contrarium continere probentur. « Scripturæ divinæ sunt, quas a catholicæ fidei cultoribus editas, auctoritas universalis Ecclesiæ ad ejusdem fidei corroborationem in numero divinorum computandas recepit, et legendas retinuit. Sunt præterea alia quam plurima opuscula a religionis viris et sapientibus diversis temporibus conscripta, quæ licet auctoritate universalis Ecclesiæ probata non sint, tamen quia a fide catholica non discrepant, et nonnulla etiam utilia docent, inter divina computantur eloquia, qua fortasse enumerando melius quam definiendo ostenderimus.

Cap. II. *De ordine et numero librorum.*

Omnis divina Scriptura in duobus Testamentis continetur, in Veteri videlicet et Novo. Utrumque Testamentum tribus ordinibus distinguitur. Vetus Testamentum continet legem, prophetas, agiographos. Novum autem Evangelium, apostolos, Patres.

Primus ordo Veteris Testamenti, id est lex quam Hebræi תורת, *thorath* nominant, Pentateuchum habet, id est quinque libros Moysi. In

hoc ordine primus est תראשית. bresith. qui est Genesis; secundus יאלה שמות *Hellesmoth*. qui est Exodus; tertius ויקרא vajetra. qui est Leviticus; quartus וידבר *Vajedaber*. qui est Numeri; quintus אלה הדברים *Abadarim*. qui est Deuteronomius.

Secundus ordo est prophetarum. hic continet octo volumina. Primum יהושע בן נון *Josue bennum*. id est filium Nun. qui et Josue et Jesus, et Jesu Nave nuncupatur; secundum שפטים *Sophtim*. qui est liber Judicum: tertium Samuel. qui est primus et secundus Regum; quartum Matachim. qui est tertius et quartus Regum; quintum Isaiam; sextum Jeremiam; septimum Ezechielem; octavum תרי עשר *Thareasra*, qui est duodecim prophetarum.

Deinde tertius ordo. octo libros babet. Primus est Job; secundus David: tertius משלי *Masloth*, quod Græce *parabolæ*. Latine *proverbia* sonat, videlicet Salomonis; quartus קוהלת *Coelech*, qui est Ecclesiastes: quintus, שיר השירים *Sira Sirim*, id est Cantica canticorum; sextus Daniel; septimus דברי הימים. *dabra iamin*, qui est Paralipomenon: octavus Esdras; nonus Esther. Omnes ergo numero sunt viginti duo. Sunt præterea alii quidam libri. ut Sapientia Salomonis, liber Jesu filii Sirach, et liber Judith, et Tobias et libri Machabæorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in canone.

Primus ordo Novi Testamenti, quatuor habet Evangeliorum volumina, Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis. Secundus similiter quatuor: Epistolas Pauli numero quatuordecim sub uno volumine contextas et canonicas Epistolas, Apocalypsim et Actus apostolorum. In tertio ordine primum habent locum Decretalia, quos canones, id est regulas appellamus; deinde sanctorum Patrum, et doctorum scripta: Hieronymi, Augustini, Gregogorii, Ambrosii, Isidori, Origenis, Bedæ, et aliorum multorum orthodoxorum, quæ tam infinita sunt, ut numerari non possint. Ex quo profecto apparet quantum in fidem Christianam fervorem habuerunt, pro cujus assertione tot et tanta opera memoranda posteris reliquerunt. Unde nostra quoque pigritia arguitur. qui legere non sufficimus quæ dictare illi potuerunt. In his autem ordinibus maxime utriusque apparet convenientia. quod sicut post legem prophetæ et post prophetas agiographi, ita post Evangelium apostoli, et post apostolos doctores ordine successerunt. Et mira quadam divinæ dispensationis ratione actum est, ut cum in singulis plena et perfecta veritas consistat, nulla tamen superflua sit. Hæc breviter de ordine et numero divinorum librorum perstrinximus, ut quæ sibi sit præscripta materia lector agnoscat.

CAP. III. *De auctoribus divinorum librorum.*

Quinque libros legis Moyses scripsit. Libri Josue, id est Josue cujus nomine inscribitur, auctor fuisse creditur. Librum Judicum a Samuele editum dicunt. Primam partem libri Samuelis ipse Samuel scripsit; sequentia vero usque ad calcem,
A David. Malachim Jeremias primum in unum volumen collegit. nam antea sparsus erat per singulorum regum historias. Isaias, Jeremias. Ezechiel, singuli suos libros fecerunt. qui inscripti sunt nominibus eorum. Liber etiam duodecim prophetarum, auctorum suorum nominibus prænotatur, quorum nomina sunt Osee, Joel. Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias et Malachias. Qui propterea minores dicuntur, quia sermones eorum breves sunt, unde et uno volumine comprehenduntur. Isaias autem et Jeremias, et Ezechiel, et Daniel, hi quatuor majores, sunt singulis suis voluminibus distincti. Librum Job, alii Moysen, alii unum ex prophetis, nonnulli ipsum Job scripsisse
B credunt. Librum Psalmorum David edidit; Esdras autem postea ita ut nunc sunt ordinavit, et titulos addidit. Parabolas autem et Ecclesiastem et Cantica canticorum Salomon composuit. Daniel sui libri auctor fuit. Liber Esdræ auctoris sui titulo prænotatur, in cujus textu ejusdem Esdræ Neemiæque sermones pariter continentur. Librum Esther Esdras conscripsit. Liber Sapientiæ apud Hebræos nusquam est, et ipse stylus Græcam magis eloquentiam redolet. Hunc quidam Judæi Philonis esse affirmant. Librum ecclesiasticum certissime Jesus filius Sirac Jerosolymita, nepos Jesu sacerdotis magni (cujus meminit Zacharias) composuit. Hic apud Hebræos reperitur, sed inter apocryphos habetur. Judith vero et Tobias, et li-
C bri Machabæorum quorum, ut testatur Hieronymus, secundus magis Græcus esse probatur, quibus auctoribus scripti sint minime constat.

CAP. IV. *De bibliotheca.*

Bibliotheca de Græco nomen accepit, eo quod ibi libri recondanur. Nam βιβλιων *librorum*, θηκη *repositorium* interpretatur. Bibliothecam Veteris Testamenti Esdras scriba post incensam legem a Chaldæis, dum Judæi regressi sunt in Jerusalem, divino afflatus spiritu reparavit, cunctaque legis ac prophetarum volumina quæ fuerant a gentibus corrupta, correxit, totumque Vetus Testamentum viginti duos libros constituit, ut tot libri essent in lege, quot habeantur et litteræ. Porro quinque litteræ duplices apud Hebræos sunt, כ *caph*. מ *mem* נ *nun*. פ *phe*, צ *salde*. Aliter enim per has scribunt
D principia medietatesque verborum, aliter fines. Unde et quinque libri a plerisque duplicss existimantur. Samuel, מלכים *Malachim*, דברי הימים *dabre iamin*, Esdras, Jeremias cum קינות *cynoth*, id est. *lamentationibus ejus.*

CAP. V. *De Interpretibus.*

Interpretes Veteris Testamenti, primum Septuaginta quos Ptolemæus cognomento Philadelphus rex Ægypti omnis litteraturæ sagacissimus, cum Pisistratum Atheniensium tyrannum, qui primus apud Græcos bibliothecam instituit, et Seleucum, Nicanorem, et Alexandrum, et cæteros priores qui sapientiæ operam dederant, in studio bibliothecarum æmularetur, non solum gentilium scripturas, sed etiam divinas litteras in suam bibliothecam conferens, ita ut septuaginta millia librorum

in tempore ejus Alexandriæ invenirentur, ab Eleazaro pontifice petens Scripturas Veteris Testamenti in Græcam vocem ex Hebræa lingua interpretari fecit. Sed singuli in singulis cellis separati, ita omnia per Spiritum sanctum interpretati sunt, ut nihil in alicujus eorum codice inventum esset, quod in cæteris vel in verborum ordine discreparet; propter quod una est eorum interpretatio, sed Hieronymus dicit huic rei non esse adhibendam fidem. Secundam et tertiam et quartam faciunt Aquila, Symmachus et Theodocion, quorum primus id est Aquila, Judæus fuit. Symmachus vero et Theodocion Ebionitæ hœretici. Obtinuit tamen usus ut post Septuaginta interpretates Ecclesiæ Græcorum eorum reciperent exemplaria, et legerent. Quinta est vulgaris, cujus auctor ignoratur, unde specialiter sibi vindicavit ut quinta appellaretur. Sexta et septima est Origenis, cujus codices Eusebius et Pamphilus vulgaverunt. Octava est Hieronymi, quæ merito cæteris antefertur, nam et verborum tenacior est, et perspicuitate sententiæ clarior.

CAP. VI. *De auctoribus Novi Testamenti.*

Plures Evangelia scripserunt, sed quidam sine Spiritu sancto magis conati sunt ordinare narrationem, quam historiæ texere veritatem. Unde sancti Patres per Spiritum sanctum docti, quatuor tantum in auctoritatem receperunt cæteris reprobatis, id est Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis ad similitudinem quatuor fluminum paradisi, et quatuor vectium arcæ, et quatuor animalium in Ezechiele. Primus Matthæus Evangelium suum scripsit Hebraice; secundus Marcus Græce; tertius Lucas inter omnes evangelistas Græci sermonis eruditissimus, quippe ut medicus, in Græcia Evangelium scripsit Theophilo episcopo, ad quem etiam Actus apostolorum idem scripsit; quartus et ultimus Joannes Evangelium scripsit. Paulus quatuordecim scripsit Epistolas, decem ad Ecclesias, quatuor ad personas. Ultimam autem ad Hebræos plerique dicunt non esse Pauli; eamdemque alii Barnabam scripsisse; alii Clementem suspicantur. Canonicæ epistolæ septem sunt: una Jacobi, duæ Petri, tres Joannis, una Judæ. Apocalypsim scripsit Joannes apostolus in Pathmos insulam exsilio relegatus.

CAP. VII. *Cætera esse apocrypha et quid sit apocryphum.*

Hi sunt scriptores sacrorum librorum, qui per Spiritum sanctum loquentes ad eruditionem nostri præcepta vivendi regulamque conscripserunt. Præter hæc alia volumina apocrypha nuncupantur. Apocrypha autem dicta, id est secreta, quia in dubium veniunt. « Est enim eorum occulta origo, nec patet Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima et notissima successione pervenit. » In his apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est in eis canonica auctoritas, quæ recte judicantur non esse eorum credenda, quibus ascribuntur. Nam multa et sub nominibus prophetarum et recentiora sub nominibus apostolo-

A rum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.

CAP. VIII. *Ratio divinorum librorum.*

Pentateuchum, a quinque voluminibus dicitur. Πεντε enim Græce *quinque*, τεῦχος *volumen* vocatur. Genesis eo dicitur quod generatio sæculi in eo continetur. Exodus ab exitu filiorum Israel de Ægypto. Leviticus eo quod levitarum ministeria et diversitatem victimarum exsequitur. Numerorum liber vocatur, eo quod in eo egressæ de Ægypto tribus enumerantur, et quadraginta duæ per eremum mansiones. Δεύτερος, verbum Græcum est trissyllabum, et interpretatur *secundus*, νόμος interpretatur *lex*. Inde dictus est Deutero-

B nomius, quasi secunda lex, quia in eo replicantur ea quæ in præcedentibus tribus diffusius dicta sunt. In libro Josue quem Hebræi יהושע *Josue*, בן נון *bennum*, dicunt, terra promissionis populo dividitur. Liber Judicum dictus est a principibus qui judicabant populum Israel, antequam reges essent in eodem populo. Huic quidam compingunt historiam Ruth sub uno volumine. Liber Samuel dictus est, quia nativitatem ejus et sacerdotium et gesta describit. Qui licet etiam historiam Saul et David contineat, utrique tamen ad Samuelem referuntur, quia unxit utrumque. מלך *malach* Hebraice, latine *regum* interpretatur, unde dictus est מלכים *malachim*, pro eo quod reges Judæ et Israeliticæ gentis, gestaque eorum per ordinem

C digerat Isaias evangelista potius quam propheta edidit librum suum, cujus omne contextum eloquentiæ prosa incedit. Canticum vero hexametro et pentametro versu discurrit. Jeremias similiter librum suum cum Threnis quos lamenta vocamus, eo quod in tristioribus rebus funebribusque adhibeantur, in quibus quadruplex diverso metro composuit alphabetum, quorum duo prima quasi sapphico metro scripta sunt, quia tres versiculos qui sibi nexi sunt, et ab una tantum littera incipiunt, heroicum comma concludit. Tertium alphabetum trimetro scriptum est, et a ternis litteris, iidem terni versus incipiunt. Quartum alphabetum simile primo et secundo habetur. Ezechiel principium et finem, obscuriora habet.

D Unum est volumen duodecim Prophetarum. Principia et fines libri Job apud Hebræos prosa oratione contexta sunt. Media autem ipsius ab eo loco quo ait: *Pereat dies in qua natus sum* (*Job.* III) usque ad eum locum ubi ait: *Idcirco ipse me reprehendo et ago pœnitentiam* (*Job.* XLII), omnia heroico metro discurrunt. Psalmorum liber Græce *psalterium*, Hebraice נבלא, *nabla*, Latine *organum* dicitur. Ideo autem vocatur psalterium quod uno propheta canente ad psalterium chorus consonando responderit. Hunc librum quinque incisionibus et uno psalmorum volumine comprehendunt. Psalmos David composuit, sed Esdras postea ordinavit. Omnes autem psalmi et lamentationes Jeremiæ et omnia ferme Scripturarum cantica, apud Hebræos metrice composita sunt, ut testantur Hieronymus, Origenes, Jose-

phus, Eusebius Cæsariensis. Nam in mortem Quinti Flacci Latini, et Pindari Græci, nunc alii iambo currunt, nunc sapphico nitent, trimetro vel tetrametro incendentes. Tribus nominibus vocatum esse Salomonem Scriptura manifestissime docet : ידידה, *Idida*, id est *dilectum Domini* quia eum dilexit Dominus; קוהלת, *Coeleth*, id est *ecclesiasten* ; Ecclesiastes autem Græco sermone appellatur, qui cœtum, id est Ecclesiam congregat, quem nos nuncupare possumus concionatorem, qui loquitur non ad unum specialiter, sed ad totam concionem populi. Porro *pacificus* vocatus est, eo quod in regno ejus pax fuerit. Is itaque juxta numerum vocabulorum tria edidit volumina, primum quod Hebraice משל. *Massoth*, Græce *parabolæ*, Latine *proverbia* inscribitur, eo quod in ipso sub comparativa similitudine figuras verborum, et imagines veritatis ostenderit. Quæ videlicet parabolæ in fine ab eo loco in quo ait : *Mulierem fortem quis inveniet* (*Prov.* XXXI), alphabeto texuntur ; sicut Lamentationes Jeremiæ, et cætera quædam Scripturæ cantica. Secundum quod Hebraice מיהלת, *Coeleth*, Græce *Ecclesiastes*, Latine *concionator* dicitur eo quod sermo ejus non specialiter ad unum, sicut in Proverbiis, sed ad universos, generaliter, quasi ad totam concionem et Ecclesiam dirigatur. Tertium שיר השירים *Sira Sirim*, id est *Cantica canticorum*, quod est quasi epithalamium, id est carmen nuptiale Christi et Ecclesiæ. In Proverbiis parvulum docet, et quasi in officiis per sententias erudit, unde et ad filium ei crebo sermo repetitur. In Ecclesiaste vero maturæ virum ætatis instituit, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quæ cernimus. Ad extremum jam consummatum virum, et calcato sæculo præparatum in Cantico canticorum Sponsi jungit amplexibus. Haud procul dubio ab hoc ordine doctrinarum, et philosophi suos sectatores erudiunt, ut primum ethicam doceant, deinde physicam interpretentur, et quem in his profecisse perspexerint, ad theologiam usque perducant. Daniel apud Hebræos non inter prophetas, sed inter agiographos habetur. Hunc secundum LXX interpretes catholica Ecclesia non legit, eo quod multum a veritate discordet. Daniel maxime et Abdias propheta, et una pars Jeremiæ. Hebraicis quidem litteris, sed Chaldaico sermone conscripti sunt. Job quoque cum Arabica lingua plurimam habet societatem. Daniel apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Beli, draconisque fabulas. Paralipomenon Græce dicitur, quod nos prætermissorum, vel reliquorum dicere possumus ; quia ea quæ in lege, vel regum libris, vel omissa, vel non plene relata sunt, in isto summatim ac breviter replicantur. Hic Hebraice dicitur דברי הימים, *Dabriamin*, quod interpretatur *Verba dierum* ; quod significantius Chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare. Liber Esdræ quartus est, in quo ejusdem Esdræ Neemiæque sermones sub uno volumine continentur. Secundus, tertius et quar-

A tus apocryphi sunt. Liber qui Sapientia Salomonis inscribitur, ideo sapientia vocatur, quia in eo Christi adventus (qui est sapientia Patris) et passio evidenter exprimitur. Liber Jesu filii Sirac ideo Ecclesiasticus dicitur, quod de totius Ecclesiæ disciplina religiosæ conversationis, magna cura et ratione sit deditus. De his duobus Hieronymus sic dicit. Fertur paranctos Jesu filii Sirac liber, et alius pseudographus, qui Sapientia Salomonis inscribitur, quorum priorem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum apud nos, sed parabolas prænotatum. Cui juncti erant Ecclesiastes et Cantica canticorum, ut similitudinem Salomonis, non solum librorum numero, sed etiam materiarum genere coæquarent. Secundus apud Hebræos B nusquam est, quia et ipse stylus Græcam eloquentiam redolet. Et nonnulli scriptorum veterum esse hunc Judæi Philonis affirmant. Sicut ergo Judith et Tobiæ, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia ; sed inter canonicas eos Scripturas non recipit ; sic et hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Quomodo ergo viginti duo elementa sunt, per quæ Hebraice scribimus omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur ; ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis in Dei doctrina tenera adhuc et lactens viri justi eruditur infantia. Quidam historiam Ruth et lamentationes Jeremiæ seorsum C per se inter agiographa computantes, et hos duos præcedentibus viginti duobus addentes, viginti quatuor Veteris Legis libros numerant ; figura et numero viginti quatuor seniorum, qui in Apocalypsi Agnum adorant.

CAP. IX. *De Novo Testamento.*

Sicut omnis scriptura Veteris Testamenti lex appellari potest, specialiter tamen libri Moysi quinque lex dicuntur ; ita generaliter totum Novum Testamentum Evangelium dici potest, sed tamen specialiter ista quatuor volumina, Matthæi scilicet Marci, Lucæ atque Joannis, in quibus facta et dicta Salvatoris plane explicantur, nuncupari meruerunt. Evangelium interpretatur *bonum nuntium*, quia æterna bona promittit ; D non terrenam felicitatem, ut Vetus Testamentum secundum litteræ intellectum.

CAP. X. *De canonibus Evangeliorum.*

Canones Evangeliorum Ammonius Alexandriæ primus excogitavit, postea Eusebius Cæsariensis secutus plenius composuit ; qui ideo facti sunt, ut per eos invenire et scire possimus, qui reliquorum evangelistarum similia aut propria dixerunt. Sunt autem numero decem, quorum primus continet numeros, in quibus quatuor eadem dixerunt : Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. Secundus in quibus tres : Matthæus Marcus, Lucas. Tertius, in quibus tres : Matthæus, Lucas, Joannes. Quartus, in quibus tres : Matthæus, Marcus, Joannes. Quintus, in quibus duo : Marcus, Lucas. Sextus, in quibus duo : Matthæus, Marcus. Septimus, in quibus duo : Matthæus, Joannes, Octavus,

in quibus duo: Lucas, Marcus. Nonus in quibus A duo: Joannes. Decimus, in quibus singuli eorum propria quædam dixerunt. Quorum expositio hæc est. Per singulos enim evangelistas numerus quidem capitulis affixus adjacet, quibus numeris subdita est area quædam in imo notata, quæ indicat in quo canone positus sit numerus, cui subjecta est area. Verbi gratia: Si est area prima in primo canone. Si secunda in secundo, si tertia in tertio, et sic per ordinem usque ad decimum pervenies. Si igitur aperto quolibet Evangelio placuerit scire, qui reliquorum evangelistarum similia dixerint, assumes adjacentem numerum capituli, et requires ipsum numerum in suo canone quem indicat, et ibi invenies, qui et quid dixerint; et ita demum in corpore inquisita loca, B quæ ex ipsis numeris indicantur per singula Evangelia de eisdem dixisse invenies.

CAP. XI. *De canonibus conciliorum.*

Canon autem Græce, Latine *regula* interpretatur. Regula autem dicta, quod recte ducit, nec aliquando aliorsum trahit. Alii dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat. Canones autem generalium conciliorum, a temporibus Constantini cœperunt. In præcedentibus namque annis persecutione fervente docendarum plebium minime dabatur facultas; inde Christianitas in diversas scissa hæreses est, quia non erat commeatus [*al.* licentia] episcopis in unum conveniendi, nisi temporibus supradicti C imperatoris. Ipse enim dedit facultatem Christianis libere congregandi. Sub hoc etiam sancti Patres in concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes juxta fidem evangelicam et apostolicam, secunduam post apostolos, Symbolum tradiderunt.

CAP. XII. *Quatuor esse principales synodos.*

Inter cætera autem concilia quatuor sunt venerabiles synodi, quæ totam principaliter fidem complectuntur quasi Evangelia, vel totidem paradisi flumina. Harum prima Nicæna synodus trecentorum XVIII episcoporum Constantino Augusto imperante, peracta est, in qua Arianæ perfidiæ condemnata blasphemia, quam de inæqualitate sanctæ Trinitatis, idem Arius asserebat, D consubstantialem Deo Patri Deum Filium, eadem sancta synodus per Symbolum definivit. Secunda synodus, CL Patrum sub Theodosio seniore Constantinopolim congregata est, quæ Macedonium, Spiritum sanctum negantem Deum esse condemnans, consubstantialem Patri et Filio Spiritum sanctum demonstravit dans symboli formam, quam tota Græcorum et Latinorum confessio in ecclesiis prædicat. Tertia synodus Ephesina prima CC episcoporum sub juniore Theodosio Augusto edita est, quæ Nestorium, duas personas in Christo asserentem justo anathemate condemnavit, ostendens in duabus naturis unam Domini nostri Jesu Christi personam. Quarta synodus Chalcedonensis DCXXX, sacerdotum sub Marciano principe habita est, in qua Eutichem Constantinopolitanum abbatem, Verbi Dei et carnis unam naturam pronuntiantem, et ejus defensorem Dioscorum quemdam Alexandrinum episcopum, et ipsum rursum Nestorium cum reliquis hæreticis, una Patrum sententia prædamnavit, prædicans eadem synodus Christum Deum sic natum de Virgine, ut in eo substantiam et divinæ et humanæ confiteantur naturæ. Hæ sunt quatuor principales synodi, fidei doctrinam plenissime prædicantes. Sed et si qua sunt concilia, quæ sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt; post istarum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore, quorum gesta in hoc opere continentur condita. Synodum autem ex Græco interpretari *comitatum* vel *cœtum*. Concilii vero nomen tractum ex more Romano. Tempore enim quo causæ agebantur, conveniebant omnes in unum, communique intentione tractabant. Unde et concilium a communi intentione dictum, quasi consilium. Nam cilia oculorum sunt integumenta. Unde et considium consilium, *d* in *l* littera transeute. Cœtus vero conventus est, vel congregatio a coeundo, id est conveniendo in unum. Unde et conventus est nuncupatus, sicut conventus cœtus concilium, a societate multorum in unum. Epistola Græce *missa* interpretatur Latine. Epistolæ canonicæ, id est regulares, quæ etiam dicuntur catholicæ, id est universales; quia non uni tantum populo vel civitati, sed universis gentibus generaliter scriptæ sunt. Actus apostolorum primordia fidei Christianæ in gentibus, et nascentis Ecclesiæ historiam digerunt, et apostolorum vocantur: Apocalypsis ex Græco in Latinum *revelatio* interpretatur, juxta quod Joannes dicit: *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illis Deus palam facere servo suo Joanni* (*Apoc.* I).

CAP. XIII. *Qui bibliothecas fecerunt.*

Apud nos Pamphilus martyr, cujus vitam Eusebius Cæsariensis conscripsit, Pisistratum in sacræ bibliothecæ studio adæquare contendit. Hic enim in Bibliotheca sua prope treginta milia voluminum habuit. Hieronymus quoque atque Gennadius ecclesiasticos scriptores toto orbe quærentes, ordine persecuti sunt, eorumque studia in uno voluminis indiculo comprehenderunt.

CAP. XIV. *Quæ scripturæ sunt authenticæ.*

De nostris apud Græcos, Origenes in scripturarum labore tam Græcos quam Latinos operum suorum numero superavit. Denique Hieronymus sex millia librorum ejus se legisse fatetur. Horum tamen omnium studia Augustinus ingenio vel scientia sua vicit. Nam tanta scripsit, ut diebus ac noctibus non solum scribere libros ejus quisquam, sed ne legere quidem accurate valeet. Scripserunt et alii catholici viri multa, et insignia opera; Athanasius Alexandrinus episcopus, Hilarius Pictaviensis episcopus, Basilius Capadocenus episcopus, Gregorius Theologus, et Gregorius Nazianzenus episcopus, Ambrosius Mediolanensis episcopus, Theophilus Alexandainus episcopus, Joannes Constantinopolitanus episcopus, Cyrillus

Alexandrinus episcopus, Leo papa, Proculus, Isidorus Hispalensis, Beda, Cyprianus martyr et Carthaginensis episcopus, Hieronymus presbyter, Origenes, cujus scripta nec omnino refutat, nec per omnia recipit Ecclesia, Orosius, Sedulius, Prudentius, Juvencus, Arator et Ruphinus, qui multos libros edidit, et interpretatus est quasdam scripturas. Sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, il!a sentire debemus, quæ et Hieronymus. Gelasius etiam fecit quinque libros adversus Nestorium et Eutichem, et tractatus in modum Ambrosii. Item libros duos adversus Arium, fecit etiam sacramentorum præfata, et orationes et epistolas fidei. Dionysius Areopagita, episcopus ordinatus Corinthiorum, multa ingenii sui volumina reliquit. Item Chronica Eusebii Cæsariensis, atque ejusdem historiæ ecclesiasticæ libri, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, et post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum, propter rerum tamen singularum notitiam, quæ ad instructionem pertinet, non usquequaque Ecclesia refutat. Cassiodorus quoque, qui in explanatione Psalmorum satis utile opus scripsit. Sunt adhuc et alii multi, quorum nomina hic taceo.

Cap. XV. *Quæ sint apocryphæ scripturæ.*

Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appeltur sancti Clementis, lib. VIII apocryphi. Actus Andreæ apostoli apocryphus. Actus nomine Thomæ apocriph. Evangelia nomine Barnabæ apostoli apocr. Evangelia nomine Thomæ apostoli apocriph. Evangelia nomine Andreæ apostoli apoc. Evangelia quæ falsavit Lucianus apocr. Evangelia quæ falsavit Titius apocr. Liber De infantia Salvatoris apocr. Liber De nativitate Salvatoris et de sancta Maria, vel de obstetrice ejus apocr. Liber qui appellatur pastoris apoc. Libri omnes quos fecit Leutius discipulus diaboli apocr. Liber qui appellatur Fundamentum apocr. Liber qui appellatur Thesaurus apocr. Liber qui est De filiabus Adæ vel Genesis apoc. Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus apocr. Liber qui appellatur Actus Teclæ et Pauli apoc. Liber qui appellatur Nepotis apocr. Liber Proverbiorum ab hæreticis conscriptus, et sancti Sixti nomine signatus apocr. Revelatio quæ appellatur Pauli apocr. Revelatio quæ appellatur Thomæ apostoli apocr. Revelatio quæ appellatur Stephani apoc. Liber qui appellatur Transitus sanctæ Mariæ apoc. Liber qui appellatur Pœnitentia Adam apoc. Liber Diogiæ nomine gigantis, qui post diluvium cum dracone ab hæreticis pugnasse perhibetur apocr. Liber qui appellatur Testamentum Job apocr. Liber qui appellatur pœnitentia Origenis apoc. Liber qui appellatur pœnitentia Cypriani apocr. Libri qui appellantur Jamne et Mambre, apocr. Liber qui appellatur Sors apostolorum apocr. Liber Lusan apocr. Liber canonum apostolorum apocr. Liber physiologus ab hæreticis conscriptus, et beati Ambrosii nomine præsignatus apocr. Historia Eu-

A sebii Pamphyli apocr. Opuscula Tertulliani sive Africani apoc. Opuscula Posthumiani et Galli apocr. Opuscula Montani et Priscillæ, et Maximillæ apoc. Omnia opuscula Fausti Manichæi apocr. Opuscula alterius Clementis Alexandrini apocr. Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apocr. Opuscula Victorini Pictaviensis apocr. Opuscula Fausti Reginensis apoc. Opuscula Frumentii apocr. Epistola Jesu ad Abgarum apocr. Passio Cyrici et Julitæ apocr. Passio Georgii apoc. Scripta quæ appellantur Salomonis Contradictio apocr. Philacteria omnia quæ non ab angelo, ut illi confingunt, sed magis a dæmone conscripta sunt apocr. Hæc et his similia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cherinthus, Marcion, Ba-

B silides, Chion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus, qui simili errore defecerunt. Montanus quoque cum suis obscœnissimis sequacibus. Apoltinaris, Valentinus, Manichæus, Faustus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Fabatius, Calixtus, Donatus, et Eustachius, Nibianus, Pelagius, Julianus et Laciensis, Cœlestinus, Maximianus, Priscillianus ab Hispania, Lampedius, Dioscorus, Euticius, Petrus et alter Petrus, e quibus unus Alexandriam, alter Antiochiam maculavit, Achatins Constantinopolitanus cum consortibus suis, necnon ot omnes hæreses, quas ipsi eorumque discipuli, sive schismatici docuerunt vel scripserunt : quorum nomina minime retinemus, non solum repu-

C diata, verum etiam ab omni catholica et Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

Cap. XVI. *Quædam etymologiæ dictionum ad lectionem pertinentium.*

Codex multorum librorum est: liber unius voluminis, et dictus codex per translationem a codicibus arborum seu vitium, quasi caudex, quod in se multitudinem librorum quasi ramorum contineat. Volumen dicitur a volvendo. Liber est interior cortex arboris, in quo antiqui ante usum chartæ vel membranarum scribere solebant. Unde et scriptores librarios vocabant, unde dictus

D est liber volumen. Scheda cujus diminutivum est schedula, Græcum nomen est. Et dicitur scheda proprie quod adhuc emendatur, et necdum in libros redactum est. Chartarum usus primum apud Memphim civitatem Ægypti inventus est. Dicta autem charta, quod carptim papiri tegmen decerptum glutinatur, et sic charta conficitur, cujus genera plura sunt. Pergamenum dicitur a Pergamio, ubi inventum est. Dicuntur etiam membranæ, quia ex membris pecudum detrahuntur. Fiebant autem membranæ primum lutei coloris, postea Romæ candidæ membranæ repertæ sunt. Homilia dicitur quasi sermo popularis ; sicut ubi verbum fit ad populum. Tractatus est unius rei multiplex expositio. Dialogus est collatio duorum vel plurium ; Latini sermonem dicunt. Sermo autem dictus, quia seritur inter

utrumque. Commentaria dicta quasi cum mente, vel a cominiscor. Sunt enim interpretationes vel commentaria juris vel Evangelii. Dicunt quidam commenta appellanda gentilium librorum, expositiones autem divinorum. Glossa Græcum est, et interpretatur *lingua*, quia quodammodo loqui- A tur significationem subjectæ dictionis. Hanc philosophi adverbum [*al.* adverbium] dicunt, quia vocem illam de cujus requæritur, uno et singulari verbo designat ; verbi gratiæ, ut conticescere est tacere.

LIBER QUINTUS.

Cujus hæc sunt capitula :

Cap. I. *De quibusdam sacræ Scripturæ proprietatibus præmonitio.*

Non debet onerosum esse studioso lectori, quod tam varie, multipliciterque numerum et ordinem, et vocabula divinorum librorum tractamus, quia sæpe accidit, ut hæc minima ignorata, magnarum rerum et utilium notitiam obscurent. Quapropter semel se expediat lector, ut his quasi quibusdam clausulis, prima fronte reseratis, libero gressu possit deinde propositum iter currere, ne in singulis libris nova rudimenta quærere oporteat. His ergo expeditis, deinceps cætera quæ ad propositum opus valere videbuntur, tractabimus.

Cap. II. *De triplici intelligentia.*

Primo omnium intelligendum est, quod divina Scriptura triplicem habet modum intelligendi, id est historiam, allegoriam, tropologiam. Sane non omnia quæ in divino reperiuntur eloquio, ad hanc triplicem intorquenda sunt interpretationem, ut singula historiam, allegoriam, et tropologiam simul continere credantur. Quod etsi in multis congrue assignari possit, ubique tamen observare aut difficile est, aut impossibile. Sicut enim in citharis et hujusmodi organis musicis non quidem omnia quæ tanguntur canorum aliquid resonant, sed tantum chordæ ; cætera tamen in toto citharæ corpore ideo facta sunt, ut essent ubi connecterentur, et quo tenderentur illa quæ ad cantilenæ suavitatem modulaturus est artifex, ita in divinis eloquiis quædam posita sunt, quæ tantum spiritualiter intelligi volunt ; quædam vero morum gravitati deserviunt ; quædam etiam secundum simplicem sensum historiæ dicta sunt, nonnulla autem quæ et historice, et allegorice, et tropologice convenienter exponi possunt. Unde modo mirabili omnis divina Scriptura ita per Dei sapientiam convenienter suis partibus aptata atque disposita est, ut quidquid in ea continetur, aut vice chordarum spiritualis intelligentiæ suavitatem personet, aut per historiæ seriem, et litteræ soliditatem mysteriorum dicta sparsim posi- B ta continens, et quasi in unum connectens, ad modum ligni concavi super extensas chordas simul copulet, earumque sonum recipiens in se, dulciorem auribus referat, quem non solum chorda edidit, sed et lignum modulo corporis sui formavit. Sic et mel in favo gratius. Et quidquid majori exercitio quæritur majori etiam desiderio invenitur. Oportet ergo tractare sic divinam Scripturam, ut nec ubique historiam, nec ubique allegoriam, nec ubique quæramus tropologiam ; sed singula in suis locis, prout ratio postulat, competenter assignare. Sæpe tamen in una eademque littera omnia reperiri possunt ; sicut historiæ veritas et mysticum aliquid per allegoriam insinuet, et quid agendum C sit, pariter per tropologiam demonstret.

Cap. III. *Quod res etiam significent in divina Scriptura.*

Sciendum est etiam, quod in divino eloquio non tantum verba, sed etiam res significare habent, qui modus non adeo in aliis scripturis inveniri solet. Philosophus solam vocum novit significationem, sed excellentior valde est rerum significatio, quam vocum ; quia hanc usus instituit, illam natura dictavit. Hæc hominum vox est, illa vox Dei ad homines. Hæc prolata perit, illa creata subsistit : « Vox tenuis est nota sensuum ; res divinæ rationis est simulacrum. » Quod ergo sonus oris, qui simul subsistere incipit et desinit, ad rationem mentis est ; hoc omne spatium temporis ad æternitatem. Ratio mentis intrinsecum D verbum est, quod sono vocis, id est verbo extrinseco manifestatur, et divina sapientia, quam de corde suo pater eructavit, in se invisibilis per creaturas, et in creaturis, agnoscitur. Ex quo nimirum colligitur, quam profunda in sacris litteris requirenda sit intelligentia, ubi per vocem ad intellectum, per intellectum ad rem, per rem ad rationem, per rationem pervenitur ad veritatem. Quod dum quidam minus docti non considerant, nullam in eis esse sabtilitatem existimant, ubi exerceri possint ingenia, et ob hoc ad apostolo-

rum scripturas se transferunt, quia profecto nil aliud ibi concipiunt, nisi solam litteræ superficiem, virtutem veritatis ignorantes. Quod autem rerum significatione sacra utantur eloquia, brevi quodam et aperto exemplo demonstrabimus. Dicit Scriptura : *Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit* (*I Pet.* V). Hic si dixerimus leonem significare diabolum, non vocem, sed rem intelligere debemus. Si enim duæ hæ voces, id est diabolus et leo, unam et eamdem rem significant, incompetens est similitudo ejusdem rei ad seipsam. Restat ergo, ut hæc vox leo animal ipsum significet, animal vero diabolum designet ; et cætera omnia ad hunc modum accipienda sunt, ut cum dicimus vermem, vitulum, lapidem, serpentem, et alia hujusmodi, Christum significare.

CAP. IV. *De septem regulis.*

Illud quoque diligenter attendendum est quod septem esse inter cæteras regulas locutionum sanctarum Scripturarum, quidam sapientes dixerunt. Prima regula est de Domino et ejus corpore, quæ de uno ad unum loquitur, atque in una persona modo caput, modo corpus ostendit, sicut Isaias ait : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis* (*Isai.* LXI). In una enim persona duplici vocabulo nominata ; et caput, id est sponsum ; et Ecclesiam, id est sponsam manifestavit. Proinde notandum est in Scripturis, quando specialiter caput scribitur, quando et caput et corpus, aut quando ex utroque transeat ad utrumque, aut ab altero ad alterum, sicque quid capiti, quid corpori conveniat, prudens lector intelligat. Secunda regula est de Domini corpore uno ac simplice et permisto. Nam videntur quædam uni convenire personæ, quæ tamen non sunt unius, ut est illud : *Puer* [*servus*] *meus es tu Israel, ecce delevi ut nubes iniquitates tuas, et sicut nebulam peccata tua. Convertere* [*revertere*] *ad me, et redimam te (Isa.* XLIV). Hoc ad unum non congruit. Nam altera pars est cui peccata delevit, et cui dicit meus es tu ; et altera cui dicit, convertere ad me, et redimam te ; qui si convertantur, peccata eorum delentur. Per hanc enim regulam sic ad omnes loquitur Scriptura, ut et boni redarguantur cum malis, et mali laudentur propter bonos ; sed quid ad quem pertineat qui prudenter legerit discet. Tertia regula est de littera et spiritu, id est de lege et gratia ; lege per quam præcepta facienda admoventur ; gratia per quam ut operemur adjuvamur. Vel quod lex non tantum historice, sed etiam spiritualiter sentienda sit. Namque et historice oportet fidem tenere, et spiritualiter legem intelligere. Quarta regula est de specie et genere, per quam pars pro toto, et totum pro parte accipitur, veluti si uni populo vel civitati loquatur Deus, et tamen intelligatur omnem contingere mundum. Nam licet adversus unam civitatem Babyloniam per Isaiam prophetam Dominus comminetur ; ta- A men dum contra eam loquitur, transit ad genus de specie, et convertit contra totum mundum sermonem. Certe si non diceret adversus universum orbem, non adderet infra generaliter, *ut disperdat omnem, terram et visitabo super orbis mala* (*Isa.* XIII), et cætera quæ sequuntur ad intentionem mundi pertinentia, unde et adjecit : *Hoc est consilium quod cogitavi super omnem terram, et hæc manus extensa super* omnes *gentes* (*Isa.* XIV), Item postquam sub persona Babyloniæ arguit universum mundum , rursus ad eamdem quasi de genere ad speciem revertitur, dicens quæ eidem civitati specialiter contigerunt. *Ecce ego suscitabo super eos Medos* (*Isa.* XIII). Nam regnante Balthassar, a Medis obtenta est B Babylonia. Sic ex persona unius Ægypti totum vult intelligere mundum dicendo : *Et concurrere faciam Ægiptios adversus Ægyptios, regnum adversus regnum (Isa.* XIX). Cum Ægyptus non multa regna, sed unum habuisse describatur regnum.

Quinta regula est de temporibus, per quam aut pars maxima temporis per partem minorem inducitur, aut pars minima temporis per partem majorem intelligitur. Sic est de triduo Dominicæ sepulturæ, dum nec tribus plenis diebus ac noctibus jacuerit in sepulcro, sed tamen a parte totum triduum accipitur. Vel sicut illud quod quadringentis annis prædixerat Deus filios Israel servituros in Ægypto, et sic inde egressuros. Qui ta- C men dominante Joseph Ægypto, damnati sunt ; nec statim post quadringentos annos egressi sunt, ut fuerat repromissum, sed annis quadringentis triginta peractis, ab Ægypto recesserunt. Est et alia de temporibus figura, per quam quædam quæ futura sunt, quasi jam gesta narrantur ut est illud : *Foderunt manus meas et pedes meos ;* et : *Diviserunt sibi vestimenta mea* (*Psal.* XXI) ; et his similia, in quibus futura, ac si jam facta sint, ita dicuntur. Sed cur quæ adhuc facienda erant, jam facta narrantur ? Quia ea quæ nobis futura sunt, apud Dei æternitatem jam facta sunt. Quapropter quando aliquid faciendum esse pronuntiatur, secundum nos dicitur ; quando vero quæ futura sunt, jam facta di- D cuntur, secundum Dei æternitatem accipienda sunt, apud quem jam omnia facta sunt, quæ futura sunt. Sexta regula est de recapitulatione. Recapitulatio est enim, dum Scriptura tendit ad illud, cujus narratio jam transierat, sicut cum filios filiorum Noe Scriptura commemorasset (*Gen.* X), dicit illos fuisse in linguis et gentibus suis, et tamen postea quasi hoc etiam in hoc ordine temporum requiritur : *Erat*, inquit, *omnis terra labium unum* [*labii unius*, etc.], *et vox una omnibus erat* (*Gen.* XI). Quomodo ergo secundum suas gentes, et secundum suas linguas erant, si una lingua erat omnibus, nisi quia ad illud quod jam transierat recapitulando est reversa narratio ? Septima regula est de diabolo et ejus corpore, quod sæpe dicuntur ipsius capitis, quæ suo magis conveniunt corpori. Sæpe vero

videntur esse dicta membrorum, et non nisi capiti congruunt. Ex nomine quippe corporis intelligitur caput, ut est in Evangelio de zizaniis tritico admistis, dicente Domino : *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII) ; hominem ipsum diabolum vocans, et ex nomine corporis caput designans ; item ex nomine capitis significatur corpus sicut in Evangelio dicitur : *Duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI). Judam utique indicans, quia diaboli corpus fuit. Apostata quippe angelus omnium caput est iniquorum, et hujus capitis corpus sunt omnes iniqui ; sicque cum membris suis unus est, ut sæpe quod corpori ejus dicitur, ad eum potius referatur. Rursum quod illi ad membra ipsius iterum deriventur, sicut in Isaia, ubi dum contra Babyloniam, id est dum contra diaboli corpus multa dixisset sermo propheticus, rursus ad caput, id est diabolum oraculi sententiam derivat, dicens : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris* ? (*Isa.* XIV.).

CAP. V. *Quid studium impediat.*

Postquam certam materiam præscripsimus lectori, et eas scripturas, quæ ad divinam præcipue pertinent lectionem, suis nominibus assignando determinavimus, consequens videtur, ut etiam de modo et ordine legendi aliquid dicamus, quatenus ex his quæ dicta sunt, agnoscat, cui rei studium impendere debeat ; ex his vero quæ sunt dicenda, ejusdem studii sui modum et rationem accipiat. Quia vero facilius quid agendum sit intelligimus, si prius quid non sit faciendum agnoverimus ; instruendus est primum quid cavere debeat, ac deinde informandus qualiter ea quæ sunt agenda, perficiat. Dicendumque est quid sit, quod ex tanta turba discentium, quorum multi et ingenio pollent, et vigent exercitio, tam pauci et tam numerabiles inveniantur, quibus ad scientiam pervenire contingat. Et ut de illis taceam, qui naturaliter sunt hebetes et tardi ad intelligendum, hoc maxime me movet, et dignum quæstione videtur, unde hoc accidit, quod duo pari ingenio, et æquali studio uni lectioni intendunt, nec tamen simili effectu ejus intelligentiam consequuntur. Alter cito quod quærit apprehendit, alter diu laborat, et parum proficit. Sed sciendum est quod in quolibet negotio duo sunt necessaria : opus videlicet, et ratio operis, quæ ita sibi connexa sunt, ut alterum sine altero, aut inutile sit aut minus efficax. Verumtamen « melior, ut dicitur, prudentia est fortitudine ; » quia et pondera aliquando quæ viribus movere non possumus, arte levamus. Sic nimirum est in omni studio, qui sine discretione operatur, laborat quidem, sed non proficit, et quasi aerem verberans, vires in ventum fundit. Aspice duos pariter silvam transeuntes, et hunc quidem per devia laborantem, illum vero recti itineris compendia legentem, pari motu cursum tendunt, sed non æque cito perveniunt. Quid autem Scripturam dixerim nisi silvam, cujus sententias quasi fructus quosdam dulcissimos legendo carpimus, trac-

A tando ruminamus ? Qui ergo in tanta multitudine librorum legendi modum et ordinem non custodit, quasi in condensitate saltus oberrans tramitem recti itineris perdidit ; et est inter eos unde dicitur, semper discentes, et nunquam ad scientiam pervenientes. Tantum enim valet discretio, ut sine ipsa et omne otium turpe sit, et labor inutilis. Ut autem universaliter complectamur. Tria sunt quæ præcipue studiis legentium obesse solent ; negligentia, imprudentia, fortuna. Negligentia est, quando ea quæ discenda sunt, vel prorsus prætermittimus vel minus studiose discimus. Imprudentia est, quando congruum ordinem et modum in his quæ discimus, non servamus. Fortuna est in eventu, casu, sive naturaliter

B contingente, quando vel paupertate, vel infirmitate, vel naturali tarditate, sive etiam doctorum raritate ; quia aut non inveniuntur qui doceant, aut qui bene doceant, a proposito nostro retrahimur. In his autem rebus de primo quidem, id est negligentia lector admonendus est ; de secundo vero, id est imprudentia instruendus ; de tertio autem, id est fortuna adjuvandus.

CAP. VI. *Qui sit fructus divinæ lectionis.*

Quisquis ad divinam lectionem erudiendus accesserit, primum qualis sit fructus ejus agnoscat. Nil enim sine causa appeti debet, nec desideria trahit, quod utilitatem non promittit. Geminus est divinæ lectionis fructus, quia mentem vel scientia erudit vel moribus ornat. Docet quod

C scire delectet, et quod juvari expediat. Quorum alterum, id est scientia magis ad historiam et allegoriam ; alterum, id est institutio morum ad tropologiam magis respicit. Omnis divina Scriptura refertur ad hunc finem. Sane quemvis expediat magis justum esse, quam sapientem, scio tamen plures in studio sacri eloquii scientiam quærere quam virtutem. Ego autem quoniam neutrum improbatum, sed utrumque necessarium et laudabile esse censeo : quid cujusque intentioni competat paucis absolvam. Et primum quidem de eo qui moralitatis gratiam amplectitur, expediam.

CAP. VII. *Quomodo legenda sit Scriptura divina ad correctionem morum.*

D Qui virtutum notitiam et formam vivendi in sacro quærit eloquio, hos libros magis legere debet, qui hujus mundi contemptum suadent, et animam ad amorem conditoris sui accendunt, rectumque vivendi tramitem docent, qualiterque virtutes acquiri, et vitia declinari possint, ostendunt. *Primum* enim, inquit, *quærite regnum Dei et justitiam ejus* (*Matth.* VI) ; ac si aperte dicat: Et cœlestis patriæ gaudia desiderate, et quibus justitiæ meritis ad ea perveniatur, solerter inquirite. Utrumque bonum, utrumque necessarium amate et quærite. Si amor est, otiosus esse non potest. Pervenire desideratis ; discite quomodo perveniatur quo tenditis. Hæc vero scientia duobus modis comparatur, videlicet exemplo, et doctrina ; exemplo, quando sanctorum facta legimus, doctrina quando eorum

dicta ad disciplinam nostram pertinentia discimus. Inter quæ beatissimi Gregorii singulariter scripta amplexanda existimo, quæ quia mihi præ cæteris dulcia, et æternæ vitæ amore plena visa sunt, nolo silentio præterire.

Oportet autem ut qui hanc ingressus fuerat viam in libris quos legerit, discat non solum colore dictaminis, sed virtutum æmulatione provocari, ut eum non tam verborum pompositas aut concinnatio, quam veritatis pulchritudo delectet. Sciat etiam ad propositum suum non conducere, ut inani raptus desiderio scientiæ, obscuras, et profundæ intelligentiæ Scripturas exquirat, in quibus magis occupetur quam ædificetur animus, ne sic eum sola lectio teneat, ut a bono opere vacare compellat. Christiano philosopho lectio exhortatio debet esse non occupatio ; et bona desideria pascere, non necare. Relatum mihi aliquando memini de quodam satis probabilis vitæ viro, qui tanto sanctarum Scripturarum amore flagrabat, ut eis continuum impenderet studium. Cumque in dies crescente scientia cresceret et desiderium ejus ; cœpit tandem sapientiam zelatus imprudenter (spretis simplicioribus Scripturis) profunda quæque et obscura rimari atque ænigmatibus prophetarum enodandis, et mysticis sacramentorum intellectibus vehementer insistere. Sed mens humana tantum non sustinens pondus, cœpit mox et rei magnitudine, et intentionis jugitate deficere, tantaque hujus importunæ occupationis cura confundi, ut non solum jam ab utilibus, sed etiam a necessariis actibus cessaret. Verso siquidem eventu in contrarium, qui legere Scripturas ad ædificationem vitæ suæ cœperat; quia discretionis moderamine uti non novit, easdem nunc occasionem erroris habebat. Sed miseratione divina tandem per revelationem admonitus est, ne amplius harum litterarum studio incumberet, sed sanctorum Patrum vitam et martyrum triumphos, aliasque tales simplici stylo dictatas, frequentare consuesceret ; sicque in brevi ad statum pristinum reductus, tantam internæ quietis gratiam accipere meruit, ut vere in eo illam Domini vocem impletam diceres, qua ipse nostrum laborem et dolorem considerans, pie nos consolari voluit dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos et* deinceps *invenietis*, inquit, *requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Hoc exemplum ideo apposui, ut ostenderem eis qui in disciplina non litteraturæ, sed virtutum positi sunt, non oportere lectionem esse fastidio, sed oblectamento. Nam et Propheta : *Non cognovi*, inquit, *litteraturam* , sive negotiationem, *introibo in potentias Domini ; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Deus , docuisti me a juventute mea*, etc. (*Psal.* LXX). Qui enim ad occupationem Scripturas, et (ut ita dicam) ad afflictionem spiritus legit, non philosophatur, sed negotiatur ; vixque tam vehemens et indiscreta intentio superbiæ carere valet. Quid autem de lectione simplicis Pauli dicam, qui ante implere legem voluit quam discere ? Quæ nobis profecto satis exemplo esse potest, non auditores, neque lectores, sed factores potius justos esse ante Deum. Considerandum præterea est, quod lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet, et affligere spiritum, qualitate videlicet si obscurior fuerit, et quantitate si prolixior exstiterit, in quo utroque magno uti moderamine oportet, ne quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem. Sunt qui omnia legere volunt ; tu noli contendere, sufficiat tibi, nihil tua interest, an non omnes legeris libros. Infinitus est librorum numerus ; tu nolis sequi infinita. Ubi finis non est requies esse non potest ; ubi requies non est, pax nulla est ; ubi pax non est, Deus habitare non potest. *In pace*, inquit Propheta, *factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus* (*Psal.* LXXV). In Sion, sed in pace, esse Sion oportet, sed pacem non amittere. Contemplare, et occupari noli. Noli avarus esse, ne forte semper egeas. Audi Salomonem, audi Sapientem, et disce prudentiam. *Fili mi*, inquit, *amplius his ne requiras ; faciendi plures libros, nullus est finis, frequensque meditatio carnis afflictio est (Eccle.* XII). Ubi ergo est finis ? *Finem loquendi omnes pariter audiamus Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo* (*ibid.*)

CAP. VIII. *Lectionem esse incipientium, opus perfectorum, et quid monacho competat.*

Nemo me pro his quæ superius commemoravi existimet lectorum diligentiam reprehendere, cum ego potius diligentes lectores ad propositum hortari intendam ; et eos qui libenter discunt laude dignos ostendere, sed ibi locutus sum eruditis, nunc autem erudiendis, et doctrinam quæ principium est disciplinæ inchoantibus. Illis studium virtutum, istis vero interim exercitium lectionis propositum est sic tamen ut nec hi virtute careant, nec illi prorsus lectionem omittant. Nam sæpe minus providum est opus quod non præcedit lectio ; et doctrina minus utilis, quam non sequitur bona operatio. Oportet autem summopere et illos cavere, ne forte ad ea quæ retro sunt aspiciant ; et istos consolari, si ubi illi sunt, quandoque pervenire desiderant. Utrosque ergo exerceri, et utrosque promoveri convenit. Nemo retro abeat, ascendere licet, sed non descendere. Si vero necdum ascendere potes, sta in loco tuo. Liber a culpa non est, qui alienum usurpat officium. Si monachus es, quid facis in turba ? Si amas silentium cur declamantibus assidue interesse delectaris? Tu semper jejuniis et fletibus insistere debes, et tu philosophari quæris ? Simplicitas monachi philosophia ejus est. Sed docere, inquis, alios volo. Non est tuum docere, sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facias. Utilitas habitus tui, et simplicitas vultus, innocentia vitæ, et sanctitas conversationis tuæ docere debent homines. Melius fugiendo mundum doces quam sequendo. Sed adhuc forte prosequeris, ecquid inquiens, nonne saltem si volo disce-

re mihi licet? Supra dixi tibi, lege, et occupari noli. Exercitium tibi esse potest lectio, sed non propositum. Doctrina bona est, sed incipientium est. Tu vero te perfectum fore promiseras, et ideo tibi non sufficit, si incipientibus coæquaris. Plus aliquid te facere oportet. Considera ergo ubi sis, et quid agere debeas facile agnosces.

CAP IX. *De quinque gradibus, quibus exercetur vita justorum.*

Quatuor sunt in quibus nunc exercetur vita justorum, et quasi per quosdam gradus ad futuram perfectionem sublevatur, videlicet lectio sive doctrina, meditatio, oratio, operatio. Quinta deinde sequitur contemplatio, in qua quasi quodam præcedentium fructu in hac vita etiam quæ sit boni operis merces futura prægustatur. Unde Psalmista cum de judiciis Dei loqueretur commendans ea statim subjunxit: *In custodiendis retributio multa est* (*Psal.* XVIII). De his quinque gradibus primus gradus, id est lectio incipientium est; supremus, id est contemplatio perfectorum. Et de mediis quidem quanto plures quis ascenderit, tanto perfectior erit; verbi gratia: Prima lectio intelligentiam dat, secunda meditatio consilium præstat, tertia oratio petit, quarta operatio quærit, quinta contemplatio invenit. Si ergo legis et intelligentiam habes et nosti jam quid faciendum sit, initium boni est, sed adhuc tibi non sufficit; nondum perfectus es. Scande itaque in arcem consilii, et meditare qualiter implere valeas, quod faciendum esse didicisti. Multi enim scientiam habent, sed pauci sunt qui noverint qualiter scire oporteat. Rursus quoniam consilium hominis sine divino auxilio infirmum est et inefficax, ad orationem erigere; et ejus adjutorium, pete, sine quo nullum potest facere bonum, ut videlicet ipsius gratia, quæ præveniendo te illuminavit, subsequendo etiam pedes tuos dirigat in viam pacis; et quod in sola adhuc voluntate est, ad effectum perducat bonæ operationis. Deinde restat tibi, ut ad bonum opus accingaris, ut quod orando petis, operando accipere merearis, tecum operari vult Deus; non cogeris, sed juvaris. Si solus tu operaris, nil perficis; si solus Deus operatur, nil mereris. Operetur ergo Deus ut possis, opereris et tu aliquiut merearis. Via est operatio bona, qua itur ad vitam. Qui viam hanc currit, vitam quærit. Confortare et viriliter age. Habet hæc via præmium suum, quoties ejus laboribus fatigati superne respectus gratia illustramur, gustantes et videntes *quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Sicque fit quod supradictum eum, quod oratio quærit, contemplatio invenit. Vides igitur quomodo per hos gradus ascendentibus perfectio occurrit, ut qui infra remanserit, perfectus esse non possit. Propositum ergo nobis debet esse semper ascendere; sed quoniam tanta est mutabilitas vitæ nostræ, ut in eodem stare non possimus, cogimur sæpe ad transacta respicere; et ne amittamus illud in quo sumus, repetimus quandoque quod transivimus; verbi gratia: Qui in opere strenuus est, orat ne deficiat. Qui precibus insistit, ne orando offendat meditatur quid orandum sit; et qui aliquando in proprio consilio minus confidit, lectionem consulit, et sic evenit, ut cum ascendendi nobis semper sit voluntas, descendere tamen aliquando cogat necessitas; ita tamen ut in voluntate non necessitate propositum nostrum consistat. Quod ascendimus propositum est, quod descendimus præter propositum. Non hoc ergo, sed illud principale esse debet.

CAP. X. *De tribus generibus legentium seu lectorum.*

Satis, ut puto, aperte demonstratum est provectis, et aliquid amplius de se promittentibus non idem esse propositum cum incipientibus; sed sicut illis alipuid conceditur, quod isti sine culpa minime agere possunt, ita etiam ab istis aliquid requiritur, quo illi nondum obligati sunt. Nunc igitur ad promissa solvenda redeo, ut videlicet ostendam qualiter eis divina Scriptura legenda sit, qui adhuc in ea solum quærunt scientiam. Sunt nonnulli qui divinæ Scripturæ scientiam appetunt ut vel divitias congregent, vel honores obtineant vel famam acquirant, quorum intentio quantum perversa, tantum est miseranda. Sunt rursus alii, quos audire verba Dei et opera ejus discere delectat, non quia salutifera, sed quia mirabilia sunt. Scrutari arcana et inaudita cognoscere volunt; multa scire et nil facere. In vanum mirantur potentiam, qui non amant misericordiam. Hos ergo quid aliud agere dicam, quam præconia divina in fabulas commutare? Sic theatralibus ludis, sic scenicis carminibus intendere solemus, ut scilicet auditum pascamus, non animum. Hujusmodi tamen non tam confundi quam adjuvari oportere censeo, quorum voluntas non utique maligna est, sed improvida. Alii vero idcirco sacram Scripturam legunt ut secundum Apostoli præceptum parati sint omni poscenti reddere rationem de ea fide in qua positi sunt (*I Petr.* III), ut videlicet inimicos veritatis fortiter destruant; minus eruditos doceant, ipsi perfectius viam veritatis agnoscant, et altius Dei secreta intelligentes, arctius ament; quorum nimirum devotio laudanda est, et imitatione digna. Tria igitur sunt genera hominum sacram Scripturam legentium, quorum quidem primi miserandi sunt, secundi juvandi, tertii laudandi; nos vero quia omnibus consulere intendimus, quod bonum est in omnibus augeri cupimus et quod perversum, commutari. Omnes intelligere volumus quod dicimus, omnes facere quod hortamur.

LIBER SEXTUS,

Cujus hæc sunt capitula :

CAP. I. *Quomodo legenda sit sacra Scriptura a quærentibus scientiam in ea.*

Duo tibi, lector,ordinem scilicet et modum,propono, quæ si diligenter inspexeris, facile tibi iter legendi patebit. In horum vero consideratione nec omnia tuo ingenio relinquam,neque per meam diligentiam satis tibi fieri promitto; sed sic quædam breviter prælibando transcurram, ut et posita aliqua quibus erudiaris, et aliqua prætermissa quibus exercearis invenias.Ordinem legendi supra quadrifarium esse commemoravi ; alium in disciplinis, alium in libris, alium in narratione atque alium in expositione. Quæ qualiter in divina Scriptura assignanda sint, nondum ostendi.

CAP. II. *De ordine qui est in disciplinis.*

Primum ergo hunc ordinem qui quæritur in disciplinis inter historiam,allegoriam, tropologiam divinorum lectorem considerare oportet, quæ harum aliam ordine legendi præcedat. In quo illud ad memoriam revocare non inutile est, quod in ædificiis fieri conspicitur, ubi primum quidem fundamentum ponitur, dehinc fabrica superædificatur ; ad ultimum consummato opere domus colore superducto vestitur.

CAP. III. *De historia, et libris in ea legendis.*

Hoc nimirum in doctrina fieri oportet, ut videlicet prius historiam discas, et rerum gestarum veritatem a principio repetens, usque ad finem, quid gestum sit, a quibus gestum sit, et ubi gestum sit, diligenter memoriæ commendes. Hæc enim quatuor præcipue, et in historia requirenda sunt, persona, negotium, tempus et locus. Neque ego te perfecte subtilem posse fieri puto in allegoria, nisi prius fundatus fueris in historia. Noli contemnere minima hæc. Paulatim deficiunt, qui minima contemnunt. Si prima alphabetum discere contempsisses,nunc inter grammaticos tantum nomen non haberes. Scio quosdam esse qui statim philosophari volunt,fabulas pseudoapostolis relinquendas aiunt. Quorum scientia formæ asini similis est. Noli hujusmodi imitari.

Parvis imbutus tentabis grandia tutus.

Ego affirmare audeo nihil me unquam quod ad eruditionem pertineret contempsisse, sed multa A sæpe didicisse, quæ aliis joco, aut deliramento similia viderentur. Memini me dum adhuc scholasticus essem elaborasse, ut omnium rerum oculis subjectarum, aut in usum venientium vocabula scirem, perpendens libere rerum naturam illum non posse prosequi, qui earumdem nomina adhuc ignoraret. Quoties sophismatum meorum, quæ gratia brevitatis una vel duabus in pagina dictionibus signaveram,a memetipso quotidianum exegi debitum, ut etiam sententiarum, quæstionum et oppositionum omnium fere quas didiceram, et solutiones memoriter tenerem et numerum. Causas sæpe informavi, et dispositiones ad invicem controversiis ; quod rhetoris, quod oratoris, quod sophistæ officium esset, dili- B genter distinxi. Calculos in numerum posui, et nigris pavimentum carbonibus depinxi ; et ipso exemplo oculis subjecto,quæ ampligonii,quæ ortogonii quæ oxigonii, differentia esset, patenter demonstravi; utrumne quadratum, æquilaterum duobus in se lateribus multiplicatis embadum impleret utrobique procurrente podismo didici. Sæpe nocturnus horoscopus ad hiberna pervigilia excubavi. Sæpe ad numerum protensum in ligno Magadan ducere solebam,ut et vocum differentiam aure perciperem,et animum pariter meli dulcedine oblectarem. Hæc puerilia quidam fuerant, sed tamen non inutilia. Neque ea nunc scire stomachum meum onerant. Hæc autem non tibi replico,ut vel meam scientiam, quæ vel nulla est, vel parva est, jacti- C tem ; sed ut ostendam tibi ullum incedere aptissime, qui incedit ordinate, neque ut quidam, qui dum magnum saltum facere volunt, in præcipitium incidunt. Sicut in virtutibus ita et scientiis quidam gradus sunt, sed dicis : Multa invenio in historiis, quæ nullius videntur esse utilitatis, quare in hujusmodi occupabor ? Bene dicis.Multa siquidem sunt in Scripturis, quæ in se considerata nihil expetendum habere videntur, quæ tamen si aliis quibus cohærent, comparaveris, et in toto suo trutinare cœperis, necessaria pariter, et competentia esse videbis. Alia propter se scienda sunt, alia autem quamvis non propter se videantur nostro labore digna, quia tamen sine ipsis illa enucleate sciri non possunt, nullatenus de-

bent negligenter præteriri. Omnia disce, videbis A postea nihil esse superfluum. Coarctata scientia jucunda non est.

De libris autem qui ad hanc lectionem utiles sunt, si quid mihi videatur, quæris ; hos magis frequentandos existimo : Genesim, Exodum, Josue, librum Judicum, et Regum, et Paralipomenon. Novi vero Testamenti primum, quatuor Evangelia, dehinc Actus apostolorum. Hi undecim magis ad historiam pertinere mihi videntur, exceptis his quos historiographos proprie appellamus. Si tamen hujus vocabuli significatione largius utimur, nullum est inconveniens, ut scilicet » historiam » esse dicamus, « non tantum rerum gestarum narrationem ; sed illam primam significationem cujuslibet narrationis, quæ secundum proprieta- B tem verborum exprimitur. « Secundum quam acceptionem omnes utriusque Testamenti libros eo ordine, quo supra enumerati sunt ad hanc lectionem secundum litteralem sensum pertinere puto. Et fortasse nisi puerile videretur, in hoc loco aliqua de modo construendi præcepta interponerem ; quia novi divinam Scripturam magis cæteris omnibus in textu suo esse concisam ; quibus tamen idcirco supersedere volo, ne interpositione nimia propositum extendam. Sunt quædam loca in divina pagina, quæ secundum litteram legi non possunt, quæ magna discretione discernere oportet, ne vel per negligentiam aliqua prætereamus, aut per importunam diligentiam ad id, ad quod scripta non sunt, violenter intor- C queamus. Hoc ergo, o lector, quod tibi proponimus : hic campus tui laboris vomere bene sulcatus, multiplicem tibi fructum referet. Ordine cuncta gesta sunt ; ordine incede, per umbram venitur ad corpus. Figuram disce, et invenies veritatem. Nec hoc nunc dico, ut prius Veteris Testamenti figuras labores evolvere, et mystica ejus dicta scruteris, quam ad Evangelii fluenta potanda accedas. Sed sicut vides, quod omnis ædificatio fundamento carens stabilis esse non potest ; sic est etiam in doctrina. Fundamentum autem et principium doctrinæ sacræ historia est, de qua quasi mel de favo veritas allegoriæ exprimitur. Ædificaturus ergo primum fundamentum historiæ pone ; deinde per significationem typicam D in arcem fidei fabricam mentis erige ; ad extremum ergo per mortalitatis gratiam quasi pulcherrimo superducto colore ædificium pinge. Habes in historia quo Dei facta mireris, in allegoria quo ejus sacramenta credas, in moralitate quo perfectionem ipsius imiteris. Lege ergo et disce quod *in principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). Lege quod *in principio* plantavit *paradisum voluptatis, in quo posuit hominem quem formaverat (Gen.* II) ; peccantem expulit, et in ærumnas hujus sæculi dejecit. Lege qualiter ab uno homine universa humani generis propago descendit, qualiter deinde peccantes unda diluvii obruit, qualiter Noe justum cum filiis suis in mediis aquis divina clementia servavit, qualiter deinde Abraham fidei signaculum suscepit, post vero Israel in Ægyptum descendit ; quomodo deinde Deus filios Israel de Ægypto in manu Moysi et Aaron per mare Rubrum eduxit, in deserto pavit, legem dedit, in terra promissionis locavit, et cætera multa quæ fecit. Ad extremum vero nutante jam sæculo filium in carnem misit, vitam æternam pœnitentibus, missis in mundum universum apostolis promisit, venturum se in fine sæculorum ad judicium prædixit, reddere unicuique secundum opera sua, peccatoribus scilicet ignem æternum, justis autem vitam æternam, et regnum cujus *non erit finis (Luc.* I). Vide quod ex quo mundus cœpit, usque ad finem sæculorum non deficiunt miserationes Dei.

Cap. IV. *De allegoria.*

Post lectionem historiæ reliquum est allegoriarum mysteria investigare, ubi mea exhortatione opus esse non puto, cum ipsa res satis per se digna appareat. Nosse tamen te volo, o lector, hoc studium non tardos et hebetes sensus, sed matura ingenia expetere ; quæ sic investigando subtilitatem teneant, ut in discernendo prudentiam non amittant. Solidus est cibus iste, et nisi masticetur, transglutiri non potest. Tali ergo te moderamine uti oportet, ut dum inquirendo subtilis fueris, in præsumendo temerarius non inveniaris, recolens quod ait Psalmista : *Arcum suum tetendit, et paravit illum ; et in eo paravit vasa mortis* (*Psal.* VII). Meministi, ut autumo, supra me divinam Scripturam ædificio similem dixisse, ut primum fundamento posito structura in altum levetur, plane ædificio similem ; nam et ipsa structuram habet. Non ergo pigeat, si hanc similitudinem paulo diligentius prosequamur : respice opus cæmentarii. Collocato fundamento lineam extendit in directum, perpendiculum demittit, ac deinde lapides diligenter politos in ordinem ponit ; alios atque alios deinde quærit : et si forte aliquos primæ dispositioni non respondentes invenerit, accipit limam, præeminentia præcidit, aspera planat, et informia ad formam reducit ; sicque demum reliquis in ordinem dispositis adjungit. Si vero aliquos tales invenerit, qui nec comminui valeant, nec congrue coaptari, eos non assumit, ne forte dum silicem frangere laborat, limam frangat. Intende : rem tibi proposui intuentibus contemptibilem, sed intelligentibus imitatione dignam. Fundamentum in terra est, nec semper politos habet lapides. Fabrica super terram, et æqualem quærit structuram. Sic divina pagina multa secundum naturalem sensum continet, quæ et sibi repugnare videntur, et nonnunquam absurditatiis aut impossibilitatis aliquid afferre.

Spiritualis autem intelligentia nullam admittit repugnantiam, in qua diversa multa, adversa nulla esse possunt. Quod etiam primam seriem lapidum super fundamentum collocandorum ad protensam lineam disponi vides ; quibus scilicet totum opus reliquum innititur et coaptatur, significatione non caret. Nam hoc quasi aliud quoddam fundamentum est, et totius fabricæ basis. Hoc

fundamentum et portat superposita, et a priori fundamento portatur. Primo fundamento insident omnia, sed non omni modo coaptantur. Huic insident et coaptantur reliqua. Primum fabricam portat, et est sub fabrica. Hoc portat fabricam, et non est solum sub fabrica sed in fabrica. Quod sub terra est fundamentum figurare diximus historiam, fabricam quæ superædificatur allegoriam insinuare. Unde et ipsa basis fabricæ hujus ad allegoriam pertinere debet. Multis ordinibus consurgit fabrica, et quisquis suam basim habet; et multa sacramenta in divina pagina continentur, quæ singula sua habent principia. Vis scire qui sunt ordines isti? Primus ordo est, sacramentum Trinitatis, quia et hoc Scriptura continet, quod ante omnem creaturam trinus et unus fuerit Deus. Hic de nihilo omnem fecit creaturam, visibilem scilicet et invisibilem: ecce secundus ordo. Rationali creaturæ liberum dedit arbitrium, et gratiam præparavit, ut mereri posset æternam beatitudinem; deinde sponte labentes punivit, et persistentes ut amplius labi non possint, confirmavit. Quæ origo peccati, et quid sit peccatum, et quid sit pœna peccati: ecce tertius ordo. Quæ sacramenta primum sub naturali lege ad reparationem humani generis instituerit: ecce quartus ordo. Quæ scriptura sub lege: ecce quintus ordo. Sacramentum incarnationis Verbi: ecce sextus ordo. Sacramenta Novi Testamenti: ecce septimus ordo. Ipsius denique resurrectionis: ecce octavus ordo. Hæc est tota divinitas, hæc est illa spiritualis fabrica, quæ quot continet sacramenta, tot quasi ordinibus constructa in altum extollitur. Vis et ipsas bases agnoscere. Bases, ordinum, principia sunt sacramentorum. Ecce ad lectionem venisti, spirituale fabricaturus ædificium. Jam historiæ fundamenta in te locata sunt, restat nunc tibi ipsius fabricæ bases fundare. Linum tendis, ponis examussim, quadros in ordinem collocas, et circumgyrans quædam futurorum murorum vestigia figis. Linea protensa rectæ fidei trames est, ipsæ spiritualis operis bases quædam fidei sacramenta sunt, quibus initiaris. Debet siquidem prudens lector curare, ut antequam spatiosa librorum volumina prosequatur, sic de singulis quæ magis ad propositum suum et professionem veræ fidei pertinent, instructus sit, ut quæcunque postmodum invenerit, tuto superædificare possit. Vix enim in tanto librorum pelago, et multiplicibus sententiarum anfractibus, quæ et numero et obscuritate animum legentis confundunt, aliquid unum colligere poterit, qui prius summatim in unoquoque, ut ita dicam genere, aliquod certum principium firma fide subnixum, ad quod cuncta referantur, non agnovit. Vis ut doceam te qualiter fieri debeant bases istæ? Respice ad ea quæ paulo ante tibi enumeravi. Est sacramentum Trinitatis; multi jam de illo libri facti sunt, multæ datæ sententiæ difficiles ad intelligendum, et perplexæ ad solvendum. Longum tibi et onerosum est adhuc omnes prosequi, cum multa fortassis

A invenias, in quibus magis turberis quam ædificeris. Noli instare; sic nunquam ad finem venies. Disce prius breviter et dilucide, quid tenendum sit de fide trinitatis; quid sane profiteri et veraciter credere debeas.

Cum autem postea legere cœperis libros, et multa obscure, et multa aperte, multa ambigue scripta inveneris, adjunge basi suæ quæ aperta invenis, si forte conveniant; quæ ambigua sunt ita interpretare ut non discordent, quæ vero sunt obscura, resera si potes. Quod si ad intellectum eorum penetrare non vales, transi: ne dum præsumere conaris, quod non sufficis, periculum erroris incurras. Noli ea contemnere, sed potius venerare, quia audisti quod scriptum est: *Posuit*
B *tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII). Quod si etiam aliquid inveneris contrarium illi, quod tu jam firmissima fide tenendum esse didicisti: non tamen expedit tibi quotidie mutare sententiam, nisi prius doctiores te consulueris, et maxime quid fides universalis, quæ nunquam falsa esse potest, inde jubeat sentiri agnoveris. Sic de sacramento altaris; sic de sacramento baptismatis, confirmationis, conjugii, et omnibus quæ tibi enumerata sunt supra, facere debes. Vides multos Scripturas legentes, quia fundamentum veritatis non habent, in errores varios labi, et toties fere mutare sententias, quot legerint lectiones. Rursum alios vides, qui secundum illam veritatis agnitionem, qua intus firmati sunt quaslibet
C Scripturas ad congruas interpretationes flectere noverunt, et quid a sana fide discordet, aut quid conveniat judicare. In Ezechiele legis, quod rotæ animalia sequuntur, non animalia rotas: *Cum ambularent*, inquit, *animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea. Et cum elevarentur animalia de terra elevabantur simul et rotæ* (*Ezech.* I). Sanctorum quippe mentes quantum virtutibus vel scientia proficiunt, tantum sanctarum Scripturarum arcana profunda esse conspiciunt, ut qui simplicibus et adhuc stantibus in terra jacere videbantur, erectis sublimes appareant. Nam sequitur: *Quocunque ibat spiritus, illuc euntе spiritu; et rotæ pariter levabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis* (*ibid.*).
D Vides quod rotæ hæ animalia sequuntur, et sequuntur spiritum. Rursum alibi dicitur; *Littera occidit, Spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III); quia nimirum oportet divinum lectorum spiritualis intelligentiæ veritate esse solidatum, ut eum litterarum apices, quæ et perversæ nonnunquam intelligi possunt, ad quælibet diverticula non inclinent. Quare antiquus ille populus, qui legem vitæ acceperat, reprobatus est, nisi quia sic solam litteram occidentem secutus est, ut spiritum vivificantem non haberet? Hæc vero non ideo ut quibuslibet ad voluntatem suam interpretandi Scripturas occasionem præbeam; sed ut ostendam eum qui solam sequitur litteram, diu sine errore non posse incedere. Oportet ergo ut et sic sequamur litteram, ne nostrum sensum divinis auctoribus præferamus; et sic non sequamur, ut

in ea totum veritatis judicium pendere credamus. Non litteratus, sed *spiritualis omnia dijudicat* (*I Cor.* II). Ut ergo secure possis judicare litteram, non de tuo sensu præsumere, sed erudiri prius, et informari oportet, et quasi quamdam inconcussæ veritatis basim, cui tota fabrica innitatur fundare. Neque a teipso erudiri præsumas, ne forte dum te introducere putas, magis seducas; a doctoribus et sapientibus hæc introductio quærenda est quæ et auctoritatibus sanctorum Patrum, et testimoniis Scripturarum, eam tibi, prout opus est, et facere, et aperire possint. Cumque jam inintroductus fueris, testimoniis Scripturarum legendo singula quæ docuerint confirmare. Sic mihi videtur; qui me in hoc imitari placuerit, libens accipio; cui visum fuerit non ita oportere fieri faciat quod placuerit, non contendam. Scio enim plures hunc morem in discendo non servare. Sed quomodo quidam proficiant rursus non ignoro. Si quæris qui libri magis ad hanc lectionem valeant, ego puto principium Genesis de operibus sex dierum, tres ultimos libros Moysi de legalibus sacramentis, Isaiam, principium et finem Ezechielis, Job, Psalterium, Cantica canticorum, duo præcipue Evangelia, scilicet Matthæi et Joannis; Epistolas Pauli, canonicas Epistolas, et Apocalypsim, præcipue tamen Epistolas Pauli, quæ etiam ipso numero designant utriusque Testamenti perfectionem se continere.

CAP. V. *De tropologia et moralitate.*

De tropologia nihil aliud in præsenti dicam, quam, quod supra dictum est, excepto quod ad eam magis rerum quam vocum significatio pertinere videtur. In illa enim naturalis justitia est, ex qua disciplina morum nostrorum, id est positiva justitia nascitur. Contemplando quid fecerit Deus; quid nobis faciendum sit, agnoscimus. Omnis natura Deum loquitur. Omnis natura hominem docet. Omnis natura rationem parit, et nihil in universitate infecundum est.

CAP. VI. *De ordine librorum.*

Non idem ordo librorum in historica et allegorica lectione servandus est. Historia ordinem temporis sequitur, ad allegoriam magis pertinet ordo cognitionis; quia, sicut supra dictum est, doctrina semper non ab obscuris, sed apertis, et ab iis quæ magis nota sunt exordium sumere debet. Unde consequens est, ut Novum Testamentum, in quo manifesta prædicatur veritas, in hac lectione Veteri præponatur, ubi eadem veritas figuris adumbrata occulte prænuntiatur. Eadem utrobique veritas, sed ibi occulta, hic manifesta; ibi promissa, hic exhibita. Audisti cum legeretur in Apocalypsi, quia signatus est liber; et *nemo* inveniri *poterat,* qui solveret *signacula ejus,* nisi *leo de tribu Juda (Apoc.* V). Signata erat lex, signatæ erant prophetiæ; quia occulte tempora redemptionis venturæ prænuntiabantur. Nonne tibi ille liber signatus fuisse videtur, qui dixit: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII). Et alius: *Tu,* inquit, *Bethelem Ephrata, parvulus es in millibus Judu: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel; egressus ejus ab initio a diebus æternitatis* (*Mich.* V). Et Psalmista: *Nunquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI). Et rursum: *Domini Domini,* inquit, *exitus mortis* (*Psal.* LXVII). Et iterum: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* (*Psal.* CIX). Et post pauca: *Tecum principium in die virtutis tuæ; in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te (ibid.).* Et Daniel: *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubilus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et dedit ei potestatem et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient: potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur. (Dan.* VII). Quis putas hæc, antequam complerentur, intelligere poterat? Signata erant, et nemo poterat solvere signacula, nisi leo de tribu Juda. Venit ergo Filius Dei, et induit naturam nostram: natus est de Virgine, crucifixus, sepultus, resurrexit, ascendit ad cœlos, et implendo quæ promissa erant, aperuit quæ latebant. Lego in Evangelio, quod angelus Gabriel ad Mariam Virginem mittitur, parituram prænuntiat (*Luc.* I). Recordor prophetiæ quæ dicit: Ecce virgo concipiet. Lego quod cum esset Joseph in Bethlehem, cum Maria uxore sua prægnante, venit tempus ejus pariendi, et peperit filium suum primogenitum, quem angelus prædixerat regnaturum in throno David patris sui (*ibid.*). Recordor prophetiæ Bethlehem Ephrata: Parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. Lego rursum: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan.* I). Recordor prophetiæ quæ dicit: Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. Lego: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Recordor prophetiæ quæ dicit: Vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est *nobiscum Deus.* Et ne forte singula prosequendo fastidium tibi faciam, nisi prius nativitatem Christi, prædicationem, passionem, resurrectionem atque ascensionem; et cætera, quæ in carne per carnem gessit, agnoveris, veterum figurarum mysteria penetrare non valebis.

CAP. VII. *De ordine narrationis.*

De ordine narrationis illud maxime hoc loco considerandum est, quod divinæ paginæ textus, nec naturalem semper, nec continuum loquendi ordinem servat, quia et sæpe posteriora prioribus anteponit; sicut cum aliqua enumeraverit, subito ad superiora quasi subsequentia narrationis sermo recurrat. Sæpe etiam ea quæ longo distant intervallo, quasi mox sibi succedentia connectat, ut videantur nullum disjunxisse temporis spatium, illa quæ discernit nullum intervallum sermonis.

CAP. VIII. *De ordine expositionis.*

Expositio tria continet: litteram, sensum, sententiam. In omni narratione littera est. Nam ipsæ voces etiam litteræ sunt, sed sensus et sententia non in omni narratione simul inveniuntur. Quæ-

dam habet litteram et sensum tantum. Quædam habet litteram et sententiam tantum. Quædam omnia hæc tria simul continet. Omnis autem narratio ad minimum duo habere debet. Illa narratio litteram et sensum tantum habet, ubi per ipsam prolationem sic aperte aliquid significatur, ut nihil aliud relinquatur subintelligendum. Illa vero litteram et sententiam tantum habet, ubi ex sola pronuntiatione nihil concipere potest auditor, nisi addatur expositio. Illa sensum et sententiam habet, ubi aperte aliquid significatur, et aliquid aliud subintelligendum relinquitur, quod expositione non aperitur.

CAP. IX. *De littera.*

Littera aliquando perfecta est, quando ad significandum id quod dicitur, nihil præter ea quæ posita sunt, vel addere, vel minuere oportet. Ut, *Omnis sapientia a Domino Deo est (Eccli.* I). Aliquando imminuta, quando subaudiendum aliquid relinquitur, ut : *Senior electæ dominæ* (*II Joan.* II). Aliquando superflua, quando vel propter inculcationem, vel longam interpositionem idem repetitur, vel aliud non necessarium adjungitur, ut Paulus in fine Epistolæ ad Romanos dicit : *Ei autem;* et postea multis interpositis infert : *cui est honor et gloria* (*Rom.* XVI). Aliquid hic superfluum esse videtur, superfluum dico, id est non necessarium ad enuntiationem faciendam. Aliquando talis est littera, ut nisi in aliam resolvatur, nihil significare, vel incongrua esse videatur, ut est illud : *Dominus in cœlo sedes ejus* (*Psal.* X), id est sedes Domini in cœlo; et *filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ* (*Psal.* LVI), id est filiorum hominum dentes; et : *Homo sicut fenum dies ejus*, id est dies hominis (*Psal.* CII). Nominativus scilicet nominis, et genitivus pronominis, pro uno genitivo nominis positi, et multa alia similiter. Ad litteram constructio et continuatio pertinet.

CAP. X. *De sensu.*

Sensuum, alius congruus, alius incongruus. Incongruorum alius incredibilis, alius impossibilis, alius absurdus, alius falsus. Multa hujusmodi invenies in Scripturis, ut illud : *Comederunt Jacob* (*Psal.* LXXVIII). Et illud : *Sub quo curvantur hi qui portant orbem* (Job. IX). Et illud : *Elegit suspendium anima mea* (*Job.* VII); et multa alia. Sunt loca quædam in divina Scriptura, ubi licet aperta sit verborum significatio; nullus tamen sensus esse videtur, sive propter inusitatum modum loquendi, sive propter aliquam circumstantiam, quæ legendis intelligentiam impedit. Ut est, verbi gratia, illud quod dicit Isaias : *Apprehendent septem mulieres virum unum in illa die dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum* (*Isa.* IV). Plana sunt et aperta verba. Intelligis satis : Apprehendent septem mulieres virum unum; intelligis : Panem nostrum comedemus; intelligis : Vestimentis nostris operiemus, intelligis, Tantummodo invocetur nomen tuum

A super nos: intelligis, Aufer opprobrium nostrum. Sed fortasse quid hoc totum simul significare velit, intelligere non potest. Quid dicere voluerit propheta, bonum promiserit, an malum minatus fuerit, ignoras. Unde evenit, ut spiritualiter tantum intelligendum credas, quod qualiter ad litteram dictum sit, non vides. Dices igitur septem mulieres, septem esse dona Spiritus sancti, quæ unum virum apprehendent, id est Christum, in quo omnem plenitudinem gratiæ placuit inhabitare, quia ipse solus sine mensura Spiritum sanctum accepit. Qui solus earum opprobrium aufert, ut inveniant in quo requiescant; nullo alio vivente, ut Spiritus sancti dona poscebant. Ecce spiritualiter interpretatus es, et quid sit dicere ad litteram B non intelligis. Potuit tamen propheta per hæc verba etiam ad litteram aliquid significare. Quia enim supra de intentione populi prævaricatoris locutus fuerat, subjungit nunc tantam in eodem populo cladem futuram; et usque adeo virorum genus delendum, ut vix septem mulieres virum unum inveniant, cum modo una unum habere soleat. Et cum mulieres nunc a viris rogari soleant, tunc converso more mulieres viros rogabunt. Et ne forte unus vir septem mulieres ducere simul formidaret, cum unde eas pasceret et vestiret, non haberet, dicunt ei : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, non te oportet de nobis esse sollicitum : Tantummodo invocetur nomen tuum super nos; ut dicaris vir C noster, et sis : ne repudiatæ dicamur, et steriles, et sine semine moriamur, quod eo tempore magnum opprobrium fuit. Et hoc est quod dicunt : Aufer opprobrium nostrum. Multa hujusmodi invenies in Scripturis, et maxime in Veteri Testamento, secundum idioma illius linguæ dicta, quæ cum ibi apertæ sint, nihil apud nos significare videntur.

CAP. XI. *De sententia.*

Sententia divina nunquam absurda, nunquam falsa esse potest; sed cum in sensu, ut dictum est, multa inveniantur contraria; sententia nullam admittit repugnantiam, semper congrua est, semper vera. Aliquando unius enuntiationis una est sententia, aliquando unius enuntiationis plures sunt sententiæ, aliquando plurium enun- D tiationum una est sententia, aliquando plurium enuntiationum plures sententiæ. Cum igitur divinos libros legimus, in tanta multitudine veterum intellectuum, qui de paucis eruuntur verbis, et sanitate Catholicæ fidei muniuntur id potissimum eligamus, quod certum apparuerit, eum sensisse quem legimus. Si autem hoc latet, id certe quod circumstantia scripturæ non impedit, et cum sana fide concordat. Si autem et Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana præscribit. Aliud est enim quod potissimum scriptor senserit, non dignoscere, aliud a regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfecte se habet fructus legentis. Si vero utrumque vitari non potest, etsi voluntas scriptoris incerta sit, sanæ fidei congruam non inutile est eruisse sententiam. Item in rebus obscu-

ris, atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legimus, quæ possint salva fide aliis atque aliis parere sententiis; in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam labefactaverit, corruamus; non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est, cum potius eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.

Cap. XII. *De modo legendi.*

Modus legendi in dividendo constat. Divisio fit et partitione et investigatione. Partiendo dividimus, quando ea quæ confusa sunt, distinguimus. Investigando dividimus, quando ea quæ occulta sunt, reseramus.

Cap. XIII. *De meditatione cur nunc sit prætermittendum.*

Ecce jam quæ ad lectionem pertinent, quanto lucidius et compendiosius potuimus, explicata sunt. De reliqua vero parte doctrinæ, id est meditatione aliquid in præsenti dicere omitto, quia res tanta speciali tractatu indiget; et dignum magis est omnino silere in hujusmodi, quam aliquid imperfecte dicere. Res enim valde subtilis est, et simul jucunda, quæ et incipientes erudit, et exercet consummatos, inexperta adhuc stylo, ideoque amplius prosequenda. Rogemus ergo nunc sapientiam, ut radiare dignetur in cordibus nostris, et illuminare nobis in semitis suis, ut introducat nos ad puram, et sine animalibus cœnam.

Cap. XIV. *Diffinitio trium remediorum philosophiam concernentium contra totidem mala, et de philosophiæ altera divisione.*

Tria sunt: sapientia, virtus, necessitas. Sapientia est comprehensio rerum, prout sunt. Virtus est habitus animi in modum naturæ rationi consentaneus. Necessitas est, sine qua vivere non possimus, sed felicius viveremus. Hæc tria remedia sunt contra mala tria, quibus subjecta est vita humana. Sapientia contra ignorantiam, virtus contra vitium, necessitas contra infirmitatem; propter ista tria mala exstirpanda quæsita sunt ista tria remedia; et propter hæc tria remedia invenienda, inventa est omnis ars, et omnis disciplina. Propter sapientiam inventa est thorica, propter virtutens inventa est practica, propter necessitatem inventa est mechanica. Istæ tres usu primæ fuerunt, sed postea propter eloquentiam inventa est logica. Quæ cum sit inventione ultima, prima tamen esse debet in doctrina. Quatuor igitur sunt principales scientiæ, a quibus omnes aliæ descendunt: theorica, practica, mechanica, logica.

Theorica dividitur in theologiam, physicam, mathematicam. Theologia tractat de invisibilibus visibilium causis; mathematica de invisibilibus visibilium formis. Et hæc mathematica dividitur in quatuor scientias. Prima est arithmetica, quæ tractat de numero, id est de quantitate discreta per se. Secunda est musica, quæ tractat de proportione, id est de quantitate discreta ad aliquid.
A Tertia est geometria, quæ tractat de spatio, id est quantitate continua immobili. Quarta est astronomia, quæ tractat de motu, id est de quantitate continua mobili. Elementum arithmeticæ est unitas. Elementum musicæ est unisonum. Elementum geometriæ est punctum. Elementum astronomiæ est instans. Practica dividitur in solitariam, privatam, publicam. Solitaria docet, quomodo unusquisque propriam vitam honestis moribus instituat, virtutibus exornet. Privata docet, quomodo regendi sint familiares, et qui per carnis affectum sunt affines. Publica docet, qualiter populus totus, et gens à suis rectoribus gubernari debeat. Solitaria pertinet ad singulos, privata ad patres familias, publica ad rectores civitatum.
B Mechanica tractat de operibus humanis, et hæc dividitur in septem. Prima est lanificium, secunda armatura, tertia navigatio, quarta agricultura, quinta venatio, sexta medicina, septima theatrica. Logica dividitur in grammaticam et in orationem disserendi. Ratio disserendi dividitur in probabilem, et necessariam, et sophisticam. Probabilis dividitur in dialecticam et rhetoricam. Necessaria pertinet ad philosophos, sophistica ad sophistas. In his quatuor partibus philosophiæ talis ordo in doctrina servari debet, ut prima ponatur logica, secunda ethica, tertia theorica, quarta mechanica. Primum enim comparanda est eloquentia, deinde, ut ait Socrates in Ethica, per studium virtutis oculus cordis mundandus est, ut deinde in
C theorica ad investigationem veritatis perspicax esse possit. Novissime mechanica sequitur, quæ per se omni modo inefficax est, nisi ratione præcedentium fulciatur.

Cap. XV. *De magica et partibus ejus.*

Magicæ repertor primus creditur Zoroastres, rex Bactrianorum, quem nonnuli asserunt ipsum esse Cham, filium Noe, sed nomine mutato. Hunc postea Ninus, rex Assyriorum, bello victum interfecit, ejusque codices artibus maleficiorum plenos igne cremari fecit. Scribit autem Aristoteles de hoc ipso, quod usque ad bis et vicies centum millia versuum ejus de arte magica ab ipso dictatos, libri ejus usque ad posteritatis memoriam traduxerunt. Hanc artem postea Democritus amplia-
D vit, tempore quo Hippocrates in arte medicinæ insignis habebatur. Magica in philosophia non recipitur; sed est extrinsecus falsa professione, omnis iniquitatis et malitiæ magistra, de vero mentiens, et veraciter lædens animos, seducit a religione divina, culturam dæmonum suadet, morum corruptionem ingerit, et ad omne scelus ac nefas mentes sequacium impellit. Hæc generaliter accepta, quinque complectitur genera maleficiorum. Manticen, quod sonat divinationem; et mathematicam vanam, sortilegia, maleficia, præstigia. Mantice autem quinque continet species sub se. Primam necromantiam, quod interpretatur *divinatio in mortuis*; νεκρὸς enim Græce *mortuus* Latine, et νέκρον *cadaver* dicitur. Unde divinatio, quæ fit per sacrificium sanguinis humani, quem dæmones sitiunt, et in eo delectantur

effuso. Secunda est gæomantia, id est *divinatio in terra*. Tertia hydromantia, id est *divinatio in aqua*. Quarta est aerimantia, id est *divinatio in aere*. Quinta est *divinatio in igne*, quæ dicitur pyromantia. Varro enim quatuor dixit esse, in quibus divinatio constaret, terram, aquam, aerem, ignem. Prima ergo, id est necromantia, ad infernum videtur pertinere, secunda ad terram, tertia ad aquam, quarta ad aerem, quinta ad ignem. Mathematica dividitur in tres species : in aruspicinam, in augurium, in horoscopicam. Aruspices sunt dicti quasi horuspices, id est horarum inspectores, qui observant tempora in rebus agendis ; vel haruspices quasi haras inspicientes : qui in extis et fibris sacrificiorum futura considerant. Augurium vel auspicium aliquando ad oculum pertinet, et dicitur auspicium quasi avispicium ; quia in motu et volatu avium attenditur, aliquando ad aures pertinet, et tunc dicitur augurium quasi garritus avium, qui aure percipitur. Horoscopia, quæ etiam constellatio dicitur, A est quando in stellis facta hominum quæruntur, sicut genethliaci faciunt, qui nativitates observant, qui olim specialiter magi nuncupabantur, de quibus in Evangelio legimus. Sortilegi sunt, qui sortibus divinationes quærunt. Malefici sunt qui per incantationes dæmoniacas, sive ligaturas, vel alia quæcunque exsecrabilia remediorum genera, cooperatione dæmonum atque instructu nefanda perficiunt. Præstigia sunt, quando per phantasticas illusiones circa rerum immutationem sensibus humanis arte dæmoniaca illuditur. Sunt ergo omnes simul undecim mantice, quinque, id est, necromantia, gæomantia, hydromantia, aerimantia, pyromantia. Sub mathematica, tres, id est aruspiscina, auspicium, horoscopia. Postea B tres aliæ, id est sortilegium, maleficium, præstigium. Præstigia Mercurius dicitur primus invenisse. Auguria Phryges invenerunt. Aruspicinam et sortilegia Tages primus Etruscus tradidit : hydromantia primum a Persis venit.

LIBER SEPTIMUS.

Hunc in Didascalico non comperi, sed quasi illius appendicem : tractat enim de meditatione, qua ex visibilium cognitione ad invisibilis etiam divinæ Trinitatis assurgimus agnitionem. Hæc sunt capitula:

Cap. I. *De tribus invisibilibus Dei, a quibus emanant omnia, quæ sunt potentia, sapientia, benignitas.*

Verbum bonum et vita sapiens, quæ mundum fecit, contemplato mundo conspicitur. Et verbum ipsum videri non potuit; et fecit quod videri potuit, et visum est per id quod fecit. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I). Tria sunt invisibilia Dei, potentia, sapientia, benignitas. Ab his tribus procedunt omnia, in his tribus consistunt omnia, et per hæc tria reguntur omnia. Potentia creat, sapientia gubernat, benignitas conservat. Quæ tamen tria sicut in Deo ineffabiliter unum sunt, ita in operatione omnino separari non possunt. Potentia per benignitatem sapienter creat. Sapientia per potentiam benigne gubernat. Benignitas per sapientiam potenter conservat. Potentiam manifestat creaturarum im- C mensitas, sapientiam decor, benignitatem utilitas. Immensitas creaturarum in multitudine et magnitudine. Multitudo in similibus, in diversis in permistis. Magnitudo in mole et spatio. Moles in massa et pondere. Spatium est in longo, et lato, et profundo, et alto. Decor creaturarum est in situ, et motu, et specie, et qualitate. Situs est in compositione et ordine. Ordo est in loco, et tempore, et proprietate. Motus est quadripertitus, localis, naturalis, animalis, rationalis. Localis est ante et retro : dextrorsum et sinistrorsum, sursum, et deorsum, et circum. Naturalis est in cremento, et decremento. Animalis est in sensibus et appetitibus. Rationalis est in factis et consiliis. Species est forma visibilis, quæ oculo discernitur, D sicut colores, et figuræ corporum. Qualitas est proprietas interior, quæ cæteris sensibus percipitur, ut melos in sono auditu aurium, dulcor in sapore gustu faucium, fragrantia in

odore olfactu narium, lenitas in corpore tactu manuum. Utilitas creaturarum constat in grato et apto, et commodo, et necessario. Gratum est quod placet, aptum quod convenit, commodum quod prodest, necessarium sine quo quid esse non potest. Nunc propositas partitiones a principio repetamus; et in unoquoque divisionis genere qualiter vel ex universitate creaturarum Creatoris manifestetur potentia, vel ex decore sapientia, vel ex utilitate benignitas, perquiramus. Et quia immensitas prima fuit in partitione, prima esse debet in prosecutione.

CAP. II. *De immensitate divinæ potentiæ quam perspicimus ex creaturarum multitudine.*

Diligenter igitur audite, et considerate quæ dicturus sum. Quando nihil erat facere, ut aliquid esset, qualis potentia erat. Quis sensus potest comprehendere, quæ virtus sit de nihilo, etiam unum aliquid facere, quamvis exiguum. Si ergo unum aliquid, quamlibet parvum, de nihil facere tanta potentia est, ut comprehendi non possit, quanta existimanda est potentia tam multa facere? Quam multa? Quot sunt? Numera stellas cœli, arenam maris, pulverem terræ, guttas pluviæ, pennas volucrum, squammas piscium, pilos animalium, gramina camporum, folia sive fructus arborum, et cæterorum innumerabilium innumerabilia numera. Innumerabilia in similibus, innumerabilia in diversis, innumerabilia in permistis. Quæ sunt similia? Quæ sub eodem genere continentur: ut homo unus et alter; leo unus et alter; aquila una et altera; honoruscopa: una et altera: hæc singula, et cætera talia in suis generibus similia sunt. Quæ sunt diversa? Quæ dissimilibus differentiis informantur, ut homo et leo. Leo et aquila. Aquila et honoruscopa: hæc invicem diversa sunt. Quæ sunt permista? Omnia simul considerata. Quomodo ergo in similibus infinita? Quomodo in diversis infinita quomodo in permistis infinita? Audi. Homo unum genus est, sed unus homo non est. Quis eos numerare potest? Leo unum genus est, sed unus leo non est. Quis eos numerare potest? Aquila unum genus est, sed aquila una non est; quis eas numerare potest? et ita in cæteris innumerabilibus innumerabilium rerum generibus, infinita, rerum genera et in singulis generibus infinita similia. Simul vero omnia infinita innumerabilia.

CAP. III. *De creaturarum magnitudine.*

Sed fortassis qui tot fecit, parva fecit, multa simul et magna facere non potuit, quanta tamen? Metire moles montium, tractus fluminum, spatia camporum, altitudinem cœli, profunditatem abyssi. Miraris, quia deficis; sed melius deficiendo miraris. Meditantibus de creaturarum immensitate quasi seminarium quoddam jecimus; nunc ad contemplandam earum pulchritudinem transeamus.

CAP. IV. *De earumdem pulchritudine in quatuor*

Quamvis multis ac variis modis creaturarum pulchritudo perfecta sit, quatuor tamen præcipue sunt, in quibus earumdem decor consistit. Hoc

A est in situ, in motu, in specie, in qualitate. Quæ quidem si quis investigare sufficeret, mirabilem in eis sapientiæ Dei lucem inveniret. Et hoc utinam ego tam possem subtiliter perspicere, tam competenter enarrare, quam possum ardenter diligere. Delectat enim me quia valde dulce et jucundum est de his rebus frequenter agere, ubi simul et ratione eruditur sensus, et suavitate delectatur animus, et æmulatione excitatur affectus, ita ut cum Psalmista stupeamus, et admirantes clamemus: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII); et alibi: *Delectasti me in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo. Quam magnificata sunt opera tua, Domine? nimis*
B *profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc* (*Psal.* XCI). Universus enim mundus iste sensibilis quasi quidam liber est scriptus digito Dei, hoc est virtute divina creatus, et singulæ creaturæ quasi figuræ quædam sunt non humano placito inventæ, sed divino arbitrio institutæ ad manifestandam invisibilium Dei sapientiam. Quemadmodum autem si illiteratus quis apertum librum videat, figuras aspicit, litteras non cognoscit: ita stultus et *animalis homo*, qui *non percipit ea quæ Dei sunt* (*I Cor.* II), in visibilibus istis creaturis foris videt speciem, sed intus non intelligit rationem. Qui autem spiritualis est et omnia dijudicare potest, in eo quidem quod
C foris considerat pulchritudinem operis, intus concipit quam miranda sit sapientia Creatoris. Et ideo nemo est cui opera Dei mirabilia non sint, dum insipiens in eis solam miratur speciem; sapiens autem per id quod foris videt profundam rimatur divinæ sapientiæ cogitationem, velut si in una eademque Scriptura alter colorem seu formationem figurarum commendet; alter vero laudet sensum et significationem. Bonum ergo est assidue contemplari et admirari opera divina, sed ei qui rerum corporalium pulchritudinem in usum novit vertere spiritualem. Nam et ideo Scriptura tantopere nos ad desideranda mirabilia Dei excitat, ut per ea quæ foris credimus intus ad agnitionem veritatis veniamus. Unde Psalmista,
D quasi pro magno aliquo se jam et hoc fecisse commemorat, et adhuc facturum promittit, dicens: *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor* (*Psal.* CXLII). Hinc est etiam quod quibusdam ignorantibus Creatorem suum, et cultum Deo debitum idolis exhibentibus in Isaia dicitur: *Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera? Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt sicut locustæ. Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum* (*Isa.* XL). Et Psalmista iterum in quodam loco cum argueret idolorum cultores, ait: *Omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem cœ-*

los fecit (*Psal.* xcv). Quid est ergo putatis, quod in assertionem veræ divinitatis opera Dei ita in medium deducuntur, et dicitur : Dominus autem cœlos fecit, nisi quia creatura recte considerata homini Creatorem suum ostendit? Consideremus et nos quanta sint mirabilia Dei, et per pulchritudinem rerum conditarum quæramus pulchrum illud, pulchrorum omnium pulcherrimum ; quod tam mirabile et ineffabile est, ut ad ipsum omnis pulchritudo transitoria, etsi vera sit, comparabilis esse non possit. Et quia superius omnem pulchritudinem visibilium in quatuor constare diximus ; nunc ordine per singula currentes, qualiter ex ipsis invisibilis Dei sapientia clarescat videamus. Scio quidem quod minus erit quidquid dixerimus, sed tamen decens non est ut ideo omnino taceamus, ibi præcipue, ubi si fieri posset, maxime decenter loqui deberemus.

Quatuor diximus, situm, motum, speciem et qualitatem. Primum ergo primo discutiamus. Situs est in compositione et ordine, id est in compositione et dispositione. Compositio duo habere debet : aptitudinem et firmitatem hoc est ut componenda apte et competenter coeant; et composita firmiter cohæreant : laudabilis est compositio talis. Aptitudo consideratur in quantitate et qualitate. In quantitate ne nimis tenuia et exilia grossis et corpulentis. In qualitate, ne nimis humida siccis, nimis calida frigidis, nimis levia ponderosis ; et si qua sunt talia, inordinate conjungantur. Vide si pulchritudini divinorum operum aliquid horum desit, et si nihil deesse videris, jam aliquid habes unde etiam in hac parte mireris. Et primum quidem si universitatis hujus machinam intuitus fueris : invenies quam mirabili ratione et sapientia compositio rerum omnium perfecta sit, quam apta, quam congrua, quam decora, quam cunctis partibus suis absoluta, in qua non solum concordiam servant similia, sed etiam quæ creante potentia diversa atque repugnantia adesse prodierunt, dictante sapientia in unam quodammodo amicitiam et fœderationem conveniunt. Quid repugnantius esse potest aqua et igne ? quæ tamen in rerum natura ita Dei contemperavit prudentia, ut non solum ad invicem commune societatis vinculum non dissipent, verum etiam nascentibus cunctis ut subsistere possint vitale nutrimentnm subministrent. Quid de humani corporis compage loquar, ubi omnium membrorum juncturæ tantam adinvicem servant concordiam, ut nullum omnino possit inveniri membrum, cujus officium alteri non videatur præstare adminiculum ? Sic omnis natura se diligit, et miro quodam modo plurium dissimilium et in unum redactorum concordia unam in omnibus harmoniam facit. Apta est ergo et conveniens rerum omnium compositio, sed quomodo est firma ? Quis non videat ? quis non miretur ? Ecce cœli qui ambitu suo concludunt omnia, quomodo solidi sunt, et quasi ex ære fusiles desuper circumquaque oppansi. Terra vero in medio, suo pondere librata, semper immobilis perseverat, ut cætera in medio fluctuantia, hinc soliditas cœlorum, illinc terræ stabilitas in unum coarctent et constringant, citra legitimos terminos diffusa concordiam universitatis disrumpant. Ecce quomodo per viscera telluris intrinsecus tracones aquarum sparsi et foris per alveos suos in diversa deducti, intus fatiscentem ne dissolvatur conglutinant, et foris ne fatiscat arentem rigant. Ecce quomodo in humani corporis fabrica juncturas ossium vincula nervorum ligant, et medullis intus per fistulas tibiarum diffusis, canales etiam vitalem venarum sanguinem per omne corpus deducunt, ac deinde teneritudinem carnium cutis tegmen involvit, ut et rigor ossium intrinsecus corpus sustineat, et pellis munimen foris defendendo custodiat. Quis duritiam lapidum, quis soliditatem metallorum, quis nodositatem roborum, quis tenacitatem glutinum quis cætera innumerabilia enumerare queat ? Ex quo claret quam sint firma rerum vincula, cum singula quæque condita tanto nisu naturam et esse suum defendant, simul vero omnia a concordia societatis suæ dissolvi omnino non queant.

Cap. V. *De situ et dispositione rerum in loco.*

Post compositionem sequitur ut de dispositione rerum qualis sit consideremus. Neque enim minima fiet admiratio, si quis diligenter attendat, quod sic singulis locis, singulis temporibus, singulis rebus, divina providentia causas suas distribuit, ut in nullo penitus ordo rerum perturbetur. Ecce cœlum sursum est, et terra deorsum. In cœlo stellas et luminaria collocavit, ut subjecta omnia illustrarent. In aere ventis et nubibus viam fecit, ut cogitationibus suis dispersæ pluviam deorsum funderent. In gremium telluris moles aquarum recipi jussit, ut per gurgites suos huc illucque quo nutus ferret jubentis discurrerent. Volucres in aere suspendit, pisces aquis immersit, terram bestiis et serpentibus et aliorum reptilium vermiumque generibus replevit. Quasdam regiones ditavit ubertate frugum, quasdam opulentia vinearum, alias fertilitate olerum, alias fecunditate pecorum, alias potentibus herbis, alias gemmis pretiosis, alias animalibus et bestiis monstruosis, alias coloribus variis, alias diversarum artium studiis, alias metallorum, alias thimiamatum diversis generibus, ut nulla prorsus regio sit, quæ non aliquid præ cæteris novum et speciale possideat; nulla item quæ non aliquid novum et speciale ab aliis accipere queat. Quid quod etiam ea quæ humanis usibus necessaria sunt, in communi hominum frequentia ipsa Creatoris providentia constituit; ea vero quæ non natura propter necessitatem, sed cupiditas expetit propter speciem ; in abditis terrarum sinibus abscondit, ut quem amor virtutis ab immoderato appetitu non castigat saltem laboris tædio victus conquiescat.

Cap. VI. *De dispositione temporum.*

Hæc de dispositione locorum diximus, quid de dispositione temporum dicemus ? Quis satis admirari potest, quam mira ratione providentia di-

vina cursus temporum distinxit? Ecce post noctem venit dies, ut torpentes in otio labor exerceat; post diem sequitur nox, ut fessos ad refocillandum quies excipiat. Non semper dies, non semper nox, non semper æqualis dies et nox, ne vel immoderatus labor debilitatos frangat, vel quies continuata naturam inficiat, vel identitas perpetua animo tædium gignat. Item quemadmodum vicissitudo dierum ac noctium animantia renovat, ita quatuor tempora anni ordine sibi succedentia, totius mundi speciem immutant. Primum per teporem veris quadam innovatione mundus nascitur. Deinde per fervorem æstatis, quasi in juventutem roboratur. Post hæc superveniente autumno ad maturitatem conscendit. Postremo succedente hieme, ad defectum vergit. Idcirco autem semper deficit, ut semper post defectum renovari possit, quia nisi prius a statu suo deficerent vetera, quasi illis locum occupantibus non valerent exsurgere nova. Hoc quoque satis mirabile in hac dispositione cernitur, quod ipsa tempora ita immutabili lege suæ mutabilitatis vices custodiunt, ut nec aliquando ab explendo ministerio suo deficiant, neque secus currentia ordinem primæ institutionis confundant.

Cap. VII. *De ordine qui in unaquaque re consideratur ex dispositione partium.*

Hæc de dispositione temporum exempli causa dicta sufficiant. Nunc illum ordinem prosequamur, qui in unaquaque re consideratur, secundum congruam dispositionem partium. Hic vero intrinsecus est; alii, scilicet secundum locum et tempus, extrinseci sunt. Et hic quoque non minus miranda est sapientiæ efficacia, quæ ita congrue in universitate singula distribuit ut nusquam omnino junctura partium generet repugnantiam qualitatum. Ecce, ut exempli causa de multis pauca ponamus, in compositione humani corporis, quanta elucet sapientia Creatoris? Sursum est homo uniformis, deorsum bifariam divisus; quia et uniforme est principale mentis, id est ratio quæ invisibilia respicit; et ut gemina est animæ qualitas, ita et concupiscentia quæ deorsum ad terrena descendit. Item brachiis in latum extenditur, tibiis deorsum figitur statura humani corporis; quia et intentio operationis animum extendit, et affectus desideriorum figit. Item secundum latitudinem hinc inde per digitos pedum in quinque finitur humani corporis protensio; quia sive in latum tendatur animus per intentionem operis, sive deorsum figatur, per desiderium affectionis, quinque sensus sunt per quos foris exit. Item digiti ternis articulorum intervallis distinguuntur, qui de una palma in manibus, in pedibus de una planta prodeunt; quia de una sensualitate quinque sensus exeunt, in quibus prima distinctione primum sensus, deinde sentire, postmodum sensibile invenitur. Postremo in singulis digitis extremorum articulorum capita superpositis unguibus, quasi galeata cernuntur, ut quocunque, sive manus extensa, seu pes promotus offendiculum invenerit, ipsi suo munimine protecti, illæsi permanere possint. Similiter terrena illa ad similitudinem unguium foris sensibus inhærentia, quasi in necessitate nos muniunt; sed quantum non pertinent ad necessitatem, quasi extra carnem sine sensu præcidi possunt. Ecce in humana facie quam rationabili distinctione instrumenta sensuum collocata sunt. Supremum locum obtinet visus in oculis. Deinde auditus in auribus; post hunc in naribus olfactus, atque post hunc in ore gustus. Scimus autem quod reliqui omnes sensus foris intro veniunt, solus visus intus foras exit, et eminus posita mira præ cæteris agilitate percipit. Bene ergo quasi speculator, eminentiorem cunctis locum obtinuit, ut quæ cæteris sensibus superventura sunt, ante periculum prævidere possit. Post hunc auditus, et loco et nobilitate secundus est. Deinde olfactus. Gustus autem qui nil sentire potest nisi id quod tangit, merito (tardior cæteris sensibus) in imo resedit. Tactus specialem sedem non habet, qui ideo universalis est, quia cunctis cooperatur sensibus. Unde et in digitis pollex, qui tactum significat, coadunatis in unum digitis solus omnibus respondet, quia sine tactu nullus sensuum esse potest. Vide etiam quomodo in humano corpore ossa intrinsecus collocata sunt, quatenus robur eorum corpus sustineat; deinde caro ossa vestit, ut duritia eorum molliter tactum excipiat. Ad ultimum pellis carnem induit, ut sua quodammodo tenacitate ab incommodis foris accidentibus corpus muniat. Attendite quomodo illud quod molle est et infirmum, in medio quasi in loco tutiore ponitur; ne vel intrinsecus fulcimento carens concidat, vel extrinsecus munimentum non habens fatiscat. Quod autem in uno exemplificatum est, in cunctis generibus rerum inveniri potest. Sic enim cortex munit arborem, sic pennæ et rostra volucres, sic squammæ pisces, rebusque singulis secundum competentiam naturæ suæ, providentia Creatoris munimenta instituit. Hucusque de situ locuti sumus nunc ad motum transeamus.

Cap. VIII. *De omnifario rerum motu.*

Motus est quadrifarius. Localis, naturalis, animalis, rationalis. De quibus quia per singula multa dicere non possumns, breviter singula perstringamus. Vide quomodo in motu locali sapientia Conditoris appareat. Cogita nunc unde defluentibus semper aquis indeficiens semper vena ministratur, unde motus ventorum educitur, quis infatigabilem astrorum cursum moderatur, quis solem per hiberna descendere signa præcipit, quis rursum per æstiva eum signa ascendere facit, quis eum ab oriente in occidentem ducit, et iterum ab occidente ad orientem revehit. Hæc cuncta mirabilia, et soli Deo possibilia sunt. Quid etiam de naturali motu dicam? Quis putas nascentibus cunctis incrementum tribuit, et quasi de quodam occulto naturæ sinu in apertum germinantia educit, rursumque eadem marcentia illuc unde venerant reverti facit? Satis

diligenter intuentibus mirabilia apparebunt. Deinde sequitur motus animalis, qui est in sensibus et appetitibus. Cogita ergo qualis esse possit, qui sensus omnium viventium fabricat, appetitus creat et in singulis quibusque animantibus quid appetere et quantum appetere debeant, ordinat. Denique motus rationalis qui est in factis et consiliis satis admirationis tibi ingerit, si attendere volueris, quam ineffabilis sit sapientia quæ omnia hominum facta, omnes voluntates, omnes denique cogitationes cordium ; ita ad suæ voluntatis arbitrium intorquet, ita imperat et moderatur ut nihil in universitate possit fieri quod non ipsa ad decorem operum suorum aut præcipiendo aut permittendo fieri velit.

Cap. IX. *De specie figurisque rerum.*

Hæc de motu pro brevitate dicta sufficiant. Deinde sequitur species. Species est forma visibilis, quæ continet duo, figuras et colores. Figuræ autem rerum multis modis apparent mirabiles. Aliquando ex magnitudine, aliquando ex parvitate, aliquando quia raræ, aliquando quia pulchræ, aliquando ut interim ita loquar, quia quodammodo convenienter ineptæ, aliquando quia in multis una, aliquando quia in uno diversa, singula ordine suo prosequamur. Figura secundum magnitudinem attenditur, quando res quælibet sui generis modum in quantitate excedit ; sic miramur gigantem inter homines, cetum inter pisces, gryphonem inter volucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter serpentes. Figura secundum parvitatem consideratur quando res quælibet sui generis quantitati æquari non potest, ut est succerio in capillo, tinea in indumento, vermes et sciniphes, et similia, quæ inter cætera quidem animalia vivunt, sed cæteris omnibus corporis exiguitate dispares sunt. Vide ergo quid magis mireris, dentes apri, an tineæ, alas gryphis an sciniphis ? caput equi an locustæ ? crura elephantis an culinis ? rostrum suis an succerionis ? aquilam an formicam ? leonem an pulicem ? tigridem an testudinem ? Ibi miraris magnitudinem, hic miraris parvitatem ; corpus parvum magna sapientia conditum. Magna sapientia cui nulla subrepit negligentia. Illis dedit oculos, quos vix comprehendere potest oculus ; et in tam exiguis corporibus sic omnifariam lineamenta naturæ suæ congrua plenissime distribuit, ut nihil videas deesse in minimis eorum omnium quæ natura formavit in magnis.

Cap. X. *De iis quæ, quia rara sunt, miranda sunt*

Restat nunc dicere de iis quæ rara sunt, et ob hoc magis mira videntur. Sunt quædam in rebus conditis quæ idcirco cum videntur magis mira sunt quia ad hominum notitiam raro perveniunt, vel ob hoc quod in suo genere pura creata sunt, vel quia remotis sedibus et in abditis naturæ sinibus abstrusa. Hæc autem idcirco Creatoris providentia seorsum collocare voluit, ut illorum consortio quæ noxia sunt non lædatur humana societas, eorum quæ pretiosa sunt specie probetur humana cupiditas, eorum quæ rara sunt novitate excitata

A admirari discat humana tarditas ; postremo ut hæc bona simul et mala quasi eminus posita quodammodo alloquantur hominem, ut attendat quanto studio mala æterna fugere et bona æterna appetere debet, si pro his temporalibus bonis adipiscendis et malis evitandis tantos labores sustinet

Cap. XI. *De iis quæ, quia pulchra sunt, mirabilia*

Sequitur de iis quæ mirabilia sunt propter pulchritudinem. Quarumdam rerum figurationem miramur quia speciale quodam modo decoræ sunt et convenienter coaptatæ, ita ut ipsa dispositio operis quodammodo innuere videatur specialem sibi adhibitam diligentiam Conditoris. Rursus alia idcirco miramur quia monstruosa sunt vel ridicula ; quorum quidem psalmatio

B quantum ab humana ratione aliena est, tanto facilius humanum animum in admirationem compellere potest. Quare crocodilus manducans inferiorem molam non movet ? et quomodo salamandra in igne illæsa permanet ? quis dedit ericio spinas, et docuit eum, ut se pomis turbine discussis involvat, quibus onustus incedens stridet quasi plaustrum ? et formicam quæ hiemis superventuræ præscia granis horrea sua replet ? araneam quæ de visceribus suis laqueos nectit unde prædam capiat ? isti sunt testes sapientiæ Dei. Est adhuc aliud verum et evidens divinæ sapientiæ argumentum, quod omne genus simile sibi procreat, et in tam multis similitudo una propagata primæ originis formam non mutat ;

C non ovis vitulum, non vacca agnum, non cerva leporem, non leo vulpem, sed in sibi simile propaginem suam extendit omne quod est. Hoc quoque insensibilis natura custodit, aliud genus arboris est tilia, aliud fagus, aliud quercus, unumquodque speciem suam habet, et unumquodque generis sui servat similitudinem. Vide folium quomodo ferratis dentibus per gyrum distinguitur, quomodo intrinsecus productis costulis huc illucque intexitur. Numera unum, numera aliud. Omne quod est unius generis, unius invenies et multitudinis et similitudinis, tot dentes in uno quot dentes in alio, tot costulas in uno quot costulas in alio, talem formam in uno qualem formam in alie, talem colorem in uno qualem colo-

D rem in alio. Ecce quomodo mora, quomodo fraga, quibusdam granulis ad invicem compactis circumquaque distinguuntur ; tale unumquodque quale alterum, et omnis natura quasi cujusdam intrinsecus dictantis præceptum acceperit, nusquam terminos suos excedere præsumit. Hoc quoque mirabile est quod in uno corpore tot constituuntur membra, tot membrorum formæ, tot loca, tot officia. Ecce in uno hominis corpore quot membra? Aliud auris, aliud oculis, aliud lingua, aliud nasus, aliud pes, aliud manus ; singulis sua forma, sua loca, sua officia, et cum sint ita diversa in se, singula invicem tamen cooperantur omnia.

Cap. XII. *De rerum variis coloribus.*

Post figuram sequitur color. De colore rerum multum disserere opus non est, cum ipse visus probet quantum naturæ decoris additur, cum tam

variis distincta coloribus adornatur. Quid luce pulchrius, quæ cum colorem in se non habeat, omnium tamen colores rerum ipsa quodammodo illuminando colorat? Quid jucundius ad videndum cœlo cum serenum est, quod splendet quasi sapphirus; et gratissimo quodam suæ claritatis temperamento visum excipit et demulcet aspectum? Sol sicut aurum rutilat, luna pallet quasi electrum, stellarum quædam flammeo aspectu radiant; quædam luce rosea micant, quædam vero alternatim nunc roseum, nunc viridem, nunc candidum fulgorem demonstrant. Quid de gemmis et lapidibus pretiosis narrem? quorum non solum efficacia utilis, sed aspectus quoque mirabilis est. Ecce tellus redimita floribus, quam jucundum spectaculum præbet, quomodo visum delectat, quomodo affectum provocat? Videmus rubentes rosas, candida lilia, purpureas violas, in quibus omnibus non solum pulchritudo sed origo quoque mirabilis est. Quomodo scilicet Dei sapientia de terræ pulvere talem producit speciem. Postremo super omne pulchrum viride, quomodo animos intuentium rapit; quando vere novo, nova quadam vita germina prodeunt, et erecta sursum in spiculis suis quasi deorsum morte calcata ad imaginem futuræ resurrectionis in lucem pariter erumpunt. Sed quid de operibus Dei loquimur? cum etiam humanæ industriæ fucos adulterina quadam sapientia fallentes oculos tantopere miramur?

Cap. XIII. *De sensibilibus rerum qualitatibus.*

Post speciem de qualitate rerum disserere debemus, ob hoc providentia Creatoris tam diversas qualitates rebus indidit, ut omnis sensus hominis sua oblectamenta inveniat. Aliud percipit visus, aliud auditus, aliud odoratus, aliud gustus, aliud tactus. Visum pascit pulchritudo colorum, suavitas cantilenæ demulcet auditum, fragrantia odoris olfactum, dulcedo saporis gustum, aptitudo corporis tactum. Et quis omnes delicias sensuum enumerare queat? Quæ tam multiplices sunt in singulis, ut si quis quemlibet sensum per se confideret quemlibet per se ditatum putet. Quot enim oblectamenta oculorum in diversitate colorum monstravimus, tot oblectamenta aurium in varietate sonorum invenimus. Inter quæ prima sunt dulcia sermonum commercia, quibus homines ad invicem suas voluntates communicant; præterita narrant, præsentia indicant, futura nuntiant, occulta revelant, adeo ut si his careat vita humana, bestiis comparabilis videatur. Quid autem concentus avium? quid humanæ vocis melos jucundum? quid dulces modos sonorum omnium commemorem? Quia tam multa sunt harmoniæ genera, ut ea nec cogitatus per currere, nec sermo facile explicare possit, quæ tamen cuncta auditui serviunt, et ad ejus delicias creata sunt, sic est de olfactu. Habent thimiamata odorem suum, habent unguenta odorem suum, habent rosaria odorem suum, habent rubeta prata, tesqua, nemora, flores odorem suum, et cuncta quæ suavem præstant fragrantiam et dulces spirant odores, olfactui serviunt, et in ejus delicias creata sunt. Eodem modo gustus et tactus varia habent oblectamenta, quæ ex similitudine priorum satis perpendi possunt.

Cap. XIV. *De utilitate rerum quadruplici.*

De immensitate creaturarum et de pulchritu- A dine earum quomodo potuimus non quomodo debuimus locuti sumus, nunc restat ut ad considerandam earumdem utilitatem transeamus. Utilitas rerum quatuor complectitur: necessaria, commoda, congrua et grata. Necessarium unicuique rei est, sine quo ipsa subsistere commode non potest, utpote in victu hominis panis et aqua, in vestitu lanea sive pellicea, aut quælibet ejusmodi indumenta. Commodum est quod, licet aliquando amplius delectet, sine ipso tamen vita duci potest, utpote in victu hominis, poculum vini et esus carnium; in vestitu byssus ét sericum, vel quodlibet aliud mollius indumentum. Aptum et congruum est quod, licet utentibus non prosit, ad utendum tamen convenit, quales sunt tincturæ colorum, B pretiosi lapides, et quæcunque ejusmodi censentur. Gratum est ejusmodi, quod ad usum quidem habile non est; et tamen ad spectandum delectabile, qualia sunt fortasse quædam herbarum genera et bestiarum, volucrum quoque et piscium, et quævis similia. Sed dignum valde inquisitione est, quare Deus hæc creare voluit, quæ usui hominis (propter quem omnia fecit) non necessaria fore prævidit? Sed hoc citius cognoscetur, si causa et modus humanæ conditionis attendatur. Deus hominem propter se fecit, cuncta alia propter homines condidit. Propter se fecit hominem, non quod ipse indigeret homine, sed ut homini quia melius dare nil potuit, seipsum fruendum daret; alia vero creatura sic facta est, ut et subjecta homini C esset per conditionem, et deserviret ad utilitatem. Homo ergo quasi in quodam medio collocatus, habet super se Deum, sub se mundum, et corpore quidem deorsum mundo conjungitur; spiritu autem sursum ad Deum sublevatur. Necesse autem fuit ut visibilium conditio ita ordinaretur, quatenus homo in eis foris agnosceret, quale esset invisibile bonum quod intus quærere deberet; hoc est, ut sub se videret, quid supra se appeteret. Non igitur decebat ut rerum visibilium copia in parte aliqua defectum sentiret, quæ ob id maxime instituta est, ut inestimabilem æternorum bonorum affluentiam nuntiaret. Hoc est quod diximus cur Deus illa etiam creare voluit, quæ humanis usibus necessaria non esse prævidit. Si enim D sola necessaria tribueret; bonus quidem esset, sed dives non esset. Cum vero necessariis etiam commoda adjungit, divitias bonitatis suæ ostendit, cum autem commoda congruis superadditis cumulantur, abundantia divinæ bonitatis ejus demonstratur. Sed dum postremo congruis etiam grata et jucunda adjicit; quid aliud quam superabundantes divitias bonitatis suæ notas facit?

Cap. XV. *De tribus similibus et quanta sit divini opificii supra humanum excellentia.*

Hæc de utilitate Scripturarum breviter dicta sufficiant; sed libet adhuc ad cumulum divinæ laudis paulisper attendere, quam mire tria hæc simul in opere suo conservaverit Deus. Quod quanta admiratione dignum sit; sic facilius fortasse cognoscemus; si prius hæc qualiter in opere humano simul esse non possint consideremus. Certe

homo cum multa facere desiderat; magna facere non potest, quia tanto minus prævalet in singulis quanto plura sunt per quæ intentionis suæ conatus dividit. Rursus cum ad magnitudinem innititur, a multitudine retardatur, quia multis præstare non sufficit vires quas ad unius effectum specialiter effundit. Simili modo minor diligentia decori operis impenditur, quoties ad multitudinem solam sive ad magnitudinem perficiendam animus occupatur. Videmus quod scriba eas figuras quæ exiles sunt, promptius format, in magnis figurandis propensius desudat, et calamus quanto velocius trahitur, tanto deformiores sunt litteræ quæ exprimuntur. Nam et in formandis vestibus, ii qui nimis pulchritudinem diligunt, sæpe utilitatem perdunt; et qui utilitatem conservare cupiunt, pulchritudinem habere non possunt. Sed in opere Dei nec multitudino magnitudinem minuit, nec magnitudino multitudinem stringit, neque simul vel multitudo vel magnitudo pulchritudini officit, neque pulchritudo utilitatem tollit, sed sic facta sunt omnia, quasi facta sint singula, ut cum universa aspexeris, singula mireris. Hæc de visibilibus dicta alicui fortassis quantum ad compendium tractandi pertinuit plurima videbuntur, sed attendere debet quod tam operosa materia non facile paucis verbis explicatur. Nam, cum dicat Apostolus, quod per ea quæ sunt in mundo, manifestantur ea quæ invisibilia sunt in Deo (*Rom.* I), necesse est ut quisquis per visibilia ad agnitionem invisibilium pervenire desiderat, prius ipsa visibilia agnoscat. Propter quod et ego cum hæc pro posse meo investigare proponerem, tribus invisibilibus in exordio enumeratis; et tribus itidem visibilibus contra hæc dispositis, ratus sum hunc esse competentissimum ordinem narrandi, ut prius ipsorum visibilium aliquam notitiam in medium afferrem; ac sic deinde quasi reserato contemplationis aditu, per investigationem invisibilium procederem. Postquam igitur iis quæ de visibilibus dicenda erant finem fecimus, nunc quomodo vel quo ordine per hæc ad invisibilia ascendatur, considerare debemus.

CAP. XVI. *Quod inter tria invisibilia Dei, sapientia sit prima investiganda.*

Tria diximus invisibilia, potentiam, sapientiam benignitatem. Quærendum est ergo quod horum cæteris prius contemplantibus in agnitione occurrat. Et credo quod illud invisibile prius in contemplatione comprehenditur, quod in suo visibili simulacro expressius et manifestius declaratur. Simulacra autem invisibilium ipsa visibilia dicuntur, utpote invisibilis potentiæ simulacrum est, creaturarum immensitas. Invisibilis sapientiæ simulacrum est, creaturarum immensitas. Invisibilis sapientiæ simulacrum est, creaturarum decor, benignitatis simulacrum est, creaturarum utilitas. Omnis autem creatura quanto vicinius similitudini Creatoris appropinquat, tanto evidentius Creatorem suum declarat. Illud ergo visibile simulacrum, invisibile exemplar prius ostendere

A debet, quod divinæ similitudinis imaginem perfectius in se expressam retinet. Immensitas autem creaturarum magis ad essentiam; decor vero creaturarum magis pertinet ad formam. Essentia vero absque forma considerata, informitas est. Quod autem informe est, in hoc quidem quod est, Deo simile est; sed in hoc quod forma caret, a Deo dissidet. Quod ergo formatum est, magis Deo simile est, quam id quod formam non habet. Unde constat quod plus evidens simulacrum est decor creaturarum, quæ ad solam spectat essentiam. Item decor creaturarum propter formam naturalem pertinet ad habitum, utilitas vero ad actum; quia in hoc creaturæ utiles sunt, quod subjectæ homini serviunt et obsequium reddunt.
B Quod ad habitum pertinet, magis proprium est; et magis certum quam id quod pertinet ad actum quia habitum natura indidit, actum vero institutio adjunxit. Simulacrum ergo decoris immensitatem pariter et utilitatem in cognitione præcedit, et propterea in cognitione prius est, quia in manifestatione est evidentius. In hoc igitur simulacro primum vestigium contemplationis ponere debemus, ut, dum primum inquisitionis ingressum recte tenuerimus, ipso quem quærimus duce pede inoffenso ad reliqua procedamus. Pulchre autem in inquirenda sapientia ab ipso sapientiæ simulacro inquisitionis exordium sumitur, quia per sapientiam suam Pater manifestatur, non solum quando sapientiam suam in carnem misit, sed tunc quoque quando per sapien-
C tiam suam mundum creavit. Decor creaturarum quem simulacrum sapientiæ Dei esse diximus, quatuor complectitur, situm, motum, speciem, qualitatem. Sed in his quatuor, motum excellentiorem locum habere dubium non est, quia viciniora vitæ sunt mobilia, quam ea quæ moveri non possunt. Motus autem quadripertitus est, localis, naturalis, animalis, rationalis. Sed motus naturalis localem motum superat, quia in naturali motu, non solum imago vitæ exprimitur, sed ipsa quodammodo vita inchoatur. Rursus animalis motus tantum naturali præcellit, quantum in sensibili id quod sentit. Postremo rationalis cunctis superponitur, quia in eo non solum sensus ad
D animandum, sed ratio quoque ad intelligendum movetur. Hoc simulacro nullum in creaturis esse potest evidentius, quia invisibilem sapientiam ostendit cunctis manifestius id quod sapit.

CAP. XVII. *Quomodo per rationalem creaturam ostenditur rerum Creator esse æternus.*

Primum ergo est ac principale sapientiæ sacramentum sapientia creata, id est rationalis creatura quæ, quia secundum aliquid visibilis est, secundum aliquid invisibili janua contemplationis facta est pariter et via. In quantum visibilis, est janua; in quantum invisibilis, est via. Janua est, quia ingrediendi ad contemplationem animo primum aditum pandit. Via est, quia currentem in contemplationem ad finem animam perducit. Janua est, quia quodammodo invisibilia visibiliter ostendit. Via est, quia de visibilibus per invi-

sibilia euntes usque ad visibilium pariter et invisibilium Creatorem videndum perducit. Hoc in semetipso potest agnoscere homo. Nemo enim est sane sapiens, qui se esse non videat. Et tamen homo si vere quod ipse est attendere cœperit, omnium quæ in se vel videntur, vel videri possunt, nihil se esse intelligit. Illud namque quod in nobis rationis capax est, quamvis, ut ita dicam, infusum et commistum carni sit; ipsum tamen se a substantia carnis propria ratione secernit, et alienum esse intelligit. Cur ergo homo invisibilia esse dubitet, qui idipsum quod vere homo est de cujus existentia nequaquam dubitat, invisibile esse videtur. Janua ergo contemplationis homini aperitur, quando ipse sua se ratione ducente ad se cognoscendum ingreditur. Ingresso autem via usque ad finem currenda restat, ut scilicet quisque ex consideratione propria ad agnitionem Creatoris sui perveniat. Illud namque in nobis quod carnis non habet essentiam, a carne non potest habere materiam; sed sicut diversum est a carne, ita alienum se sentit a carnis origine. Initium tamen se habere in hoc verissime agnoscit, quod cum se intelligat esse, semper se fuisse non meminit, cum tamen nesciens intellectus [*al.* intelligens] esse non possit. Si ergo intellectus esse non potest, nisi intelligens, restat ut quem non semper intellexisse cognoscimus, non semper fuisse, ac per hoc aliquando cœpisse credamus. Sed, sicut jam dictum est, quod spiritalem habet essentiam, non potest originem habere corpoream, quia quidquid ex materia præjacente traducitur, corporeum esse comprobatur. Si igitur invisibile nostrum initium habuerit, superest ut non de præjacenti materia, sed de nihilo factum sit. Quod autem nihil est, esse sibi dare non potest: et idcirco quidquid initium habuerit, dubium non est quin ab alio esse acceperit. Quod autem a semetipso non est, esse aliis dare non potest. Igitur quisquis ille est qui rebus esse contulit, ab alio esse non accepit. Quod inde quoque liquido comprobatur, quia, si quidquid est, creaturam esse credimus; nullum in rebus finem invenimus. Nostra ergo nos natura instruit quod Creatorem habemus æternum, cui suum et et proprium est quod subsistit; quia si ab alio esse accepisset, prima rerum origo veraciter dici non posset. Si enim aliquando non erat a seipso initium non habuit, sed nec primus dici potest, si ab alio esse accepit. Igitur, si Creator est, semper fuit. Item quod a semetipso est, non esse non potest. Quidquid enim a semetipso est, huic idem est esse, et id quod est et constat, quia nulla res a semetipsa dividi aut separari potest. Cui igitur idem est esse, et id quod est, necessario semper est; quia a semetipso separari nihil potest. Si igitur quidquid a semetipso est, huic idem est esse; et id quod est, qui aliunde esse non accepit, sequitur necessario ut semper sit, utque aliunde auferri non possit, quod aliunde datum non sit. Necesse est ergo ut quem Creatorem credimus, hunc nec principium, nec finem habere posse confiteamur. Principium enim non habet quod semper fuit; nec finem, quod nunquam desinit. Neque ergo æternus præter solum Creatorem est, neque Creator nisi æternus esse potest.

Cap. XVIII. *Ex motu rerum quadruplici Creatoris quoque æternitatem comprobari.*

Hanc cognitionem in rationali motu invenimus, quod scilicet Creatorem æternum habemus, qui principio caret, quia semper fuit; finem non patitur, quia semper erit. Huic autem cognitioni cæteri quoque motus attestantur: hoc est animalis, naturalis, localis. In animali namque motu sunt sensus et appetitus. Omnis autem naturalis appetitus in rebus explementum invenit, neque aliquis est ordinatus affectus, quem suus effectus consequi non possit. Verbi gratia: Esuriunt animantia, inveniunt quod comedant; sitiunt, inveniunt quod bibant; algent, inveniunt quo calefiant. Constat ergo quod providentia præcessit, cujus consilio hoc tunc cautum est, ne quod nunc indigentiis rerum necessarium præsidium desit. Qui enim appetitus instituit, ipse appetitibus alimenta præparavit. Neque ullo modo fieri posset, si rerum eventus fortuiti essent, ut sic per omnia cunctis affectibus sui effectus responderent. Idem motus naturalis probat. Sicut enim impossibile est, ut per se aliquid de nihilo fiat, sic omnino impossibile est ut per se aliquid augmentum accipiat: hoc est quod sibi ipsi dare non potest initium, sibi ipsi dare non potest incrementum. Quidquid enim crescenti in augmentum venerit, præter id esse comprobatur, quod per se prius solum sine incremento fuit. Si ergo nil crescere potest nisi addatur ei quod prius non habuerit, Pater quod nulla res crescens per se incrementum sumit. Qui ergo crescentibus dat crementum, ipse non existentibus dedit initium. Idem motus localis probat. Quosdam namque creaturas perpetuo motu agitari cernimus, quasdam vero secundum tempus moveri videmus; et alias sic atque alias sic. Et licet ita dissimiliter res moveantur, nusquam tamen ordo rerum confunditur. Unde non est dubium quin intus sit dispositio præsidentis, qui certa lege cuncta moderatur. Qua ratione ergo negamus providentiam si omnis rationalis appetitus naturaliter sibi præparatam invenit alimoniam; neque unquam omnino hoc fieri contingat, ut quod in uno natura appetit, in altero natura non habeat? Similiter cum motus et incrementum ita varie et dissimiliter foris currentia, nunquam tamen confundant ordinem; quomodo negare possumus intus esse dispositionem? Dubitari igitur non potest quin invisibilis intus rector præsideat, qui rerum omnium eventus et providentia sua prævenit, et sapientia disponit.

Cap. XIX. *Quod rerum Creator unus est immutabilis.*

Unus inquam. Nam et hoc quoque natura ipsa docet: unum scilicet esse rerum omnium opificem; unum esse rectorem. Nam si diversa intus consilia præsidentium essent, ipsi se foris rerum cursus ab invicem aliquando dividerent. Nunc autem omnia

dum sic concorditer ad unum finem currunt, profecto indicant quod unus est fons et origo unde procedunt. Sed quia unum diversis modis accipitur, considerandum est quomodo Creator rerum unus esse dicatur. Nam est unum collectione, et unum compositione, et unum similitudine, et unum essentia, et unum identitate. Unum collectione est quemadmodum cum gregem dicimus unum in quo multa sunt animalia. Unum compositione, quemadmodum cum corpus unum dicimus, in quo multa sunt membra. Unum similitudine, quemadmodum cum vocem unam dicimus quæ a multis est prolata. Sed horum omnium nihil vere unum est. Secundum aliquem tamen respectum unum dicta sunt, quia quodammodo ad unitatem accedunt. Fas ergo non est ut existimemus Creatorem rerum, aut collectione diversorum, aut compositione partium, aut similitudine plurium unum esse, cum illud etiam quod in nobis rationale est, horum omnium in semetipso nihil possit invenire. Illud enim nostrum quod partium multitudine compositum cernitur, non rationale sed rationali conjunctum esse ipsa nostra ratione comprobatur. Si ergo nostrum rationale vere unum est, quanto magis Creator ejus vere unus esse credendus est? Vere autem unum est, quod essentialiter unum est, cui totum est unum esse, et simplex esse quod est. Quidquid igitur vere unum est simplex est, et in partes omnino aliquas separari non potest, et ideo sectionem partium non admittit, quia partium compositionem non recipit. Creatori igitur rerum ideo unum est esse quod est, quia totum unum et simplex est esse quod est. Sed adhuc considerare nos oportet quod quædam res inveniuntur, quæ vere unum sunt, et tamen summe unum non sunt, sicut animæ quæ unum sunt essentialiter, sed unum non sunt invariabiliter. Quod autem vere et summe unum est, essentialiter et invariabiliter unum est. Restat ergo ut si Deum vere unum esse credimus, utrumne etiam summe unus dici possit, inquiramus. Quod tunc veraciter ostendimus, si eum omnino invariabilem esse comprobamus. Sed quia scire non possumus quomodo Deus invariabilis sit, nisi prius agnoscamus quot modis res quælibet variari possit, primùm nos oportet omnes mutabilitatis modos describere; ac deinde per singulas qualiter a Deo removeantur ostendere.

Tribus modis fit omnis mutabilitas, loco, forma, et tempore. Localiter mutatur res quælibet quando de loco ad locum transit, hoc est esse desinit ubi fuit, et ubi non fuit esse incipit. Et est extrinseca hæc mutatio, nihilque variat de ipsius rei essentia, quia si esse desinit ubi fuit, non tamen quod fuit esse desinit, etsi esse incipit ubi non fuit, non tamen quod non fuit esse incipit. Formaliter mutatur res quælibet, quando vel secundum suam essentiam in eodem persistens loco, vel secundum augmentum aliquid accipit quod prius non habuit, vel secundum detrimentum aliquid quod prius habuit amittit, vel secundum alterationem aliquid quod prius habuit aliter habere incipit, quam prius habuit. Mutatio secundum tempus, ex duobus præcedentibus nascitur, quia nihil temporaliter mutari potest, quod vel formaliter non mutetur, vel localiter. Unde evidenter colligitur quod immutabile omnino est quidquid neque forma neque loco mutari potest. Si igitur Deum neque forma neque loco mutari posse constiterit, immutabilem omnino esse dubium non erit. Localem autem mutationem facile ab eo removemus, si eum ubique esse ostendimus. Quod enim ubique est, in omni loco est. Quod autem in omni loco est, de loco ad locum transire non potest. Deum autem ubique esse multa sunt indicia. Primum ipsa anima nostra, quam et ratio simplicem essentiam esse non dubitat, et sensus per omne quod vivificat corpus, diffusum esse probat. Quæcumque enim animalis corporis pars læditur, unus est ad quem sensus omnis doloris retorquetur, quod omnino non fieret, si unus et idem ubique non diffusus esset. Si ergo rationalis spiritus hominis cum sit simplex, per omne quod regit corpus diffunditur, dignum non est ut ille Creator qui omnia regit et possidet, uno aliquo in loco coarctari, et non omnia potius implere credatur. Nam et ipsi rerum motus, qui tam certo et tam rationabili ubique moderamine currunt, vitam intrinsecus moventem esse ostendunt. Nec tamen ullo modo credendum est quod sicut sensus hominis cum corpore quod sensificat personaliter conjungitur, ita quoque Creator ille spiritus cum corpore hujus sensibilis mundi personaliter conjungatur, quia aliter implent mundum Deus, et aliter anima corpus. Anima implet corpus et eo continet, quia circumscriptibilis est; Deus implet mundum, sed mundo non concluditur quia ubique præsens nusquam comprehendi potest. Præterea cum divinæ virtutis effectus nusquam deesse cernimus, cur eamdem Dei virtutem omnibus inesse rebus dubitemus? Si autem Dei virtus ubique est, cum alia non sit Dei virtus quam Deus, constat quod nusquam Deus deest. Neque enim ut homo ad operandum aliena virtute Deus indiget, quia homo sæpe alieno adminiculo perficit, quod facere propria virtute non valet. Unde secundum quamdam loquenti consuetudinem, illic homo aliquando operari dicitur, ubi per semetipsum absens esse non dubitatur, quemadmodum cum rex in civitate sua residens procul cum hostibus confligere, vincere, vel superari perhibetur; quia milites ejus, volente ipso et jubente, confligunt, vincunt, vel vi superantur. Tale est cum quis in rem eminus positam, vel virgam extendit, vel lapidem jacit, et tangere dicitur quidquid vel lapis, vel virga tetigerit. Multa quidem sunt talia, sed horum omnium nihil proprie dicitur, quia alteri tribuitur quod alter operatur. Deus autem qui per semetipsum cuncta propria virtute facit, ubicunque præsens est opere, præsens etiam necesse est ut sit deitate. Quod si quis forte quærat, quomodo divina essentia quæ simplex est ubique esse possit sciat quod aliter spiritus simplex dicitur, aliter corpus. Corpus enim propter parvitatem simplex dici

tur. Cum autem spiritus simplex dicitur, non parvitas sed unitas significatur. Creator igitur et simplex, quia unus est, et ubique est, quia Deus est. In omni loco existens nusquam comprehenditur; quia universa replens continet non continetur. Quia igitur in omni loco est, mutari localiter non potest; et quia a nullo comprehenditur, localis non est.

CAP. XX. *Mutationem secundum quantitatem aut qualitatem Deo competere non posse.*

Sed neque illa quæ secundum formam est mutabilitas in ipsum cadere potest. Quidquid enim secundum formam mutatur, vel secundum augmentum, vel secundum diminutionem, vel secundum alterationem mutatur: sed horum omnium divina natura nihil recipit, quod facile videre est per singula. Non autem augetur. Quidquid enim per incrementum crescit, amplius aliquid semetipso accipit. Quidquid autem præter id quod in semetipso habet, aliquid accipit, aliunde accipiat necesse est, quia nulla res sibi ipsi quod non habet dare potest. Creator autem rerum a quo aliquid quod non habet accipiat, cum omne quod exsistit ab ipso procedat? Non potest igitur crescere qui semetipso amplius nil potest recipere, neque minui potest. Quidquid enim semetipso minus fieri potest, vere unum non est, quia id quod in separatione se dividit, in conjunctione idem non fuit. Deus igitur qui totum unum est esse quod est, nullo modo semetipso minor fieri potest. Neque igitur perfectio augeri, neque unitas minui, neque immensitas comprehendi, neque qui præsens utrumque est localiter potest variari. Nunc de sola alteratione restat, ut ostendamus qualiter divinæ naturæ non conveniat. Et quia alio est alteratio corporum, alia spirituum, cum ex supradictis constet Deum non corpus, sed spiritum esse; cum de Deo loquimur, non necesse est de alteratione corporum multa disserere. Breviter tamen eam attingimus, ut competentius ad alterationem spirituum perveniamus. Alteratio corporum fit in transpositione partium, et vicissitudine qualitatum. Alteratio spirituum per cognitionem et affectum. Secundum affectum mutantur spiritus, ut nunc tristes, nunc hilares. Secundum cognitionem, ut nunc minus, nunc amplius sapientes. Duo vero sunt præcipua quæ affectum operantis mutare solent, id est, sive quia aliquid pœnitendum fecerit in præterito, sive aliquid inordinatum proponat de futuro. Sed quod Deus de facto non pœniteat satis evidenter ostendit immutabilis iste cursus rerum omnium, qui sic lege perpetua primæ institutionis modum non deserit. Quod vero nil inordinatum proponat rationabilis probat eventus, qui in tanto corpore naturæ nusquam ubi contradicit. Semper ergo immutabilis est voluntas Dei qui nec consilium mutat de præterito, nec propositum de futuro. Sic quoque cognitione immutabilis esse credendus est. Tribus enim modis mutabilitati subjacet humana cognitio, per augmentum, per diminutionem, per vicissitudinem. Per augmentum, ut quando dicimus quod nescimus. Per diminutionem, quando quod scimus obliviscimur.

A Vicissitudo autem quadripertita est, in essentia, in forma, in loco, in tempore. In essentia vicissitudinem patitur humana cognitio, quando nunc hoc, nunc illud cogitamus; quia simul omnia nostro sensu comprehendere non possumus. In forma, quando idipsum nunc tale, nunc vero tale attendimus; quia utrumque simul non valemus. In loco, quando nunc huc, nunc illuc cogitationem ducimus, quia simul ubique esse cogitatione non valemus. In tempore, quando nunc præterita, nunc præsentia, nunc futura consideramus. Tunc etiam tempore cognitio variatur, quando nunc habitam cognitionem intermittimus, nunc intermissam iterum resumimus; quia eam sine intermissione tenere non possumus. Sed has omnes mutabilitates B divina cognitio non recipit. Non augetur, quia plena est. Neque enim nescire potest omnia qui creat, qui gubernat, qui penetrat, qui portat omnia. Et qui omnibus præsens est deitate, absens esse non potest visione. Minui non potest qui aliunde non est quidquid est, sed idem ipsum quidquid est, ab ipso est, ab uno et unum totum quod est.

Quid de vicissitudine dicam? Quomodo vicissitudinem recipere possit sapientia, quæ omnia simul et semel sub uno visionis radio comprehendit? Simul, quia omnem essentiam, omnem formam, omnia loca, omnia tempora. Semel, quia visionem nec intermissam recipit, nec habitam intermittit; sed quod semel est semper est, et quod semper est, totum est. Omnia videt, et de omnibus omnia videt, C et semper videt, et ubique videt. Nihil enim novum, nihil alienum advenit, nihil suum. Quando futurum est prævidet, quando præsens est videt, quando præteritum est retinet. Nec aliud quam quod in ipso est prævidet, videt et retinet; sed quod advenit in tempore, fuit in visione, et quod præterit in tempore, permanet in visione. Quemadmodum si totum corpus tuum esset oculus, nec aliud tibi esset esse et aliud videre, quocunque se res verteret, præsens tibi non esse non posset, et sub uno visionis ictu immobilis permanens comprehenderes quidquid quoquoversum in conspectu haberes; imo non nisi ante te cerneres quidquid circumquaque contra te positum haberes. Res transiret et staret visio, et quocunque sua se mobilitate ver- D teret, stanti non nisi præsens esset. Nunc autem quia ex parte vides, mutabiliter non vides, et cum res videnti transit, aut videri desinit, aut secum mutabiliter visionem trahit. Quod si totus oculus esses, sic mutabiliter non videres. Quidquid igitur ex parte est, mutabile est; et quidquid ex parte non est, mutabile non est. Deus autem cui idem est esse, vivere et intelligere, cum per essentiam ex parte non sit, nec per sapientiam ex parte esse poterit; sed sicut immutabilis est essentia, ita quoque immutabilis est sapientia. Hoc jam de cognitione divina dictum sufficiat. Sed sciendum est quod hæc cognitio et visio dicitur, et sapientia dicitur, et præscientia dicitur, et providentia dicitur. Visio est quia aspicit, sapientia est quia intelligit, præscientia quia prævenit, pro-

videntia quia disponit. De quibus multæ difficiles A et perplexæ quæstiones oriuntur, quas huic compendio interpolare timemus. Igitur ad ea quæ restant transeamus.

CAP. XXI. *Ex anima rationali divinam ostendi posse Trinitatem.*

Ex quo pridem de visibilibus ad invisibilia oculo contemplationis ingressi sumus, ad hoc usque via investigationis penetravimus, ut jam Creatorem rerum omnium sine principio, sine fine, sine mutabilitate esse non dubitemus, et hoc quidem non extra nos, sed in nobismetipsis invenimus. Consideremus ergo si adhuc amplius aliquid eadem ipsa natura nostra de Creatore nostro nos doceat, quia fortassis non solum unum, sed et trinum ostendat. Certe mens rationalis una est, et generat B de se intellectum una unum. Quem nonnunquam dum conspicit quam subtilis, quam verus, quam conveniens, quam jucundus sit, mox diligit eum, et complacet sibi in ipso. Videt pariter et stupet, et se tale aliquid invenire potuisse miratur. Vehementer libet semper illud aspicere, semper habere, semper illo perfrui, semper in illo delectari. Ipsum per se placet, ipsum propter se placet, nec aliquid est quod extra illud quæritur, quia in illo totum amatur. In illo contemplatio veritatis ad videndum delectabilis, ad habendum suavis, ad fruendum dulcis. Cum illo secum mens requiescit, nec unquam secreti sui tædio afficitur, qua unico quidem, non tamen solitario consorte lætatur. Considera ergo tria hæc, mentem, C intellectum, amorem. De mente intellectus nascitur, de mente pariter et intellectu amor oritur. De sola mente intellectus, quia mens de se intellectum gignit. Amor vero nec de sola mente, quia nec de solo intellectu, quia ab utrisque procedit. Prius mens, deinde mens et intellectus, postea mens et intellectus et amor. Et hoc quidem in nobis sic est. Verum in Creatore esse longe aliter suadet ratio. Quia enim ipsum fuisse semper credimus, semper quoque sapientiam habuisse oportet confiteamur. Nam, si aliquando sine sapientia fuisse dicitur, quis eum postmodum sapientem fecerit, aut a quo sapientiam acceperit nullo modo invenitur, cum et hoc absurdissimum sit, et ab omni ratione alienum credere, eum qui D est fons et origo sapientiæ, aliquando sine sapientia exstitisse. Semper ergo in illo sapientia, semper ab illo sapientia, semper cum ipso sapientia fuit. Semper cum illo sapientia, quia semper sapientiam habuit; semper sapiens fuit. Semper ab illo sapientia, quia sapientiam quam habet, ipse genuit. Semper cum illo sapientia, quia genita se a gignente non dividit. Semper genita est, et semper gignitur nec cum gignitur inchoans, nec cum genita est cessans; semper gignitur, quia æterna; semper genita est, quia perfecta. Et ergo qui genuit, et est qui genitus est. Qui genuit, Pater est; qui genitus est, Filius est. Et quia qui genuit, semper genuit, æternus Pater est. Et quia qui genitus est, semper genitus est, æterno Patri Filius coæternus est. Item qui semper sapientiam habuit, semper sapientiam dilexit. Qui vero semper dilexit, semper amorem habuit. Itaque æterno Patri et Filio coæternus amor est. Et tamen Pater a nullo est, Filius a Patre solo est, amor vero a Patre simul et Filio est. Sed quia superius Creatorem omnium summe et vere unum esse asseruimus, hæc tria in Deo unum esse substantialiter oportet confiteamur. Quia item ille qui genitus est, non potest esse ille a quo genitus est, neque item ille qui a gignente et genito procedit, ille esse potest, qui est gignens vel genitus; inexpugnabili ratione veritatis cogimur in deitate personarum trinitatem et substantiæ unitatem cognoscere. Tribus erga in deitate una communis est, et æqualis æternitas, et æterna æqualitas, quia non potest esse singulis dissimile, quod omnibus facit deitas una commune. Tres ergo unum sunt, quia in tribus personis est una substantia, sed tres unus non sunt, quia sicut distinctio personarum unitatem deitatis non dividit, ita et unitas deitatis distinctionem personarum non confundit.

CAP. XXII. *Quod in divinis Pater suam sapientiam propter eam ipsam diligit.*

Sed libet adhuc paulo attentius considerare quomodo dictum sit quod Pater diligit sapientiam suam. Homines enim sæpe solent diligere scientiam suam propter opus, non opus propter scientiam. Sicut est scientia colendi; scientia texendi, scientia pingendi, et cæteræ hujusmodi, ubi prorsus peritia judicatur inutilis, nisi consequatu in opere fructus utilitatis. Quod si de sapientia Dei dicitur, jam nimirum opus factori suo antefertur. Propterea dicendum est sapientiam sem per pretiosiorem esse opere suo, et semper pro pter se amandam esse sapientiam. Quod si quand forte sapientiæ opus suum antefertur, non ho est ex judicio veritatis, sed ex errore hominis. Sapientia enim vita, et amor sapientiæ est felicita vitæ. Quapropter, cum dicitur quod Pater sapientiæ complaceat sibi in illa, absit ab intellect nostro ut credamus quod Deus sapientiam suan propter opera quæ per illam facit diligat, qui potius omnia opera sua non nisi propter illa amet! Propterea enim dixit: *Hic est Filius meu dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III); no in terra aut in cœlo; non in sole aut in luna stellis; non etiam in angelis, et quæ excellentis sima sunt in creaturis; quia et ista si suo modo pla cita sunt, tamen nisi in ipso et per ipsum pla cere non possunt. Tanto enim amplius amore su digna sunt, quanto vicinius ad ejus similitud nem accedunt. Non ergo propter opera sapie tiam, sed propter sapientiam opera sua dilig Deus. In illa enim omne pulchrum et verum; ipsa tota est desiderium. Lux invisibilis et vita in mortalis, cujus aspectus est tam desiderabilis, oculos Dei delectare possit; simplex et perfec non redundans et plena, sola, non tamen solit ria, una et continens omnia.

CAP. XXIII. *In summa Trinitate mutuam esse dilectionem.*

Sed quia tres personas in deitate una credimus, superest ut quod de qualibet harum dicitur, utrum ne etiam de aliis dici possit inquiratur. Dictum est autem quod Pater amat Filium. Restat ergo ut consideremus, an pari modo dici possit, quod amor Patris et Filii amet Filium, quod Filius amet seipsum. Item quod Pater amet se, quod Filius amet Patrem, quod amor Patris et Filii amet Patrem. Item quod amor Patris et Filii amet se, quod Pater amet amorem suum et Filii, quod Filius amet amorem suum et Patris. Postremo utrum quod unus et idem amor est quo quisque amat seipsum, vel ad invicem quisque alium. Sed hæc facilius inveniemus, si ea quæ jam dicta sunt ad memoriam revocemus.

In supradictis enim rationibus asserimus, quod Deus prima causa et origo bonorum omnium. Eo autem qui fons est et principium omnium excellentius bonum nullum esse potest. Summum igitur bonum Deus est. Beatitudo autem nusquam rectius quam in summo bono collocatur. Deus igitur solus et proprie et principaliter beatus est. Beatus autem quomodo esse potest, cui idipsum non placet quod est? Quisquis igitur beatus est, et seipsum diligit, et id quod ipse est diligit. Si igitur Pater et Filius, et amor Patris et Filii unum sunt, et Deus unus sunt; cum in solo Deo vera beatitudo sit, necesse est ut et quisque amet seipsum, et ad invicem quisque alterum. Neque beatitudo veraciter dici posset, imo potius summa infelicitas foret; si per contrariam voluntatem se dividerent, et per eamdem naturam ab invicem separari non possent. Sicut igitur natura unum sunt Pater et Filius, et amor Patris et Filii, ita quoque voluntate et amore unum non esse non possunt. Uno amore se diligunt, quia unum sunt; nec aliud est quod quisque amat in altero, quam quod quisque amat in seipso; quia non aliunde est quod quisque est, quam quod alter est. Quod Pater diligit in Filio, hoc idem Filius diligit in seipso; et quod amor Patris et Filii diligit in Filio, hoc idem Filius diligit in seipso. Item quod Filius diligit in Patre, hoc Pater diligit in se; et quod amor Patris et Filii diligit in Patre, hoc Pater diligit in se. Item quod Pater et Filius diligunt in amore suo, hoc amor Patris et Filii diligit in seipso. Item quod Pater diligit in seipso, hoc diligit in Filio, et in amore suo. Et quod Filius diligit in seipso, hoc diligit in Patre et in amore suo. Et quod amor Patris et Filii diligit in se, hoc diligit in Filio et in Patre.

CAP. XXIV. *Summi Patris ad homines ut Filium suum audiant exhortatio, et per eam antedictorum probatio.*

Audi utrum vox Patris huic quod loquimur concordet. *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III). Non dixit separatim, ego mihi complacui; neque dixit separatim, A ille mihi placuit; neque vero simul dixit, ego mihi complacui, et ille mihi complacui, sed dixit: Ego mihi complacui in ipso, hoc est quod mihi de me placet in ipso est; extra ipsum non est, quia quod ego sum ipse est. Quia enim aliud quam ipse non sum, extra ipsum mihi placere non possum. Hic est ergo Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quidquid mihi placet, in ipso et per ipsum placet. Ipse est enim sapientia per quam feci omnia, in ipso æternaliter disposui, quidquid temporaliter feci. Et tanto amplius unum quoque opus meum diligo, quanto perfectius illud primæ dispositioni concordare video. Nolite putare quod ipse tantum sit mediator in reconciliatione hominum, quia per ipsum etiam commendabi- B lis et placita fit aspectui meo conditio omnium creaturarum. In ipso examino cuncta opera mea quæ facio, et non amare nequeo quod intueor simile illi quem amo. Solus ille me offendit, qui ab ejus similitudine recedit. Si ergo vultis mihi placere, ei similes estote, ipsum audite. Et si forte ab ejus similitudine male agendo discessistis, ipsum imitando ad ipsum redite. In ipso datur præceptum, in ipso datur consilium. Præceptum ut persistatis, consilium ut redeatis. Utinam tenuissetis præceptum, sed quia transgressi estis præceptum, saltem audite consilium, ipsum audite! Magni consilii Angelus nobis mittitur, et qui conditis datus fuit ad gloriam, idem perditis veniat ad medelam. Ipsum audite. Ipse conditor, C ipse est et redemptor; ipse Deus mecum vos condidit, qui vobiscum homo, solus ad vos venit. Ipsum audite. Ipse est forma, ipse medicina, ipse exemplum, ipse et remedium. Ipsum audite. Felicius fuisset semper tenuisse ejus similitudinem, sed jam minus gloriosum non erit, ad ejus redire imitationem. Ipsum audite. O homo, quid causaris ignorantiam tuam? Ecce ipsa natura tua te arguit, ipsa te convincit. Nosti qualis sis, unde venias, quem factorem habeas, quo mediatore egeas, et tu adhuc impudenter te defendendo contra Deum clamas. Nosti quod malus es, et quod a bono opifice malus factus non es, et cessas, et non clamas ad eum, qui te fecit ut veniat et reficiat, qui creavit ut redimat. Noli dubitare de D potentia ejus, vide opera illius quanta sint. Noli dubitare de sapientia, vide opera ejus quam pulchra sint. Noli dubitare de benevolentia, vide opera ejus quomodo ad utilitatem tibi serviant. Monstrat ergo tibi suo opere quantum possit in tui redemptione. Monstrat item tibi quam formidandum exspectare possis judicem, si nolueris habere redemptorem. Nemo resistere ei potest, quia omnipotens est; nemo eum declinare potest, quia sapientissimus est; nemo eum corrumpere potest, quia optimus est; nemo eum declinare potest, quia ubique est; nemo eum tolerare potest, quia æternus est; nemo eum flectere potest, quia incommutabilis est. Si ergo nolumus talem sentire judicem, ipsum quæramus redemptorem.

Cap. XXV. *Quod ordo conditionis et cognitionis rerum e diverso se habeant.*

Quando pridem de visibilibus ad investiganda invisibilia progredi cœpimus, primo a corporea creatura ad incorpoream, hoc est rationalem creaturam transivimus; ac deinde a rationali creatura usque ad sapientiam Dei pervenimus: nunc vero redeuntes primo a sapientia Dei ad rationalem creaturam; deinde a rationali creatura ad creaturam corpoream habita consideratione procedemus. Ille ordo est cognitionis, iste conditionis, quia primum corporea creatura, quæ visibilis est in cognitione occurrit; deinde a corporea creatura ad incorpoream cognitio transit; postremo via investigationis aperta, usque ad conditorem utriusque pervenit. In conditione vero primo gradu ad imaginem Dei rationalis creatura facta est; deinde creatura corporea, ut creatura rationalis in ea foris agnosceret quid a Creatore intus accepisset. In sapientia Dei est veritas, in rationali creatura imago veritatis, in corporea creatura umbra imaginis. Rationalis creatura facta est ad Dei sapientiam. Corporea creatura facta est ad rationalem creaturam. Propter quod omnis motus et conversio corporeæ creaturæ est ad rationalem creaturam, et omnis motus et conversio rationalis creaturæ esse debet ad Dei sapientiam, ut dum quodque suo semper superiori adhæret per conversionem, nec primæ conditionis ordinem, nec primi exemplaris in se perturbet similitudinem. Quisquis ergo via investigationis de visibilibus ad invisibilia transit, primum a corporea creatura ad rationalem creaturam, deinde a rationali creatura ad considerationem sui Creatoris mentis intuitum ducere debet. Revertens autem de invisibilibus ad visibilia primum a Creatore ad rationalem creaturam, deinde a rationali creatura ad corpoream creaturam descendit. Ordo autem cognitionis in mente humana semper præcedit ordinem conditionis; quia nos qui foris sumus redire ab intimis non possumus, nisi prius oculo mentis intima penetremus. Sequitur autem semper ordo conditionis ordinem cognitionis; quia, etsi aliquando humana infirmitas ad interna contemplanda vel tenuiter admissa fuerit, diu tamen ibidem stare hanc suæ mutabilitatis fluxus non permittit.

Cap. XXVI. *De tribus diebus invisibilis lucis.*

Postquam igitur nos quantum Deus largiri dignatus est de visibilibus ad invisibilium cognitionem pervenimus, nunc jam mens nostra ad semetipsam redeat et quid sibi ex hac cognitione utilitatis provenire possit attendat. Quid enim nobis prodest, si in Deo cognoscimus majestatis celsitudinem, et nullam nobis inde colligimus utilitatem? Sed ecce, dum de illo intimo divinæ contemplationis secreto revertimur, quid nobiscum afferre poterimus? quid nisi lucem de regione lucis venientes? Hoc enim decens et necessarium est, ut si a lucis regione venimus, ad fugandas nostras tenebras nobiscum lucem apportemus. Et quis scire poterit quod ibi fuimus, si illuminati non redimus? Appareat ergo quod ibi fuimus, appareat quod ibi vidimus. Si ibi vidimus potentiam, apportemus lucem divini timoris. Si ibi vidimus sapientiam, apportemus lucem veritatis. Si ibi vidimus benignitatem, apportemus lucem dilectionis. Potentia torpentes ad amorem excitet: sapientia ignorantiæ tenebris cæcatos illuminet: benignitas frigidos calore charitatis inflammet. Videte, quæso, quid lux sit, nisi dies; et quid tenebræ nisi nox. Et sicut oculus corporis habet diem suam et noctem suam, ita quoque oculus cordis habet diem suam et noctem suam. Tres ergo dies sunt invisibilis lucis, quibus interius spiritualis vitæ cursus distinguitur. Primus dies
B est timor, secundus est veritas, tertius est charitas. Primus diem solem suum habet, potentiam; secundus dies solem suum habet, sapientiam; tertius dies solem suum habet, benignitatem. Potentia ad Patrem, sapientia ad Filium, benignitas pertinet ad Spiritum sanctum. Alii sunt dies nostri quos habemus exterius, alii quos interius habemus. Dies nostri exteriores, etiam cum nolumus, transeunt; dies vero interiores, si volumus, permanere in æternum possunt. Nam de timore Domini dicitur quod in sæculum sæculi permanet (*Psal.* XVIII). De veritate quoque dubium non est quin permaneat in æternum: quia, etsi in hac vita incipiat, tunc tamen plena et perfecta in nobis erit, cum ipse qui est veritas post hujus vitæ terminum
C manifestus apparebit. De charitate item dictum est: quia *charitas nunquam excedit* (*I Cor.* XIII). Boni dies isti qui nunquam transeunt. Nam illi dies mali sunt, qui non solum non permanent semper, sed nec ad modicum stare possunt. De his diebus per Prophetam dicitur: *Homo sicut fenum, dies ejus sicut umbra declinaverunt* (*Psal.* CII). Isti sunt dies quos meruit culpa; illi dies quos dedit gratia. De illis diebus dixit Propheta: *In diebus meis invocabo* (*Psal.* CXIV), qui alibi dixit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII). Sed illos dies suos vocat, quia alios dies non amat. Sicut Jeremias dicit: *Domine, diem hominis non desideravi, tu scis* (*Jer.* XVII). Isti sunt dies quibus plenus fuit Job, de quo scriptum est, quia *mortuus est senex et plenus dierum* (*Job* XLII). Nam de aliis diebus
D plenus esse non poterat, qui transacti jam non erant. Illos dies qui foris sunt, solos mali noverunt; boni vero qui jam internos dies videre meruerunt, eos qui foris sunt non solum non diligunt, sed etiam maledicunt. *Pereat*, inquit beatus Job, *dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, et non requirat eum Deus desuper, et non illustret lumine* (*Job* III). Illos ergo dies qui intus sunt potius debemus amare, ubi lucem non sequuntur tenebræ, ubi æterni Solis splendore illuminantur oculi interiores cordis mundi. De his diebus Psalmista cecinit: *Annuntiate de die in diem salutare ejus* (*Psal.* CX). Quid est salutare ejus, nisi Jesus ejus? Sic enim interpretatur Jesus, hoc est

salutaris. Quid ideo salutaris dicitur, quia per A eum homo ad salutem reformatur. De ipso autem Joannes loquens: *Lex*, inquit, *per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I). Item Paulus apostolus vocat Christum Jesum *Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* I). Si igitur Dei sapientia Jesus Christus est; et per Christum Jesum veritas facta est, constat quod per sapientiam Dei veritas facta est. Dies ergo sapientiæ est veritas. De hoc die suo ipsa sapientiæ loquitur Judæis, dicens: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est* (*Joan.* VIII). Veritas enim Dei redemptio est generis humani. Hanc enim prius promiserat. Quam nimirum, dum postmodum exhibuit, quid aliud quam seipsum veracem ostendit? Recte autem per B sapientiam hæc veritas impleta est, a quo omnis veritas est. Nec alius ad implendam veritatem mittendus fuit, nisi is in quo omnis veritatis plenitudo consistat. Bene ergo Abraham ad diem veritatis exultat, quia impleri veritatem desiderat. Quam profecto diem tunc per spiritum vidit, quando Dei Filium ad redemptionem humani generis in carnem venturum agnovit; dicatur ergo: Annuntiate de die in diem salutare ejus. Diem secundum de die primo in diem tertium; diem veritatis de die timoris, in diem charitatis. Primum unus dies erat dies timoris, venit dies alter, dies veritatis. Accessit non successit, quia prior non discessit. Ecce duos dies; iterum est in diem tertium, in diem charitatis, sed et ille cum venit, priores non C expulit. Beati dies isti. Istis diebus homines impleri possunt, ubi futuris supervenientibus præsentes non transeunt. Ubi numerus cum augetur, claritas multiplicatur.

CAP. XXVII. *Quod dicti dies mystici prius in genere humano completi sint, et in nobis compleri debeant, et quomodo.*

Primum homines sub peccato constituti, per legem separati sunt, et cœperunt Deum timere judicem; quia cognoverunt iniquitatem. Ipsum ergo timere hoc jam erat agnoscere; quia profecto nequaquam timere possunt, si nullo modo agnoscerent. Jam aliquid lucis erat ipsa agnitio; jam dies erat, sed necdum clarus; quia peccati adhuc tenebris caligabat. Venit ergo dies veritatis, dies salutis, qui D peccatum destrueret, claritatem prioris diei illuminaret, et timorem non tolleret, sed in melius commutaret. Sed necdum plena erat claritas donec adjungeretur veritati charitas. Nam ipsa Veritas dicit: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XIV). Omnis ergo veritas ut et mala tolleret, et bona reformaret. Ecce tres dies sunt: dies timoris, qui manifestat malum; dies veritatis, qui aufert malum; dies charitatis, qui restituit bonum. Dies veritatis clarificat diem timoris; dies charitatis clarificat et diem timoris et diem veritatis; donec perfecta fuerit charitas, et perfecte manifestetur omnis veritas, et timor pœnæ transeat in timorem reverentiæ. *Annuntiate* ergo *de die in diem salutare ejus* (*Psal.* XCV). De his diebus locutus est Osee propheta, dicens: *Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos* (*Osee.* VI). Nam qualiter Dominus noster Jesus Christus tertia die surgens, a mortuis in se nos vivificaverit et suscitaverit, audivimus, et gavisi sumus. Sed dignum valde est, ut recompensemus ei beneficium suum; et quemadmodum nos in ipso tertia die resurgente resurreximus, ita et nos pro ipso et per ipsum tertia die resurgentes, eum resurgere in nobis faciamus. Nec credendum est quin a nobis sibi ipse velit retribui, quod prior ipse nobis voluit impertiri. Sicut ergo ipse ut nostram in se et per se salutem operaretur, tres dies habere voluit, ita et nobis ut nostram in nobis per ipsum salutem operemur, tres dies dedit. Sed quia illud quod in ipso gestum est non tantum remedium, sed etiam exemplum fuit et sacramentum, oportuit ut visibiliter foris fieret; quatenus illud quod in nobis invisibiliter fieri debuit significaret. Dies ergo ejus extrinsecus fuerunt, nostri dies intrinsecus quærendi sunt. Tres ergo dies habemus intrinsecus, quibus illuminatur anima nostra. Ad primum diem mors pertinet, ad secundum sepultura, ad tertium resurrectio. Primus dies est timor, secundus est veritas, tertius est charitas. Dies timoris est dies potentiæ, dies Patris; dies veritatis est dies sapientiæ, dies Filii; dies charitatis est dies benignitatis, dies Spiritus sancti. Dies quidam Patris, et dies Filii, et dies Spiritus sancti, in claritate divinitatis unus dies; sed in nostræ mentis illuminatione quasi alium diem Pater, alium Filius, atque alium habet Spiritus sanctus; non quod ullatenus credendum sit Trinitatem, quæ inseparabilis est natura in operatione posse separari; sed ut discretio personarum in distinctione operum valeat intelligi. Quando ergo omnipotentia Dei considerata in admirationem cor nostrum excitat, dies Patris est. Quando vero sapientia Dei inspecta agnitione veritatis cor nostrum illuminat, dies Filii est. Quando autem benignitas Dei attenta ad amorem cor nostrum inflammat, dies Spiritus sancti est. Potentia terret, sapientia illuminat, benignitas lætificat. In die potentiæ per timorem morimur. In die sapientiæ per contemplationem veritatis a strepitu hujus mundi sepelimur. In die benignitatis per amorem et desiderium æternorum bonorum resurgimus. Ideo enim Christus sexta die mortuus est, septimo die in sepulcro jacuit, octavo die resurrexit, ut simili modo primum potentia in die suo per timorem nos a carnalibus desideriis fortis occidat, deinde sapientia in die suo intus in abscondito contemplationis sepeliat; postremo benignitas in die suo per desiderium divini amoris vivificatos exurgere faciat; quia sextus dies ad laborem, septimus ad requiem, octavus pertinet ad resurrectionem.

—

LIBELLUS
DE POTESTATE ET VOLUNTATE DEI
UTRA MAJOR SIT.

—

Quæritur de potestate Dei, an major sit voluntate ejus. Si enim plus potest Deus quam vult, videretur potestas ejus major quam voluntas. Si autem potestas ejus major est quam voluntas ejus, videretur in eo esse inæquale aliquid, et non totus sibi convenire Deus. Quomodo ergo unum est totum quod est, si majus et minus ibi est? Si vero idem illi est et posse et velle, eadem est potestas ejus et voluntas ejus. Si autem idem illi est et posse et velle, quidquid vult potest, et quidquid potest vult. Vult autem omne quod facit, quia contra voluntatem nihil facit, qui voluntarie facit quidquid facit. Rursum omne quod vult facit, quia ad omnia posse adest, cum velle non deest. Si ergo amplius non potest Deus facere quam vult, neque amplius facere vult quam facit, constat procul dubio quod amplius facere non potest quam facit. Amplius: Si potest Deus plus facere quam vult, potest contra voluntatem suam facere, et facere quod in voluntate non habet, et est potestas ejus contraria voluntati ejus. Unde consequens esse videtur, quod omne quod potest et vult, facit; sicut omne quod facit, potest et vult. Sic omne quod potest vult, sicut omne quod vult potest. Sed si hoc recepitur quod Deus aliud vel aliter nihil facere possit quam facit, necessitate operatur omnia, et alligatur atque constringitur lege operum suorum ut dominetur et conditio operis sui; sed hoc nefas es confiteris. Quomodo ergo, inquiunt, idem est Deo velle et posse, si major est potestas ejus quam voluntas? Videte qui dicunt. Major, inquiunt, secundum vos, potestas Dei est quam voluntas ejus. Quare? Quia dicitis Deum plus posse quam velle. Intendite. Si idcirco major dici debet potestas Dei quam voluntas ejus, quia multa facere potest quæ facere non vult; ergo et voluntas major esse dicatur quam potestas, quia multa quæ facere potest non facit, quia facere non vult. Si enim potestas major dicitur, quia voluntatem transcendit; et voluntas major dicatur, quia potestatem constringit. Sed, sicut potestas non coarctatur in eo quod sine voluntate nihil operatur; ita et voluntas non superatur in eo quod non ad omnia quæ in potestate sunt dilatatur. Tria sunt, affectus, effectus et respectus. Voluntas ergo et potestas in Deo et affectu et effectu unum sunt, sed respectu ad unum non sunt. Quomodo hæc duo in Deo affectu unum sunt? Quia in ipso nec voluntas sine potestate est, nec potestas A sine voluntate. Potestas sine voluntate esset, si aliquando haberet potentiam, quam habere nollet. Rursus voluntas sine potestate esset, si aliquando non ex virtute, sed ex infirmitate aliquid vellet. Quia ergo et potestas in ipso semper voluntaria est, et voluntas potestativa (quoniam quod potest, omne posse vult; et quod vult, omne ex potestate vult); idcirco in ipso nec potestas sine voluntate est, nec voluntas sine potestate est. Similiter in effectu nec voluntas a potestate, nec potestas a voluntate ullatenus separari potest. Quidquid enim Deus voluntate facit, facit et potestate; et rursum quidquid facit potestate, facit et voluntate. Quia omnia quæ facit et voluntate et potestate facit. Ergo in omni opere suo Deus et voluntatem et B potestatem exercet; nec se dividunt in opere, quæ dividi non possunt in operante. Sic igitur potestas Dei et voluntas et affectu in ipso et affectu per ipsum indivisa perseverant, respectu extra ipsum dissimiliter se demonstrant. Quia enim Deus veraciter non omne quod potest velle dicitur, quia multa facere potest quæ facere non vult, nihil autem facere vult quod facere non potest; ideo ad quædam respicit potestas ejus ad quæ non respicit voluntas ejus. Ad omnia autem ad quæ respicit voluntas ejus, respicit potestas ejus. Sic igitur potestas divina respectu aliquando ad alia se habet quam voluntas, sed in se aliud non habet quam voluntas, quia contra voluntatem nihil habet.

C Sed dicunt: Si Deus aliquid facere potest quod non vult, aliquid facere potest contra voluntatem suam. Si autem contra voluntatem suam aliquid facere potest, non est omnipotens qui cogi potest et duci ad id quod non vult. Sed videte quomodo cohæreat, quod dicunt, quod si Deus aliquid facere potest quod facere non vult, ergo contra voluntatem suam aliquid facere potest. Contra voluntatem suam quippe faceret si faceret quod facere nollet. Non autem idcirco quia aliquid facere potest quod facere non vult, contra voluntatem suam facere potest, quia si id faceret quod facere potest, et non vult, jam illud facere vellet quod faceret; sicut modo, quia facere non vult non facit quod tamen facere posset, si vellet. Sic præscientia et prædestinatio in D Deo, si secundum respectum considerantur, dissimiliter se habent, cum tamen in Deo unum sint. Præscientia enim et ad mala et ad bona se habet. Præ-

destinatio ad bona tantum. Omnia quippe futura præscivit, electos autem tantum prædestinavit. Similiter et prædestinatio, quando pro dispositione accipitur, in respectu tamen præscientiæ parificari non potest, quia præscientia Dei et ad ea quæ facturus est pertinet, et ad ea quæ permissurus. Præ- A destinatio autem ad ea quæ facturus est tantum. Ambrosius enim dicit : « Prædestinavit Deus impiorum gehennam, sed non prædestinavit, impiorum culpam. » Quod enim facturus fuit prædinavit, quod autem facturus non fuit, sed permissurus, non prædestinativit, sed præscivit.

DE QUATUOR VOLUNTATIBUS IN CHRISTO LIBELLUS

Quæris de voluntate Dei, et de voluntate hominis similiter. Christus Deus fuit, et ideo voluntas divina in illo fuit. Et quia etiam homo fuit, similiter voluntas humana in illo fuit. Non dico humanam quam culpa et vitium hominis facit, sed quam natura hominis requirit. Ergo in Christo divina voluntas fuit in quantum Christus Deus fuit ; et similiter humana voluntas in ipso fuit in quantum ipse homo fuit. Humana autem voluntas tripliciter consideratur; secundum rationem, secundum pietatem, secundum carnem. Ergo in Christo voluntas fuit divinitatis et voluntas rationis, et voluntas pietatis et voluntas carnis. Voluntas divinitatis per justitiam sententiam dictabat ; voluntas rationis per obedientiam, veritatem approbat ; voluntas pietatis per compassionem in malo alieno suspirabat ; voluntas carnis per passionem in malo proprio murmurabat. Vide an non omnia hæc in Christo. Ille leprosus qui sanitatem precabatur et majestatem confitebatur, potentiam voluntatis divinæ confessus est, dicens : *Domine, si vis, potes me mundare* (*Luc.* v). Et Dominus ut ejusdem voluntatis divinæ et sententiam et potentiam ostenderet propter sententiam ait : *Volo*, propter potentiam subjunxit *mundare* (*ibid.*). Hoc est exemplum voluntatis divinæ in Christo. Propter voluntatem rationis, quæ voluntati divinæ per obedientiam subjiciebatur, dixit : *Spiritus quidem promptus est* (*Matth.* XXVI). Propter voluntatem carnis, quæ pœnam horrendo per infirmitatem passioni renitebatur dixit : *Caro autem infirma* (*ibid*). Spiritus promptus erat per voluntatem rationis dispositionem divinæ voluntatis in passione carnis suæ sequendo. Caro autem infirma, per naturalem providentiam qua malum suum odire acceperat, passioni renitendo. Secundum voluntatem itaque deitatis in dispositione præcedentem, et secundum volumtatem rationis divinam dispositionem approbantem et subsequentem Christus pati voluit. Secundum autem voluntatem carnis, secundum quam naturaliter in quantum homo fuit, eamdem carnem suam quia odio non habuit, pati noluit. Neque in hoc tamen divinæ voluntati contrarius fuit ; quia et hoc ipsum quod noluit eum nolle divinæ voluntatis fuit.

B Erat adhuc alia voluntas in Christo, voluntas pietatis sive humanitatis. Nam ipsa pietas humanitas vocatur, et dicuntur humani qui pii sunt, et facile alienis miseris compatiuntur. Proprium est enim humanitatis compati et moveri pietate in miseria aliena. Bestia pati potest, compati autem humanitatis est proprium. Idcirco voluntas pietatis, voluntas humanitatis vocatur, quia hominis est pietate moveri. Et hæc similiter secundum naturam humanitatis in Christo invenitur. Cum appropinquaret Jerusalem *videns civitatem flevit super eam (Luc.* XIX). Quare flebat si non dolebat? Ergo noluit quod doluit. Quid doluit? perditionem. Si doluit de perditione illorum, noluit perditionem illorum. Quomodo noluit? Secundum C voluntatem utique divinam quod justum futurum erat, voluit. Secundum voluntatem rationis, justitiæ consensit, et justitiam approbavit. Porro secundum voluntatem pietatis sine odio justitiæ condoluit miseriæ, quemadmodum secundum voluntatem carnis justitiam non accusabat, sed pœnam recusabat. Unaquæque voluntas quod suum erat operabatur, et quod ad se pertinebat sequebatur. Voluntas divina justitiam, voluntas rationalis obedientiam, voluntas humanitatis misericordiam, voluntas carnis naturam. Neque alia alii contraria erat, sed unaquæque quod suum erat appetiit, ut quamvis ad aliud esset, alii tamen contraria non esset. Hoc est ut licet ad aliud velle haberet, ad aliam tamen nolle non haberet. Sicut enim divinitati natura erat justitiam D non deserere, sic carni justum erat naturam servare : et pietati alienam miseriam non amare. Sic itaque in Christo voluntas fuit divinitatis, justitiam dictans ; voluntas rationis, justititiam approbans ; voluntas humanitatis, per quam nulli malum voluit ; voluntas carnis, per quam sibi pœnam noluit. Justum itaque carni erat, quod passionem suam noluit, quia hoc erat secundum naturam, et justum Deo erat, quod passionem illius voluit ; quia hoc erat secundum justitiam. Neque enim idcirco caro noluit, quia Deus voluit, sicut et Deus idcirco non voluit, quia caro noluit. Similiter et pietas quod secundum affectum compassionis in pœna vel perditione miserorum misericorditer noluit, nequaquam contra Deum id juste volentem no-

luit; sed quod suum erat amavit misericordiam, A et tamen quod suum non erat non improbavit justitiam. Sane sciendum quod id quod caro mortalis timore passionis uritur, et pietas amore compassionis passibiliter movetur, præsenti tantum vitæ debitum est, in qua et malis compassio debetur, quandiu corrigi possunt; et bonis passio non tollitur quandiu meliores esse possunt. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, et corruptibile hoc incorruptionem* (*I Cor.* XV); tunc utique sicut carnem nec passio neque timor passionis ullius affliget; sic mens nulla ex compassione alieni doloris pœnam suscipiet. Illic quippe et caro habebit contra passionem securitatem, et anima habebit in pietate puritatem. Securitas carnis erit ex impassibilitate, puritas mentis ex ve- B ritate. Intellige quæ dico. Pati et compati utrumque pœna est. Pati datum est homini pro iniquitate; compati autem præceptum est pro bonitate. Justum est enim et æquum coram Deo, ut qui patitur compatiatur, ut per passionem deleatur iniquitas, per compassionem exerceatur bonitas. Hoc siquidem ad bonitatem pertinet vitæ mortalis, ut se in aliis conditioni suæ accommodet, et alienæ passionis per compassionem particeps efficiatur, ut sicut id quod patitur necessitatis est, ita id quod compatitur opus sit bonitatis. Ubi autem pati non erit, compati non erit. Non tamen quia crudelitas erit in pœna aliena, sed quia cruciatus non inerit ex aliena miseria. Hic compati virtutis est; illic non compati, felicitatis. Hic compateris C voluntate, moveris pietate, condoles bonitate. Hic non compateris felicitate, non moveris æternitate, non condoles impassibilitate. Sic itaque compati esse non potest, nisi illic tantum ubi pati esse potest, quoniam et ipsum compati, pati est. Sane qui illic pati non exuunt compati non deponunt; quia sicut pro sua iniquitate corruptibiliter patiuntur, ita pro aliena infelicitate secundum vitæ mortalis affectum carnaliter compatiuntur. Hinc est quod dives ille in tormentis positus pro fratribus sollicitatur, ut ei ad miseriæ cumulum accederet, quod cum in sua pœna etiam aliena miseria cruciaret. Abraham autem etiam cruciatum vidit, et tamen sive compassionis dolore in certitudine felicitatis persistens (*Luc.* D XVI), eum per justitiam repulit dicens: *Fili, recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala* (*ibid.*). Hinc est etiam quod Psalmista prævidens quemadmodum in illo æternitatis gaudio corda justorum divinæ justitiæ per veritatis amorem immutabiliter inhærentia, non aliud appetere vel approbare potuerunt, nisi hoc solum quod secundum illam esse cognoscunt ait: *Introibo in potentiam Domini; Domine memorabor justitiæ tuæ* (*Psal.* LXX). In hac autem vita ubi ejusdem divinæ justitiæ sententiam perfecte nec scire nec præscrire possumus, quædam etiam quæ secundum ipsam justa non sunt sine injustitia velle possumus; quia hoc solum ad nos pertinet ut ubi nescimus quid potius Deo placeat, hoc potissimum eligamus quod pietati concordat. Ubi autem divinæ justitiæ sententia immutabiliter præfixa ostenditur, contra eam deinceps pietati locus non debetur. Quia si quid nos illic ex compassione tetigerit, vel ex vitio et affectui dominante, vel ex infirmitate corruptibilis naturæ passioni resistere non valente. Triplex enim compassionis modus est. Est quippe compassio, alia ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compassio ex vitio est quando affectus illic reprehensibili dolore tangitur, ubi illicito prius amore tenebatur. Compassio ex natura est quando ex insito sibi pietatis affectu animus alienis ærumnis condolet, quoties contra pietatis vel humanitatis mensuram naturam opprimi sive affligi videt. Compassio ex virtute est quando propter Deum alienis doloribus compatimur, cum scilicet vel justitiam premi vel innocentiam affligi videmus. Compassio ex vitio, culpabilis est? compassio ex natura, irreprehensibilis; compassio ex virtute laudabilis, prima reprehenditur, tertia laudatur. Secunda autem nec culpam habet, quia ex natura est; nec præmium, quia ex virtute non est. In hac ergo vita quandiu caro mortalis lædi potest passione, tandiu etiam animus mutabilis tangi potest compassione. Ubi autem utrumque veraciter impassibile erit, tunc profecto neque passio carni, neque compassio menti ulla inesse poterit. Nunc ergo mutabilitate sua bene utrumque utitur, si et caro in passione patientiam non deserit, et animus in compassione justitiæ mensuram non transcendit. Si igitur tempus compassionis quæris, quandiu pati possumus compati debemus. Si locum quæris, illic compassionis miseria exhibenda est, ubi adhuc passionis misericordia desperanda non est.

David, ægrotante filio, lacrymas fudit; mortuo faciem lavit (*II Reg.* XII), ut ostenderet quod tandiu compassionis miseria portanda est quandiu passionis misericordia desperanda non est. Est tamen quidam compassionis affectus qui naturam etiam perditam miseratione prosequitur, secundum quem in nostri generis similitudine sicut culpæ non corrigendæ irascimur ita naturæ non exstinguendæ miseremur. Nunc autem vita mortalis et mutabilitati subdita, interim pro parte miseriæ sustinet; sed postea ad incorruptionem translata deponet. Nunc infirma in utroque et passione videlicet in carne, et compassione in mente, tunc in utroque sanabitur, ut per immortalitatem carnis contra passionem, et per immutabilitatem mentis contra compassionem confirmetur. Sicut enim ægritudo carnis est pati, ita ægritudo mentis est compati. Propterea Deus homo, qui utrumque tollere venit utrumque toleravit. Suscepit passionem in carne; suscepit compassionem in mente. In utroque ægrotare voluit propter nos, ut in utroque nos ægrotantes sanaret. Infirmatus est passione in pœna sua; infirmatus est compassione in miseria aliena. Eousque passionem sustinuit, ut pro morituris moreretur, eousque compassionem suscepit, ut pro perituris lacrymaretur. Propter miseriam carnem suam tradidit ad passio-

nem, propter misericordiam animam suam turbavit ad compassionem. In carne sua doluit pro nobis patiendo, in mente sua condoluit nobis compatiendo, et quemadmodum carnis infirmitas in ipso secundum affectum naturæ noluit pœnam suam, sic mentis pietas secundum affectum misericordiæ noluit miseriam alienam. Sicut enim calicem passionis secundum carnis voluntatem a se transferri postulabat, quem non transferendum præsciebat, sic sententiam condemnationis secundum pietatem aliis mitigari orabat, quam immutabiliter prævidebat. Pietas enim quod suum erat operabatur miserando, et ratio quod suum erat sequebatur divinæ dispositioni obediendo. Propterea nihil contrarietatis erat. Si Christus homo secundum affectum pietatis quam in humanitate sua assumpserat, aliquid volebat quod tamen secundum voluntatem divinam in qua cum Patre omnia disponebat futurum non esse præsciebat; quia et hoc ad veram humanitatem pertinebat, ut pietate moveretur, et hoc ad veram divinitatem pertinebat, ut a sua dispositione non moveretur. Itaque secundum utrumque fecit quod debuit. Neque ideo sibi contrarius fuit si secundum pietatem humanitati congruam voluit, quod secundum justitiam divinitati debitam noluit : quia et hoc velle, et illud nolle utrumque voluit. Scriptum est : *Jesus* autem *infremuit spiritu et turbavit semetipsum* (*Joan* XI). Hic intendite : *Turbavit semetipsum* (*ibid.*). Quomodo turbavit ? Quæ fuit ista turbatio qua semetipsum turbavit Jesus ? Pietas ipsa, miseratio ipsa fuit turbatio. Bona turbatio, bene turbabatur qui pietate movebatur ? Turbavit seipsum. Miseratio turbavit eum, et ipse semetipsum turbavit, qui miserationem sponte A suscepit. Sicut tradidit semetipsum, quando Judas tradidit eum : sic turbavit semetipsum quando miseratio turbavit eum. Notum est hoc et frequenti usu probatum. Dicitur homini quando aliquid patitur : Tu teipsum turbasti ; tu tibi fecisti malum hoc. Sic Jesus semetipsum turbavit, quando miseratio turbavit eum quam sponte susceperat ; et semetipsum tradidit, quando ille tradidit cui ad tradendum potestatem concesserat. Sic itaque Jesus in humanitate assumpta quandiu eam passibilem portare voluit secundum proprietatem humanitatis et passionem in carne et compassionem in mente portavit. In qua tamen modo ad immutabilitatem translata nec pati potest ad corruptionem, nec compati B ad turbationem. Quoniam Christum secundum hominem novimus et patientem et compatientem novimus (*II Cor.* V). *Defecerunt,* inquit, *sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt* (*Psal.* CI). Dies defecerunt propter passionem ; ossa aruerunt propter compassionem, propter passionem mortua est caro, propter compassionem arefecta est anima. Dolor compassionis quasi frixura quædam animæ fuit, qua urebatur miseratione, premebatur compassione, siccabatur desperatione ; desperatione dico non propter se, sed propter illos, qui nec in malo corrigendi, neque a malo erant liberandi. In his omnibus Christum secundum carnem novimus quando veram humanitatem et in vera humanitate C veram portavit mortalitatem (*II Cor.* V). Nunc autem eam secundum carnem non novimus, postquam *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod autem vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI).

DE SAPIENTIA ANIMÆ CHRISTI.

AN ÆQUALIS CUM DIVINA ERIT.

PRÆFATIO.

Prudenti ac religioso verbi divini inter cæteros et præ cæteris scrutatori G. Hugo peccator. Aliquoties accidisse comperi, ut rerum difficilium tractatione aut insipientia relatoris auditorem corrumperet, aut temeritas auditoris relatorem infamaret. Quapropter æque cavendum mihi videtur, ut potissimum illic ubi sine periculo aliud sentiri non potest, nec facile nostra præsumamus asserere, nec aliena temere judicare, Novi enim « quanta, » ut dicit beatus Augustinus, « somnia cor humanum pariat ; » atque eo judicio quo in sui cognitione fallitur, cætera quoque quæ præter ipsum sunt, non recte conspicetur. Quid enim hoc esse putatis, quod de rerum veritate tam diversa sentire solent homines ? D unquid nomina est veritas ? Ecce (ut interim de Deo taceamus) quid est quod dialectica tot diversas et tam adversas, ne dicam perversas habet sententias ? Nunquid omnes noverunt unum id quod est, sed amore fallendi diversa finxerunt ? Non sic ego puto. Sed narrant quique somnia sua, et ea qua primum ipsi in se opinione decepti sunt postmodum alios nescientes seducunt. Et sicut beatus Job amicis suis arrogantibus et de se plusquam oportebat præsumentibus dicit (*Job.* XII), jam non solum secundum morituram, sed exortam quoque a se sapientiam putant. Dignum ergo est ut idipsum in nostra nos assertione reddat timidos, quod in unius assertione veritatis tot jam videmus esse diversos. Quia enim de longe veritas videtur, diversa judicia parit, et tantum de ipsa quisque potest, quantum

ipse est. In nobis quippe quod de rerum cognitione A percipimus, et eo modo, cordis intellectus de iis quæ extra sunt ad veritatem indicant, quo se interius animus in repræsentatione figurat. Unde necesse est, ut dum mens interius corrupta prave afficitur, intellectus quoque in judicio eorum quæ foris sunt, decipiatur. Hæc ipsa est causa quæ etiam aliquando in unitate sensuum controversiam verborum generare solet, quæ tamen tunc magis venialis fit, cum pertinax non fuerit. Hanc igitur nos qui verbi Dei tractatores et inquisitores veritatis esse videmur, si inter nos torte (ut assolet) aliquando invenerimus citius in idipsum redeamus, ne, si cœperimus nostra dicta pertinaciter defendere, aliud putemur sapuisse. Illud quod de anima Christi charitas vestra a me quærere dignata est, B jam pridem inter quosdam sapientes ventilatum fuisse didici, atque ex illis quid senserint quibus magis credendum esse existimamus, tum aliis de ipsis, tum ipsis de se referentibus agnovi. Ego autem cum sæpius hac quæstione pulsari soleam, talem me esse profiteor qui nollem hinc aliquid ab omnibus vel tam curiose ac superstitiose inquiri, vel tam fidenter asseri. Unde nunc quoque gemina in hac re consideratione coarctor, cum videam me et prudentiæ tuæ debere silentium, et bonitati responsum. Inter hæc ipsa etiam rei difficultas occurrit, quæ fortassis non poterit a me ut decet compendiose discuti, cum ego si modum in dicendo transiero timeam superstitiosus videri. Volo tamen et multo magis volo aliqua in parte C inscitiæ argui, quam charitatis contemptor videri, et verba incompta habere, quam cor perversum.

SEQUITUR *Decisio quæstionis de anima Christi, utrum æqualem cum divinitate scientiam habuerit.*

Quæris de anima Christi, id est de illo rationali spiritu, qui humanam in Christo homine carnem vegetavit, quem Verbum cum carne et in carne ipsa sibi in unitatem pesonæ univit, ut esset Christus unus in una persona, duabus naturis, tribus essentiis : una videlicet persona ; quia idem homo, propter quem suscepit, et Deus ; propter quod fuit duabus naturis, divina scilicet atque humana, in Deo et homine uno, non unis ; tribus essentiis, divinitate, carne, et anima : D sine separatione discretis, sine confusione sociatis. De illa inquam anima, qua mediante *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I); quæritis utrum æqualem cum divinitate scientiam habuerit. Adjicitis etiam, quod si illa anima quæ, quamvis creatrici naturæ ineffabiliter unita fuerat, indubitanter tamen creatura erat, æqualem cum divinitate scientiam habuerit, tunc nimirum creatura Creatori æqualis fuit : non posse autem Creatori facturam suam in æqualitate comparabilem fieri etsi potuerit in consortium unitatis assumi. Longe aliud esse uniri dignatione et comparari majestate. Multa sunt alia quæ in hunc modum fortasse absurda ostendere potuisti. Sed ego sic una tecum falsa refellere cupio, sicut vera profiteri. Quomodo enim Deus immensus esset, si ad ejus æqualitatem aliqua quamlibet excellens, quamlibet singularis creatura pertingeret ? *Magnus*, inquit Psalmista, *Dominus est, et magna virtus ejus ; et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* CXLVI). Et Salomon : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum (Prov.* XXI). Ubi quantum non est, tantum dici quod potest ? Portio quæritur ubi numerus non invenitur. Sapientiæ ejus non est numerus. Quid igitur dico ? Anima Christi aut creatura non fuit, aut Creatori æquari non potuit. Imo vero quia creatura est, Creatori non dico æquanda, sed plus audeo dicere, etiam comparanda non est. Ergo dicitis, minorem habuit sapientiam quam verbum ? Sed quæso quid dicimus, cum animam sapientem dicimus ? Nunquid non sapientia sapientem dicimus ? Quis enim sapiens est, si sapientia sapiens non est ? Et tamen aliter sapiens est in quo sapientia est, aliter sapiens est qui sapientia est. Creatura sapiens est, quia in ipsa sapientia est. Creator vero sapiens est, quia ipse sapientia est. Nullus tamen sine sapientia sapiens esse potest, sive ea quam habet, sive ea quæ ipse est. Anima igitur Christi si sapiens est, imo quia est, aut illa procul dubio sapientia sapiens est, quam habet, aut illa quæ ipsa est ? Creatura autem, etsi participatione sapientiæ sapiens est, ipsa tamen sapientia esse non potest. Quæ igitur est illa sapientia, qua anima Christi sapiens est ? Quid dicit Joannes de Verbo ? *Erat*, inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Quid est Verbum nisi sapientia ? Idem enim qui verbum Dei a Joanne dicitur, ipse sapientia Dei a Paulo nominatur. *Christum* enim, inquit Paulus apostolus, *Dei virtutem et Dei sapientiam (I Cor.* I). Christus igitur ipse et Verbum, et ipse est sapientia. Verbum sapientia, et sapientia Verbum. Verbum sapientia, quia, *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV). Sapientia verbum quia, *Ego sapientia ex ore Altissimi prodii. primogenita ante omnem creaturam* (*Eccli.*, XXIV). Sapientia igitur verbum cordis et verbum sapientiæ oris, quia dum verbum ex corde et sapientia ex ore prodire dicitur, idem esse sapientia et verbum demonstratur. Itaque si verbum illuminat, sapientia illuminat ; quia nec illuminare verbum poterat, si sapientia non erat. Quid enim facit verbum sine sapientia ? Verbum sonat, sapientia illuminat. Nam et ipsa sapientia lux est, et Deus lux est, quia Deus sapientia est ; et cum Deus illuminat, sapientia illuminat, et luce illuminat : nec alia luce illuminat, seb ea luce quæ ipsa est ; quia lux est, et verbum lux est, et sapientia lux est ; quia verbum sapientia est, et sapientia Deus est. Erat, inquit, lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc modum. Quid igitur ? Malos illuminat lux ista, et malos Deus illuminat ? Quomodo ergo cæci sunt ? Audi quid sequitur : *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I). Quid est, lux in tenebris lucet ? Et quid tenebræ faciunt si lux ibi est ? Et

tenebræ eam non comprehendunt. Tamen ipsa lux lucet et illuminat, sed non omnes eam vident qui vident per eam. Lux lucet, et per se sciamus quod per se lucet, et ex se illuminat. Lucet : lucet per se, et illuminat ex se. Nam ut erat, inquit, lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joannes lux erat; quia *vos estis lux mundi* (*Matth.* v), sed vera lux non erat; quia *lucerna* erat *ardens et lucens* (*Joan.* v); nec per semetipsam lucens, et ex semetipsa illuminans, ut lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quos dixit? Bonos non dixit, nec spiritales : sed omnem hominem venientem in hunc mundum. Unus est enim sol, et omnis oculus per eum irradiatur, sed non omnes qui per eum vident agnoscunt eum. Similiter lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cunctis superfunditur, in omnes clarescit, universos illustrat; sed alius per eam videt, alius eam videt. Mali illuminantur ut cætera videant; ipsum per quem vident, non videant, quia lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Boni vero illuminantur, ut eum videant a quo, et per quem vident, ut ad eum referant, et in eo ament omne quod vident, et eum ament super omne quod vident. Omnes ergo per eum illuminantur qui vident, sed excellentius qui eum vident. Per eum illuminantur qui vident, et ex eo illuminantur, quia ipse est lux a quo illuminatur. Unde autem lux illuminaret, si ex semetipsa non illuminaret? Unde illuminaret, si id quod ipsa est participandum non præberet? Sed forte timendum est, ne polluatur ab immundo, ne obscuretur a tenebroso; et indignum sit ut profanis sanctum coinquinatis impollutum, errantibus verum communicabile dicatur. Superfluo ista cogitantur, quia lux quæ in tenebris lucet, sicut non obscuratur a tenebroso, sic non corrumpitur a contaminato, in tenebris clara, et inter sordes incoinquinata perseverans. Nam, cum omnia in ipsa et in omnibus ipsa sit, ei tamen universæ creaturæ nec turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Lucet ergo et illuminat, nec per aliud, nec ex alio; sed hoc quod ipsa est, et quo ipsa lucet omnibus illuminandis communicandum præbet, et totum ipsa possidet. Audite iterum : *Dominus*, inquit Scriptura, *dat sapientiam* (*Dan.* II). Quam sapientiam forte aliquod accidens dat quo nos afficimur, ut sapientes efficiamur.

Quid enim est sapientia? Nonne accidens? Dat ergo Dominus sapientiam. Quam sapientiam? *Omnis sapientia a Domino Deo est* (*Eccli.* I). Bene quia omnia accidentia a Domino Deo sunt a quo sunt omnia quæ sunt. An forte quoddam accidens a Deo non est, quia peccatum ab ipso non est? Omnis tamen sapientia a Deo est. Quomodo ab ipso est? Forte quia donum ejus ab ipso est; quia factura ejus est, ab ipso est; et omnis substantia ab ipso est? Quid magnum? quid novum? quid mirum dictum est? Omnis sapientia a
A Domino Deo est; si accidens quoddam ab ipso est a quo omnis substantia est? Quomodo ergo omnis sapientia a Domino Deo est? Aut quia opus ejus, aut quia donum ejus? Si sapientia creatura est, stultitia quid est? Creavit Deus sapientiam, et non creavit stultitiam? Ergo quædam accidentia Deus creavit, alia esse habent, et ab ipso non habent. Quis hoc aut dicere præsumat, aut dictum approbet, quod aliquid esse habet et a Deo non habet? Quid dicimus? Deus ergo accidentia non creavit; et alter quidam est Creator sapientiæ, Deus dator? Erga dare sapientiam Deus potuit, creare non potuit? Ergo aliunde accepit quod dedit, et dedit quod suum non fuit, et accipere potuit quod non habuerit. Quis hoc dicat? Quis sani
B capitis hoc vel in cogitationem suam admittat? Qualiter ergo omnis sapientia a Domino Deo est? Sive quia donum ejus est, sive quia factura ejus? Nam si factura est, non semper est, quia quod aliquando cœpit, non semper esse habuit. Quid ergo ait? Omnis, inquit, sapientia a Domino Deo est: *et cum illo fuit semper, et est ante ævum* (*ibid.*). Mirum est : ergo accidentia semper cum Deo fuerunt; et si accidentia semper cum Deo fuerunt, substantiæ non fuerunt. An omnis sapientia a Deo est, et non omnis sapientia cum Deo est? Absit. Sed omnis sapientia ab illo est, et omnis sapientia in illo est, et omnis sapientia cum illo est, et semper est. Et quid facimus de sapientia quæ accidens est? Nunquid non ipsa semper cum Deo est?
C Quomodo ergo Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum? Quid ergo de illa facimus? Excludamus ab adyto sapientiæ insipientiæ figmenta et phantasias, has nescio quales et somnia vana, quæ nobis vere accidentia sunt, quia nobiscum creata non fuerunt. Agnoscamus veram sapientiam, qua sapimus, quicunque sapimus, quidquid sapimus, etiam si eam non sapimus. Ad lucem lucentem in tenebris attendamus, ne tenebræ simus : quia lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Et tenebræ, inquit, eam non comprehenderunt; imo potius non deprehenderunt. Quomodo enim incomprehensibilem comprehendere potuissent? Et tenebræ eam non comprehenderunt.

D Lux ergo quid fecit? Lux lucem comprehendit. Et quæ est ista lux? Utique si lux lucem comprehendit, lucem comprehenderunt, qui a luce lux facti sunt. Lucem comprehenderunt, qui a luce illuminati sunt. Lucem comprehenderunt, qui eam lucem super se in se susceperunt. Comprehenderunt similitudine, non comprehenderunt æqualitate. Hoc est ergo unum et verum lumen omnium spirituum rationalium, præcipue sanctorum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod sine diminutione sui ab omnibus participatur; et cum idem sit in omnibus, non tamen ab omnibus eodem modo percipitur. Ipsum enim quidquid est, totum est, et ubique totum est; nec minus aut majus in eo est, et tamen secundum participationis differentiam minus et

magis de illo percipiunt omnes, qui secundum conditionem suam aut donum gratiæ largitoris minus ac magis hujus ejusdem communicationis ac participationis capaces sunt. Participatio igitur alias major, alias minor est. Participatus autem non alias major aut minor; sed idem ipse totus ac plenus, et perfectus ubique est. Cum igitur animas sapientes dicimus, et sapientia sapientes dicimus, istam sapientiam cogitemus, et ipsam solam esse credamus qua sapiunt, quæcunque rationales mentes vim intelligendi atque discernendi perceperunt. *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum; et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Cognitio itaque Dei vita æterna est, et quid est cognitio Dei? nunquid accidens? Ergo amor Dei accidens est, et beatitudo accidens est, et in accidentibus est beatitudo nostra. Quare non magis Deus sit beatitudo nostra? Ipse est sapientia qua cognoscimus, ipse amor quo diligimus, ipse gaudium quo exsultamus. Ergo una sapientia est qua omnes sapiunt, nec tamen uno modo sapiunt, quia participando sapiunt. Quod si omnes hac sapientia sapiunt quicunque sapiunt, multo magis hac sapientia sapit illa anima, quæ ipsi sapientiæ unita fuit. Quæ non sorte participationis ex illa viguit, sed privilegio unitatis plenitudinem possedit. Quid enim de sapientia minus habere poterat, cui ipsa plenitudo sapientiæ incorporata erat? *In quo*, ait, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II). De quo hoc dixit, nonne de Christo? Quomodo ergo in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis? Tres essentiæ sunt in Christo. Caro, anima, divinitas. Quid ergo habitat in quo? an divinitas in divinitate, an divinitas in anima, an divinitas in carne? Sed quid est, divinitas habitat in divinitate? Nunquid hoc aut congruum erat dicere, aut necessarium audire? Ergo in humanitate Christi habitat plenitudo divinitatis Christi. Quod si plenitudo divinitatis Christi, ergo et plenitudo sapientiæ Dei. Quid enim est divinitatis Christi nisi sapientiæ Dei? Ergo plenitudo sapientiæ Dei habitat in humanitate Christi. Ubi? in carne an in anima, an simul in carne et in anima? an in carne per carnem? in carne ergo sapientia habitaret, et non habitaret in anima. Absit! Sedes sapientiæ anima justi, et domus sapientiæ anima Christi. Et quid dixi, Domus sapientiæ anima Christi? Amplius dicere debui, si amplius dicere potui; quia enim sapientia in ea habitat, ideo domum dixi, sed quia corporaliter habitat, ideo amplius dicere debui. Quid est corporaliter habitat? Unum facta est cum illa in qua habitat, et per illam unum etiam cum illo in quo illa habitat. Quomodo unum? Non versibilitate naturæ, sed unitate personæ; una persona, non una essentia. Ergo incorporata est divinitas habitaculo suo, cui plenitudinem infundit, veritatem sociavit.

Sapientia ædificavit sibi domum, excedit columnas septem (*Prov.* XI). Quales? *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus* A *scientiæ et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). Ecce columnæ septem in domo sapientiæ. Excidit columnas septem. Unde excidit? De monte excidit; de quo monte? De monte umbroso et condenso. De quo monte? Divinæ majestatis excidit columnas septem. Excidit, sed non abscidit. Accepit, sed non abstulit. Columnas de monte excisas in ædificium domus posuit, et tamen montem non minuit. Et quid mirum si sapientia ad fabricandam domum suam columnas erexit de monte excisas et a monte non separatas, quæ ad habitandam domum venit; et tamen unde venerat ibi permansit? Sapientia ergo ædificavit sibi domum. Qualem domum? De qua dictum est: In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et iterum: *In Christo complacuit omnem* B *plenitudinem divinitatis, inhabitare, et per eum reconciliari omnia, in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus; sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt* (*Coloss.* I). Videte quid facimus? Apostolus testatur plenitudinem ibi esse; et nos dicimus quod tota sapientia non est in domo sua. Ergo dimidia intus habitat, et dimidia foris. Et ubi quæretur, si domi non invenitur? In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ubi plenitudo est nihil deest, ubi nihil deest totum est. Sed forte plenitudo divinitatis ibi est, et plenitudo sapientiæ non est.

Verum dicit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II). Sed dicitis C bene. Omnes thesauri sapientiæ et scientiæ ibi sunt: sed absconditi sunt. Portat et non videt. Absit autem ab intellectu nostro, ut sic sentiamus. Sed absconditi sunt, non ut ab eo abscondantur; sed nec in eo ab impiis videantur. Absconditi sunt, ut tempore opportuno proferantur. Absconditi sunt et reconditi sunt. Absconditi, ne per eum indignis aperiantur. Reconditi, ut in eo digne custodiantur. Reconditi sunt, ne offuscentur aliqua rubigine peccatorum, ne polluantur aliqua sorde criminum aut contagione vitiorum. Reconditi sunt velut in vase sincero, velut in habitaculo mundo, ne forte quis valeat eis maculam ingerere, et tunc incipiat opprobrium sustinere. *Apprehendent septem mulieres virum unum die illa dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris* D *operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobium nostrum* (*Isa.* IV). Ergo reconditi in eo sunt, sed absconditi ab eo non sunt. *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam. Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*I Joan.* IV; *Joan.* I); si enarravit, et vidit. Unde hoc probamus? *Qui de terra est, de terra loquitur; qui de cœlo venit, super omnes est; et quod vidit et audivit hoc testatur* (*Joan.* III). Ergo vidit. In quo vidit? in divinitate an in humanitate? Forte in divinitate vidit, in humanitate enarravit. Illi ergo qui audierunt in quo viderunt? Aut si non viderunt, quare audierunt? Vidit ergo in divinitate, vidit et in humanitate, tamen ex divinitate sunt? et illi quæ audierunt non nisi ex illustratione divini luminis videre

potuerunt. Erat igitur plenitudo divinitatis in anima Christi; erat et plenitudo sapientiæ in anima Christi; et ex plenitudine sapientiæ plene sapiens erat anima Christi. Ergo, inquiunt, tantam sapientiam habet anima Christi, quantum Deus habet. Quid facit comparatio? ubi unus solus est? Una est sapientia Dei, qua sapiens est anima Christi, nec participando sapiens est, ut hoc vel illud in illa, et per illam sapiat, sed plenitudinem habendo, ut totum possideat. Non ergo dicamus tanta aut quanta; sed dicamus tota sapientia Dei in anima Christi est, et ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens est: nec tamen æqualis Deo anima Christi est, quia sapientia Dei non est. Porro longe aliud est sapientia sapere, et aliud sapientiam esse, quia qui sapientia sapit, quod habet aliunde accepit: quia sapientia est, ex semetipso habet quod sapit. Illic gratia, hic natura; et idem illic gratia, quod hic natura; nec tamen illic gratia naturam ad immensitatem commutat; nec hic natura ad mensuram gratiam coarctat. Qui ergo audet dicere plenitudinem sapientiæ non fuisse in anima Christi, dicat plene sapientem non fuisse animam Christi. Tota igitur sapientia Dei erat in anima Christi, quia tota sapientia Dei unita erat et corporata animæ Christi, nec tamen æqualis Deo erat anima Christi. Non enim naturæ comparari poterat, quamvis sine mensura gratiam acceperat, quia cum immensa gratia erat passibilis natura.

Nam, illud quod intulistis, quod si habere æqualem cum Deo scientiam, etiam beatudinem æqualem haberet, quomodo sibi non cohæreat, in præsenti nil attinet dicere, quia æqualitatem comparationis tollimus, ubi singularitatem unitatis demonstramus. Et longe aliud est idem habere, et idem esse, quia habere pertinet ad gratiam, esse pertinet ad naturam. Sed esto multitudo sapientiarum sive scientiarum comparationem admittat; nunquid æqualem beatitudinem facit æqualis sapientia? Ergo et major majorem, et minorem minor; et dæmones tanto hominibus beatiores sunt, quanto eos scientia antecedunt. Et quid de charitate dicam? *Scientia inflat, charitas ædificat* (*I Cor.* VIII). Non ergo quicunque amplius sapiunt, statim de majori dilectione præsumere possunt; quia longe aliud est videre, et aliud est diligere. *Nunc*, inquit, *et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum* (*Joan.* XV). Nihil tamen hic interest, utrum æqualem notitiam cujuscunque rei æqualis amor comitetur, quia ubi una est sapientia, sicut non potest esse comparatio, ita nec æqualitas diversorum. Postea adjecistis et dixistis: Cum sapientia sit magnum et spirituale bonum, tunc si anima Christi æqualem habet cum Deo sapientiam, falsum erit Deum in omni bono majorem habere sufficientiam, quam ejus creaturam. Et deinceps: Sicut non potest creatura æquari Creatori, ita nec bonum unius bono alterius. Sed hoc bene et veraciter ibi dicitur. Ubi creaturæ bonum aliud atque diversum a bono Creatoris invenitur? Ubi

A vero unum et idem ipsum est, majus ac minus esse quod potest? Quod est enim verum bonum creaturæ præcipue rationalis aliud præter Deum? Aut quod est bonum Dei aliud præter ipsum? Si ergo verum et unicum bonum est creaturæ, Deus est; et bonum Dei aliud præter ipsum esse non potest. Nunquid idcirco Deus minor aut major seipso est, quia creaturæ suæ pariter et suum bonum ipse est? Cesset ergo tandem tam crebra repetitio comparationis, ubi singularitas est unitatis. Deinde ad comprobandam propositam assertionem adduxistis verba Apostoli, quibus astruere putatis minorem Deo sapientiam habuisse animam Christi. Dicit enim: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in homine; ita*
B *et quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (*I Cor.* II). Ergo, ut videtur, non cognovit anima Christi; si nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Nisi forte quis nobis respondere velit, et Christi animam fuisse Spiritum Dei? Quæ tamen sunt ista Dei quæ nemo cognovit nisi Spiritus Dei? Quæ nisi illa de quibus ibidem dicitur: *Deus, non vidit oculus absque te, quæ præparasti bona diligentibus te* (*Isa.* LXIV). Quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), etc. Ista ergo nemo novit nisi Spiritus Dei; et quid est quod sequitur: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum* sanctum? Quem Spiritum? Subdit: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum* Christi, *ut sciamus quæ a Deo donata sunt no-*
C *bis* (*ibid.*). Ergo ut Spiritus Dei Spiritus est Christi, et illi etiam noverunt quibus ea per Spiritum revelata sunt. Ergo anima Christi multo magis hæc novit, et plene ac perfecte novit, quæ ipsius Spiritus plenitudinem accepit. *Non*, enim inquit, *ad mensuram Deus dat Spiritum* (*Joan.* III). *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I). Nos etiam quincunque hæc noscere meremur, et quantumcunque noscere meremur, de ejus plenitudine, non plenitudinem, sed gratiæ portionem accipimus. *Pater*, inquit, *manifestavi*, seu revelavi *nomen tuum hominibus quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII). Quid est revelatio hominis, nisi aspiratio cognitionis? Ergo ipse aliis nomen revelavit, cujus ipse
D cognitionem non habuit? Absit! Rursum: *Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, quem ego mittam vobis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XVI). Quare prius ipse ab illo Spiritu veritatis omnem veritatem magister non dedicit, quem ad docendam omnem veritatem discipulis misit? Sed misit Spiritum, et Spiritum non amisit; cujus charismata hominibus fidelibus prout voluit distribuit, et plenitudinem ipse retinuit. Aliis eum infundit, sed eum a se non effudit; alios replens, se non evacuans; se non minuens, et alios ditans. Ergo quod Spiritus Dei novit, et anima Christi per Spiritum Dei novit, et plene novit, quia Spiritus Dei plenitudinem habuit.

Postremo quædam verba beati Ambrosii in medium adducisti, et ne assertioni vestræ con-

traire videantur qualiter intelligenda sive determinanda sint demonstratis. Dicit enim « animam Christi omnia habere per gratiam, quæ Deus habet per naturam. » Quibus verbis fere adjungendum esse putatis, ne si forte sine temperamento isto omnia prorsus quæ deitatis sunt, eam habere dixerimus, creaturæ quæ initium habuit æternitatem, et quæ terminum habet immensitatem, et quæ mutabilitatem habuit, atque passibilitati subjacere potuit, incommutabilitatem et cætera quæ soli divinæ naturæ competere noscuntur, tribuere videamur. Sed hæc determinatio, quamvis non omnino refutanda videatur, est tamen multo competentior et commodior expositio ad quam sententia hæc accommodari possit. Anima namque Christi idcirco omnia habere dicitur per gratiam, quæ Deus habet per naturam, quia plenitudo deitatis in Verbo ei unita est, ex tempore per gratiam, quæ in Deo ex æternitate fuit per naturam. Hoc ista ex tempore habet, quia accepit, quod ille ex æternitate habuit, quia fuit. Accepit non ut in ejus quod accepit naturam, mutata transiret; sed ut in ejus consortium sublimata ascenderet. Ista accepit quod non habuit: ille nec accipere potuit quod non habuit, nec desiit esse quod fuit. Quid ergo accepit anima Christi? Plenitudinem deitatis, plenitudinem sapientiæ, plenitudinem virtutis. Totum quod Deus est accepit. Quomodo accepit? Non versibilitate naturæ, sed firmitate personæ. Accepit non quia in illud essentialiter mutata est, sed quia ineffabiliter illa unita est. Accepit non ut illud essentialiter fieret, sed ut cum illo personaliter unum esset. Totum tamen accepit, et totum habet quod ille non accepit et habet. Ergo anima Christi æternitatem habet, si totum habet quod Deus habet? Quidni? Ecce dicatur. Licet in omnibus necessarium non sit verborum usum ad ejusmodi admittere; immensitatem habet, æternitatem habet: habet omnia per gratiam, quæ Deus habet per naturam. Quomodo habet? forte quia dicimus æternitatem habet, quia dicimus immensitatem habet, hoc cogitemus, ut principio careat quod esse cœpit; interminabile sit, quod circumscriptionem recepit. Nunquid etiam quia Deum habet ut Deus sit? Aut quia non est, ideo non habet? Quomodo tamen habet? Sed habet personaliter unita, non naturaliter insita; habet totum, non quod creatura æterna aut immensa esse possit, sed quod æterno et immenso unita sit. Quid enim est æternitas aut immensitas? Nunquid accidens? Ergo æternitas et immensitas Dei accidentia sunt? Absit! cùm ergo dicitur Deus, hoc habet per naturam, intelligitur quod Deus hoc est. Cum vero dicitur, anima Christi hoc habet per gratiam, intelligitur quod illi unita est. Ergo totum anima Christi hoc habet per gratiam quod Deus est per naturam. Nec tamen inde sequitur, quod Creatori opus suum æquale sit: quia cum immensitatem gratiæ acciperet, conditionem naturæ non amisit. Accepit quod non habuit, sed non desiit esse quod fuit. Accepit plenitudinem sapientiæ, in qua et per quam plene ac perfecte sapiens esset; non tamen accepit ut sapientia esset. Et quid necesse est singula persequi? Breviter vobis quid mihi in hac re sentiendum esse videtur, ostendam. Plenam ac perfectam, et totam Dei sapientiam in anima Christi fuisse credimus; et ex ipsa sapientia eamdem animam plene ac perfecte sapientem non ex ipsa participando, sed totam possidendo, quam singulariter concepit, et ineffabiliter comprehendit? Quare ineffabiliter comprehendit? quia secundum plenitudinem accepit. Joannes *lucerna* erat *ardens, et lucens* (*Joan.* v); hic lucem comprehenderat, quia tenebræ non erat. Sed quia ex parte comprehenderat, propterea ineffabilem illam in Christo comprehensionem comprehendere non poterat, sed ait: *Cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti* ejus (*Joan.* I). Ergo Joannes corrigiam Christi solvere non potuit. In illo enim erat de plenitudine accipere; supra illum plenitudinem comprehendere. Hoc itaque quod noverat dicere potuit, quod non conceperat credere elegit, discutere non præsumpsit. Noluit igitur ille unionem solvere, ne nos præsumatur unitati comparare. Quid nobis videtur? Nonne illi corrigiam incarnati Verbi solvere volunt, qui unitatem ineffabilis sacramenti differentia comparationis dividunt? Anima igitur Joannis de plenitudine accepit, anima Christi plenitudinem comprehendit. Comprehendit dico non in æqualitate naturæ, sed plenitudine gratiæ et unitatis proprietate. Ecce dixi postulanti quod et jubenti debueram, quod magis in hac assertione approbandum putavi. Sed in rebus dubiis si manifesta auctoritate non valeo, ab aliis quidem sic accipi volo, ut quærentum me adjuvent, invenientem non refutent. Quicunque autem in eo persistunt, ut hoc asserere contendant, quod alia fuerit illa sapientia, qua anima Christi sapiens exstitit; alia quæ animæ Christi unita fuit; ego nemini præjudicium facere volo; videant ipsi quo sensu hoc asserant, ne forte carnalis sit, magis sua quam vera pronuntias. Hoc unum ego indubitanter affirmo, quod aut alia sapientia præter divinam in anima Christi non fuit, aut si alia fuit, qualis illi non fuit. Hoc credenti qui non credit, non bene credit. Ad cætera ego non cogo, sed suadeo; in his qui mihi credit, mecum credit, qui mihi non credit, sibi credat, donec veniat ubi mecum credat. Sic tamen ut interim unusquisque in suo sensu humiliter abundare studeat, non arroganter præsumere. Vale.

DE B. MARIÆ VIRGINITATE

LIBELLUS EPISTOLARIS.

PROLOGUS.

Sancto pontifici G. Hugo beatitudinis tuæ servus. Narrasti mihi de beatæ Mariæ virginitate quæstionem Paternitati tuæ a quodam factam fuisse, in qua quidem ejusdem irreverentia admodum displicuit, eo quod non ut oportuit ita pudice de re sacrosancta locutus sit. Ego igitur (sicut placitum fuerat, quæ super hoc dicenda videbantur) stylo signans legenda transmitto. Vale.

CAP. I. *Quod Maria in consensu conjugali virginitatis propositum non mutavit.*

De incorrupta virginitate matris Domini hoc fides pie et pietas fideliter confitetur, quod ejus perfectionem nullo modo imminuit conjugalis consensus quemadmodum castitatem illius non violavit conceptus, nec integritatem abstulit partus. Ipsa namque eadem virgo perpetua, et cum desponsaretur viro, non tamen deseruit aut mutavit propositum continentiæ; et cum fecundaretur (non a viro) concepit sine libidine; et cum filium ederet peperit sine dolore. Quid dicis nunc inquisitor contentiose et non pie auditor? Miraris an diffidis? Si miraris miranda, mirandus non es; si non credis credenda, tolerandus non es; si falsa conaris asserere audiendus non es; si vera niteris oppugnare, convincendus es: denique si manifesta negas, confutandus es. Fateor, æquo animo ferre non possum temerariam præsumptionem tuam, quod tam impudica et nugaci loquacitate temerare sinceram et intactam maculare conaris. Stulte istis tenebris tuis in matrem luminis impegisti. Quid enim sibi voluerunt exsufflanda illa argumenta tua, quæ tu cum longa ac diutina ruminatione texuisses quasi novum et magnum aliquod inventum prolaturus (sicut tibi consuetudinis est), circuire cœpisti aures prurientes quærens; amplius quidem te doctis insipientem quam insipientibus doctum demonstrans. Quid enim? Doctor esse voluisti? Novitatis relator, an assertor veritatis? Sed esto. Inveneras quod doceres. Cur tibi visum est infamare castitatem, et oppugnare veritatem? Sed forte (quod et ego magis suspicor) nihil contra veritatem moliebaris, sed solita et tibi inolita levitate auras popularis famæ captans, acumen ingenii tui probare putasti, si prius rem (quasi quæstionis ambage) apud alios involveres, ut in ejus solutione postmodum tu doctor appareres. At nunc res tidi in contrarium versa est. In questione enim tua temerarius probatus es, sed in solutione non es doctus inventus. Videamus tamen quæ sit magna illa et gravis quesiio soli

A (ut putas) tibi non insolubilis. Et quidem etiam, si gravis foret tanto verius multis plusquam tibi, quanto stultius tu præsumis tibi soli. Videamus tamen quæ sit. Primum quæris utrum sine consensu coitus conjugium fieri possit; hoc est, an illi matrimonium invicem contrahere possint, qui sibi non consentiunt in reddendo debito carnis. Movit ergo fortassis te quod dictum audieras: matrimonium non facit coitus, sed consensus. Et merito movisset si quidem quod dictum non audieras, sed intelligendum putaveras, consensus coitus, additum fuisset. Quæris ergo utrum sine consensu coitus conjugium esse possit. Post hæc his qui tibi respondent sine ejusmodi consensu verum conjugium non esse, tuam (ut audio) videB ris existimationem adjungere; propterea fortassis quia tibi de reliquo necessitatem tacendi imponeret, qui hoc quærenti aliud responderet. Deinde hoc concesso et statuto, scilicet quod sine talis consensus pactione conjugium stare non possit; persequeris et interrogas utrum, verum fuit conjugium inter Mariam matrem Domini et Joseph, quem Scriptura virum Mariæ appellasse aliquoties invenietur, ipsamque Mariam uxorem sive conjugem ejusdem Joseph indubitanter nominasse. Quo concesso, quia et hoc negare absurdum est, cum id et sacræ Scripturæ manifesta auctoritate probetur, et catholica hoc religio sua attestatione confirmet, infers et dicis: Si verum fuit conjugium, ergo carnalis commistionis consensus ibi fuit, et C invenitur Maria ad coitum carnis viro assensum præbuisse. Quod si verum est, imo quia si hoc verum non est, verum conjugium dici non potest, cur ipsa Maria vera semper virgo permansisse dicitur, quæ aliquando vera conjux fuisse non negatur? Aut enim non consentit, et vera conjux non fuit, aut consensit, et vera virgo non permansit. In eo ipso namque propositum virginitatis deseruit, quod se per consensum debito carnalis commercii in conjugali sacramento sponte subjecit. Ac per hoc quod virginitatis propositum in consensu copulæ carnalis deseruit, jam mente virgo esse desiit, etiam si carne virgo permansit. Quæ est igitur hæc Virgo virginum singularis integritate, unica castitate, excellens dignitate? Quæ sunt ista præconia et assiduæ laudationes imo D potius quæ sunt quotidianæ istæ adulationes quibus singulariter laudabilem et excellenter super omnes gloriosam Mariæ virginitatem præferenda non est, sed multis etiam postponenda; quæ et carne virgines probatæ sunt, et virginitatis propositum usque in finem mente casta atque devota

inviolatum tenuerunt? Comparetur nunc virginitas Agnetis et Mariæ et quæ fuerit in merito probata sublimior, digne etiam in laudibus excelsior teneatur. Illa se in custodia virginitatis tam invictam exhibuit, ut eam a proposito suo nec ipsa mors illata dejiceret. Hæc se tam mobilem demonstravit, ut unius eam viri et pauperis affectus ad consensum sui inclinaret. Illa intantum virginitatem dilexit, ut quidquid in ejus comparatione pretiosum promittebatur, contemnendum crederet; quidquid pro ejus defensione durum inferebatur, non timendum judicaret; hæc virginitatem tam facile despexit, ut eam et sine præmio promisso desereret, et sine pœna illata abdicaret. Quid igitur restat nisi ut dicamus inferiorem habere gradum in merito ac laude virginitatis illam quæ a proposito conservandæ virginitatis sponte cecidit, etiam si carne virgo permansit; superiorem vero illam quæ cum carnis integritate propositum virginitatis usque in finem inviolatum custodivit! Hoc igitur est quod magna et laboriosa scrutatione invenisse te gloriaris: et cum tu mentem simul et carnem corruptam habeas, mentem intemeratæ (cujus carnem non potes) falso criminari non pertimescis. Satius multo aut primum dixisses veritatem si eam non ignorasti, aut si hoc non poteras, saltem tacuisses pravitatem, qua dicta simplicium auditum violasti. Sed quid ages si eos quos falsa opinione depravasti veritas manifesta ita a periculo erroris liberet, ut tamen te a culpa temeritatis non emundes?

Videamus igitur nunc utrum mater Domini et vera conjux esse potuit, et vera virgo permanere. Discutiamus (ut postulas) quid sit conjugium; et ex ejus diffinitione proposita consideremus si simul esse potuerunt in virgine matre et consensus conjugalis, et propositum virginitatis. Quid enim est conjugium nisi legitima societas inter virum et feminam: in qua videlicet societate ex pari concensu uterque semetipsum debet alteri? Debitum autem hoc duobus modis consideratur, ut scilicet et se illi conservet, et se illi non neget. Conservet videlicet ne post talem consensum ad alienam societatem transeat. Non neget ut ab ea quæ ad invicem est communi societate se non disjungat. Spontaneus ergo consensus inter virum ac feminam legitime factus, quod uterque alteri debitorem sui se spondet; iste est qui conjugium facit. Et conjugium est ipsa societas tali consensu fœderata quæ altero vivente alterum a debito non absolvit. Est adhuc alius consensus, scilicet carnalis commercii ad invicem exigendi atque reddendi, similem inter virum et mulierem pactionem constituens: comes et non effector conjugii, officium et non vinculum, qui et ipse tamen cum pari ab utroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Quod debitum in hoc quoque consensu dupliciter (sicut in priori commemoravi) exhibendum est, ut videlicet uterque se alteri conservet, et neuter alteri se neget. Hoc est ut sui corporis potestatem ad hoc opus nec alii præbeat, nec illi contradicat. De illo debito quo se et vir mulieri et mulier viro debet conservare, ait Apostolus: Quæ sub viro est mulier, vivente viro, *alligata est legi. Si autem* fuerit mortuus *vir ejus, liberata est a lege viri* (*I Cor.* VII). Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. De illo autem debito quo se et vir mulieri, et mulier viro debet non negare, idem dicit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (*ibid.*). Sed hujus debiti necessitas illos conjugatos sibi ad invicem non subjicit, in quibus dum conjugium contraheretur vel sanciretur, hujus operis consensus non præcessit. Nec tamen hoc officio cessante, veritatem sive virtutem conjugii cessare credendum est, imo potius tanto verius et sanctius conjugium esse, quod in solo charitatis vinculo, et non in concupiscentia carnis et libidinis ardore fœderatum est. Quid enim? In concupiscentia carnis conjugium sanctum esset, et in charitate non esset? Absit! Sed multo verius et justius ibi sanctum et verum dicitur, ubi nihil habet castitas unde erubescat, sed charitas unde glorietur. Quomodo ergo conjugati ad invicem debitores sui efficiuntur? Ad quid deinceps se sibi conservare debent; aut in quo non negare, si hæc de medio causa tollatur? Non videtur hoc excepto quare aut vir mulieri, aut mulier viro sociari debeat. Aut quare societati pariter tali ad invicem debito quale conjugium habere noscitur, dicantur alligati. Hoc tibi fortasse videbitur carni, et carnem solam consideranti. Nihil ergo aliud in conjugio invenire potuisti ut conjugalem societatem ob id solummodo sanctitam et in eo sanctam esse confirmes? Nonne multo magis est si duo fiant unum mente, quam si carne unum fierent? Si participem facit alter alterum carnis suæ, et sanctum esse potest; participem facit alter alterum animæ suæ, et sanctum non est? Absit! *Erunt duo in carne una, sacramentum hoc magnum est in Christo et Ecclesia* (*Ephes.* V). Erunt duo in corde uno: sacramentum hoc majus est in Deo et anima. Ecce quo pacto se voluntariæ sponsioni astringunt, ut adhinc et deinceps semper in omni sinceritate dilectionis, in omni cura sollicitudinis, in omni affectu pietatis, in omni studio compassionis, in omni virtute consolationis, et fide devotionis, hoc uterque sit alteri quod ipse sibi, ut quisque alterum quasi unum secum factum attendat, tam in bonis quam in malis omnibus, sicut consolationis socium ac participem, ita et tribulationis et sufferentiæ individuum exhibeat, postremo quantum foris ad necessitatem corporis attinet, quasi propriam carnem fovendam excipiat, quantum vero spectat ad amorem cordis intrinsecus, quasi animum suum in pace et tranquillitate (quantum in se est) sine perturbatione custodiat. Sic enim sit in sanctæ societatis pace et communicatione quiescentibus, ut dum uterque non sibi vivit sed alteri, felicius atque beatius uterque vivat sibi. Hæc sunt bona conjugii et felicitas castam societatem amantium, quæ bona videre non possunt, ii qui in co-

jugio nil præter male dulcem carnis voluptatem exquirunt. Ecce vides (excepto carnis commercio) qualia tamen et quanta bona conjugio relinquantur; imo potius (excepto carnis commercio) qualia et quanta mala, hoc est, qualis servitus et quantus dolor a conjugio excludantur.

Sed dicis mihi iterum : Primam et principalem causam conjugii fuisse propagationem filiorum, quæ quod sine carnis commistione futura non erat, ex hoc manifeste ostenditur, quod in principio Deus cum hominem de limo terræ plasmasset, postea ei mulierem in adjutorium fecisse perhibetur. Non in aliud profecto adjutorium quam ut ipsa mulier ad futuræ sobolis propagationem viro fieret seminandi cooperatrix, seminis conceptrix, formandi locus, et edendi genitrix. Non igitur ad aliud mulier viro est sociata, quam ut per eam et cum ea semen suum in posteritatis originem vir ipse coitu carnali transfundens, substantiam carnis ministraret nascituris ex carne. Nam id ipsum ex eo quoque comprobatur quod Deus postquam mulierem viro sociaverat, ejusdem societatis causam declarare volens, utrosque suæ benedictionis gratia quodammodo prius ipse ad generandi potentiam fecundans, *Crescite*, ait, *et multiplicamini et replete terram* (*Gen.* I); simul dans et mandatum, ut scirent id propter quod juncti fuerant; et gratiam, ut implerent id de quo præceptum acceperant. Ex eo igitur officio quod conjunctis et sociatis ambobus ex præcepto auctoris sui injungitur, plane et indubitanter societatis ipsius causa demonstratur; quia omnino absurdum erat, ut cum formam vivendi et ministerium agendi societatis præscriberet, non id præcipue propter quod eos sociari voluerat, de reliquo exsequendum mandaret. Hinc est quod ipse Adam ad quem usum mulier facta erat agnoscens : *Hoc*, inquit, *os ex ossibus meis, et caro de carne mea est. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Ecce commistio carnis in matrimonio primorum parentum, tam manifeste et ipsis exsequenda indicitur et ab ipsis futura prophetatur, ut qui sine illa conjugium verum esse dixerit et præcipienti Deo et homini consentienti Deo, contrarius esse non dubitetur. Et taliter fortassis supradictæ assertioni nostræ tibi opponendum videbatur.

Hoc igitur totum quod apportas quod Deus primo homini mulierem in adjutorium fecisse legitur; et quia sociata muliere cum viro utrisque ut crescerent et multiplicarentur, terramque replerent præcepisse memoratur; postremo quia a viro inter virum et mulierem carnis commistio futura prophetetur, idcirco nullatenus verum conjugium esse possit ubi quidem consensus carnalis commistionis non fuerit. Si quidem tibi videtur. Primum itaque nunc conveniat inter nos ut mihi respondeas an aut propter hoc, duo in carne una sociati sunt; et de carne una facti sunt, quod in carne una sociandi fuerunt. Sic enim dicitur : Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; propter hoc derelinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Quid est propter hoc? An propter hoc in carne una, quia de carne una? Sed non dixit erunt duo in carne una propter hoc; nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; sed : Hoc, inquit, os ex ossibus meis, et caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una. Tria dixit : Relinquet homo patrem suum et matrem suam; et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. Quid est propter hoc? Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam; propter hoc adhærebit uxori suæ; propter hoc erunt duo in carne una. Propter hoc : propter quid? Propter hoc quia hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Ergo propter hoc in carne una, quia de carne una; non propter hoc de carne una, quia in carne una. Propter hoc erunt duo in carne una. Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Consideremus singula quæ dicta sunt ne forte contra te dixeris quod pro te dicendum putasti. Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Fortassis idem dicere voluit adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una, ut hoc ipsum sit uxori adhærere, quod duos esse in carne una; tanquam si hoc solum dictum sit, relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et ipsa adhæsio non aliud quam commistio carnalis intelligatur. Discutiamus si hoc stare possit. Relinquet, ait, homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ. Illos relinquet et huic adhærebit. Igitur ab illis discedit, ad istam accedit. Quod illis subtrahit, huic impendit. Quid est hoc? Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ. Igitur in eo patrem et matrem relinquit, ut uxori adhæreat; in quo uxori adhærere non potest, si patrem et matrem non relinquat. Relinquet homo patrem suum et matrem suam. In quo relinquet? Nunquid relinquet in cohabitatione an in dilectione? et si sic oportet dici, nunquid relinquet in commistione? si relinquet homo in cohabitatione patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; nunquid igitur in domo patris sui uxorem habere non potest? Aut nunquid uxorem diligere non potest, nisi patrem et matrem odio habuerit? Nam illud tertium quod propositum est nec oportet repeti, nec decet nominari. Tamen his modis adhærebit homo uxori suæ; hoc est secundum cohabitationem, secundum dilectionem, secundum carnalem commistionem. Sed potest homo patri et matri simul et uxori cohabitare; potest patrem et matrem simul et uxorem diligere, ergo nec secundum cohabitationem, nec secundum dilectionem relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, quanto magis quæ

neque fuit neque esse potuit, secundum carnalem commistionem non relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ? Secundum quid ergo relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, nisi secundum illam singularem societatem in qua semetipsum debet alteri? in qua homo affectum patris et matris non quidem deponit, ut affectum uxoris solum eligat: sed postponit affectum patris et matris, ut affectum uxoris illi præferat; ut cum non solum sed singularem haberet? Non igitur de commistione carnis, sed de affectu cordis et vinculo socialis dilectionis dictum est: adhærebit uxori suæ. Ut per hoc quod dicitur: adhærebit uxori suæ, sacramentum conjugii quod in spiritu est intelligas. Per id vero quod subditur: et erunt duo in carne una, officium conjugii quod in carne est non pactum fœderis conjugalis agnoscas. Relinquet ergo homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Ecce hic est conjugium, adhærebit uxori suæ: et hic est conjugii officium, erunt duo in carne una. Quare ergo relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ. Magna res. Præfert principio finem. Pater et mater principium est, unde venit; uxor finis est, ubi dilectio requiescit. Ibi dilectionem operata est sola conditio: hic electionem sine conditione facit sola dilectio. Diligit itaque homo patrem suum et matrem suam, et de ipsis semel vitam accepit: sed plus uxorem suam diligit: quia cum ipsa semper vivere elegit divinum prorsus sacramentum et profundum mysterium, pulchrumque et admirandum humanæ conditionis exemplum. Habemus principium nostrum unde accepimus ut simus: habemus et finem nostrum sine quo beati esse non possumus. Ab illo per conditionem naturæ ad esse venimus: in illo per electionem gratiæ beatum esse accipimus. Ab illo esse habent omnia quæ sunt: sed in illo non omnes beatum esse accipiunt. Minus igitur est, et minus diligendum est ab illo esse. Multo autem amplius est, et amplius diligendum est in illo beatum esse: utrumque tamen magnum et dilectione dignum est, et ab illo esse, et in illo beatum esse. Aliter ergo Deus est illorum, qui ab eo solummodo ut essent acceperunt: aliter vero illorum qui ut non solum ab eo essent, sed ut in eo beati essent eum in præmium acceperunt. Illi quod ipsi sunt ab eo acceperunt: isti ut beate sint quod ipsi sunt, quod ipse est, ab eo accipiunt. Minus ergo diligendum est quod sumus et amplius quod beati sumus, quia in illo tantum est hoc quod nos sumus: in isto vero cum eo quod nos sumus id etiam quod ipse est a quo accepimus quod sumus. Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, ut vetera novis supervenientibus postponens, a principio per dilectionem veniat, et in fine per dilectionem requiescat. Vides nunc quale et quantum sacramentum præfert amor conjugalis, ut in hoc discat anima rationalis sui finis consortium sine fine eligere, et individuo illo amoris nexu et singularis dilectionis parilitate adhærere. Hæc fuit principalis causa conjugii, propter quod Deus instituit, ut relicto patre suo et matre sua, eligeret uxori suæ unice et singulariter individua semper dilectione sociari. Huic autem societati ad commodum futuri generis multiplicandi, certi et rationabilis sacramenti causa officium postea generandi injunxit; non quidem ut in eo conjugium consisteret, sed ut ex eo conjugium et per obedientiam ministerii in merito cresceret, et per fecunditatem prolis fructuosius appareret. Recte ergo dicitur: Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una, ut in eo quod adhæret uxori suæ sacramentum sit invisibilis societatis, quæ in spiritu facienda est inter Deum et animam; in eo autem quod duo sint in carne una, sacramentum sit invisibilis participationis quæ in carne facto est inter Christum et Ecclesiam. Magnum igitur sacramentum, Erunt duo in carne una, in Christo et Ecclesia; sed majus sacramentum, Erunt duo in corde uno, in dilectione una, in Deo et anima.

Non satis fortassis ibi factum est ut ostenderetur quod conjugium non fuerat unio carnis, sed cordis, ne excellere putes ministerium officii super sanctitatem sacramenti. Instas ut consensus carnis sanctitas sit conjugalis, nec præter pactum coitus, vinculum matrimonii ratum esse concedis, quia manifeste dixit: Erunt duo in carne una; et non manifeste dixit: Erunt duo in spiritu uno. Prius manifeste dictum in carne una, postea manifeste dictum, in spiritu uno, quia: *Quod carnale est, prius est, deinde quod spirituale est* (*I Cor.* XV). Per patrem carnalem prius dictum in carne una; per doctorem spiritualem postea dictum in spiritu uno. Per prophetam Deus loquitur dicens: *Non accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti. Et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est? Et quid unus quærit nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Cum odio habueris eam; dimitte, dicit Dominus Deus Israel* (*Malach.* II). Illic ergo dictum est: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; hic dictum est: Hæc particeps tua et uxor fœderis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est? Ibi pars carnis dicitur, hic portio spiritus nominatur: ibi dictum est: Crescite et multiplicamini et replete terram. Hic dictum est: Et quid unus quærit nisi semen Dei? Ille igitur hic semen Dei in spiritu requirit, qui ibi semen carnis in carne multiplicandum imperavit. Ibi dictum est: Erunt duo in carne una. Hic dictum: Cum odio habueris eam, dimitte, ut eadem carnis commistio, quæ ibi inter virum et mulierem futura prædicitur, hic fœdere dilectionis (quæ est in spiritu), nihil prodesse demonstretur. Hoc est enim. Cum odio habueris eam, dimitte: non imperantis dissidium, sed

docentis, quod sine dilectionis fœdere cassa sit, et virtute carens, etiamsi permaneat societas carnis. Non ergo virtus sacramenti conjugalis in carne est, sed in mente, nec ille consensus ad sanctitatem perficiendam requiritur, qui et ante peccatum conjugatis indicebatur ad officium. Post peccatum vero eo usque descendit, ut jam nunc concedatur ad remedium. Nequaquam ergo ex eo pensandum est conjugii sacramentum, in quo tunc sanctificaretur, sed exerceretur conjugalis castitas; et nunc sanctificaretur conjugium, sed excipitur conjugatorum infirmitas. Propterea olim, quando fides erat in populo uno, et tempus ad multiplicandum numerum fidelium opera officii conjugalis indiguit, carnale commercium ab uno in pluribus exercebatur, et in unici amoris singulare sacramentum non lædebatur. Nunc vero quando populus Dei spirituali potius generatione multiplicandus est ad commendandam singularis sacramenti unitatem, quod est in spiritu, non nisi una uni in carne una fœderatur. Tunc propter necessitatem licentia carnis foris in opere laxabatur; et tamen sanctitas intus in virtute sacramenti integra servabatur; nunc propter perfectionem etiam opera carnis foris ad unitatem stringitur; et in eo tamen unitas singularis sacramenti non efficitur, sed commendatur. Hæc dicta sunt pro eo quod propositum erat demonstrare, quod sine consensu carnalis commercii conjugium sanctum et verum esse possit; neque in assensu coitus carnis, sanctitas sacramenti conjugalis consistat.

Post hæc nunc superest, ut de matre virgine sermonem in medium proponamus et inquiramus qua ratione vel auctoritate probari possit, ipsam et veram fuisse conjugem, et in assensu tamen conjugalis virginitatis propositum non mutasse: *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen virginis Maria* (*Luc.* I). Ergo desponsata jam erat Maria, quando ad illam missus est angelus Gabriel a Deo. Videamus quod sequitur: *Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu inter mulieres. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus; et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ad eam: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium*, etc. *Et ait Maria: Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco?* (*Ibid.*). Hoc est quod quærebamus verbum virginis, in quo ipsa confutaret æmulos suæ virginitatis. Sumamus igitur de ipsa testimonium per ipsam. Quomodo igitur fiet istud? Hoc est, ut filium pariam, quomodo fiet, quia virum non cognosco? Non ait, virum non cognovi. Hoc enim nihil impediret virginem desponsatam, et virum cognituram filiumque parituram, sed virginem non permansuram. Non ergo ait hæc, virum non cognovi; quia hoc nec præteritæ fuisset virginitatis miraculum, nec futuri partus impedimentum, si virum adhuc non cognoverit, et virum ut non cognosceret deinceps non proposuerat. Non utique dixit: Virum non cognovi, sed Virum non cognosco. Quomodo, inquit, fiet istud? virum non cognosco, et dicor filium paritura; quomodo ergo fiet istud, ut filium pariam, et virum non cognoscam: Quia virum non cognosco. Quid est, Virum non cognosco? Propositum habeo virum non cognoscere; propositum habeo virginitatis decus usque in finem inviolatum conservare. Quomodo si dixerit quis: Vinum non bibo, non possum hunc calicem gustare; hoc est quia in voto habeo vinum non bibere, non possum gustare calicem istum. Et sicut dictum est: Nazaræi comam non incidunt (*Deut.* XXXIII; *Judith.* XIII, XVI), hoc est, votum habent comam non incidendi; sic dictum est: Virum non cognosco. Quomodo itaque fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Et ait angelus ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). Noli, inquit, propter propositum virginitatis de promissione prolis diffidere. Spiritus sanctus superveniet in te. Concipies filium non e viro, sed de Spiritu sancto. Promissio quidem mea implebitur; sed tamen propositum tuum non violabitur. Tu vovisti virum te non cognituram; et ego prædico filium te parituram; et idcirco miraris, ne forte vel promissio cassa sit permanente proposito vel propositum violetur, si impleatur promissio. Non enim possibilitas naturæ hic sufficit, aut ratio humana id comprehendit, ut pariat virgo, intacta filium generet, et sine opera carnis caro procedat ex carne. Idcirco miraris quomodo fiet istud, quia virum non cognoscis. Nam interim, quantum in te est, nihil invenire potes, cur de tua perseverantia debeas dubitare; et ob hoc quæris, quomodo de mea possis promissione confidere. Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Noli propter propositum de promissione diffidere, quia Spiritus sanctus superveniet in te. Noli propter promissionem de proposito formidare, quia virtus Altissimi obumbrabit tibi. Spiritus sanctus superveniet in te, ne per coitum corrumpatur integritas. Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ne per libidinem polluatur castitas tua. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ministrabis substantiam, et non senties concupiscentiam. Non suscipies semen ex viro, et fecunda fructum ventris germinabis in filio. Noli ergo dicere: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco; quia hoc per virum non fiet, sed per Spiritum sanctum, Spiritus enim sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce jam habemus Mariam desponsatam virginem, et adhuc tamen in virginitatis proposito permanentem. Veraciter desponsatam virginem, nec minus veraciter in virginitatis proposito permanentem: quid amplius quæris? An adhuc desponsationis nomen aliquid tibi ambiguitatis relinquit? Audieras enim ad desponsatam virginem missum fuisse angelum; sed ad conjugatam

non audieras. Forsitan ergo dicas, desponsata erat jam tunc Maria Joseph; sed adhuc conjux non erat, quia necdum eam in suam acceperat. Nam si eam extunc in suam acceperat, cur ei postea dictum est : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (*Matth.* I). Nondum ergo conjux erat, quando ad eam missus est angelus, sed tantum desponsata erat; et idcirco fieri potuit, ut non mutaverit propositum virginitatis, quando desponsata est, et mutaverit, quando conjux facta est. Hoc fortassis adhuc pro parte tua oppones. Sed absit a nobis, ut credamus eam, postquam se cœlesti partu fecundandam audierat, ullatenus ad carnale commercium assensum præbuisse, quæ et priusquam divini arcanum sacramenti (quod in se complendum erat) didicisset, votum virginitatis conservandæ tam inviolatum tenuit, ut cum se futuram conjugem sponderet, illud tamen eadem nihilominus qua cœperat, devotione, eadem perseverantia in finem usque custodiendum proponeret. Desponsata ergo erat, et conjux erat, et vera virgo erat, et virginitatis propositum non reliquerat. Confitemur itaque virginem desponsatam; confitemur virginem conjugem factam; postea matrem quoque et virginem semper virginitatis propositum inviolatum tenuisse et castitatis decus perpetuum regnasse cum pudicitia conjugis et honore parentis. Intuere nunc, et diligenter considera virginem istam, virgunculam nostram singulariter castam, excellenter speciosam, unice mundam. Sed ego novi oculum tuum, quia lippus est, et quanto diligentius intenditur, tanto iniquius contemplatur. Lex, inquit, dixit : « Maledicta sit sterilis, quæ non parit; et quæ non relinquit semen in Israel (*Deut.* VII, 13; *Exod.* XXIII, 26). » Sed hæc peperit et sterilis non fuit, quæ semen benedictionis reliquit in Israel, in quo secundum repromissionem omnes gentes benedicuntur cum Israel, omnes qui benedicentur in Domino Deo Israel. Verumtamen in Sapientia audivimus felicem sterilem et incoinquinatam, quæ non novit torum in delicto, quoniam fructum habebit in respectu animarum sanctarum (*Sap.* III). Rursum in propheta Dominus continentiæ merces, quanta apud ipsum reposita sit, ostendit, dicens : *Non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et a filiabus nomen sempiternum quod non peribit* (*Isa.* LVI). Quis est ergo iste in continentia sterilitatem maledicens, continentiæ puritatem non videns, et fructum non intelligens? At tamen audiamus, quot paret.

Maria, ait, maledictionem non effugit, quæ per virginitatis propositum sterilitatem incurrit. Amplius autem. Quare nubere voluit, postquam continentiam voverat? Duo sunt. Aut propter maledictionem sterilitatis virginitatem non proponeret; aut propter votum castitatis virgo permansura non nuberet. Nunc vero si iniquum jure dicitur maledictionem potius quam benedictionem eligere : quale dicendum est votum fecisse integritatis et nubere? Libenter accipio, quod ex tua pervicacia laus virginis cumulatur. Sic vult manifestari veritas, sic vult confutari iniquitas. Videamus ergo, quale sit, in quo notandam putas virginem. Scilicet, ais, quia in proposito virginitatis, maledictione sterilitatis incurrit. Quanta ergo est maledictio sterilitatis? Tanta utique, quanta et benedictio fecunditatis. Et ipsa itaque benedictio fecunditatis quanta est? Primos illos nostri generis parentes, cum benediceret Deus, ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram. Ergo benedictionem fecunditatis dedit illis : Multum ergo dedit illis, quando benedictionem fecunditatis dedit illis, quando dixit : Crescite et multiplicamini, et replete terram. Nonne et avibus cœli hoc dixit, et bestiis atque jumentis terræ hoc dixit : Crescite et multiplicamini, et replete terram? Peracta namque quinta nascentis sæculi die, cum produxisset ab aquis Deus piscium et volatilium genus, subjunxit Scriptura et dixit : *Videns Deus quod esset bonum, ait : Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris : avesque multiplicentur super terram* (*Gen.* I). Rursum cum educeret Noe de arca cum omnibus animantibus terræ in genere suo in universos suæ benedictionis munus diffundens iterum ait : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* VIII) et replete terram. Secundum illam utique misericordiam, qua salvat *homines et jumenta* (*Psal.* XXXV); aperit *manum* suam et implet *omne animal benedictione* (*Psal.* CXLIV). Igitur benedictio fecunditatis non solum hominibus, sed jumentis data est. Quid ergo mali fecit Maria? Maledictionem, inquit, sterilitatis elegit potius quam benedictionem fecunditatis. Intendite æquitatem. Judex noster virginem damnat, eo quod spreverit benedictionem jumentorum; et virginitatem eligens, benedictionem acceperit angelorum. *Inflammatum est*, inquit Psalmista, *cor meum, et renes mei commutati sunt; et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam; et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXII). Igitur Propheta, invento eo quod sibi in cœlo repositum est, quidquid in terra hactenus diligebat in ejus comparatione libenter despicit; et superna jam spirituali amore ambiens tam diu se per delectationem carnalem jumentum fuisse erubescit. Inflammatum est enim, ait, cor meum, et renes mei commutati sunt. Hoc est, per carnis semen in terra multiplicari cur appetam, cum mihi in cœlo hæreditatem conservari agnoscam? *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (*ibid.*). Hæc est illa optima pars quam *elegit Maria, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X). Et quia se *in honore* esse *intellexit, non est* comparata mutis *insipientibus*, nec *similis* facta *est illis* (*Psal.* XLVIII). Voluit ergo aliquid supra conditionem ju-

mentorum appetere; et idcirco parum judicabat, vel potius indignum reputabat, honori suo benedictionem jumentorum anteferre.

Quare, inquis, si melior erat virginitas fecunditate, Deus prius fecunditatem benedicebat; et postmodum lex sterilitatem maledicebat? Audi quare. Primum quando factus est mundus per Creatorem benedicta est fecunditas, ut multiplicarentur homines: postea quando ab uno tantum populo agnitus est Deus, per legem maledicta est sterilitas, ut multiplicarentur fideles; postremo quando instabat tempus, in quo nunc ab omnibus gentibus Deus colitur, benedicta est virginitas, ut ad vitam cœlibem a carnis opera cuncti provocentur; audi adhuc aliud. Si prima illa benedictio fecunditatis ad salutem erat, et secunda illa sterilitatis maledictio ad damnationem; ergo fecunditas carnis meritum est, et culpa sterilitas. Ergo meliores fuerunt illæ mulieres, quæ multos filios pepererunt, quam illæ quæ nullos vel paucos habuisse leguntur. Melior erat Cethura quam Sara. Melior Fenenna quam Anna et cæteræ multæ, quas Scriptura commemorat Deo non in multitudine filiorum, sed per merita virtutum placuisse. Sed absit a nobis ut vel fecunditatem carnis meritum, vel sterilitatem culpam esse dicamus. Absit a nobis ut credamus propterea legem sterilitatem carnis maledixisse, ut eam apud Deum damnabilem ostenderet; et non potius ut eam (illo quidem tempore, quando successio generis in multitudine filiorum quærebatur) apud homines infructuosam, et ob hoc quodammodo inhonoratam demonstraret. Non ergo culpanda est virgo Maria, nec accusanda de contemptu legis, in qua sterilitas maledicitur, imo sola singulariter laudanda, quæ prima legis verba non carnaliter sapienda considerans, elegit in terra abjectio plebis fieri et opprobrium hominum, ut per munditiam integritatis in cœlo fieret socia angelorum. Et pulchre prima inter feminas virgo Maria pro amore castitatis maledictum legis in carne sua pro nobis suscipiens a maledicto legis liberavit. Unde merito ei soli datum est, ut filium pareret et virgo permaneret, ut quia prima fecunditati carnis virginitatem sponte prætulit, nunc et fecunda sit carne et integra virginitate. Vides nunc qualis sit accusatio tua? Superest ergo illud, ut rationem jam reddamus, quare post votum virginitatis Maria virum habere consensit. Aut propterea virum habere consensit hæc sancta, ut celaretur propositum ejus; approbante et hoc ipsum Joseph, et idem proponente, aut si forte hujus propositi conscius non erat ipse Joseph (quod fieri potuit) parentibus nuptias imperantibus inobediens esse timuit, et ob hoc viro nubere consensit speciali (per Spiritum sanctum), qui eam a principio castitatis amore accenderat) fiducia confirmata et spe, quam in Deum habebat, non dubia, quod eam divina misericordia ita custodiret ut posset et voluntati parentum in matrimonio contrahendo obedientiam exhibere, et tamen nihil in eodem matrimonio impedimenti inventura esset, pro quo votum virginitatis (quod pro amore castitatis susceperat) cogeretur frangere. Suscepit ergo conjugium, sed non mutavit virginitatis propositum. Et quia castitatem dilexit et obedientiam tenuit, inventa est id ea et sine detrimento virginitatis conjugalis sanctitas; et sine opprobrio sterilitatis fecunda virginitas. Sic beatus ille patriarcha fidei forma et obedientiæ exemplum Abraham in repromissione acceperat, quod in Isaac benediceretur semen ejus; et tamen postea jussus a Deo eumdem quem unigenitum habebat ex Sara uxore sua filium Isaac immolare, sine mora aut cunctatione paruit, sciens pro certo quod, tametsi secundum humanam rationem promissioni contraria videretur jussio, secundum illam tamen virtutem, qua Deo possibilia sunt omnia, et cum obedientia jussionis impleri posset promissio. Sicque factum est ut devotio obedientiæ (qua Deo jubenti parere non distulit) inveniret meritum; et fides, qua Deo promittenti credidit, promissionis fidelis consequeretur effectum. Ita etiam hic fieri potuit, ut beata ista virgo Deo commendans, omne desiderium suum tantum in ipso fiduciam habuerit, ut indubitanter crederet, et parentibus se posse debitam obedientiam exhibere, et votum castitatis, cujus ipse solus conscius erat, quemadmodum vellet eo patrocinante, inviolatum conservare. Sed sive ita, sive aliter factum sit, nos quidem nullatenus ambigere debemus; beatam Mariam certa ac rationali causa post votum servandæ virginitatis propositumque continentiæ, conjugii sacramentum suscepisse, et tamen virginitatis propositum non mutasse, veraciterque nomen sumpsisse conjugis, et perseveranter votum tenuisse integritatis.

CAP. II. *Quod sacrosancta et perpetua virgo Maria non de viro, sed de Spiritu sancto concepit, quem et peperit Altissimi Patris unigenitum, Christum Deum et hominem.*

Prima igitur propositionis parte probata, qua dictum est quod Maria in consensu conjugali, virginitatis propositum non mutavit, nunc ad expositionem secundæ partis, qua dictum est quod non de viro, sed de Spiritu sancto sine libidine concepit, sermo necesse est ordinem suum prosequatur. Primæ quidem partis sententia (quia magis in quæstione versabatur) prolixiori disputatione indiguit. Hæc autem quoniam de ea minus dubitatum est, non tam probationem quam expositionem requirit. Quærendum itaque in primis est, quomodo intelligi oporteat quod dictum est, beatam Mariam de Spiritu sancto concepisse. Scimus namque et omnes jam frequentissimo naturæ usu didicimus, quod cum mulier a viro concepisse dicitur, non aliud nisi substantiam carnis ad generandam carnem per carnis coitum suscepisse memoratur. Et hæc quidem carnis substantia de carne viri per ipsum carnis coitum transfusa cum carne mulieris una caro efficitur, ut id quod nasciturum est ex utriusque substantia veraciter originem sumens, ab illo per istam etiam ab ista generetur; ergo mulier a viro concipit, cum a

carne viri per coitum carnis semen suscipit ad generandam carnem. Nec aliud concipit quam ille est, a quo concipit, aut ipsa quæ concipit; et quod concipit, hoc parit. Quid ergo dicemus? Nunquid Spiritus sanctus de sua substantia semen partus infudit alvo virginis? Quomodo ergo semen carnis ministrare potuit substantia spiritualis? An forte semen carnis non fuit quod conceptum est, et caro fuit, quod natum est? Quid dicimus? Quomodo Maria de Spiritu sancto concepit? Et si de Spiritu sancto concepit, quomodo Spiritus sanctus pater Christi non fuit? Hæc omnia magna consideratione indigent, ne forte in re difficili et valde obscura sensus humanus aliquid amplius sua possibilitate præsumat. Nec ideo de his dubitandum est, quia obscura sunt, nec ideo aliquid temere definiendum, quia credenda sunt. Quæramus ergo quid concepit Maria. Aut enim carnem non concepit, et carnem non genuit; aut si carnem genuit, carnem concepit. Quod enim concepit, hoc genuit? Sed quomodo carnem ministrare potuit non caro, aut non carnem gignere caro? Ista perplexa inquisitio sive quærendi ratio, quemadmodum sane et competenter intelligi valeat consideremus. Et primum quidem in ea quæ secundum solitam ac usitatam naturæ operationem peragitur conceptione ejusdem naturæ opus quomodo compleatur intueamur. In parentibus carnaliter generantibus et per carnis coitum nasciturам carnem ex carne fabricantibus utroque natura substantiam ministrat partui creando, ut ex utriusque carne procedat, quæ solum in unius carne formanda est caro. Tamen hoc vectigal (quod natura quasi debitum quoddam ex instituto Creatoris ad fabricam humani corporis absolvendam impendit) ita prorsus sine ulla necessitate aut coactione ab ea requiritur, ut non nisi sola dilectione, et, ut sic dixerim, spontanea charitate ad id tribuendum inclinetur. Nihil est enim, præter solam dilectionem, quod hoc debitum a natura extorquere possit; sed cum spontanea fuerit charitate persuasa, tunc nimirum sibi mutuo ad opus consummandum ex utraque parte libenter atque gratanter occurrit. Sane quidquid violenter nolenti abripitur, ad ejusmodi causæ effectum incongruum prorsus atque inefficax demonstratur. Sola ego dilectio est, quæ naturam persuadere, et volentem quodammodo cogere potest ad seminandum partum. Et quidem in muliere amor viri, in viro autem amor mulieris id agere solet, ut quia in altero solum natura sibi sufficiens non est, uterque alteri per dilectionem subveniat, ut quod neuter per se potuit, uterque per se cum altero possit. Igitur semen humani partus a sola muliere formandum concipitur, quod simul a viro et muliere seminatur. Quod quidem, sicut jam dictum est, in muliere per amorem viri, et in viro per amorem mulieris natura operatur. Propter quod etiam mulier non nisi a viro concipere dicitur, licet tam de se quam de viro accipiat unde fecundatur. Et recte de solo viro concipit, quia id

A quod concipitur, in altero quidem de carne viri sumitur, in altero autem per amorem viri monstratur. Non itaque hoc solum de viro concipit, quod de viro accipit, sed hoc etiam de viro concipit, quod ex se de amore viri accipit. Hoc præmittere voluimus propter id quod dictum est, Mariam de Spiritu sancto concepisse. Concepit ergo Maria de Spiritu sancto, non quod de substantia Spiritus sancti semen partus acceperit, sed quia per amorem et operationem Spiritus sancti ex carne virginis divino partui natura substantiam ministravit. Nam quia in corde, quo amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. Et cujus dilectio in corde illius non suscepit so-
B cium, ejus operatio in carne illius non habebat exemplum. Hoc igitur solum virgo concepit, quod de sua carne per amorem et operationem Spiritus sancti accepit; de quo etiam solo sine virilis seminis admistione filium genuit. Non ergo libido carnis conceptionem in virgine operata est, quæ nec de carne viri semen accepit, nec de sua carne per amorem viri concepit, sed per amorem et operationem Spiritus sancti. Nec ipse Spiritus sanctus idcirco pater Christi dicendus est, quia ejus amor conceptionem virginis operatus est, quia non de sua essentia virgini semen partus tribuit, sed ipsi de carne propria virgini per amorem suum atque virtutem substantiam ministravit. Christus ergo et de virgine natus est, quia de
C carne virginis carnis substantiam accepit. Et de Spiritu sancto conceptus est, quia ipsa eum virgo ex sola carne sua sine admistione virilis seminis per sancti Spiritus operationem amoremque concepit. Hinc est quod eidem Virgini pariturae per angelum dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. I).* Spiritus sanctus namque virgini supervenit, ut per ejus operationem caro Christi de carne virginis formaretur. Et virtus Altissimi obumbravit ei, ne substantiam carnis ministrans, carnali concupiscentia ureretur. Et sic quidem nos intelligendum putamus id quod de Spiritu sancto virgo concepisse dicitur. Sic etiam posse astrui, quod in concipiendo libidinem non sensisse perhibetur.

D CAP. III. *Quod sine doloris et sine virginitatis detrimento Maria Christum peperit.*

Restat nunc novissimum hoc ex his tribus quæ proposita erant, ut eam etiam sine dolore peperisse, nullumque in pariendo virginitatis detrimentum sustinuisse demonstremus. Audivi ego aliquando virginem concepisse, sed non peperisse virginem, quia talis de viro concepit quod peperit. Merito namque in partu corrupta est integritas, quia in conceptu virginitas polluta est, justumque erat, ut non pareretur sine dolore, quod conceptum non erat sine libidine. Nequaquam partus dolorem afferret, si conceptus non sensisset libidinem. Quia si culpa delectationis illicitæ concipientem non pollueret, nunquam pœna doloris parientem cruciaret. Prima

namque illa nostri generis et doloris mater, postquam malam delectationem conceperat, tunc demum quod filios in dolore paritura esset, audiebat ut aperte demonstraret, quod non idcirco pariat cum dolore, quod a viro concipit, sed quod cum libidine. Quis enim possit dicere, si homo non peccasset, utrum partus humanus etiam de viro conceptus aut integritatem corrumperet, aut castitatem violaret? Et quidem si non violaretur castitas, quare integritas corrumperetur? dicat qui potest. Beata autem virgo Maria ut supra primam conditionem esset secunda restauratio, et naturam generis gratia vinceret Salvatoris, non solum sine libidine concepit, sed neque de semine viri partum accepit; et ob hoc sine dolore filium edidit, et cum integritatis decore post partum virgo permansit.

CAP. IV. *Quæstio, utrum probabile sit, matrimonium sine consensu coitus contrahi posse.*

Quoniam quidem necdum quæstiones finem acceperunt, cogor quotidie expositionem expositioni superinducere, et veterem parietem recenti temperatura linire, rudibus namque animis novo semper errore fatiscentibus nihil satis expositum esse potest; qui dum tenebris suis involuti alienam lucem non vident, omne quod intelligere nequeunt, obscure dici queruntur, atque ita defectum suarum mentium in causationem transferunt sermonum. In eo tractatu, quem de beatæ Mariæ virginitate dictavi, quæstio in manibus habita est, in qua id potissimum agebatur, an quovis modo demonstrari posset, utrum sine consensu coitus conjugium sanciri valeret. Cumque nos, quod oportuit in hujus sententiæ definitionem, proponeremus, ratio patefacta est in consensu carnis nequaquam consistere sanctitatem sacramenti conjugalis. Proinde determinantes ea quæ conjugii sanctio expostulat, signavimus conjugium esse legitimam societatem inter virum et feminam, in qua, excepto quoque carnis commercio, ex pari consensu uterque semetipsum debet alteri, ut videlicet et se ille conservet, ne ad alienam societatem transeat, et se illi non neget, ut ab ea, quæ adinvicem, societate se non disjungat. Hoc cum sufficere potuisset his, quibus ratio manifesta sufficeret, ecce iterum qui in matre Domini verum conjugii sacramentum verumque virginitatis propositum simul profiteri nolunt, propterea quod matrimonium sine assensu coitus carnis ratum non esse autument, nostram definitionem (quæ a conjugio carnis necessitatem excludit) hac ratione infirmare contendunt. Si, inquiunt, aliud non est conjugium, nisi talis societas, in qua excepto quoque carnis commercio ex pari consensu, uterque semetipsum debet alteri debito conservandi, et non negandi se ad eam, quæ in communi est societate, inseparabilem unionem ac fidem: cur etiam in eodem sexu conjugium rectissime ac sanctissime celebrari non possit, et individua societas laudabili charitate sanciri? Quid enim impedit ut vir virum, et femina feminam tali sibi pactionis fœdere et societatis amore non as- A tringat? Quod si ridiculum omnino est, et ab humana prorsus ratione seclusum, ut scilicet in eodem sexu conjugii sacramentum celebretur, ubi nihilominus ejusmodi fœderatio societatis non prohibetur, restat, ut in conjugii pactione ipsam, quæ nisi in sexu utroque constituta non est, carnis unionem, quantum ad consensum spectat, necessariam esse profiteamur. Cogunt igitur, ut nos (si assensum coitus in conjugii pactione necessarium omnino non esse volumus quemadmodum ista societas, quæ in nostra definitione signata est, in eodem sexu sanciri non posse, demonstremus. Ad quod cum id solum sufficere posset, quod divina institutio hanc ad utrumque sexum fœderandum ordinavit, propterea que in eodem sexu (ut si fiat) B ita a conjugii sacramento foret aliena, quemadmodum ob id ipsum fiat illicita; et sicut in diverso etiam sexu inter matrem et filium foret inconcessa; idcirco a sanctitate conjugalis sacramenti esset vacua quia qui dixit: *Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II), hanc societatem inter matrem et filium inordinatam et ob hoc non castam esse manifeste docuit, cum in conjugio sanciendo non matrem petendam, sed relinquendam ostendit. Hæc igitur ratio cum sola sufficeret ad comprobandum, quod in eodem sexu quamlibet casta et indissolubili charitate astricto conjugii sacramentum esse non possit; debemus tamen, sicut in omni assertione divina justum est, non C nostri qui loquimur, defensionem tantum attendere, quantum eorum, quibus loquimur, ædificationem. Reddenda itaque ratio, quare conjugii sacramentum (quod in diverso sexu nihil ad sanctificationem sui præter spontaneam perpetuæ ac indivisæ societatis charitatem exigit) in eodem nihilominus sexu simili atque eadem fœderatione sanciri non possit. Hoc facimus ita. In conjugio siquidem duo sunt: sacramentum conjugii, et sacramentum conjugalis officii. Hoc est conjugium et conjugii officium utrumque sacramentum. Conjugium est in fœdere dilectionis. Conjugii officium est in generatione prolis. Igitur amor conjugalis sacramentum est, et sacramentum in conjugibus est commistio carnis. Sed amor conjugalis sacra- D mentum est illius dilectionis, quæ est in spiritu, inter Deum et animam. Commistio carnis in conjugibus sacramentum est illius participationis, quæ est in carne inter Christum et Ecclesiam. Quapropter amor conjugalis nequaquam inter pares esse debuit; quia ille, cujus sacramentum erat, inter pares non fuit. Juncti sunt itaque in unius societatis amore et masculus et femina, sicut juncti erant in unius societatis amore Deus et anima. Nunquid jam non vides quo tendat omnis nostræ disputationis assertio? Aspice ista duo collegia charitatis, in terra masculum et feminam, in cœlo Deum et animam et considera quam rationabili providentia cuncta disposita sint. Creavit Deus masculum et feminam, et de masculo feminam; et quia de illo facta est, sub illo constituta est. Illi datum est, ut et vivaci-

tate rationis et viribus corporis super excelleret : huic ordinatum est ut non solum obedientia, sed et natura subesset. Voluit ergo Deus, ut in illius fortitudine et providentia hæc (quasi suæ fragilitatis consortia) requiesceret ; et ut in illo hujus infirmitas pietatem excitaret, quatenus et vir mulierem quodammodo ex pietate diligeret, et mulier virum magis ex necessitate amaret. Quod ergo vir mulierem diligit, quodammodo beneficium est, quia pietate vincitur, ne infirmitatem deserat. Quod autem mulier virum diligit, magis debitum est, quia naturali necessitate compellitur, ut patrocinium requirat, atque ita quodammodo tota dilectionis utilitas ad mulierem refertur ; quia in ipsa causa est, pro qua vel ipsa virum diligit, vel a viro ipsa diligitur. Patefactum est igitur dilectionis sacramentum. Sacramentum dilectio, et dilectionis sacramentum dilectio. Nec opus jam est longa expositione, ut ostendatur, qualiter in hujus sacramenti figura vir imago Dei sit, et femina rationalis animæ typum in se formamque demonstret. Manifestum est enim, quod sicut viri amor ad mulierem pietate quadam et compassione naturali inclinatur, vir autem a muliere magis necessitate conditionis diligitur ; ita Deus animam rationalem prius gratuita pietate diligit, et eam postmodum ad amorem sui quadam rationabili necessitate spontaneam tamen et volentem convertit. Diligit ille prior gratis nos, ut postmodum diligentes ad diligentem se convertat nos, fiatque una dilectionis societas, et propter nos, quia nobis necessaria : et propter illum quia in illo beata. In hac autem jucunda dilectionis conversatione amor Dei quodammodo caput est, quia ab illo in nos prius dilectio oritur ; et ad illum a nobis dilectio conversa refertur. Simili quoque ratione in conjugii charitate, quæ hujus dilectionis est sacramentum, amor viri caput est ; quia prior vir mulieri per compassionem pietatis in amore se sociat, ut mulieris dilectio per eruditionem ad virum conversa, et per spontaneam benignitatem suscepta in societate charitatis unum fiat. Propterea dicit Apostolus : *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus est* (*I Cor.* II). Nam quod est

A in sacramento conjugii caste sanctus amor viri ad feminam, hoc est in sacramento fidei amor Christi ad Ecclesiam ; hoc quod est in incarnatione Verbi, amor Dei ad humanam naturam. Propter hoc in cantico amoris cum illa æterna charitas et amor ineffabilis sive Dei ad animam, sive Christi ad Ecclesiam ; non qualis fuit, sed qualiter potuit, verbis promi debuisset ; nihil in rebus visibilibus aut in humanis affectibus similius inveniri poterat, quam amor sponsi et sponsæ ; aut non aliunde quam per suum sacramentum invisibilis illa et spiritualis dilectio ostenderetur, ut dum id quod humanus affectus noverat, auditus per Verbum acciperet ; id quod non noverat, cor interius per amorem gustaret. Nam ipsam B ibidem mutuæ charitatis vicissitudinem, qua una uni sociata, nec dissidium in suo suscipit, nec consortium in alieno admittit sponsa significare volebat, cum diceret : *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia* (*Cant.* II), *donec aspiret dies et inclinentur umbræ* (*Cant.* VII). Et rursum : *Ego dilecto meo, ad me conversio ejus* (*Cant.* VI). Sponsus quoque ipse uniti amoris prærogativam commendans. *Sexaginta*, inquit, *sunt reginæ et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea. Una matri suæ, electa genitrici suæ* (*Cant.* VI). Propter sacramentum ergo dilectionis æternæ Deus conjugium sancire voluit propter utilitatem propagationis humanæ sexum creaC vit ; et tamen amor conjugalis non propter sexum dissimilem sacramentum est, sed propter naturam differentem. Non enim secus, sed natura disparem in alterutrum charitatem amori tribuit, et tamen sexus inæqualitatem naturæ discernit. Casta enim dilectio non ex tali sexu aliter afficitur, sed in tali sexu ex tali natura. Propterea quod extra talem sexum taliter affici non potest, quia extra talem sexum non invenitur talis natura. Sufficiat hoc eis, qui quærunt quomodo amor conjugalis (cui carnis commercium excipitur) in eodem quoque sexu utrobique non simili veritate sanciatur.

DE MODO DICENDI ET MEDITANDI LIBELLUS.

(Ex ms. S. Audoeni Rothomagensis edidit dom MARTENE *Thesauri anecdot.* tom. V, col. 883.)

ADMONITIO

Hunc libellum exhibuit nobis ms. codex monasterii S. Audoeni Rothomagensis ante annos quadringentos exaratus, atque ita inscriptus Hugo Parisiensis de modo dicendi et meditandi. *Stylum Victorinum Hugonem omnino repræsentat, quem, licet natione Ypreusis existimetur, ideo Parisiensem fuisse dictum credimus, quod canonicus regularis in Parisiensi S. Victoris monasterio, vixerit, scripserit atque obierit. Sed huic libello haud erit abs re præmittere præclaram de obitu ejusdem Hugonis Otberti epistolam ad Joannem, quam ex mss. Prulliacensi eruimus.* (*Exstat inter Prolegomena ad Hugonem, supra Operum ejus tom. I.*) EDIT.

HUGO PARISIENSIS

DE MODO DICENDI ET MEDITANDI.

1. *Humilitas discere volenti necessaria.* — Principium discendi humilitas est, cujus cum multa sunt documenta, hæc tria præcipue ad lectorem pertinent. Primum ut nullam scientiam, nullam scripturam vilem teneat. Secundum ut a nemine discere erubescat. Tertium ut cum scientiam adeptus fuerit, cæteros non spernat. Multos hoc decepit quod ante tempus sapientes videri volunt, et ideo ab aliis quod nesciunt discere erubescunt. Tu vero, fili, ab omnibus libenter disce quod nescis. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Nullam denique scientiam vilem teneas, quia omnis scientia bona est. Nullam, si vacat, Scripturam vel saltem legem contemnas. Si nihil lucraris, nec perdis aliquid. Apostolus enim ait: « Omnia legentes, quæ bona sunt tenentes (*I Thess.* v).» Bonus lector humilis debet esse et mansuetus, a curis sæcularibus et voluptatum illecebris prorsus alienus, et sedulus ut ab omnibus libenter discat. Nunquam de scientia sua præsumat, non videri doctus, sed esse quærat, dicta sapientium quærat, et semper coram oculis mentis quasi speculum vultus sui tenere ardenter studeat.

2. *Studendi tria necessaria.* — Tria sunt studentibus necessaria, natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur ut facile audita percipiat, et percepta firmiter retineat. In exercitio, ut labore et sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, ut laudabiliter vivens mores cum scientia componat.

Ingenio et memoria polleat. — Qui doctrinæ operam dant, ingenio simul et memoria pollere debent. Quæ duo in omni studio ita sibi cohærent, ut si alterum desit, neminem alterum ad perfectionem ducere possit, sicut nulla prodesse possunt lucra, ubi deest custodia; et incassum receptacula munit, qui quod recondat non habuit.

4. Ingenium est vis quædam naturaliter animo insita per se valens. Memoria est rerum et verborum et sententiarum ac sensum firmissima animi vel mentis perceptio. Ingenium invenit, memoria custodit. Ingenium a natura proficiscitur, usu juvatur, immoderato labore retunditur, et temperato acuitur exercitio. Memoria per exercitium retinendi et assidue meditandi maxime juvatur et viget. Duo sunt quæ ingenium exercent, lectio et meditatio. Lectio est cum ex his quæ scripta sunt, regulis et præceptis informamur. Item lectio est per subjectam (8) sensus investigatio. Trimodum est genus lectionis, docentis, discentis, vel per se inspicientis.

A Dicimus enim, lego librum illi, et lego librum ab illo, et lego librum.

5. *De meditatione.* — Meditatio est frequens cogitatio cum consilio, quæ causam et originem, modum et utilitatem uniuscujusque rei prudenter investigat. Meditatio principium sumit a lectione, nullis tamen struitur regulis aut præceptis lectionis. Delectatur enim quodam aperto discurrere spatio, ubi liberam contemplandæ veritati aciem affigat, et nunc has, nunc illas rerum causas perstringere, nunc autem profunda quæque penetrare, nihil anceps, nihil obscurum relinquere. Principium ergo doctrinæ est in lectione, consummatio in meditatione. Quam si quis familiarius amare didicerit, eique sæpius vacare voluerit, jucundam
B valde reddit vitam, et maximam in tribulatione præstat consolationem. Ea enim maxime est quæ animam a terrenorum actuum strepitu segregat, et in hac vita etiam æternæ quietis dulcedine, quodammodo prægustare facit. Cumque jam per ea quæ facta sunt, eum qui fecit quærere didicerit et intelligere, tunc animam pariter et scientia erudit et lætitia profundit: unde fit ut maximum in meditatione sit oblectamentum.

6. *Meditationis tria genera.* Tria sunt genera meditationis. Unum constat in circumspectione morum, aliud in scrutatione mandatorum, tertium in investigatione divinorum operum. Mores sunt in vitiis et virtutibus. Mandatum divinum aliud præcipiens, aliud promittens, aliud terrens. Opus Dei est
C et quod creat potentia, et quod moderatur sapientia, et quod cooperatur gratia. Quæ omnia quanta sint admiratione digna tanto magis quisque novit, quanto attentius Dei mirabilia meditari consuevit.

7. *Memoriæ commendanda quæ sumus edocti.* — Memoria colligendo custodit ea quæ ingenium investigat et invenit. Oportet enim ut quæ discendo divisimus, commendanda memoriæ colligamus. Colligere est ea de quibus prolixius vel scriptum vel disputatum est ad brevem quamdam et compendiosam summam redigere; quæ a majoribus epilogus, id est brevis recapitulatio supradictorum appellata est. Memoria enim hominis brevitate gaudet, et si in multa dividitur fit minor in singulis. Debemus ergo in omni studio vel doctrina breve
D aliquid et certum colligere, quod in arcula memoriæ recondatur, unde postmodum cum res exigit aliqua deriventur. Hæc etiam sæpe replicare et de ventre memoriæ ad palatum revocare necesse est ne longa intermissione obsoleat.

8. *Animæ rationali tres visiones. Meditationis et*

(8) Deest hic aliquod verbum.

contemplationis discrimen. — Tres sunt animæ rationalis visiones. Cogitatio, meditatio et contemplatio. Cogitatio est cum mens notione rerum transitorie tangitur, cum ipsa res sua imagine animo subito præsentatur, vel per sensum ingrediens, vel a memoria exurgens. Meditatio est assidua ac sagax retractatio cogitationis, aliquid obscurum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. Contemplatio est perspicax et liber animi intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusas. Inter meditationem et contemplationem hoc interesse videtur, quod meditatio semper est de rebus a nostra intelligentia occultis : contemplatio vero de rebus vel secundum suam naturam vel secundum capacitatem nostram manifestis ; et quod meditatio semper circa unum aliquid rimandum occupatur ; contemplatio autem ad multa vel etiam ad universa comprehendenda diffunditur. Meditatio itaque est vis quædam mentis curiosa ac sagax obscura investigare et perplexa evolvere. Contemplatio est vivacitas illa intelligentiæ, quæ cuncta in palam habens manifesta visione comprehendit, et ita quodammodo id quod meditatio quærit, contemplatio possidet.

9. *Contemplationis duo genera.* — Contemplationis autem duo genera sunt, unum quod et primum est et incipientium in creaturarum consideratione, aliud quod ultimum et perfectorum est in contemplatione Creatoris. In Proverbiis Salomon quasi meditando incessit, in Ecclesiaste ad primum gradum contemplationis ascendit, in Canticis canticorum ad supremum se transtulit. Ut igitur tria his propriis vocabulis distinguamus, prima est meditatio, secunda est speculatio, tertia est contemplatio. In meditatione mentem pia devotione succensam pertubatio carnalium passionum importune exurgens obnubilat ; in speculatione novitas insolitæ visionis in admiratione sublevat ; in contemplatione miræ dulcedinis gustus totam in gaudium et jucunditatem commutat. Igitur in meditatione est sollicitudo, in speculatione admiratio, in contemplatione dulcedo.

10. *Tria in expositione.* Expositio tria continet, litteram, sensum, sententiam. Littera est congrua ordinatio dictionum, quam etiam constructionem vocamus. Sensus est facilis quædam et apta figuratio, quam littera prima fronte præfert. Sententia est profundior intelligentia, quæ nisi expositione vel interpretatione non invenitur. In his ordo ut primum littera, deinde sensus, postea sententia requiratur : quo facto, perfecta est expositio.

11. *Vanitatum tria genera.* Tria sunt genera vanitatum, prima est vanitas mutabilitatis quæ omnibus rebus caducis inest per conditionem. Secunda A est vanitas curiositatis vel cupiditatis, quæ mentibus hominum inest per rerum transientium et vanarum inordinatam dilectionem. Tertia est vanitas mortalitatis, quæ corporibus humanis inest per pœnalitatem.

12. *Eloquentiæ munia.* Dixit quidam eloquens et verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat (S. August. lib. IV *De doct. Christ.*, cap. 14). Demum addidit : Docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, hoc est docendi necessitas in rebus est constituta quas dicimus, reliqua duo in modo quo dicimus. Qui ergo dicendo nititur persuadere quod bonum est, nihil horum spernens, ut scilicet doceat, ut B delectet, ut flectat ; oret atque agat ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur. Quod cum apte et convenienter fit non immerito eloquens dici potesf, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad hæc tria, id est ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquii, cum itidem dicit : Is igitur erit eloquens, qui poterit parva submisse, modica temperate, magna granditer dicere. Discat quidem omnia quæ docenda sunt qui et nosse vult, et docere, facultatemque dicendi ut decet virum ecclesiasticum comparet. Qui vero dicit cum docere vult, quandiu non intelligitur ; nondum se existimet dixisse quod vult, ei quem vult docere ; quia, etsi dixit quod ipse intelligit, nondum ipsi dixisse C putandus est a quo intellectus non est. Si vero intellectus est, quocunque modo dixerit, dixit. Divinarum igitur debet Scripturarum doctor et defensor rectæ fidei, et debellator erroris, et bona docere, atque in hoc opere sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus quid agitur, quid exspectare debeant intimare. Ubi autem benivolos, intentos, dociles aut invenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt, sicut causa postulat. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est ; si tamen indigeat ut res de qua agitur innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant ; documentis adhibitis ratiocinandum est.

ALCUINUS.

D Et Marcus Tullius ait : Thesaurus est omnium rerum memoria, quæ nisi custos cogitatis inventisque rebus et verbis adhibeatur ; intelligimus omnia, etiamsi præclare fuerint, in oratore peritura. Non habemus alia ejus præcepta nisi discendi exercitationem et scribendi usum et cogitandi studium et de ebrietate cavenda, quæ omnibus bonis studiis nocet et menti adimit integritatem.

HUGONIS DE S. VICTORE

OPERUM PARS TERTIA. OPUSCULA MYSTICA.

EXPOSITIO

IN REGULAM BEATI AUGUSTINI.

CAPUT PRIMUM.

DE CHARITATE DEI ET PROXIMI, DE UNITATE CORDIUM, ET COMMUNITATE RERUM.

Hæc præcepta quæ subscripta sunt ideo regula appellantur, quia videlicet in eis nobis recte vivendi norma exprimitur. Regula autem dicitur, eo quod recte regat, vel quod recte doceat. Et quod nos dicimus regulam, Græci canonem appellant. Unde etiam Græco nomine canonici, id est regulares, appellati sunt hi qui in monasteriis constituti juxta regularia præcepta sanctorum Patrum canonice atque apostolice vivunt, quibus dicitur.

Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constitutis.

Ad hæc nobis divina præcepta leguntur, quatenus lecta intelligantur et impleantur. Metuenda illa sententia, qua dicitur : *Servus qui sit voluntatem domini sui et non facit, plagis vapulabit multis* (*Luc.* XII). Hinc Paulus ait : *Non enim auditores legis, sed factores justificabuntur* (*Rom.* II). Audiamus ergo sacra præcepta pii domini, et memores simus mandatorum ipsius ad faciendum ea. Quia sicut dicit beatus Jacobus : *Si quis in lege perfectæ perspexerit libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit* (*Jacob.* I). Et Dominus in Evangelio : *Beati qui audiunt verbum Dei et cutodiunt illud* (*Luc.* XI). Igitur quæ præcipiuntur nobis in monasterio constitutis humiliter attendamus.

Primum propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis anima una et cor unum in Deo.

Primo nobis admonitio fit de unitate et concor- A dia ; et tali concordia quæ in Deo fit. Nam concordia ad faciendum peccatum mala est ; concordia vero ad faciendum bonum, et sectandam justitiam, et serviendum Deo bona est. Hoc est propter quod in unum sumus congregati, scilicet ut in servitio divino unum spiritum et unam animam omnes habeamus in domo, et sit nobis anima una et cor unum in Deo. Oportet enim si in unum congregati sumus corporaliter, ut simul habitemus et spiritualiter. Non enim prodest si nos continet una domus, et separat diversa voluntas. Plus enim attendit Deus unitatem animi quam loci. Ecce in una domo sumus plures homines, diversi mores, diversa corda, diversæ animæ. Hæc omnia debet conjungere in unum una intentio et unus B amor in Deum. Debemus ergo in hoc esse unius animi et unius voluntatis, ut serviamus Deo et diligamus Deum ex toto corde et ex tota anima, et proximum sicut nos. Necessaria itaque est nobis virtus concordiæ, quæ sic haberi potest si frater dum venit ad monasterium incipit se spoliare propria voluntate, atque illum imitari, qui ait : *Non veni facere voluntatem meam* (*Joan.* VI). Et iterum : *Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI). Hoc est enim quod maxime adducit concordiam, si quisque non suam, sed alterius voluntatem facere studeat in bono. Et hoc est magnæ humilitatis judicium. Inde generatur obedientia, crescit charitas, et pax atque justitia, et Ecclesiæ virtutes ; quod si volo facere voluntatem meam, C et iste suam, fiunt divisiones, oriuntur lites, iræque et rixæ, quæ sunt opera carnis. Et sicut ait Apostolus : *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur* (*Galat.* V). Sunt quidam in congregatione

obstinati in suo sensu, sapientes in oculis suis: A nam, quod in animo conceperint, hoc quasi ex ratione defendunt; nec se aliis, sed alios sibi applicari contendunt. Et si viderint sibi non obtemperari, statim commoventur, et perturbantur. Tales solent esse rebelles mandatis seniorum; plurimumque in eis regnat passio inobedientiæ et impatientiæ. Isti non sunt idonei ad concordiam. *Nam*, juxta Apostoli vocem, *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I). Magna quippe obscuritas cordis est superbia, et valde stulta sapientia est, aliis se velle præferre. Quo contra idem Apostolus ait: *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III). Stultus enim sapiens B est, et secundum Deum magna sapientia est omnibus se judicare inferiorem. Inde scriptum est: *Quanto major es, tanto te humilia in omnibus* (*Eccli.* III). Hinc Dominus discipulos suos inter quos contentio erat, quis eorum videretur esse major, statim ad humilitatis concordiam revocat dicens: *Qui major est vestrum, erit ipse vester servus. Et ipse Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam dare redemptionem pro multis* (*Matth.* XX). Ergo unanimes habitemus in domo. *Bonum est enim et jucundum Deo habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Nec tam placent ei nostra jejunia, nostræ orationes, quam concordia. Ideo dicit in Evangelio: *Vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V). Ex quibus verbis patet quia C qui concordiam non habet, omnipotenti Deo sacrificium offere non valet. Pensare ergo debemus quanta sit apud Deum concordiæ virtus, sine qua non placent ipsa sacrificia quibus delentur peccata. Et sciendum est quia cum ad conversionem venimus, contra diabolum certamen assuminus. Nihil est autem, quod ipse tantum timeat, quantum charitatis unitatem. Nam si distribuimus totum, quod habemus, propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ipse nihil possidet. Si jejunamus, hoc ipse non metuit, quia cibum non sumit. Si vigilemus, inde non terretur, quia somno non utitur. Sed si charitate conjungimur, inde vehementer expavescit quia hoc tenemus in terra, quod ipse in cœlo contempsit servare. Hinc est quod sancta Ecclesia terribilis esse D ut castrorum acies ordinata describitur, quia sicut hostes timent quando aciem castrorum bene ordinatam et conjunctam ad bellum vident, ita nimirum diabolus expavescit, quando spirituales viros virtutum armis accinctos in unitate concordiæ vivere conspicit; victusque vehementer dolet, cum eos per discordiam dividere, et penetrare non valet. Hinc de Domino scriptum est: *Factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV). Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, et bellum. Ex quibus verbis patet quod omnia diabolica arma frangit concordia.

Et sit vobis anima una et cor unum in Deo.

Hæ sunt primitiæ spiritus, quas ex primordio nostræ conversionis offerre omnipotenti Deo debemus, sicut ipsa Sapientia præcepit, dicens *Fili, da mihi cor tuum* (*Prov.* XXIII). Prius enim corde et voluntate trahimur ad Deum. Ergo si corpore separamur a sæculo, corde et anima jungamur Deo, ut possimus veraciter dicere: *Mihi autem adhærere Deo bonum est. Nam qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo* (*Psal.* LXXII; *I Cor.* VI). Adhæreamus ergo ei, ut simus fortes per ipsum, ut simus unum in ipso, et beati cum ipso dicamus ei: *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII). Charitas separat nos a mundo, et ipsa nos conjungit Deo. Sic erit nobis anima una, et unum cor in Deo, si ex toto corde, et ex tota anima diligamus Deum. *Deus* enim *charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Et quia charitas non quærit quæ sua sunt, recte subjungitur:

Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.

Non enim debemus aliquid habere proprium, aut quidquam dicere meum, sed nostrum, ut dicatur nostra cappa, nostra tunica, nostra domus, et in cæteris similiter. Omnia enim in communi debemus habere, et omnia communi nomine appellare.

Sed in hoc pensandum est quanta differentia sit inter carnales fratres et spirituales. Nam illi, quod commune est eis, dividunt: isti quod divisum erat in communi ponunt. Ibi quisque, quod suum est, quærit: isti non quæ sua sunt, quærunt, sed quæ Jesu Christi. Plus ergo valet ista propinquitas quam illa; quia illa deficit, ista crescit. Illa habet divisionem, ista unitatem. Illa transit cum sæculo, ista permanet cum futuro. Ad hoc enim simul modo in ista domo vivimus, ut postmodum in cœlesti regno maneamus. *Filii Dei sumus*, ait Apostolus, *sed nondum apparuit quid erimus. Sciemus autem cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III); et Paulus. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram requirimus* (*Hebr.* XIII). Ergo non debemus habere propria, sed sint nobis omnia communia. Partes sibi faciunt homines in hoc sæculo: alius argentum et aurum; alii domos et familias: alius nomen grande, potentiam et gloriam; iste hoc: alius aliud, diversi diverso modo. Pars vero piorum est ipse Deus. Et nos si volumus habere talem partem, talem hæreditatem ut est Dominus, tales nos oportet exhibere, ut digni simus eum possidere et possideri ab ipso. Ergo si volumus in hæreditatem possidere Deum, nihil debemus habere extra Deum. Nam nimis est avarus cui non sufficit Deus. Quia si quidpiam aliquid quærimus verbi gratia aurum, argentum, possessiones, cum istis partibus pars fieri Dominus dedignatur. Verba sunt Hier.: *Ego*, inquit, *non accipio hæreditatem inter cæteras tribus; sed quasi sacerdos et levita vivo*

decimis; et altari serviens, altaris oblatione sustentor: habens victum et vestitum, his contentus ero. — *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Et quia quandiu hic vivimus, corporali necessitate indigemus, recte subjungitur.

Et distribuatur unicuique vestrum a præposito vestro victus et vestimentum.

Sic enim Dominus voluit ordinari Ecclesias suas, ut alii vacarent spiritualibus, alii eis temporalia ministrarent. Et ideo alios voluit esse præpositos, alios subditos. Præpositorum officium est subditis corporalia ministrare. Subditorum ministerium est spiritualibus studiis insistere: lectioni, orationi, contemplationi vacare, in psalmis hymnis et canticis spiritualibus cœlesti Domino deservire. Tanto ergo opus est ut circa se sollicitus vivant, quanto eos aliena cura non implicat. Constitutum est a Domino, ut qui altari serviunt, de altari vivant: *Dignus est operarius*, sicut ipse ait, *mercede sua* (*Luc.* x). Et ideo si vivimus de annona Christi, et justum est ut laboremus in servitio Christi: et tunc digne mercedem accipimus, si prius boni operarii fuerimus. Dicit enim apostolus Paulus: *Qui non vult operari, non manducet* (*II Thess.* v). Quia si non laboramus et manducamus, tanto majoris criminis efficimur rei, quanto Dei beneficia suscipimus indigni. Oportet ergo ut serviamus ei a quo pascimur, si sine periculo animæ volumus sumere hoc quod distribuitur, et tanto plus debemus esse solliciti in bono opere, quanto ea percipimus sine magno labore. Nam quid mirum, si hi, qui temporalibus occupantur, minus studiose et religiose vivunt, si frequenter in cogitationibus et sermonibus atque actionibus suis offendunt? Usus enim sæculi homines ad peccatum etiam quandoque invitum trahit. Hi vero quibus et cura mundi, et occasio peccandi deest, quanto minus religiose vivunt, tanto magis supernum judicem offendunt: nec sine gravi periculo animæ etiam in niminis negligentiis offendunt. Pensemus ergo ad quid nobis victus, et tegumentum tribuitur: ut sit totum desiderium nostrum, *primum quærere regnum Dei et justitiam ejus, propter quod hæc omnia adjiciuntur nobis* (*Matth.* vi). Qualiter autem distribuendum sit, ostenditur cum subinfertur.

Non æqualiter omnibus distribuatur, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique prout cuique opus fuerit.

Et hoc auctoritate apostolica roborat, dicens:

Sic enim legitis in Actibus apostolorum, quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique sicut unicuique opus erat (*Act.* iv).

Hoc non est ita intelligendum, ut unicuique quod opus erat, sic abundanter distribueretur quod non haberent indigentiam. Cum enim scriptum sit, quod *inter eos nullus egens erat* (*Act.* iv), scriptum etiam legimus esse de ipsis apostolis, quod serviebant Deo *in fame et siti, in frigore et nuditate* (*II Cor.* xi). Ex quibus verbis colligen-

A dum est quod multi corpore indigent, non animo. Sed qui semetipsos abnegant propter Christum, animi virtute ipsam superant naturam. Dei namque dilectio quæ fortis est ut mors, non solum illicita desideria, verum etiam ipsos corporales et naturales exstinguit affectus. In primitiva quippe Ecclesia tanta erat gratiæ spiritualis abundantia, ut non solum modico contenti essent, sed hoc ipsum quod nihil habebant, pro summis deliciis deputarent. Unde Apostolus ait *Nihil habentes et omnia possidentes* (*II Cor.* vi). Hinc etiam quidam vir sanctus ait: *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut* divitiæ commutarentur (*Tob.* v). Item ait Apostolus: *Magnus*, inquit, *quæstus est pietas cum sufficientia; habentes*, inquit, *victum et vestitum his contenti simus* (*I Tim.* vi). In hujusmodi

B ergo non debemus attendere voluntatem carnis, sed valetudinem naturæ. Plus enim appetit carnalis voluntas quam necessitas. Quamobrem in eo quod dicitur, quod unicuique quod opus est tribuatur, iste modus servandus est quatenus sic nutriatur caro ut serviat, et iterum sic reprimatur ut non superbiat; sic servetur necessitas naturæ, ut abscindatur superfluitas concupiscentiæ.

Qui autem aliquid habebant in sæculo quando ingressi fuerint monasterium, libenter velint illud esse commune.

Hoc fecerunt primitivæ Ecclesiæ fratres. Dignum enim eis videbatur, ut qui communem habebant

C gratiam communem haberent et substantiam; et quibus unus erat spiritus, unus esset et sumptus. Bene autem additum est hoc verbum *libenter*, quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* ix). Libenter debemus terrena dare, ut possimus cœlestia comparare. Regnum enim cœlorum tantum valet, quantum habes. Nihil vilius cum emitur, nihil charius cum possidetur. Duo sunt quæ relinqui oportet propter Deum, facultatem scilicet possidendi, et voluntatem habendi: Hinc est quod Dominus ait in Evangelio: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* xiv). Et iterum: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* (*Luc.* ix). Illud pertinet ad substantiam, hoc ad voluntatem. Non enim sufficit exteriorem relinquere substantiam, nisi interio-

D rem abscindamus concupiscentiam. Unde et subditur:

Qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt.

Etiam illi qui nihil habebant foris, habent intus quod relinquere possunt propter Deum scilicet voluntatem habendi. Unde scriptum est: *Non concupisces* (*Exod.* xx). Plus enim attendit affectum Deus quam censum. Hinc per Sapientem dicitur: *Fili, da mihi cor tuum* (*Prov.* xxiii). Quod fieri non potest nisi prius carnalis appetitus resecetur. Primum ergo jubemur habita deserere; deinde terrena non quærere, ut postea liberius ad cœlestia possimus anhelare. Et ne videretur pauperibus sæculi qui convertuntur, necessaria non debere

ministrari, quia nihil in monasterio quærere præcipiuntur subjectum est :

Sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiam si paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire.

Sive enim divites sint, sive pauperes, sive nobiles, sive ignobiles : quicunque accedunt ad servitium Christi ; justum est ut vivant de annona Christi. *Dignus est enim operarius mercede sua* (*I Tim.* v).

Tamen non ideo putent se esse felices, quia invenerunt victum et tegumentum, quale foris invenire non potuerunt.

Multi enim ad conversionem veniunt non tam propter animæ salutem, quam propter corporis necessitatem ; qui non Deum colunt, sed ventrem suum, de quibus ait Apostolus. *Quorum Deus venter est* (*Philipp.* III). Talibus Dominus dicit in Evangelio : *Amen dico vobis, quæritis me non quia vidistis signa, sed, quia manducastis ex panibus meis* (*Joan.* VI). Horum talium tota est intentio atque felicitas ut bene pascantur, bene vestiantur, et bene sit eis temporaliter. Et quia terrena appetunt cœlestibus privantur. *Receperunt enim*, sicut Dominus ait, *mercedem suam* (*Matth.* IV). Unde summopere cavendum est, ne temporalibus adhæreamus bonis. Ideo Psalmista nos admonet, dicens : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* LXI). Terrena quidem nobis in usu esse debent, cœlestia autem in desiderio. Est enim quædam admirabilis et magna multitudo dulcedinis Dei quam habet in se, de qua dictum est : *Quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II). Unde scriptum est : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Illa ergo satietas debet esse nostra felicitas.

CAPUT II.

DE HUMILITATE.

Nec erigant cervicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant ; sed sursum cor habeant et terrena vana non quærant, ne incipiant monasteria divitibus esse utilia non pauperibus, si divites illic humiliantur et pauperes inflantur.

Cervicem erigere signum superbiæ est. Si superbis angelis non fuit utile cœlum, constat, quia superbis hominibus non erit utile monasterium. Et si sanctus sit locus, si sanctus sit habitus, si sancta opera videantur, totum ex vitio superbiæ inutile habebitur. Superbia enim casum habet. Ideo sanctus David orat ad Dominum ut *non veniat ei pes superbiæ, quia ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem : expulsi sunt nec potuerunt stare* (*Psal.* XXXV). Quo contra utilia sunt humilibus monasteria. Ipsi enim sunt docibiles Dei, sicut scriptum est : *Docebit mites vias suas* (*Psal.* XXIV). Itemque : *Qui emittit fontes in convallibus* (*Psal.* CIII) ; id est gratiam suam præstat humilibus. Ipsi quidem bona quæ faciunt non amittunt, quia custodem virtutum humilitatem non deserunt. Et quia juxta evangelicum præceptum recumbunt in novissimo loco, et secundum prophetam eligunt abjecti esse in domo Domini ; ideo ab ipso merentur exaudiri sicut scriptum est: *Omnis qui se exaltat humiliabitur ; et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII). Et iterum : *Superbis Deus resistit; humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V).

Rursus etiam illi, qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum divitum dignitate; sed de pauperum fratrum societate gloriari.

Summopere cavere debent fratres, qui ad sanctam societatem et communem vitam venerunt, ut non habeat alter alterum fastidio, quamvis eo ditior sit, sive nobilior, sive sapientior. Quoniam sicut dicit Apostolus : *Infirma mundi elegit Deus et ignobilia et contemptibilia, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* (*I Cor.* I), scilicet neque potens in potentia sua ; neque sapiens in sapientia sua, neque dives in divitiis suis. *Non enim est personarum acceptio apud Deum* (*Colos.* III). Nam idem Dominus dives in omnes qui invocant eum. Bene autem non de dignitate divitum parentum, sed de societate pauperum fratrum præcipimur gloriari, quoniam ipse qui dives est in gloria sua pauper factus est pro nobis. Non divitibus sed pauperibus dignatus est sociari; ut et nos pauperes simus propter ipsum, quoniam pauperibus promissum est regnum cœlorum. Gloriari quidem de divitiis pertinet ad vanitatem mundi ; de paupertate vero gloriari pertinet ad beatitudinem.

Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint ; nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas monasterio partiuntur, quam si in sæculo fruentur.

Ex præcedenti sententia et iis quæ sequuntur, nobis duo genera superbiæ designantur. Unum carnale, aliud spirituale. Nam pauperes fastidire et de nobilitate gloriari ad superbiam pertinet quæ inter homines sæculares frequenter solet evenire. Deo peribus misericordiæ se extollere superbia spiritualis, quæ solet etiam spirituales corrumpere. Magis autem timenda est superbia spiritualis quam carnalis, quia se extollere de bono opere aut de virtute, ab alto cadere est. Et quanto altior est ascensus, tanto periculosior est casus. Dominus dicit in Evangelio: *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna in abscondito : et ille qui videt in abscondito reddet tibi* (*Matth.* VI). Per dexteram recta operatio ; per sinistram favor mundi atque elatio designatur ; ex his verbis admonemur ut recta quæ agimus abscondere ab elatione studeamus, alioquin mercedem non habebimus apud Patrem nostrum. Deinde ostendit quantum sit vitium superbiæ; cum subjungit.

Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant ; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.

Ex hoc apparet quia cæteris vitiis major est superbia. Per vitia enim et virtutes exterminat humanam mentem: superbia Deo et hominibus odibilis est, de qua scriptum est: *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* x). Prima est in peccando; ultima remanet in conflictu. Nam cum servus Dei cætera vitia superavit; et jam ad virtutum alta conscenderit; adhuc habet pugnam contra superbiam, quam nisi expugnaverit, in cæteris frustra laboravit. Cum ergo foris bona agimus, intus cor ab elatione custodiamus; quia nulla Deo placet cum superbia operatio. Unde Scriptura nos admonet dicens: *Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita ab ipso procedit* (*Prov.* IV).

Et quid prodest dispergendo dare pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo?

Quid prodest nobis nostra relinquere, nisi relinquamus et nos. Non enim, dicit Dominus: *Beati pauperes* rebus, sed *spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). De contemptu rerum quisque debet esse humilior non superbior, et melius esset ut eas in sæculo retineret quam sic relinqueret, ut inde in monasterio superbiret. Sicut ergo illa anima est beata quæ sua propter Dominum pauperibus dividit ut humilietur, ita est illa misera quæ inde extollitur. Infelix profecto est qui per iter virtutum tendit ad vitia, et unde præmium habere debuit, inde tormentum incurrit. Omnis quippe superbus tanto in imo est, quanto in altum se erigit, tantoque profundius labitur, quanto excelsius elevatur. Resecatis quibusdam vitiis ad unanimitatem redit, quam primo commendavit, dicens.

Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite, et honorate in vobis Deum invicem, cujus templa facti estis.

Unanimiter vivimus si unum in Deo animum habeamus, quemadmodum primitiva Ecclesia, cui cor erat unum et anima una. Quod ait *unanimiter* pertinet ad voluntatem. Quod vero subdit *concorditer*, pertinet ad bonos mores. Hic est rectus ordo vivendi, primum ut sit voluntas una, deinde concors vita. Frater qui vult concorditer vivere, prius debet pravos mores deponere, ne sit perversus, inordinatus, indisciplinatus, ne anxietate sua cæteros premat, deinde ita debet librare actus suos et totam vitam suam, ut concordare possit secundum Deum cum quibus vivit. Sunt ergo nonnulli qui, postquam sæculum relinquunt, proprias voluntates sequi volunt. Et rursus sunt plerique qui in suis actibus appetunt sæcularibus apparere. Ideo dictum est: Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite. Deum autem in nobis invicem honoramus, si nos invicem propter ipsum diligamus, si præcepta ejus sollicite custodimus et efficimur sanctum templum ejus per inhabitationem Spiritus ejus in nobis. Nostrum est Deum honorare, Dei est nos inhabitare et illustrare per gratiam.

Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint, etc., usque *fruerentur*.

Melius est res suas in sæculo tenere, quam eas ita in monasterio distribuere, ut velint se inde extollere. Nam si extolluntur, dejiciuntur. Quisquis enim in eo quod bene agit intumescit, eo ipso tramite quo proficit cadit. Bona quippe actio cum elatione non elevat, sed gravat. Beata est ergo illa anima quæ potest dicere cum Propheta: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX). Felix plane est qui non habet ullam superbiam in corde, nec apertam in corpore, nec in vultu, nec in habitu, neque in sermone, neque in opere, neque in cæteris motibus suis. Qui non ambulat in magnis, id est si se non reputat inter magnos, quod nobilis fuerit aut potens, aut quod divitias suas communi vitæ contulerit, aut quod in aliquo officio sit utilis. Et si non ambulat in mirabilibus super se, ut de religione et sanctitate desuper a Deo sibi collata non velit apparere tanquam admirabilis atque laudabilis. Raro tamen invenitur aliquis, qui ex his aliquam commotionem non habeat. Ut autem ista omnia superbiæ genera possit servus Dei superare, semper de se debet humiliter sentire et non exaltare animam suam, sed in humilitate reprimere, juxta quod scriptum est: *Quanto major es, tanto humilia te in omnibus* (*Eccli.* III). Valde enim timenda sunt verba quæ sequuntur: *Alia enim quæcunque iniquitas*, etc. Avaritia enim non exercetur nisi in malis operibus. Luxuria non exercetur nisi in malis operibus, similiter et cætera vitia. Sola superbia etiam bonis operibus insidiatur ut pereant. Ideo Pharisæus perdidit bona sua, quia se egisse jactanter protulit. Augustinus: Sunt quidam qui de contemptu vanæ gloriæ vanius gloriantur. Similiter sunt plerique qui de contemptu divitiarum vanius extolluntur, de quibus subjungitur:

Et quid prodest dispergendo dare pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo quam fuerat possidendo?

Ac si aperte diceret. Quid prodest paupertas cum superbia? Melior est dives humilis quam superbus pauper. Melior est peccator humilis quam justus elatus. Debet ergo in omnibus esse servus Dei providus et circumspectus, primum ne mala agat, deinde ne bona negligat, postmodum ne in nobis quæ facit intumescat; quia tunc sunt veraciter bona quæ agimus, si ea semper in humilitate custodimus. Et tunc veraciter sumus pauperes Christi, si humiles sumus pro amore Christi. Et: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Unde aperte subjungitur:

Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite, et honorate in vobis Deum invicem, cujus templa facti estis.

Paupertas quippe, et humilitas generant charitatem. Charitas vero unitatem nutrit; unitas vero

et concordia efficiunt nos templum Dei. Et tunc veraciter Deum honoramus, quando unanimiter et concorditer vivimus. Tunc enim ostendimus quia sumus discipuli Christi si tenemus unitatem charitatis Christi. Hinc est quod Dominus ait: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII).

CAPUT III.

DE ORATIONE ET JEJUNIO.

Orationibus instate horis et temporibus constitutis.

Ante tempus orare est providentia. In tempore constituto orare est obedientia. Tempus orandi præterire est negligentia. Tanto crebior debet esse oratio, quanto utilior. Instanter et ardenter orare debemus. Magna enim sunt bona quæ promittit nobis Deus. Nam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II). Non vult bona sua quærendi et inveniendi facilitate vilescere. Pretiosa et desiderabilis merces avidum negotiatorem inquirit. Ideo nos Dominus hortatur in Evangelio dicens: *Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* VII). Non enim otiosis, tepidis et negligentibus promittitur regnum Dei, sed sicut dicit Scriptura: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). Amat Deus instantiam et importunitatem in prece. Si magna sunt bona, non debent esse desideria parva. Cum magnitudine præmiorum concordare debet magnitudo desideriorum. Quod si ad primas lacrymas non exaudit Dominus; nec sic quidem a quærendo et pulsando desistendum est; sed tanta potius perseverandum instantia tantoque obstinato clamore frequentandus est Salvator, donec impleat orantis desiderium. Quod si quisquam nostrum conscientiam suam vel cogitationem suam aut actionem vitiorum sorde sentit inquinatam; misericordiam Redemptoris continuis debet flagitare lamentis, sanctorumque intercessiones et auxilia postulare, quod si ad exemplum Chananeæ mulieris in orando persistamus, fixique maneamus, aderit gratia Redemptoris nostri quæ cuncta in nobis errata corrigat, immunda sanctificet, turbulenta serenet. Fidelis enim et justus est ut remittat nobis peccata nostra, ut emundet nos ab omni iniquitate, si ad illum sedula mentis voce clamemus. Et ut secrete et quiete possint orare fratres, ideo subjungitur:

In oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit, ut si etiam forte aliqui præter horas constitutas (si eis vacat) orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint.

Ideo Dominus noster vendentes et ementes ejecit de templo dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur* (*Matth.* XXI); ut doceat in Dominica domo nihil aliud esse agendum quam orandum. Ad hoc enim omnis ecclesia constituitur ut in ea oretur. Ipsa enim est domus Dei et porta cœli. Ibi peccatores reconciliantur, et justi sanctificantur; ibi explentur divina mysteria et tractantur cœlestia sacramenta. Unde Salomon ait: Domine, si conversus fuerit populus tuus et oraverit ad sanctuarium tuum, tu exaudies eos et dimittes peccata eorum (*III Reg.* VIII). Et ideo summopere cavendum est ne aliquid in sanctuario fiat quod aut oculos divinæ majestatis offendat aut ibi orare volentes impediat. Qualiter autem orare debemus ostenditur cum subinfertur.

Psalmis et hymnis cum oratis Deum: hoc versetur in corde quod profertur in voce.

Psallentium in ecclesia mens concordare debet cum voce, ut impleatur illud Apostoli: *Psallam spiritu; psallam et mente* (*I Cor.* XIV). Orandi perseverantia ita solum meretur esse fructifera; si quod ore precamur, hoc mente meditemur. Sæpe namque oramus et alibi corde intendimus, nec ipsum quod dicimus recolimus. Sed illam Deus non exaudit orationem, cui qui orat non intendit; quod instinctu diaboli sæpe fieri solet. Sciens autem utilitatem orandi, et nobis invidens gratiam impetrandi, immittit orantibus cogitationum tumultus, ut mentem ab oratione dividat et fructum orationis tollat. Contra cujus malitiam debemus habere mentis constantiam, ut quanto plus cogitationum turba nos impugnat, tanto robustius mens nostra in sui status rectitudine fixa permaneat. Multum enim juvat ad orationis puritatem si in omni loco et tempore nos ab actibus illicitis temperemus; si semper ab otiosis sermonibus auditum pariter castigemus et linguam; si in lege Dei ambulare et testimonia ejus assuescamus toto corde scrutari. Quæcunque sæpius agere loqui, audire, solemus; eadem necesse est ad animum quasi solitam propriamque recurrant sedem.

Et nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem ita scriptum est ut non cantetur, non cantetur.

Non enim decet ut cantus ecclesiasticus fieri debeat secundum arbitrium diversorum, sed firmiter servandum est secundum scripta et instituta majorum. Similiter cæteræ consuetudines monasterii cum auctoritate et discretione ordinandæ sunt. Si quid autem mutari oportet aut constitui, non debet hoc cito fieri aut leviter; nec arbitrio tantum duorum vel trium, sed convocatis fratribus sicut sanior pars canonicæ congregationis decreverit ordinandum est. Et sciendum quod auctoritas ecclesiastica in omnibus magis imitanda est quam ratio, quoniam auctoritas semper obedientiæ et humilitatis est; ratio vero nonnunquam præsumptionis. Hoc autem servandum est in ordine ut semper maturitas ac gravitas teneatur. *Nunquid levitate usus sum*, ait Apostolus, *ut apud me sit est et non?* (*II Cor.* I.) Honestum quippe est et religiosum non facile quidquam aut leviter variare.

Carnem vestram domate jejuniis et abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit.

Caro quidem concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; sed, ne caro possit prævalere, spirituales viri per virtutem spiritus eamdem concupiscentiam debent reprimere; quia,

quando caro domatur, spiritus roboratur. Sed cum adjungitur quantum valetudo permittit, virtus discretionis commendatur. Pereunt enim ipsa bona nisi cum discretione fiant. Tantum ergo debet quisque carnem suam domare per abstinentiam, quantum valetudo permittit naturæ. Qui carnem suam supra modum affligit, civem suum occidit. Si plus quam oportet alimentis reficit, hostem nutrit. Sic ergo nutrienda est ut serviat; sic domanda ut non superbiat. In omni abstinentia hoc semper attendendum est ut vitia exstinguantur, non caro.

Quando autem aliquis non potest jejunare: non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.

Primum vitium ex septem principalibus vitiis est gula. Tentatio hujus vitii aliquando fit de parvis rebus et vilibus. Nam primus homo tentatus est non de porco, sed de pomo: Esau non de gallina, sed de lenticula. Ipse Salvator noster non de carne, sed de pane. Sunt autem hujus vitii tria genera. Unum genus est quando cibo vel potu quis immoderate utitur. Alterum genus est quando nimis delicatum cibum vel potum quis desiderat. Tertium genus quando extra horam cibum vel potum vult quis sumere. Extra horam credimus esse usque ad tertiam. Nam usque ad istam horam non decet fratrem comedere aut bibere nisi ægrotet. Ægrotandi omni hora licet. Infirmis enim non est lex posita. Non jejunantibus nec tamen infirmantibus rectam reficiendi intelligimus ab hora tertia usque ad sextam; jejunantibus vero ab hora nona usque ad vesperam. Cum Apostolus præcipiat ut *omnia honeste et secundum ordinem fiant* (*I Cor.* XIV). Nec tantum cibo et potu temporate uti oportet; sed etiam horas constitutas observare, ne cui de vita nostra præbeamus offendiculum. Valde indecens est si nos reprehensibiliter vivimus, qui formam recte vivendi aliis demonstrare debemus.

CAPUT IV.

DE REFECTIONE UTRIUSQUE HOMINIS.

Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentionibus audite, ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed et aures essuriant Dei verbum.

Illi esuriunt Dei verbum qui desiderant audire. Multi sacram lectionem audiunt, qui tamen ab ipsa lectione vacui recedunt; nullam ibi affectum habent, nullum saporem sentiunt: quidquid audiunt facile amittunt. Judicium est illis audire quod audiunt. Quo contra scriptum est: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi satarabuntur* (*Matth.* V). Ideo saturabuntur quia prius esurierunt. Esuriendo enim homo dignus efficitur ut postmodum satietur. Primum ergo præparare debemus cor nostrum ad esuriendum et desiderandum verbum Dei; aderit divina gratia quæ nos intus perfundat et dulcedine atque sapore spirituale reficiat, et delectet nos cantare, quam dulcia fau-

A cibus meis eloquia tua, Domine, super mel ori meo, et *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti* (*Psal.* CXVIII). Non solum debemus esse participes mensæ corporalis sed spiritalis, nec tantum sumere cibum corporis sed animæ. Et quanto melior est anima quam corpus, tanto amplius nos delectare debent alimenta animæ quam corporis. Quoties nobis divina Scriptura legitur aut exponitur, cogitare debemus quia esca spiritualis est, quæ a Deo nobis mittitur ad reficienda corda nostra ne deficiamus in via, et ad roborandos nos contra tentationes diaboli et pericula hujus sæculi. Talem cibum nos oportet incessanter esurire atque in mente jugiter retinere, ut possimus dicere cum Propheta: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi* (*ibid.*). Qui in corde suo sacrum eloquium abscondit, vitalis ei cibus animæ est, qui a morte, id est a peccato defendit, et insuper ad vitam æternam perducit. Jam quid de infirmis subjungat audiamus.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos aliqua consuetudo fecit esse fortiores.

Ac si aperte dicat, fortiores non debent contristari si infirmos vident misericordius tractari; imo, quia fortiores sunt, in se debent abstinentiæ servare rigorem, et aliorum imbecillitatem æquanimiter portare per compassionem.

C *Nec illos ditiores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi.*

Melius est enim abstinere quam plus sumere. Nam illud est virtutis, hoc infirmitatis. Gratulari quisque sibi debet qui dono gratiæ divinæ tam sanus est et validus, ut possit sibi sufficere communis aliorum cibus et potus, qui nihil delicatum quærit, nil superfluum. Quanto enim quisque minus appetit, quanto arctius vivit, tanto beatior existit. Arcta enim et augusta est via quæ ducit ad vitam. Gaudeat igitur qui potest parce vivere propter Christum. Parca enim vita occidit vitia, libidinem exstinguit, virtutes nutrit, animum roborat, mentem ad cœlestia sublevat.

D *Et si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus et ideo felicioribus non datur; cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sæculari vita illi ad istam vitam descenderint, quamvis usque ad aliorum qui sunt corpore firmiores frugalitatem pervenire non potuerint.*

Quare hæc debent cogitare? scilicet ut ex ratione cognoscant, quia justum est, ut hi qui plus descenderunt plus accipiant. Et cum hoc justum esse cognoverint, non velint omnes accipere quod paucos viderint accipere. Tolerandi enim sunt qui minus possunt. Et hoc est quod subjungit.

Nec debent omnes velle quod paucos vident

A *amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere; ne contingat detestanda perversitas, ut in monasteriis, ubi quantum possunt fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.*

Valde quippe detestabile est, ut ibi fiat pauper delicatus, ubi fieri appetit dives laboriosus, id est abstinens. Quod tamen sæpe videmus fieri in pluribus vel contingere. Multi enim quanto nobiliores et delicatiores fuerint in sæculo, tanto postmodum abjectius et districtius vivunt in monasterio. Et plerique quanto abjectiores et pauperiores fuerunt, tanto plus deinde in monasterio extollentiam et delectationes quærunt. Sed, sicut diximus, valde detestabile et perversum est, ibi pauperem delicias quærere, ubi dives pro amore Dei abstinendo nititur laborare. Ille servit ventri, iste spiritui; B ille per latam et spatiosam viam tendit ad gehennam, iste per arctam et angustam viam tendit ad gloriam.

CAPUT V.

DE INFIRMIS PROCURANDIS.

Sane quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere ne graventur, ita et post ægritudinem sic tractandi sunt ut citius recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo quod divitibus anterior consuetudo.

Sed quædam ægritudines sunt in quibus si cibus sumitur non juvat sed gravat, et tunc necesse habent ægrotantes minus accipere ne graventur. Ex- C posita autem ægritudine sic tractandi sunt ut citius recreentur. Et in hac recreatione fratrum non debet esse acceptio personarum, non debet contemni humillima paupertas in his quæ postulat humana necessitas, cum hoc eis tribuat recens ægritudo, quod divitibus anterior consuetudo. Qui enim misericors est in alium, Deus misericors est in illum. Unde ipse ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v). Beatus quoque Joannes dicit: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit ab eo viscera sua, quomodo charitas Dei manet in eo?* (*I Joan.* III.) Si ergo charitatem Dei volumus habere, debemus in fratribus nostris misericordiæ opera exercere. Quod cum agimus, procul dubio D ei servimus qui electis suis dicturus est in judicio: *Infirmus fui et visitastis me; esurivi et dedistis mihi manducare* (*Matt.* XXV) etc., his similia. Quibus merces inde impenditur, cum dicitur: *Percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*ibid.*). Cum ergo fratribus nostris propter Deum servimus, ipsum regnum cœlorum requirimus; et si opera sunt transitoria, merces tamen manet æterna.

Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam.

Felix consuetudo est carnalia desideria quæ militant adversus animam, abscindere, felix consuetudo est abstinere, felix consuetudo corpus suum castigare et in servitutem redigere.

Quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent, ne cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos necessitas levarat infirmos.

Ad levandam infirmitatem necessarium est carnis curam agere, quæ videlicet caro postquam vegetata fuerit, oportet eamdem curam carnis resecare, ne famulos Dei teneat cibi voluptas, ne serviant gulæ qui debent animæ deservire. Quanto ergo minus indigent, tanto amplius decet ne cibi eos voluptas teneat, ne gulæ vitium animæ virtutes tollat. Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam ventris concupiscentiam carnis incentiva devicerit. Neque enim ad conflictum spiritualis certaminis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus gulæ videlicet appetitus edomatur, quia si non prius ea quæ nobis viciniora sunt, prosternimus, inaniter ad ea quæ longe sunt impugnanda transimus. Multi ordinem certaminis ignorantes edomare gulam negligunt, et ad spiritualia bella consurgunt, qui etiam aliquando multum quæ magnæ fortitudinis sunt faciunt. Sed dominante gulæ vitio per carnis illecebram omnia quæ fortiter egerunt, perdunt, et dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur. Hoc signat quod muros Hierusalem princeps cocorum destruxit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit, quia despecto manna cibos carnium petiit. Primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderii vilem cibum, id est lenticulam, concupivit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiones non sine reatu conscientiæ degustamus. Ea itaque sumenda sunt quæ naturæ necessitas quærit, et non ea quæ edendi libido suggerit.

Illos æstiment ditiores qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores.

Ex fortitudine parcitatis deprimuntur vitia carnis, ex mortificatione vitiorum procedit pullulatio virtutum. Ipsæ sunt veræ divinæ quibus ditantur animæ continentium. Unde et subditur:

Melius est minus egere quam plus habere.

Melius est aliquid egestatis propter Dominum sustinere, quam superabundare. Nam egestas quæ propter Dominum est, generat humilitatem; quæ est initium omnium bonorum: abundantia vero parit superbiam, quæ est initium omnium malorum. Servus ergo Dei ut voluntatem atque appetitum carnis possit reprimere, semper debet ad minus tendere ut ipsorum alimentorum et vestimentorum minus velit habere etiam quam necesse sit. Adjutorem quippe habemus internæ intentionis hunc hominem quem exterius gestamus, et si ipsi insunt lasciviæ, ipse tamen affectus suppetunt operationis bonæ. Unde necesse est ut interior homo noster æquus quidem arbiter præsideat inter se et eum quem exterius gestavit, quatenus et homo suus exterior et semper ad

debitum ministerium servire sufficiat, et nunquam superbe libera cervice contradicat.

CAPUT VI.

DE HABITU EXTERIORI ET INTERIORI

Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere sed moribus.

Fecit iste vir sanctus quod docuit : scriptum est enim quia vestimenta ejus et calceamenta nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, sed ex moderato et competenti habitu erant. Ipse quoque de se legitur dixisse. Fateor quia de pretiosa veste erubesco. Non decet hanc professionem, nec decet hanc admonitionem ; non decet hæc membra, non decet hos canos. Hinc Dominus in Evangelio : *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt* (*Matth.* XI). Mollia dicuntur vestimenta eo quod mollem efficiunt animum. Mollibus vestimentis regia delectatur domus, asperis et humilibus Christi delectatur Ecclesia. Talia debent esse vestimenta clericorum, in quibus nihil notari possit novitatis, nihil quod pertineat ad superbiam et inanem gloriam. Non tenera vestis sacerdotem, sed munditia mentis ornat clericum. Ornemus ergo nos spiritualibus ornamentis scilicet castitate, humilitate, mansuetudine, obedientia, patientia, charitate. Hæc sunt indumenta, quibus anima potest cœlesti imperatori placere, non enim exteriorem sed interiorem pulchritudinem requirit invisibilis sponsus. Sicut scriptum est : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* (*Psal.* XLIV). Nostræ ergo divitiæ, nostra pulchritudo boni mores sunt. Et beata illa anima cui dicitur in Cantico canticorum : *Quam pulchra es, amica mea, et macula non est in te !* (*Cant.* IV). Studeamus ergo invisibili Domino placere non vestibus sed moribus, ut impleatur in nobis quod per Apostolum præcipitur : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri* (*Rom.* XII). Etsi enim exterior *noster homo* corrumpitur, interior *tamen renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV). Deinde subjungit de incessu, statu et cæteris motibus, dicens :

Quando procedetis simul ambulate, cum veneritis quo itis simul state. In incessu, statu et omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Sancta ergo perfectorum Ecclesia non solum floret honore religionis, sed etiam honestatis decore pollet, sicut scriptum est : *Flores mei fructus honoris et honestatis* (*Eccl.* XXIV) ; religiosum quippe et honestum est, ut sicut simul habitant fratres; ita quoque simul ambulent et simul stent. Et Apostolus præcepit ut *omnia honestate et secundum ordinem fiant* (*I Cor.* XIV). Potest quoque in hac corporali conjunctione aliquid spirituale intelligi. Sanctorum quoque societas terribilis ut castrorum acies ordinata describitur. Castrorum namque acies cum ad bellum se præparat, prius se conjungere atque ordinare festinat, ne ab hostibus interrumpi aut penetrari valeat. Sic nimirum

A nostra spiritualis acies quæ bene conjuncta et ordinata simul stare, simul ambulare præcipitur, contra diabolum quotidie munitur ad bellum, ut videlicet ex sua conjunctione terreat antiquum hostem, qui in servis Dei nihil tam timet quam concordiæ unitatem. Sed valde notandum est quod dicitur.

In omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Sic vivere debent canonici ut a nemine juste valeant reprehendi. Valde enim incongruum est, ut ipsi reprehensibiliter vivant ; quorum ordo exigit ut cæteris formam sanctitatis ostendant. Nam ad eos hæc sententia pertinet, qua dicitur : *Estote sancti sicut et ego sanctus sum,* dicit Domi-
B nus (*Lev.* XIX). Vere sancti esse debemus qui nomen et habitum religionis et sanctitatis suscepimus, qui divino cultui sumus mancipati, sacrisque altaribus Christi consecrati, et divinis mysteriis ordinati. Ergo *sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei* (*I Cor.* IV). Non præcipit Apostolus tamen *ut ita simus, sed sic nos existimet*, inquit, *homo. Non enim sufficit nobis vita sancta, nisi sit et fama bona.* Nam vita bona nobis necessaria, propter nos, fama vero bona propter alios. Unde rursus ait Apostolus : *Oportet nos ab his, qui foris sunt habere bonum testimonium* (*I Tim.* III). Sic ergo debemus vivere ut vita concordet cum nomine, et professio teneatur in opere, ut si san-
C ctus est ordo, sancta sit conversatio, et sicut bene de nobis dicitur, testimonio bonæ actionis comprobetur. Tunc enim religiose vivimus, si illicitos motus sub disciplina coercemus , si membra et sensus nostros studeamus restringere, ut non possint lasciviæ et levitati deservire, ut aspectus noster sit simplex et humilis , ne fixe aspiciat oculus quod illicite concupiscat animus, ut noster auditus sit purus et discretus, ea quæ superflua sunt et vana respuens, ea quæ Dei sunt gratanter suscipiens, ut sermo noster sit sale conditus, otiosa et nocua detestans, bona et utilia commendans, ut sit in corde munditia, in vultu pudicitia, in incessu gravitas, status cum reverentia, motus cum maturitate, habitus cum reli-
D gione , quatenus ubique resplendeat sanctitas , superemineat honestas, servetur humilitas , in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Oculi vestri, etsi jaciantur in aliquam feminarum, in nulla figantur. Neque enim quando proceditis feminas videre prohibemini, sed appetere vel ab ipsis appeti velle criminosum est.

Unde Dominus in Evangelio : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V). Et quia per illicitum visum concupiscentia oritur per quam integritas mentis violatur, necesse est ut semper servus Dei visum suum reprimat, nec per concupiscentiam et per immunditiam cordis Deum offendat. Sanctus

David quia oculos in feminam jecit et fixit, illicito appetitu devictus adulterium et homicidium perpetravit. Si ergo tantus vir per incuriam oculorum cecidit, nos qui longe ab ejus sanctitate distamus, tam mortale præcipitium summopere timere debemus. Teneamus ergo sententiam beati Job qua dicitur : *Pepigi fœdus cum oculis meis ut non cogitarem de virgine* (*Job* xxxi). Quia enim sensit sanctus vir quod per exteriorem visum interior animus corrumpitur, fecit pactum cum oculis suis ne incaute aspicerent quod illicite concupisceret. Non enim profecto vitium vincitur, nisi sollicite causa et opportunitas vitii caveatur. Hinc est quod Lot a Sodomis fugienti præcipitur ut non retrospiciat, neque remaneat in omni circa regione, sed in monte salvum se faciat. Quisquis enim per- B fecte appetit incentiva vitiorum fugere, ab aspectu et vicinitate ipsorum se debet alienum facere, atque ad alta virtutum conscendere, ut tanto a vitiis remaneat extraneus, quanto ab eis virtute et corpore elongatur. Et quod visus sit causa concupiscentiæ ostenditur cum subditur.

Non solum tacito affectu, sed affectu et aspectu quoque appetitur et appetit concupiscentia feminarum.

Ac si aperte dicat : Non solum tacita voluntate intus concupiscentia oritur, sed etiam per exteriorem aspectum generatur. Nisi enim sanctus David feminam fixe inspexisset, in tantam carnis tentationem minime incidisset. Hinc per prophetam dicitur : *Ascendit mors per fenestras* nostras C (*Jer.* ix). Mors animæ est concupiscentia, domus interior mens nostra est, fenestræ hujus domus sunt quinque corporis sensus. Mors ergo per fenestram ascendit atque domos ingreditur, quando concupiscentiæ vitium per sensus prorumpit ad interiora mentis. Quapropter ne vitalis sensus per exteriorem appetitum intus intereat, opus est ut fenestras domus nostræ tanta diligentia custodiamus, ut ipsum appetitum tanto facilius possimus compescere quanto nullum vitiis permittimus ingressum patere. Valde enim timenda est sententia quæ subditur.

Nec dicatis vos habere animos pudicos si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. D

Sæpe enim quæ intus lateant exteriora membra denuntiant, et frequenter per habitum corporis cognoscitur habitus mentis. Minor est autem culpa dum jacet in occulto, sed jam major efficitur dum incipit apparere in publico.

Et sciendum quia impudicitia alia est carnalis, alia spiritualis. Spiritualis est quæ per delectationem cogitationum intus tantum agitur. Carnalis vero est quæ corporaliter completur. Fit autem multis modis. Nam, modo per visum, modo per auditum, modo per tactum, modo per cogitationem, modo per locutionem, modo per operationem talibus fomentis nutritur et exercetur libido, et separatur anima a Deo, fugitque castitas de moribus, exercetur in mentibus luxuria. Unde et subditur :

Et cum se invicem sibimet etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit ipsa castitas de moribus.

Castitas quippe de moribus fugit, dum libidinosa voluntas conspectibus mutuis magis magisque inardescit. Etsi corpus ab immunda violatione non tangitur, ipsa tamen immunda violatio, visu, affectu, cogitatione, delectatione perpetratur, ipsisque fomentis quasi quibusdam gradibus crescit peccatum. Cogitatio parva delectationem parit, delectatio consensum, consensus operationem, operatio consuetudinem, consuetudo necessitatem. Apostolus enim *legem peccati* dicit *esse in membris* (*Rom.* vii), quæ lex consuetudo est quam peccando concipimus, et ab ea cum volumus non discedimus, quia necessitatis vinculo per consuetudinem retinemur. Bonum est ergo culpam corrigere cum incipit apparere, quia si morari cœperit, immanitatem sceleris facit, et quid dicit Psalmista de hujusmodi ? *Prolongaverunt iniquitatem suam ; Dominus justus concidet cervices peccatorum* (*Psal.* cxxviii).

Nec putare debet, quia in feminam figit oculum et illius in se diligit fixum, ab aliis se non videri cum hoc facit, videtur omnino et a quibus se videri non arbitratur.

Hoc videmus frequenter de his qui culpas suas volunt abscondere, quod dum vitia quasi caute et latenter agere existimant, ipsi seipsos dum nesciunt demonstrant, et culpa quæ occulta esse creditur, ab aliis manifeste cognoscitur.

Sed ecce lateat et a nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest ? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius quanto sapientius ?

In cunctis ergo quæ vel agendo vel loquendo vel cogitando delinquimus, aspectum superni judicis vehementer formidare debemus, quia, si aliquando non apparent hominibus vitia nostra, illius tamen oculis nuda sunt omnia et aperta. Et hoc nos a culpa reprimere debet quia in ejus judicio nihil inultum poterit remanere. Contra vitiorum incentiva debemus opponere inferni tormenta, et contra transitoriam delectationem perpetui ignis dolorem. Valde stultus est qui pro eo quod parvo tempore luxuriæ deservit, suumque miserum desiderium parvis delectationibus pascit, et cœlestem perdit amœnitatem et incurrit æternam damnationem.

Ille ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ malæ placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit feminæ male videri. Illius namque et in hac causa commendatus est timor ubi scriptum est. Abominatio est domino defigens oculum.

Ex quibus verbis patet, quia si oculum in feminam figimus, Deo nostro, cui placere debuimus, abominabiles sumus. Et a quo debuimus recipere glo-

riam, recipiemus pœnam. Quapropter necesse est ut si a nostris vitiis divinus non separat amor, vel reprimat timor, etsi nos non delectant superna gaudia, vel terreant æterna supplicia. Sic homo recedere a peccato incipit, si timeat displicere auctori suo.

Si dicit aliquis : Quomodo timebo Deum ? Si vis Deum timere, illum cogita omnia videre. Titillat te mala conscientia, cogita quia Deus videt te. Quidquid in te malum fuerit, pensa quia Deus totum conspicit. Quidquid egerimus, aut dixerimus, aut mente tractaverimus, semper attendamus super nos oculos Dei, semper timeamus displicere illi. Hæc est via justitiæ, hæc sunt primordia sapientiæ, sicut scriptum est : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* I). Sequitur : Quando ergo simul estis in ecclesia vel ubicunque ubi feminæ sunt, invicem pudicitiam vestram custodite.

Magna est pudicitiæ virtus et multum commendata in Scripturis divinis. Hæc virtus cœlestis et spiritualis est. Nam hominem a terra sublevat, angelis sociat, Deo conjungit, de terreno cœlestem, de carnali spiritualem facit. Hæc virtus etiam humanam naturam transcendit. Nam quod homo pudicus est, quod castus, non tam virtus humana facit quam divina. Per hanc nos amat invisibilis sponsus. Non enim placet Deo anima si non est casta, si non est pudica. Nam si immunditiæ et luxuriæ deservit, abominabilis est ei et reproba. Pudicitiæ virtus acceptabilis est Deo et hominibus. Hanc nobis invidet, hanc impugnare non cessat antiquus humani generis hostis. Ipse enim est persuasor immunditiæ et luxuriæ, plures corrumpit, non parcit clericis, non indulget monachis, et quod magis gemendum est, ipsos etiam religiosos prosternit.

Necesse est ergo summo vigilantia invicem nostram pudicitiam custodire. Nam, si eam perdimus, totum perdimus, etiam nosmetipsos. Qui perdit pudicitiam perdit animam, perdit Deum, perdit et semetipsum. Sed ad hoc in unum habitamus, ut nos invicem custodiamus, invicem corrigamus, invicem erudiamur, et quod quisque non potest per seipsum, possit per alium. Et quia nostra custodia non a nobis est, sed a Deo, bene subditur.

Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

Non enim sufficiens est vobis custodia nostra nisi etiam adsit divina. Unde scriptum est : *Nisi Dominus custodierit* (*Psal.* CXXVI), etc. Nemo est qui pudicitiam possit custodire, aut in seipso, aut in alio, nisi per Deum. Sed si ipse habitaverit in nobis, poterimus per ipsum, quod non valemus per nos. Sic ergo studeamus vivere, ut nos in ipso et ipse in nobis dignetur habitare, ut justi et casti possimus esse per ipsum, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VII.

DE CORRECTIONE FRATRUM.

Etsi hanc de qua loquor oculi petulantiam in A *aliquo vestrum adverteritis, statim admonete ne cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem et post admonitionem iterum vel alio quocunque die idipsum eum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat, quicunque hoc potuerit invenire. Prius tamen est alteri vel tertio demonstrandum, ut duorum vel trium possit ore convinci; et competenti severitate coerceri.*

Hæc sententia verbis apostolicis concordat et evangelicis. Ait enim beatus Paulus : *Si fuerit homo præoccupatus in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* (*Gal.* VI). Et Dominus in Evangelio : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum, si te audierit lucratus es fratrem* B *tuum. Si te non audierit, adhibe tibi duos vel tres, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum* (*Matth.* XVIII). Summa quidem diligentia investiganda et corrigenda est culpa. Nam, si eam non emendamus in hoc sæculo, damnabimur in futuro. Unde Apostolus : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* X). Melius est ergo hic emendare vitam quam tunc perire. Qui amat corripi sapiens est. Unde scriptum est : *Corripe sapientem et amabit te. Stultus autem si corripitur irascitur.* Sed quid dicit Apostolus ad discipulum? *Insta*, inquit, *opportune*, *importune* (*II Tim.* IV). *Opportune* dicebat propter eos qui libenter audiebant verbum prædicationis. *Importune* propter eos qui inviti audiebant. Similiter eos qui culpas C redarguunt, quandoque oportet esse importunos, sed ista importunitas non est ex charitate, et sæpe is qui conturbatur quia corripitur, cum cogitare cœperit, quanto eum amore frater suus reprehenderit, gaudet de reprehensione, et quod deliquit studet emendare.

Nec vos judicetis esse malevolos quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros quod indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore quod velit occultari, cum timet secari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde.

Si crudelis est qui vulnus in corpore fratris celat, D multo magis crudelis est, qui peccati vulnus in anima fratris non indicat, et reus mortis illius existit, quem tacendo perire permittit. Sicut enim ille ex opere, ita iste damnatur ex taciturnitate. Quia si is crudelis est qui culpam non detegit, econtra ille misericors est qui eam non abscondit. Nec majorem potest erga miserum misericordiam agere, quam pereunti vitam præstare. Magna quoque illi merces debetur ab Omnipotente a quo dictum est : *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur (Matth.* V). Et Jacobus ait : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jacob.* V). Quo autem ordine culpa debeat demonstrari, ostendit cum subjungit :

Sed, antequam aliis demonstretur per quos con-

vincendus est si negaverit, prius præposito debet ostendi si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit secretius correctus non innotescere cæteris.

Culpa cum occulte committitur, ab aliis fratribus, qui ejus culpæ conscii sunt, ille qui deliquit frater secreto debet corrigi : quos si neglexerit audire, patri monasterii debet indicari, ut et ipse fratrem secreto corrigat, qualemcunque culpa, quæ adhuc latens est, si forte secretius corrigi potuerit, non omnibus innotescat. Si autem negaverit, tunc testes adhibeantur, ut convictus districtius judicetur. Et hoc est quod subditur.

Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii etiam coram omnibus, ut possit non ab uno teste argui, sed a duobus vel tribus convinci. Convictus vero secundum arbitrium præpositi vel etiam presbyteri ad cujus dispensationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam.

Quid blande castigatus non corrigitur, necesse est ut acrius corrigatur. Cum dolore enim abscindenda sunt quæ leniter sanari non possunt. Qui autem admonitus secreto de peccato corrigi negligit, publice arguendus est, ut vulnus quod occulte sanari nescit manifeste valeat emendari. Manifesta autem peccata non sunt occulta ratione purganda. Palam enim arguendi sunt qui palam peccant, ut dum sanantur aperta objurgatione, hi qui eos imitando deliquerunt corrigantur. Hic ergo qui secreto corrigi noluit, publice convictus debet emendatoriam subire vindictam.

Quam si ferre recusaverit, etiam si inde non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.

Melius est enim, ut pro multorum ædificatione condemnetur unus, quam per unius licentiam plurimi periclitentur. Hinc Dominus dicit in Evangelio : *Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum et projice abs te. Expedit enim tibi ut unum membrorum tuorum pereat, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizaverit te, abscinde eam et projice abs te* (*Matth.* v). Per dextrum oculum aut dextram manum possumus intelligere aliquem nostrum necessarium amicum. Qui providet in consiliis, oculus noster est ; qui ministrat in necessariis, manus nostra est ; qui si etiam providet in spiritualibus, noster dexter oculus est aut dextra manus. Talis et tam necessarius si cæteros in Dei servitio scandalizaverit, de corpore, id est de societate est abscindendus. Melius est enim unius solatium perdere quam per unum totum corpus perire.

Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, judicandisque peccatis diligenter et fideliter observetur cum dilectione hominum et odio vitiorum.

Hinc idem beatus doctor alibi dicit : Sic diligendi sunt homines ut non diligantur eorum errores. Aliud est enim amasse quod facti sunt, aliud vero odisse quod faciunt. Sunt nonnulli qui aliorum redarguunt culpas non tam ex charitate quam ex odii amaritudine, non tam ut eos corrigi velint, quam ut odium quod in corde gestant exercere valeant. Et hoc non est secundum Deum. Magis aut ad vindictam pertinet quam ad disciplinam. Caveant ergo ut neminem cum ira et indignatione, sed potius cum dulcedine et charitate redarguant. Et si aliquando culpa exigente sonat in voce asperitas, semper tamen maneat in mente lenitas. Juxta quod Apostolus præcipit dicens : *Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* (*Galat.* vi). Bene autem subjungit : *Considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*ibid.*). Attende enim teipsum qui alium reprehendis, quia peccator existis et fragilis, ne graviter tenteris si quem reprehendere conaris indignando potius quam compatiendo. Fiat ergo cum dilectione hominum et odio vitiorum, ita ut amor servetur in corde erga hominem, et odium adversus vitium, quia districtio debetur vitiis, compassio vero naturæ. Sequitur :

Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte litteras ab aliquo vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi et oretur pro illo.

Ideo progressum esse in malum magnum dicit fratrem qui occulte aliquid recipit, quia aliquid occultare, est ordinem infringere. Magnum malum incurrit qui ordinis sui prævaricator existit. Nisi propheta sanctus magnum malum esse sciret quod Giezi discipulus suus a Naaman Syro munus occultum accepisset (*IV Reg.* v), nequaquam eum tam terribiliter passione lepræ percuteret. Exemplo itaque suo nos docuit gravi correctione dignum esse qui committeret simile peccatum. Tamen si hoc ultro confitetur, parcendum esse dicit, quandum pro mala sua culpa levior efficitur quæ confessione voluntaria humiliter aperitur. Unde Psalmista dicit : *Dixi : Confitebor, et tu remisisti iniquitatem peccati mei* (*Psal.* xxxi).

Si autem deprehenditur et convincitur, secundum arbitrium presbyteri vel præpositi gravius emendetur.

Quia si gravior est culpa, gravior competit disciplina. Graviter quippe et mortaliter offendit, qui malum quod agit etiam abscondit. De occultis litteris et munusculis beatus Hieronymus ita scribit : *Occultas*, inquit, *litteras et sudariola et crebra munuscula sanctus amor non habet. Quisquis talibus delectatur, magna vanitate seducitur. Et quo plus delectatur infimis, eo amplius ejicitur a supernis.* Ex hujusmodi autem mala gravia solent generari. Sed qui perfecte vitia cavere desiderat, non solum studet ut ea quæ per se mala sunt caveat, sed etiam illa refugit, unde etiam vel prava actio, vel mala opinio procedere possit. Nos vero quos oportet bene vivere et bonum exemplum aliis demonstrare, non convenit talia agere, unde quis possit vel malam suspicionem habere.

CAPUT VIII.

DE CUSTODIA RERUM COMMUNIUM.

Vestes vestras in unum habeatis sub uno custode vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas ne a tinea lædantur. Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario.

Quia vestes præcipit reponi sub uno custode vel pluribus, duæ videntur causæ. Prima videlicet, ne per incuriam neglectæ a tineis corrumpantur. Secunda, ne frater hanc ipsam vestem quam habet, in propriam se habere crederet, si in proprio loco sibi reponere liceret. Huic autem sententiæ videntur verba concordare, quæ sequuntur, ait enim :

Et si fieri potest ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur ; utrum hoc recipiat unusquisque, quod deposuerat, an aliud, quod alter habuerat ; dum tamen unicuique prout cuique opus est non negetur.

Ideo ait si fieri potest, ut si cui videatur difficile, liceat ipsum, quod deposuerat vestimentum suscipere. Ad majorem enim perfectionem pertineret si ad tantum contemptum sui quis pervenisset, ut eo solummodo, quod opus est corpori contentus esset, juxta quod ait Apostolus : *Habentes victum et vestitum, his contenti esse debemus* (*I Tim.* VI). Non determinat quantum vel quale, sed tantum ea notat quæ sufficiant naturæ. Nam in imperfectis plus semper voluptas appetit, quam necessitas. Sicut autem ait beatus Augustinus, *Humana natura modico contenta est, sed consuetudo multa addidit : voluntas atque voluptas plura copulavit.* Si quis Deum perfecte diligeret, si carnalibus desideriis omnino renuntiaret, multa resecaret superflua, quæ modo tenet quasi necessaria. Discamus ergo Deum toto corde diligere, quatenus per ipsius amorem studeamus, et contenti esse necessariis, et superflua resecare, ut dum quod opus est unicuique non negatur, ultra quod opus est a nemine requiratur. Charitas non quærit quæ sua sunt ; charitas communia anteponit ; charitas facit esse abjectum in domo Dei. Hanc si quisquam perfecte possedit, etiam ex eo quod opus erit, sibimetipsi resecabit.

Si autem hinc inter vos contentiones, et murmura oriuntur, cum quæritur aliquis se deterius accepisse quam prius habuerat, et indignum se esse qui non ita vestiatur sicut alius frater ejus vestiebatur; hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.

Habitus cordis vestri sanctificatur per gratiam Dei ; per inhabitationem Spiritus sancti, quando inest pax, charitas, bonitas, humilitas, patientia, concordia, mansuetudo, et alia hujusmodi. Hæc sunt nostræ interiores divitiæ, scilicet boni mores et virtutes. Sed si incipimus inter nos contendere, murmurare et litigare, statim ab his spiritualibus bonis vacui remanemus. Virtutes enim cum vitiis remanere non possunt. Nam *fermentum modicum totam massam corrumpit* (*I Cor.* V). Hinc se debet quisque probare, et sollicite pensare quantum illi in-A tus desit, et quam magnum damnum incurrit, qui pro rebus transeuntibus, hoc unde debet esse beatus, perdit. Valde ergo nobis cavendæ sunt lites et contentiones, quia hæc sunt opera carnis ; et sicut ait Apostolus, *Qui talia agunt regnum Dei non consequuntur* (*Galat.* V). Ideo nos admonet in alio dicens : *Nihil per contentionem aut inanem gloriam ; superiores sibi invicem arbitrantes, non ea quæ sua sunt singuli cogitantes, sed ea quæ sunt alterius* (*Philipp.* II). Plurimum enim valent hæc duo ad removendas lites, et generandam concordiam, cum quis se inferiorem omnibus judicat, et ea quæ sunt alterius, magis quam sua propria pensat. In his enim duobus humilitas et charitas commendatur ; quæ non solum non discordare solent, sed etiam discordantes ad concordiam reducere. B Et quia hæc quæ dicta sunt ad perfectiores pertinent, propter minus perfectos temperat sententiam cum subjungit :

Tamen si vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod deposueritis, in unum tamen locum suo communibus custodibus habete, quod ponitis.

Ut videlicet dum in communi loco reponitur hoc ipsum, quod in proprium usum suscipitur, non proprium esse, sed commune credamus.

Hoc sane, ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant majori studio, et frequentiori alacritate, quam si vobis singulis faceretis propria.

Et inde apostolicam sententiam apponit, et exponit dicens :

C *Charitas enim, de qua scriptum est : Quod « non quærit quæ sua sunt, » sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit.*

Hæc est causa quare nullus sibi operetur, sed in communi fiant majori studio, et frequentiori alacritate, quam si essent propria. Hæc causa, inquam, quia *charitas non quærit quæ sua sunt, sed communia propriis anteponit.* Si charitas Christi non quærit quæ sua sunt, nullus nostrum debet operari sibi Et si Christi charitas communia propriis anteponit, ergo majori studio et frequentiori alacritate debemus facere communia quam si essent propria. Major est enim fructus charitatis quam proprietatis. Nam *quod oculus non vidit nec auris audivit, hoc præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II).

D *Et ideo quanto amplius rem communem quam propria vestra curaveritis, tanto amplius vos proficere noveritis, ut in omnibus quibus utitur transitura necessitas superemineat, quæ permanet, charitas.*

Transitura quippe necessitas utitur temporalibus rebus, temporalibus studiis, in quibus debet semper charitas eminere, quia nullus potest placere Deo sine charitate. In cunctis ergo quæ agimus necesse est ut semper emineat charitas, quia ipsa est mater virtutum, ipsa est radix omnium bonorum. Hæc est via sublimior qua tenditur ad cœlum, de qua Paulus apostolus ait : *Adhuc excellentiorem vobis etiam demonstro* (*I Cor.* XII). Multum proficit in hac charitate qui pro amore Dei cuncta quæ hujus mundi sunt despicit, nihil sibi retinere appetit,

quidquid habet in commune dividit. Vere per excelsam viam graditur, qui, calcatis terrenis, mente et desiderio ad cœlestia sublevatur. Charitas in amore Dei constat et proximi. Amor autem Dei tribus modis exprimitur, ut nihil remaneat in homine quod non divinæ dilectioni subdatur. Nam Deum præcipimur diligere *ex toto corde*, videlicet ut omnes cogitationes nostras referamus ad Deum; *ex tota mente* (*Deut.* VI), ut omnem rationem qua intelligimus et discernimus habeamus in ipsum; *ex tota anima* (*ibid.*), ut omnes affectiones animæ dirigamus ad Deum. In dilectione proximi duo servanda sunt. *Ut quod tibi non vis fieri aliis ne feceris* (*Tob.* IV). Et *quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (*Matth.* VII). Ex hac gemina virtute dilectionis in proximum omnes virtutes oriuntur, quibus aut utiliter quæ sunt appetenda cupimus, et quæ vitanda sunt vitamus. Ex his duobus articulis congrue diligitur proximus, dum et beneficiis fovetur et nulla malitia læditur. In omnibus ergo quibus utitur transitura necessitas, debet semper eminere charitas. Quia quidquid agimus aut loquimur ad Dei charitatem debet respicere aut proximi, ut in omni nostra conversatione, nostræ intentionis summa versetur semper in charitate. *In his* autem *duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII).

Consequens ergo est ut etiam cum quis suis filiis aut aliqua necessitate ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem sive quolibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit præbeatur.

In omni enim vita nihil licet occulte recipere vel recipi, nihil proprium retineri, sed si quid alicui datur reddendum est præposito, ut cui necesse fuerit præbeatur. Sic exstinguitur avaritia, sic superfluitas resecatur. Sic nutritur charitas et paupertas sancta custoditur, quia dum non licet terrena retinere, cogitur animus cœlestia cogitare. Sed sunt quidam qui graviter conturbantur, cum ea quæ ab aliis suscipiunt, eis non permittuntur retineri. Amant munuscula, delectantur in propriis. Et sæpe ex parvis et vilibus rebus tanto inardescunt desiderio, ut earum occasionibus concordiam fratrum soleant conturbare. Quod persuasione diabolica fieri dubium non est. Callidus enim hostis omnium mores novit et qualitates, atque eorum affectus discernit, et in eo unumquemque tentat in quo se magis prævalere cognoscit. Nec curat utrum ex magno vel ex parvo decipiat, tantum ut charitatem fratris corrumpere valeat. Debemus contra hostem callidum cauti et vigilantes esse, atque ejus laqueos in omni rerum materia præcavere, et omnia terrena quibus decipere potest, animi virtute calcare, ut pòssimus cantare cum Propheta : *Laqueus contritus est et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII). Sed quia quidam in hoc capiuntur, ideo subjectum est :

Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.

A Apostolus dicit : *Fures et latrones regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI). Furtum enim criminale peccatum est, sicut scriptum est : *Non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices*, etc. (*Exod.* XX.) Quia ergo inter criminalia mala deputatur juxta canonum sententiam, sic judicare debet quisque de furto, quomodo de adulterio, quomodo et homicidio, quomodo de falso testimonio. Frater qui rem sibi collatam celaverit, Judæ traditoris locum tenet in Ecclesia sancta, qui fur erat et latro et loculos habens, et ea quæ mittebantur Domino, asportabat et abscondebat. Qui tanto cupiditatis et avaritiæ vitio exarsit, ut Dominum suum sicut diabolus in cor miserat, venderet et traderet. Sed appetendo lucrum invenit mortem,
B sicut scriptum est : *Dum sitit lucrum pervenit ad laqueum.* Tales sunt fructus avaritiæ. Caveant ergo fratres ne lucra appetant, ne quamlibet rem abscondant, ne dum suadente diabolo tam detestabilem perpetrant culpam, justo omnipotentis Dei judicio mortis et damnationis perpetuæ incurrant pœnam.

CAPUT IX.

DE MUNDITIA VESTIUM ET CORPORUM.

Indumenta vestra secundum arbitrium præpositi laventur sive a vobis sive a fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

Quare vestimenta lavari secundum arbitrium
C præpositi jusserit, ipse idem causam exponit : ne videlicet frater sordes in animo contrahat, si ultra modum vestes mundas habere concupiscit ; tanto enim quisque polluitur intus, quanto ad inanem gloriam foris mundatur. Curare ergo debent prælati ne per nitorem vestium delinquant subjecti. Non enim nitor vestium, sed morum honestas ornat clericum. Unde Apostolus nos admonet dicens : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri* (*Rom.* XII). Nam qui formam hujus sæculi appetunt, formam interioris hominis non requirunt. Et quanto exterior pulchritudo diligitur, tanto interior minus curatur. Hæc est autem vera, et spiritualis munditia quam requirit in nobis Deus, dicens : *Lavamini, mundi estote ; auferte malum cogitationum vestrarum ab*
D *oculis meis* (*Isa.* I). Non enim ait : Beati mundo corpore, sed : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Et ne quis putaret curam carnis similiter esse resecandam, adjungit :

Lavacrum etiam corporis cum infirmitatis necessitas cogit minime denegetur. Fiat autem sine murmure de consilio medicinæ ; ita etiam si nolit jubente præposito faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit et forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur.

Hæc sententia verbis apostolicis videtur concordare, quæ carnis curam fieri prohibet in desideriis non in necessitate. Multum enim interest inter necessitatem et cupiditatem. Nam quod ex necessitate est, utile est ; quod autem ex cupiditate, vitium est.

Sunt autem quidam qui dicunt religioni non competere corporalem medicinam. Sed si diligenter attenderent, ipsi recognoscerent quia hoc quod manducamus et bibimus, quod vestibus operimur, et terrenis rebus ad necessitatem utimur, corporis medicina est.

Fiat ergo sine murmure de consilio medicinæ.

Et bene ait : Nolens in necessitate cogatur, volens ex cupiditate reprimatur, qui necessitati non cupiditati obediendum est. Nam aliquando etiam si noceat, prodesse creditur, quod delectat. Ecce quare homo suæ cupiditati obedire non debet, quia sæpe sic ipse sua cupiditate decipitur, ut credat id sibi prodesse, quod nocet. Sic fallit homines mala cupiditas ; sic simulat bonum esse, quod malum est et perniciosum est. Ecce quare adeo damnant cupiditatem sacræ Scripturæ, et carnalem delectationem, quia ad mortem trahunt homines dum ipsi nesciunt.

Aliquando etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat.

Sed juxta Apostoli vocem oportet nos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, quia caro quidem concupiscit adversus spiritum. Sed per disciplinam spiritus reprimenda est concupiscentia carnis. Sed sunt quidam qui rigorem spiritus ; alii qui mollitiem carnis supra modum sectantur. Illi dum spiritualiter vivere appetunt, aliquando cum vitiis, et carnem exstinguunt. Sed sciendum est quia virtus, si modum non habeat, in vitium vertitur. Illi vero qui carnaliter volunt vivere, cum cura carnalis student et propria desideria nutrire. Ponendus est igitur utriusque modus, et cogendi sunt illi facere, quod faciendum est, pro salute. Hi vero reprimendi sunt ne faciant quod carnaliter concupiscunt. Salus quidem corporis ad serviendum Deo servanda est ; cupiditas vero carnis exstinguenda est. Et quia de manifesta infirmitate locutus est, de latenti dolore subjungit, dicens :

Denique si latens est dolor, famulo Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.

Jure enim credendus est, quidem boni mores, et conversatio sancta famulum Dei esse commendant. Non enim ex ore loquentium cognoscitur veritas aut falsitas, sed a fructibus eorum cognoscetis eos, dicit Dominus. Non sunt fallaces, non sunt duplices ; non sunt ex illis, qui in corde, et ore locuti sunt falsa. Famuli Dei quales sunt in corde, tales sunt in ore. Bona vita fidem dat verbis. Mala vita etiam ipsam veritatem facit esse ambiguam. Sine dubitatione ergo credantur qui sine dubitatione sunt boni. Alio modo : Si latens est dolor, sine dubitatione credatur. Famulus enim Dei timet Deum offendere non solum in opere, sed etiam in sermone. Tales nos exhibere debemus, ut quidquid dixerimus sine dubitatione credatur. Vita debet commendarre sermonem, et opera bona testimonium perhibere veritati sicut Salvator noster de se dicit : *Si mihi non*

A *creditis ; vel operibus credite. Opera*, inquit, *quæ facio, ipsa testimonium perhibent de me* (*Joan*. x). Multi enim sunt quibus non creditur etiam si verum dicant, quia illi mali sunt aut in suspicione habentur ne mali sint. Sed si nostra vita sine suspicione cœperit esse bona, mox verba nostra sine dubitatione credentur esse vera. Quanto quisque minus bonus est, tanto minus ei creditur ; quanto cœperit esse religiosior, tanto verbis ejus major fides præstatur. Sed quia infirmitatis necessitas aliquando appetit ea, quæ sibi ipsi sunt contraria, ideo adjungit :

Sed tamen utrum sanando illi dolori, quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur.

B Credendum est eorum verbis, nec tamen statim acquiescendum est eorum desideriis, nam et famulos Dei illicita tentant desideria ; ergo si non est certum, medicus consulatur. Quæratur ille qui de incerto faciat certum. Nec mirum si medicorum consilia quærimus, cum apostolum Paulum consilio medicinæ usum fuisse legamus. Nam per Epistolam suam Discipulo suo Timotheo præcipit dicens : *Modico vino utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates* (*I Tim*. v). A rigore ergo abstinentiæ discretus magister discipulum temperat, ne scilicet frequentibus passionibus fractus a bono prædicationis elanguescat. Bonum quippe erat ut discipulus ex infirmitate patientiæ fructum redderet, sed utilius esse providebat
C Apostolus si usu medicinæ aliquantulum convalescens animas Deo lucrifaceret. Ex diversis autem bonis utiliora eligenda sunt. Hac autem auctoritate fulti ad hæc medicinam corporalem quærere debemus, ut inde majorem fructum Domino referamus.

Nec eant ad balnea, sive quocunque ire necesse fuerit, minus quam duo vel tres.

Provideamus bona, ait Apostolus, *non tantum coram Deo, sed etiam corum omnibus hominibus* (*II Cor*. VIII). Propter nos conscientia bona sufficit nobis, propter alios fama nostra non pollui, sed pollere debet in nobis. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est, maxime in hoc loco positus, de quo dicit apostolus scribens
D ad discipulum : *Circa omnes teipsum bonorum operum præbe exemplum* (*Tit*. II). Rursus alibi dicit : *Speculum facti sumus mundo et angelis et hominibus. Qui nos amant quærunt quid in nobis laudent, qui vero nos oderunt detrahunt nobis. Nos autem in utroque medio constituti adjuvante Domino nostro Jesu Christo, et vitam et famam nostram sic custodire debemus, ut non erubescamus a detractoribus laudari.* Simul ergo ire debent duo vel tres, et propter solatium et propter bonæ famæ testimonium. Unde Salomon ait : V*æ soli, si ceciderit non habet sublevantem ; si fuerint duo, fovebuntur mutuo.* (*Eccle*. IV). Bene autem ait, cum quibus præpositus jusserit ire debet, scilicet ut a prælato provideatur securitas personæ et a subdito servetur virtus obedientiæ.

Ægrotantium cura sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate sive etiam febribus laborantium, alicui debet injungi, ut ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit.

Eligendus est frater timens Deum qui circa infirmos curam maximam gerat, et quod opus eis fuerit ministrare eis studeat, et eo studio et affectu eis deserviat, ac si ipsi Domino Jesu Christo deserviret. Ipse etenim dicturus est in judicio. *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* xxv). Et iterum : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*ibid.*). Debent ergo fortiores imbecillitatem portare infirmorum. Sic enim divina charitas adimpletur teste Apostolo qui ait : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* vi). Lex Christi est dilectio. Dilectionis officium est invicem onera nostra portare. Diversa vero tempora et diversæ infirmitates faciunt ut onera nostra portemus invicem. Nihil autem sic probat amicum quam oneris amici portatio. Sed et ipse infirmus cui pro Dei amore servitur, debet pensare et summopere cavere ne superfluitate sua aut impatientia sibi servientem contristet. Studeat autem Deo gratias agere, ne infirmitas quæ data est ei ad purgationem animæ, vertatur ad augmentum culpa.

Sive autem qui vestibus sive qui codicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus suis.

Tales se exhibeant, ut ea charitate fratribus suis deserviant, ne ipsi de ministerio sibi commisso peccent in murmure, nec alios per suam negligentiam faciant murmurare. Grave peccatum est murmuratio testante Gregorio qui ait : *Regnum cœlorum nullus qui murmurat accipit, nullus qui accipit murmurare poterit.* Et Salomon: *Præcordia fatui sicut rota carri* (*Eccli.* xxxiii), fenum portat et murmurat. Tales ergo sunt in congregatione qui corde subditi non cessant a murmuratione. Apostolus : *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et a serpentibus perierunt* (*I Cor.* x). Quare a serpentibus, nisi quia serpens venenosus est, et omnis qui murmurat venenum diaboli habet in lingua. Jacobus : *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero* (*Jac.* iii). *Cavendum est* ergo *nobis a murmure, ne mortifero et diabolico pereamus veneno.*

Codices certa hora petantur, extra horam qui petierit non accipiat.

Superius præcipit instare orationibus temporibus constitutis. Tempora ergo sunt distinguenda quibus debemus orare, et quibus debemus legere. De opere quoque alibi admonet ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant. Hæc tria commendat nobis regula quæ animæ nostræ valde sunt necessaria, scilicet orationem, lectionem, operationem. Nam oratione mundamur, lectione instruimur, operatione beatificamur, sicut Spiritus sanctus dicit in Psalmo : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit* (*Psal.* cxxvii). Quia autem dicit ut codices singulis diebus petantur, frequentia legendi commendatur. Frequenter debet legere servus Dei. Valde enim est utilis divina lectio. Nam per lectionem discimus quid cavere, quid agere, quo tendere debeamus. Hinc Psalmista ait : *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Psal.* cxviii). Perfectionem sensus et intellectus augentur. Lectio ad orationem nos instruit et ad operationem, et nos informat ad contemplativam vitam et activam. Ideo in Psalmo : *Beatus vir*, scribitur, *qui in lege Domini* meditatur *die ac nocte* (*Psal.* i). Hæc sunt arma, videlicet oratio, lectio et operatio quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. Sed, etsi a lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ, et antiquus hostis quem a lectione sive ab oratione vacantem invenerit, facile ad vitia rapit. Per usum namque lectionis discetis qualiter et vos vivatis et alios doceatis; per manuum operationem, et corporis macerationem, et vitiis alimenta negabitis, et vestris necessitatibus subvenietis, et habebitis unde necessitate patientibus aliquid porrigatis.

Vestimenta vero, et calceamenta quando fuerint indigentibus necessaria dare non differant sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

Hoc est quod superius dictum est, ut sine murmure serviant fratribus suis. Nequando differunt necessaria dare, faciant fratres murmurare, et sint occasio peccati. Studeant ergo servire fratribus suis propter Deum, et necessaria congruis temporibus ministrare. Et hoc faciant sine murmure, sine tristitia, sine dilatione, cum gaudio et hilaritate, quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* ix), ut omne quod opus est eis secundum modum congregationis, et possibilitatem loci habeant : et eis qui serviunt sit major ex inde merces a Domino. In indumentis vero et calceamentis clericorum congruus servandus est modus, ne pretiosa, vel nitida sint supra modum aut nimis abjecta et vilia ; nec habentia compositionem plusquam decet, nec incompositionem ultra quam oportet. Talia ergo sint ut religionem simul commendent et honestatem. Caveant ergo fratres quibus necessaria ministrantur, ne quid expetant importune, aut quod non deceat eorum religionem. Nam quidquid superfluum habent, mortiferum est illis. Perpendant ergo quoniam ea quæ expendunt, oblationes sunt fidelium pro redemptione peccatorum. Et ideo non glorientur talibus uti, sed magis timeant, quod in Veteri Testamento de sacerdotibus dictum est, iniquitatem populi eos debere portare. Et ideo cum magno timore sollicit sint super eos quorum donis participant, quia magnum est periculum. Salubrius est autem pauperes Christi, sicut jam prædictum est, semper minus egere quam plus habere. Nam unde pauperes erimus nisi penuriam propter Deum æquanimiter portemus? Quantum ergo meminimus nos illicita commisisse, tantum oportet a licitis abstinere. Per augustam enim

portam intrare debemus, ut ad latitudinem cœlestium gaudiorum pertingere valeamus. Nam quanto arctiorem vitam hic agimus, tanto majorem gloriam possidebimus in cœlo.

Lites autem nullas habeatis aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum homicida est (*I Joan.* III).

Sic paulatim sæpe crescunt vitia. Sane cum ab otioso verbo linguam restringere nolumus, ad noxia dilabimur; inde aliquando ad murmura et detractiones decidimus; plerumque etiam usque ad lites et contentiones; inde ad iram et odium, et juxta Salomonis vocem dum negligimus corrigere minima, prolabimur ad majora (*Eccli.* XIX). Dum ergo vitium ex vitio oritur, iniquitas prolongatur. Hinc propheta ait: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis!* (*Isa* V.) Et Psalmista: *Prolongaverunt iniquitatem suam: Dominus justus concidet cervices peccatorum* (*Psal.* CXXVIII). Primum est ergo omnino cavendum peccatum. Melius est enim præcavere quam emendare. Quia si per fragilitatem peccare contigerit, facile culpa corrigitur, quæ cito cognoscitur. Hinc est, quod Dominus de muliere ad serpentem dicit: *Ipsa conteret caput tuum* (*Gen.* III); caput serpentis conteritur, quando peccatum ibi corrigitur ubi nascitur. Debet ergo quisque esse sollicitus, ut mox ibi se studeat emendare ubi se noverit deliquisse. Quantum interest inter festucam et trabem, tantum interest inter iram et odium. Odium enim est inveterata ira, quæ quasi ex vetustate tantum accepit ut merito vetus appellaretur. Fieri enim potest ut si irascaris homini, velis etiam corrigi; si autem oderis, non potes eum velle corrigi. Per iram mentis oculus turbatur; per odium etiam exstinguitur. Unde Apostolus: *Qui odit fratrem suum in tenebris est* (*I Joan.* II). Nulli irascenti videtur ira sua injusta. Unde de omni indignatione cito redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facile in ejus odium transit cui non celeriter ignoscitur. Unde subditur:

CAPUT X.

DE VENIA POSTULANDA ET OFFENSA REMITTENDA.

Quicunque convicio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quam primum curare quod fecit, et ille qui læsus est sine disceptatione dimittere.

Graviter offendit, qui convicio vel maledicto aliquem lædit. Apostolus ait: *Maledici regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI). Et Dominus in Evangelio: *Qui dixerit fratri suo fatue: reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V). Debet ergo sicut graviter deliquit, graviter pœnitere, atque ab eo quem læsit toto corde, tota humilitate veniam postulare; et ille qui læsus est sine disceptatione dimittere. Isidorus: *Qui fratrem suum tardius reconciliat, Deum sibi tardius placat.*

A Frustra enim sibi Deum reconciliari atque propitiari quærit, qui cito placare suum proximum negligit. Sed sunt quidam qui de suis meritis confidentes pigre in se delinquentibus veniam præstant; sed nihil proficit esse illæsum qui non est paratus ad veniam, dum potius hæc magna sit culpa quando tardius laxantur fraterna delicta. Veritate testante didicimus quia servus, qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit; sed quia conservo suo centum denarios sibi debenti debitum non dimisit, et hic est jussus exigi quod ei fuerat jam dimissum (*Matth.* XVIII). Ex quibus verbis constat quia si hoc quod in nobis delinquitur ex corde non dimittimus, et illud rursum exigitur quod nobis jam

B per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

Si autem invicem se læserint; invicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas utique quanto crebriores habetis, tanto saniores habere debetis.

Quotidie dicimus Deo: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI), quod si debitoribus nostris, id est eis qui in nos peccant nos dimittimus, cum dicimus Deo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus*, ipsa nostra oratione inculpamur, et Deum adversum nos ad iracundiam incitamus, et ipsi super nos inducimus maledictionem potius quam benedictionem. Sicque fit ut oratio quæ debebat nobis esse salubris, sit noxia, et peccata no-

C stra quæ debuimus minuere, orando augeamus. De quotidianis autem levibus brevibusque peccatis sine quibus hæc vita non ducitur quotidiana oratio fidelium satisfaciet. Eorum est enim dicere: *Pater noster qui es in cœlis* (*ibid.*), qui jam tali Patri regenerati sunt ex aqua et Spiritu sancto. Delet omnino hæc oratio minima quotidianaque peccata. Delet et illa a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit. Sed quemadmodum veraciter dicitur: *Dimitte nobis debita nostra* (quoniam non desunt quæ dimittantur), ita veraciter dicatur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Idem fiat quod dicitur; quia et ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere. Multa quidem genera sunt eleemosynarum, quæ cum facimus adjuvamur ut dimit-

D tantur nobis peccata nostra. Sed ea nihil est majus qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. Minus magnum est erga eum benevolum esse sive etiam beneficum qui tibi nihil mali fecerit, illud multo grandius et magnificentissimæ bonitatis est ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult semper bonum velis, facias quoque quod possis audire dicentem Jesum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro eis qui vos persequentur* (*Matth.* V). Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei quo se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum orando Deum et secum agendo luctandoque perducere; tamen quia hoc magnum bonum tantæ multitudinis

non est quantum nos creamus exaudiri cum in oratione dicitur : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, procul dubio sponsionis hujus verba implentur si homo qui nondum ita proficit ut etiam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum ut ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam sibi roganti utique vult dimitti cum orat et dicit : *Dimitte nobis sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, id est sic dimitte nobis rogantibus debita nostra, sicut nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris. Jam vero qui eum in quem peccavit hominem rogat, si peccato suo movetur ut roget, non est adeo deputandus inimicus, ut eum sic diligere sit difficile, ut difficile erat cum inimicitias exercebat. Quisquis autem roganti et peccata sua pœnitenti ex corde non dimittit, nullo modo existimet a Domino peccata sua dimitti, quoniam mentiri Veritas non potest, quæ ait : *Si dimiseritis hominibus peccata eoram, dimittet vobis et Pater vester cœlestis delicta vestra* (*Matth.* VI).

Melior est autem qui, quamvis ira sæpe tentetur, tamen impetrare festinat ut sibi dimittat cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur et ad veniam petendam tardius inclinatur.

Nonnullos ira citius ascendit et facilius deserit, nonnullos vero tarde commovet, sed diutius tenet. Alius autem (quod nequius est), et citius iracundiæ flammas accipit et tardius deponit. Nonnulli vero has et tardius suscipiunt et citius amittunt. In quibus nimirum liquido lector agnoscit quia ad tranquillitatis bonum ultimus plus quam primus accedit, et in malo secundum tertius superat. Quanta sit ergo iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, similitudo supernæ imaginis vitiatur. Per iram justitiam relinquitur, sicut scriptum est : *Ira viri justitiam non operatur* (*Jac.* I). Per iram gratia vitæ socialis amittitur, sicut scriptum : *Noli esse* assiduus *cum homine iracundo, ne forte discas semitas ejus et sumas scandalum animæ* (*Prov.* XXII). Nam qui se humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat. Aliquando autem ira manus non exerit, sed in maledictionis jacula linguam vertit. Nonnunquam vero dum accensus animus a consueta locutione restringitur, per accessum temporis penitus a proximi dilectione separatur, et acriores stimuli ad mentem veniunt, causæque quæ gravius exasperent oriuntur, atque in irati oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Veremur a proximis despici, dedignamur injurias verbi tolerare, si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quidem carnale dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit, et plerumque ipse homo qui irascitur discordanti sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit. Pensemus ergo facta capitis nostri, ut videamus quo jaceant nostræ pravitatis errores. Ecce inter nos et Deum peccando discordiam fecimus, et tamen ad nos Deus suos legatos prior misit ut nosipsi qui peccavimus ad pacem Dei revocemur. Erubescat ergo humana superbia, et confundatur quisque si non satisfaciat proximo, quoniam post culpam nostram ut ei reconciliari debeamus, et ipse qui offensus est legatis intervenientibus obsecrat Deus.

Qui autem non vult petere veniam aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non projiciatur.

Cum Dominus tantum curæ reconciliatonis nostræ habeat, ut patiatur munera sua derelinqui ante altare et imperfecta manere atque interrumpi ministeria sua, donec eas et resolvas iracundiam et disjungas inimicitias cum fratre tuo, nec nos ipsum erubescimus, sed dies multos patimur manere inimicitias, et trahimus sicut funem longam discordiam. Non iracundos tantum et malitiæ memores punit Deus, sed et eos qui irascentes offendunt aut placare negligunt atque contemnunt. Quoniam quidem hi qui passi sunt et videntur pati injurias, necessario dolent et irascuntur; qui vero fecerunt, nec doloris aliquid nec iracundiæ gerunt. Ob hoc ergo hunc qui ab iracundia liber est adducit ad illum qui in dolore est, et liber non est, ostendens quia criminis hujus noxa penes hunc magis est qui causam peccati dedit. Sed nec sic quidem emendamur. Persistimus enim pro rebus nullis contristare fratres nostros, et quasi nil mali fecerimus de satisfactione negligimus, et oblivioni tradimus culpam atque in longum tempus protrahi patimur, ignorantes quod tanto largior nobis erit pœna, quanto largior discordia. Ubi enim amicitia permanet, nihil facile recipitur, nihil facile creditur quod dissidium possit operari. Si vero semel inimicitiæ occupaverint, omnia quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiutur et ita intelliguntur ut ad majores et longiores proficiant inimicitias. Si quid autem mali, hoc solum creditur et confirmatur. Jubet ergo Dominus relinqui donum ante altare et prius reconciliari fratri, ut ex hoc discamus quia si nec illo in tempore quo ad ministerium Dei jubemur accedere, reconciliationem dissimulari ac differri patitur Deus, quanto magis curanda sit hæc in aliis temporibus. Si forte accidat irasci, mandatur ut sub die aut iracundiam nostram vel inimicitias nostras finiamus. In hoc constringimur præcepto quo ait : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV). Nos contra nec hoc contenti sumus ut iracundiam ultra solis terminum producamus, sed et insidias invicem instruimus sive rebus sive verbis supplantare cupientes proximos, mordentes invicem et comedentes, quod utique aperta insania est. Quid enim aliud faciunt insani et dæmone repleti, nisi membra sua morsibus dilaniant? Frustra est ergo in monasterio qui discordat cum fratre suo, quia nec Deum placat sacrificiis nec proficere valet operibus bonis.

Proinde vobis a verbis durioribus parcite.

Salomon : *Responsio mollis frangit iram sermo*

durus excitat furorem (*Prov.* xv). Itemque : *Dulce* A *verbum inimicos mitigat, et amicos multiplicat* (*Eccli.* vi). Et Paulus : *Vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* (*Galat.* vi). Caveant ergo viri sancti a verbis duris.

Quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ore proferre medicamenta, unde facta sint vulnera.

Primum quidem summopere caveamus ne duris verbis aliquem conturbemus, quod si aliquando peccamus ex fragilitate, oportet continuo ad satisfactionem venire,et contra sermonem durum proferre dulcem atque placabilem, ut vulnus commotionis sanis sanet medicina humilis confessionis. Sed sicut prædiximus : *Melius est ante cavere vitium quam postea emendare commissum.* Ideo servus Dei debet semper ponere custodiam ori suo, B ut non delinquat in lingua sua, et tunc maxime quando adversus eum consistit peccator, videlicet aliquis calumniosus ac injuriosus, sicut scriptum est : *Sunt multi superbi et invidi qui non cessant irritare famulos Dei* (*Eccli.* v). Ergo est tibi intellectus, responde proximo tuo : *Sin autem, sit manus tua super os tuum ne capiaris verbo indisciplinato et confundaris* (*Eccli.* v).

Quando autem necessitas disciplinæ moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non a nobis exigitur ut a vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.

Plerumque hoc magnis doctoribus contingit ut C dum coacta correctione fervent, modum correctionis exagerent, et lingua aliquid, quæ non debet, dicat, quia mentem dilectio quantum debet non inflammat. Unde bene per Moysem Dominus præcepit, dicens : *Si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manum, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet, ne forte proximus ejus cujus est effusus sanguinis doloris stimulo prosequatur et apprehendat eum et percutiat animam ejus* (*Deut.* ix). Ad silvam quippe cum amico imus quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta nostra convertimur, et simpliciter ligna succidimus, D cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manum fugit, cum sese increpatio plusquam necesse est in asperitatem protrahit, ferrumque de manubrio prosilit, cum de correctione sermo durior excedit, et amicum percutiens occidit, quia auditorem suum prolata contumelia a spiritu dilectionis interficit. Correcti namque mens ad odium proruit si hunc immoderata increpatio plusquam debuit addicit. Sed is qui incaute lignum percutit et proximum extinguit, ad tres necesse est urbes fugiat ut in una earum defensus vivat. Quia si ad pœnitentiæ lamenta conversus in unitate sacramenti sub spe, fide et charitate absconditur, reus perpetrati homicidii non tenetur, eumque exstincti proximus cum invenerit non occidit. Quia et justus ille judex qui se pro nobis per naturæ suæ consortium conjunxit, ab eo procul dubio vindictam de culpæ reatu non expetit, quem sub ejus venia fides, spes et charitas abscondit. Ideo subjungitur :

Sed tamen petenda est venia ab omnium domino, qui novit eos quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis.

Aliquando exceditur modus zelo malitiæ, aliquando zelo justitiæ, plerumque ex studio per deliberatam locutionem, plerumque per excessum locutionis. Dominus vero non tam attendit sermonem quam intentionem. Citius ergo culpa dimittitur quæ nequaquam malitiæ studio propetratur.

Non autem carnalis sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod ex præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum et proximum diligunt, et tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritualiter, sed carnaliter impendunt. Omnipotentis Dei esse discipulos sola custodia charitatis probat. Unde ipse ait : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* xiii). Quæ dilectio si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solet, si amicos in Deo et inimicos diligimus propter Deum. Sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque illum diligere falso arbitratur. Sed tunc inimici dilectio veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur nec de ruina lætamur. A duobus quidem præceptis incipit charitas, sed sese ad innumera extendit. Hujus namque initium dilectio est Dei et proximi, sed Dei dilectio per tria distinguitur, quia ex toto corde et ex tota anima et ex tota fortitudine conditor diligi jubetur.

Qua in re notandum est quod divinus sermo cum Deum diligere præcipit, non solum narrat, sed etiam informat ex quanto cum subjungit : Ex tota fortitudine, ut videlicet qui perfecte Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta derivatur. Unde dicitur : *Quod tibi non vis fieri vide ne tu alteri facias* (*Tob.* iv). Et per semetipsam Veritas dicit : *Quæ vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis* (*Matth.* vii). Quibus duobus scilicet utriusque Testamenti mandatis per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur, ut quod non vult malum pati quisque, non faciens cessat a nocendi opere; et rursum bonum quod sibi fieri appetit, impendens ad utilitatem proximi exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo dum sollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur, ne vel ad inferenda quæ non debet in desideriis inquieta mens ferveat, vel erga exhibenda quæ debet otio resoluta

torpescat. Nam cum cavet alteri facere quod nequaquam vult ab altero tolerare, sollicita se intentione circumspicit, ne superbia elevet et usque ad despectum proximi animum dejiciens exaltet. Ne ambitio cogitationum laniet, cumque hanc ad appetenda aliena dilatat angustet; nec luxuria polluat et subjectum desideriis per illicita corrumpat. Ne ira exasperet et usque ad proferendam contumeliam inflammet. Ne invidia mordeat, et alienis felicitatibus æmula sua se face consumat. Ne immoderate linguam loquacitas pertrahat, eamque ad lasciviam oblectationis extendat. Ne odium malitia excitet, et os usque ad jaculum maledictionis irritet. Rursumque cum cogitat ut ea alteri faciat quæ sibi ab altero fieri exspectat, nimirum ut malis bona, ut bonis me- B liora respondeat, ut erga procaces mansuetudinem longanimitatis exhibeat, in malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat, ut discordes pace muniat, ut concordes ad concupiscentiam vera pacis accendat, ut indigentibus necessaria tribuat, ut errantibus viam rectitudinis ostendat, ut afflictos verbo et compassione mulceat, ut accensos in hujusmodi desideriis increpatione restringat, ut minas potentium ratiocinatione mitiget, ut oppressorum angustias quanta prævalet ope levet, et foris obsistentibus opponat patientiam, ut intus superbientibus exhibeat compatiendo disciplinam, ut erga subditos sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non declinet, si ad ultionem zelus fervet, ne tamen C pietatis limitem fervendo transcendat, ut ingratos quosque ministeriis in amorem attrahat, ut proximorum mala cum corrigere non valet taceat, ut quæcunque corrigi possunt consensum esse silentium pertimescat, ut sic ea quæ tacet toleret, nec tamen in animo virus doloris occultet, ut sic malevolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam a jure rectitudinis excidat, ut cuncta proximis quæ prævalet impendat sed impendendo non tumeat, ut sic in bonis quæ exhibet tumoris præcipitium caveat, ne tamen et boni exercitio torpescat, ut sic quæ possidet tribuat, ut quanta sit largitas remunerantis attendat, nec cum terrena largitur suam plus qua necesse est inopiam cogitet, et in oblatione muneris claritatis lumen D tristitia obscuret. Bene ergo lex Dei multiplex dicitur, quia nimirum una eademque charitas si mentem plene cœperit, ad innumera opera multiformiter accendit. Multiplex ergo ista lex est Dei quæ singulis hic rerum articulis non permutata congruit, et causis se variantibus non variata conjungit. Cujus nimirum legis multiplicitatem bene Paulus ostendit, dicens : *Charitas patiens est, benigna est*, etc. (*I Cor.* XIII).

CAPUT XI.

DE OBEDIENTIA.

Præposito tanquam Patri obediatur, multo magis presbytero qui omnium vestrum curam gerit.

Obedientia sola virtus est quæ cæteras virtutes inserit menti, insertasque custodit. Samuel : *Melior est obedientia quam victima* (*I Reg.* XV) ; quia per victima alienas caro, per obedientiam vero voluntas propria religatur. Salomon : *Vir obediens loquitur victorias* (*Prov.* XXI), quia dum voci alienæ humiliter subdimur, nos in corde superamus. Nobis quippe obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. Per obedientiam malum nunquam fieri, aliquando autem etiam debet per obedientiam bonum quod agitur, intermitti. Sed quia nonnunquam nec jubentur adversa, sciendum summopere est quod obedientia aliquando si de suo habeat aliquid, nulla est, aliquando autem si de suo non habeat aliquid, minima est. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc ex proprio desiderio anhelat, obedientiæ sibi virtutem evacuat. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra et contumeliæ adipisci jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit. Debet ergo et obedientia in adversis aliqui ex suo habere, et rursum in prosperis ex suo aliquid omnino non habere, quatenus et in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur, et in prosperis tanto sit vilior, quanto a præsenti ipsa, quam divinitus percipit, gloria funditus ex mente separatur. Innocuis autem mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, Domino attestante qui ait : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego agnosco eas, et sequuntur me* (*Joan.* X). Profecto Redemptori obedit qui innocens est ; et innocens esse non potest qui obedire contemnit.

Ut ergo cuncta ista serventur, et si quid minus servatum fuerit non negligenter prætereatur, sed ut emendandum corrigendum curetur, ad præpositum præcipue pertinebit, ut ad presbyterum, cujus est apud vos major auctoritas, referat quod modum vel vires ejus excedit.

Ad hoc quidem data sunt ista regularia præcepta ut cuncta serventur, et si quid minus servatum fuerit, oportet ut cito emendetur. Non enim possumus aliquid præterire negligenter sine periculo animæ nostræ. Etenim vovimus specialiter tenere, et secundum ea vivere juravimus. Et Psalmista ait : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis* (*Psal.* CXVIII). Et apostolus Jacobus : *Si quis autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II). Pertinebit ergo ad præpositum et ad eum qui custos est ordinis, ut ad presbyterum cui major est auctoritas, id est ad abbatem referat quidquid per se secundum canonicam regulam non potest definire. Quod si in congregatione ubi est ordo canonicus non est abbas sed episcopus, ipse episcopus presbyteri nomine designatur. Ad hoc enim prælati constituti sunt in Ecclesia ut bene ordinata custodiant, errata corrigant, vitam et mores subditorum verbo et exemplo componant, Apostoli formam sectantes qui ait : *Argue, obsecra, increpa* (*I Tim.* IV). Immiscentes temporibus tempora, terroribus blan-

dimenta indisciplinatos et inquietos debent durius A arguere, obedientes, mites et patientes ut in melius proficiant obsecrare. Negligentes, contemnentes, et superbos aut increpent aut puniant. Neque dissimulent peccata delinquentium, sed mox ut cœperint oriri, radicitus ut prævalent, amputent, memores periculi Heli sacerdotis de filiis suis. Honestiores atque intelligibiliores prima et secunda admonitione corripiant ; improbos et duros corde, superbos et inobedientes verbere et castigatione coerceant, reducentes illud in memoriam : Stultus verbo non corrigitur, percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte (*Prov.* XXIII).

Ipse vero qui vobis præest non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem.

Nam qui ita præsunt ut gaudeant de potestate B dominii, non sunt veri pastores, sed mercenarii ; hi magis præesse appetunt quam prodesse, non quærunt animarum fructum, sed temporale lucrum ; non cœlestem gloriam, sed terrenum honorem. De talibus ait Dominus in Evangelio : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Qui vero ita præsunt ut gaudeant de servitute charitatis, ipsi tenent exemplum veri pastoris, qui non venit ministrari sed ministrare et animam suam dare redemptionem pro multis. Illi vere prælati sunt et secundum Deum curam regiminis agunt, qui ad hoc tantum laborant, ut plures ad Deum secum trahant, quos delectat onus non honor, charitas non potestas, servitus impensa aliis, non suscepta ab aliis. Juxta quod Apostolus C ait : *Cum essem liber in omnibus, omnium me servum feci, ut omnes lucrifacerem* (*I Cor.* IX). Qui tamen propter auctoritatem regiminis honorandus est a subditis. Unde et subditur :

Honore coram vobis prælatus sit vobis.

Ideo scilicet, honorari debet, quia Christi vocem in monasterio tenet. Unde et ipse Dominus pastoribus ait : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X). Debent ergo servi Dei suum honorare magistrum, cujus pro amore Dei supra se susceperunt magisterium. Qui tamen quanto plus honoratur exterius, tanto oportet ut amplius timeat, atque semetipsum despiciens eos a quibus honor impenditur sibi in cogitatione præponat. Unde subjectum est :

Timore coram Deo sit substratus pedibus vestris. D

Hinc scriptum est : *Quanto major es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III). Et iterum : Fili, te ducem constituerunt, *noli extolli*, sed *esto in* eis *quasi unus ex* illis (*Eccli.* XXXII). Et Dominus in Evangelio : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII). Tanto quippe est major quisque apud Deum, quanto humilior fuerit apud semetipsum. Sed qualis debeat esse in moribus audiamus.

Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum.

Sicut enim præcellit honore et dignitate et ordine, ita eos præcedere debet sanctitate, ut ejus exemplo discant subditi qualiter vivere debeant.

Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes.

Qui locum tenet regiminis, mala inferre non debet sed tolerare, ut ex sua mansuetudine iracundos valeat mitigare. Quia medicus animarum contra passiones vitiorum debet opponere medicamenta virtutum, ita scilicet ut prius mores omnium diligenter inquirat, ut quid cuique inferre debeat agnoscat.

Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat quam timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem.

Oportet ut doctor ecclesiasticus sapiens sit et disciplinatus, quia tunc aliis recte disciplinam imponit, cum ipse disciplinate vivit, cum ex seipso trahit magisterium quod exercet in alio. Verba sunt Apostoli dicentis ad Hebræos : *In disciplina perseverate, tanquam filiis offert se vobis Deus. Et quis filius quem non corripit pater ?* (*Hebr.* XII). Sunt autem hæc duo necessaria ut rector suis exhibeat subditis, timorem scilicet et amorem. Timorem iis qui superbi ac rebelles et duræ mentis sunt. Amorem vero eis qui libenter, humiliter et devote serviunt Domino Deo.

Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat quam timeri.

Quia prælatus, quanto plus diligitur, tanto plus auditur. Et magis placet Deo illa servitus, quæ ex voluntate et amore fit, quam illa quæ fit ex timore. Propterea dulcis magister discipulis suis ait : *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV). Non enim vult Dominus ut eum tanquam Dominum timeamus, sed vult ut eum diligamus tanquam patrem filii, et ut præcepta ejus faciamus, non timore pœnæ sed amore justitiæ. Hoc semper autem cogitare debet qui judex est animarum, quia super se judicem habet Deum, ut regiminis curam tanto sollicitius agat, quanto strictius se redditurum rationem pro sibi commissis apud districtum judicem pensat. Valde enim sollicitus debet esse quisque in bono opere, ut in cunctis quæ agit semper cogitet de extremo fine. Unde scriptum est : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII).

Unde vos magis obediendo non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in majori periculo versatur.

In periculo magno versatur, quisquis in regiminis loco sublimatur. Nam quanto superior gradus, tanto periculosior casus, et cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Grande periculum est sibi et aliis vivere, temporalia simul et spiritualia providere. Sic debet sui curam agere, ut alios non negligat, sic de aliis cogitare, ut semetipsum obliviscendo non derelinquat ; sic temporalia procurare, ut non refrigescat a spiritualibus. Sic inardescere ad spiritualia, ut sit sollicitus de temporalibus. Inde ergo magis subditi prælato obedire debent, unde magis eum pro ipsis vident laborare. Quod cum faciant non sui, sed etiam ipsius

magis obediendo miserentur. Sui videlicet; quia animas suas salvant. Scriptum est enim: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* xxx). Ipsius quoque qui præest miserentur; quia onus ejus alleviant obediendo. Cum enim scriptum sit: *Filius sapiens lætificat patrem* (*Prov.* x); tanto plus gaudent et liberius laborant Patres spirituales pro filiis, quanto magis eos vident spiritualibus obtemperare disciplinis.

Donet Dominus ut observetis hæc omnia tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, et bono Christi odore de bona conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut filii sub gratia constituti.

Apte subditur post lectionem oratio. Sic enim est legere et prædicare, quomodo agrum seminare: sic orare, quomodo semen operire. Sicut qui seminant in agro si hoc operire dissimulaverint, veniunt volucres, et totum quod seminatum esse videbatur diripiunt: ita quidem isti qui in agro sui cordis semina verbi. Dei psallendo, legendo, prædicando, asperserint, nisi postea orando in corde recluserint et quodammodo sepelierint, veniunt volucres, id est cogitationes hujus sæculi volatiles inanes et vacuæ, et rapiunt quod in corde fuerit seminatum. Ideo post lectionem et prædicationem semper orandum est, ut virtus verbi Dei maneat in corde, et fructus spiritualis crescat in operatione. Bene autem ait:

Tanquam spiritualis pulchritudinis amatores.

Non enim possunt implere hæc omnia regularia præcepta nisi per amorem justitiæ, quæ est spiritualis pulchritudo animæ. Nemo enim invitus bene agit, etiam si bonum est quod agit. Quod vero subdit:

Et bono Christi odore de bona conversatione fragrantes.

Pertinet ab bonam vitam et bonam famam. Unde Apostolus: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II). Servi sunt sub lege, qui ex timore Domino serviunt: liberi sub gratia, qui ex amore implent divina mandata. *Gratia Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v): implet legem: *Justo non est lex posita* (*I Tim.* I); *ubi enim spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III). Sic autem viam mandatorum Dei curremus libere, si dilatatum cor nostrum in charitate Dei habeamus.

CAPUT XII.

DE JUGI MEDITATIONE REGULÆ.

Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.

Ideo legi præcipitur, quatenus memoriter frequenter teneatur. Beatus enim Jacobus dixit: *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis, et manserit in ea, non auditor obliviosus factus sed factor operis; hic beatus in facto suo erit* (*Jac.* I). Et bene hunc libellum dicit speculum; quia in eo tanquam in speculo inspicere possumus quales sumus, sive pulchri, sive fœdi, sive justi, sive injusti; utrum quisquam nostrum regulariter vivat; utrum proficiat, an deficiat; utrum Deo placeat an displiceat. Scriptura quippe nobis sacra nostram interiorem repræsentat imaginem; ostendit quid formosum, quid deforme sit in anima, et qualiter pulchritudo justitiæ debeat observari, qualiter debeat virtutum decor componi; quomodo vitiorum macula debeat abstergi. Pravorum usus est mala semper tegere, et quæ egerint nunquam retractare. Quidquid faciunt cæca mente pertranseunt. At contra sancti viri in Scripturis sacris quotidie non cessant inspicere vitam suam, moresque suos vigilante pensare. Et si quid deforme vel incompositum aut inordinatum invenerint, mox quod secundum scriptum vident, reformare et componere se student quatenus sancti et immaculati coram Deo tam in corpore inveniantur quam in anima. Ideo Psalmista ait: *Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis* (*Psal.* CXVIII). Et Apostolus admonet, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV). Et iterum: *Noster homo interior renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV). Unde aperte subjungitur:

Et ubi vos inveneritis ea quæ scripta sunt facientes, agite gratias Deo bonorum omnium largitori.

Gratiarum actiones Patri *luminum* semper a nobis debentur, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jac.* I). Scriptura teste descendit. Nemo est enim donis Dei beatus qui donanti existit ingratus. Et Apostolus: *Quid habes quod non accepisti?* (*I Cor.* IV.) Merito ergo Domino Deo nostro gratias agere admonemur, ut agnoscat homo si quis bene vivit gratia Dei se habere, et ut proficiatur in dilectione justitiæ non aliunde consecuturum. Quæ cogitatio pium facit. Ipsa est enim sapientia quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum. Colitur autem sacrificio laudis gratiarumque actionibus, ut cultor ejus non in seipso sed in Domino glorietur.

Ubi autem sibi quicunque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans ut ei debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.

DE INSTITUTIONE NOVITIORUM

LIBER

CUJUS HÆC SUNT CAPITULA :

—

PROLOGUS.

De tribus ad beatitudininem perducentibus, quæ sunt scientia, disciplina, bonitas.

Quia, fratres, largiente Domino de vana conversatione hujus sæculi per desiderium sanctum conversi estis, et ad ipsum qui fecit vos tota mentis intentione ac voto redire disponitis, oportet vos nunc ipsam viam discere per quam possitis ad illum quem quæritis pervenire. Ipse est enim vera et sempiterna vita, extra quem sicut nemo vivere potest, ita quicunque in ipso et cum ipso vivit, beatus est. Si igitur Deum quæritis (imo quia quæritis) veram profecto ac perpetuam beatitudinem habere desideratis. Ad beatitudinem autem nemo venire potest nisi per virtutem, et virtus non alio modo veraciter apprehenditur, nisi disciplina virtutis non negligenter custodiatur. Usus enim disciplinæ ad virtutem animum dirigit, virtus autem ad beatitudinem perducit. Ac per hoc exercitium disciplinæ esse debet vestra inchoatio, virtus perfectio, præmium virtutis æterna beatitudo. Hæc est, fratres, via, et ista est patria per quam currimus et ad quam pervenire desideramus. Hanc viam et hanc patriam Psalmista viderat cum dicebat : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (Psal. CXVIII*). » Hanc viam et hanc patriam viderat cum dicebat : « Disciplina tua correxit me in finem (Psal.* XVII*). » Disciplina namque Dei in finem corrigit, quia plene et perfecte hominem reformans, per virtutem ad beatitudinem perducit. Hanc viam et hanc patriam tunc etiam viderat cum dicebat : « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me (Psal.* CXVIII*). » Consideravit namque quod per bonitatem venitur ad beatitudinem atque ideo bonitatem doceri se petit, quia per hanc ad illum pertingere concupivit. Sed quia rursum vidit quod ad bonitatem obtinendam disciplina necessaria esset ; adjunxit et dixit : « Disciplinam doce me. » Paratus enim erat disciplinam servare, et non solum ad illam servandam* A *spontaneum se obtulit, sed ut illam quoque accipere mereretur, supplicavit. Postremo quia vidit neminem servare posse disciplinam boni operis, qui non habeat scientiam vere discretionis, hanc quoque sibi dari quasi quoddam fundamentum et principium sanctæ conversationis postulavit. « Bonitatem, inquit, et disciplinam, et scientiam doce me. » Et ut se idoneum ad hæc discenda ostenderet, novissime secutus adjunxit : « Quia mandatis tuis credidi (ibid.), » ac si diceret : Deo. Ideo docere me debes qualiter tibi servire debeo, quia præceptis tuis jam per contumaciam non resisto ; credo bonum esse quod præcipis, credo verum esse quod promittis ; acquievi jam propter te mea relinquere et idcirco quæso per te merear tua bona* B *obtinere, « quia mandatis tuis credidi. » Sic et vos fratres gratia Dei jam credidistis mandatis ejus, reliquistis vestra propter ipsum, quærite nunc sua ab ipso ut mereamini per sua venire ad ipsum. Credidistis mandatis ejus dicentes : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (Matth.* XIX*). » Fecistis quod præcepit, speratis quod promisit, petite nunc ab ipso quod ad id obtinendum expedit. Nullus jam carnalis affectus a percipienda gratia ejus vos impedit, reliquistis patrem et matrem, fratres et sorores, cognatos et affines, et præcinxistis vos ad currendam viam ejus. Nihil jam amori illius præponitis, illum solum quæritis pro quo lucrificando omnia hujus mundi* C *blandimenta quasi absinthium amara, et omnem gloriam atque decorem quasi stercora reputatis. Intrate viam ejus, et currite ad ipsum, tanto citius requiem habebitis, quanto citius ad eum pervenietis. Via ad ipsum sunt scientia, disciplina, bonitas ; per scientiam itur ad disciplinam, per disciplinam itur ad bonitatem, per bonitatem itur ad beatitudi[illegible]. Hoc est propter quod vobiscum loqui cœpimus, ut quantum Dominus dederit, de hac via qua ad ipsum itur vos instruamus.*

Cap. I. *Quibus modis inveniatur recte vivendi scientia.*

Primum igitur scire debetis quod hanc scientiam (quæ ad institutionem recte et honeste vivendi pertinet) multis modis hominem colligere et comparare sibi oportet, partim ratione, partim doctrina, partim exemplo, partim meditatione sanctarum Scripturarum, partim assidua inspectione operum ac morum suorum. Ratione quidem hoc modo. Debet siquidem diligenter considerare, et quantum valet per semetipsum discernere quid liceat et quid non liceat, quid deceat, et quid non deceat, in omni tactu, et in omni loco, in omni tempore, erga omnem personam.

Cap. II. *Quid in omni actu agendum.*

In omni actu, hoc est qualiter sacra et divina mysteria impleri oporteat, qualiter humana officia, et quæ ad usum corporis pertinent exercere conveniat. Quam timoratum, quam sollicitum, quam devotum ac religiosum in Dei servitio homo exhibere se debeat, quam spontaneum, quam hilarem, et quam paratum offerre in sublevandis necessitatibus proximorum, quam parcum, quam honestum, et quam nulli importunum in iis quæ ad se pertinent quærendis ac perficiendis præstare, ut semper et sibi sit parcus, et proximo promptus, et Deo devotus! Qualiter assuescat suas in omnibus voluntates frangere, et alienis se voluntatibus (quantum fas et decens esse constiterit) per omnia discas inclinare. Qualis sedens, qualis jacens, qualis ambulans, qualis loquens, qualis tacens, qualis comedens, qualis jejunans, qualis denique aliquid agens, et qualis vacans esse debeat.

Cap. III. *Quid in singulis locis agendum.*

Non solum autem quid agat, sed etiam in quo loco quid agere debeat, consideret necesse est. Alius est modus habendi in eo loco ubi Deus adoratur, alius in eo ubi corpus reficitur. Alius in eo qui locutioni deputatus est, alius in eo ubi silentium custoditur. Alius denique intus, alius foris, alius in secreto, alius in publico. Et, quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen et magis sollicite ibi conservanda est, ubi vel neglecta pluribus generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum. Discernendum est igitur quæ sint illa quæ in custodienda disciplina nusquam intermitti possunt, et quæ rursum illa sint quæ pro loco et tempore nunc intermitti, nunc exerceri volunt. Sæpe tamen illa quæ in publico necessaria sunt, quemdam prius in secreto exercitationis usum exposcunt, quia si ea prorsus in occulto negligimus, uti postmodum eis dum opus est in publico non valemus. Et tunc aut prorsus a disciplina deficientes intuentibus scandalum facimus, aut inepte id quod in nobis non est simulare conantes, irrisionem excitamus.

Cap. IV. *Quid singulis temporibus agendum.*

Similiter quoque et tempora agendi discernenda sunt. Alius est modus vivendi in nocte, alius in die. Nox tempus est silentii et quietis. Dies tempus laboris, et motionis, et operis. In nocte secum debent esse homines, et aut fessa membra somno reficere, aut orationibus vel meditationibus sanctis in silentio animum exercere. In die vero de secreto suo in unum coeunt, et mutuo videndos se et imitandos ostendunt. Tunc exempla bonorum operum, tunc exhortationes verborum dare et accipere alium alii et alium ab alio licet. Tunc qui alienos actus scrutatur, impudens jure dicitur; tunc qui alienos actus (quantum expedit) imitari dissimulat, torpens et inutilis merito nominatur. Sed nec eadem esse debet facies nostra postquam refecti sumus, quæ fuit priusquam cibum sumpsimus. Ante sumptum cibum magis hilares nos esse convenit, ne ipsa nostra abstinentia gravis et molesta videatur; post vero magis modestos et tacitos, ne per gulæ vitium crapula nos inflammasse putetur. Ante sumptum cibum, doctrinæ et orationis tempus est; post vero operis, quia et tunc exercendus est animus, dum adhuc ad studium spiritale levis est, et tunc reprimenda est caro, quando calor incentivi ejus per cibum amplius excitatus est. Sic et festi dies aliud studium et alium conversationis modum exigunt, atque alium ii in quibus operari licet, exposcunt. In illis nos oportet ad ecclesiam studiosius et alacrius convenire, et ad celebranda divina mysteria devotius intendere, atque in oratione diutius perseverare, habitu, incessu et actu majorem devotionem erga cultum divinum demonstrare, nihil non sanctum, nihil non divinum; nihil non ordinatum agere, linguam a vaniloquio cohibere, pedes ab excursu et discursu stringere, oculos comprimere, vultum inclinare, mentem eligere, omnem denique actum et omnem motum cordis pariter et corporis ministerio divino mancipare, atque (ut ita dicam) quadam conversationis novitate festos dies honorare. In cæteris vero diebus quibus operari licet, nullus omnino otiosus apparere, sed unusquisque in eo quod sibi injunctum fuerit, non quod ipse elegerit, opere (quantum scientiæ et virium suarum possibilitas suppetit) sese debet exercere. Quantum enim decoris addit diebus festis quies vacationis, tantum ornamenti confert diebus cæteris labor operis; ita ut et in illis quisquis noluerit esse quietus, judex sit vanitatis suæ, et in istis qui non fuerit studiosus, testis pigritiæ. Carnales siquidem mentes, ne vel in illis diebus quiescant, vanitas exagitat, vel ne in istis in bono opere se exerceant, pigritia ligat. Quapropter non negligenter quidem habenda est in bono opere discretio temporum: quia, sicut malum opus nullo tempore laudabile est ita bonum opus quodammodo reprehensione dignum judicatur, si tempore opportuno factum non est.

Cap. V. *Quid erga singulas personas agendum.*

Discretis personarum quantum quidem pertinet ad dilectionem, secundum meritum, quantum vero ad venerationem, secundum ætatem et officium habenda est. Meliores diligere, superiores honorare debemus, quia percontumacia est sive in eo qui propter inferiorem gradum, in homine virtutem de-

spicit ; sive in eo qui propter vitam inferiorem, gradum superiorem contemnit. Istis ergo honor, illis amor impendatur, sic tamen ut et honor istorum sit voluntarius, et illorum amor venerandus. Reverentia enim sine amore magis servilis est, et amore sine reverentia puerilis judicari debet. Cum tanta igitur humilitate et reverentia melioribus exhibendum est beneficium dilectionis, ut illis quasi ex necessitate videamur esse subjecti, et cum tanto affectu atque hilaritate superioribus solvendum est obsequium subjectionis, ut solo potius dilectionis debito illis credamur astricti. Istis sic reddamus sua quasi nostrum impenderemus ; illis sic exhibeamus nostra, quasi suum redderemus.

Sex denique modis discretionem personarum habendam ex his colligimus, tribus secundum dignitatem, et tribus secundum conversationem. Alii namque secundum dignitatem superiores sunt, alii æquales, alii inferiores. Superioribus obedientiam, timorem, obsequium et venerationem debemus exhibere, cum æqualibus pacem et concordiam custodire, invicem obsequio, beneficio et honore prævenire, in omni actione et verbo superiorem eis locum tribuere. Et si quando fortassis in aliquo negotio eos præire cogamur, cum omni humilitate et reverentia quæ facienda sunt non præcipere sed demonstrare, et si ut ipsi nos præcedant contigerit, cum alacritate et devotione quasi ex necessitate subjecti obedire. Inferioribus semper beneficium et auxilium impendere, nunquam improperare, sine contumelia corripere, sine superbia gubernare, sine crudelitate castigare, cum pietate fovere. Venerationem non exigere, societatem atque æqualitatem amare, majoribus per timorem subdi, æqualibus per charitatem obsequi, minoribus per humilitatem coæquari, præcipientibus parati, obedientibus modesti, maledicentibus taciti, laudantibus verecundi.

Item secundum conversationem alios nobis quasi superiores, alios quasi æquales, alios quasi inferiores debemus attendere. Illorum conversatio inferior est nobis, quorum facta etsi condemnare non præsuminus, imitari tamen non debemus. Illorum conversatio par nobis est, quæ sic nostræ infirmitati contemperata est, ut et virtutis exemplum præbeat, et cooperandi facilitate in consortium nos suæ exercitationis admittat. Illorum conversatio supra nos est, quam venerari quidem et admirari possumus, imitari autem non valemus. Illorum conversatio superior nobis est, qui per longum disciplinæ exercitium intantum profecerunt, ut virtutem illorum nostra infirmitas quamvis incipiat per amorem appetere, per imitationem tamen non valet coæquare. Illorum conversatio quasi par nobis est, quorum opera ita nostris viribus contemperantur, ut in eis nihil sit quod possibilitatem nostram excedat, et tamen devotio nostra satis in eis quod imitari possit inveniat. Illorum conversatio quasi inferior nobis est, qui vel tanta nequeunt, quanta nos facere possumus, vel talia faciunt qualia nos imi-

A tari non debemus. Proinde in his, talis habenda est discretio, ut superioribus quidem in omni loco et in omni opere vel sermone exhibere studeamus reverentiam, et quidquid egerint aut ubicunque fuerint, non præsumamus impudenter eis nos quasi coæquando ingerere. Sic namque debemus in ejusmodi virtutis exemplum quod imitemur, quodammodo taciti et a longe considerare, ut tamen consortium cooperandi nunquam præsumamus expetere, quatenus dum eis ubique cedimus, facile ex nostra modestia clareat, quam humilia de nobis, et quam sublimia de illis sentiamus. Negligentes vero et maxime eos quarum opera vel studia reprehensione digna apparent, tali nos cautela declinare oportet, ut et fugiamus quod fa-
B ciunt, et tamen judicare non præsumamus quod sunt. Cogitemus in ejusmodi, nobis neque dari exemplum neque permitti judicium, quia hoc in eis fortassis ignorantia aut infirmitas excusat, quod si a nobis fieret, excusationem non haberet. Itaque necesse est ut sicut perfectorum societatem propter reverentiam appetere non præsumimus, ita quoque istorum consortium propter cautelam fugiamus, illos honorando, quia talibus sociari digni non sumus, istos cavendo, quia talibus sociati facile corrumpi possumus. Præterea sicut is qui superioribus semper sociari appetit, se elatum esse indicat, ita qui cum pejoribus assidue conversari concupiscit, depravatum se esse demonstrat. Et ideo cum malorum consortium appetere
C nolumus, duplex nobis utilitatis fructus provenit, quia et culpam fugimus, et innocentiæ nostræ testimonium perhibemus. Quotidiana igitur et frequens conversatio nostra cum mediis et æqualibus nobis esse debet, ita ut inter eos etiam quoscunque in bono opere ferventiores cernimus, eorum societatem atque familiaritatem avidius appetamus. Cum his vero tanta nobis pacis et concordiæ servandæ diligentia sit, ut in nullo, inquam, negotio quantum in nobis est, fraterna dilectio perturbetur. Studeamus eis injuriam nunquam inferre aut molestiam, illatam vero nobis propter amorem fraternæ charitatis æquo animo sustinere, nihil contentiose aut arroganter erga eos agere, sed parati semper in omni opere et pertinaciter insistentibus cedere, et laborantibus li-
D benter subvenire. Et quia inter pares nonnunquam perversa quædam virtutis æmulatio esse solet, ut videlicet sibi invicem de successu virtutum invideant, et ob hoc in exercendo bono opere tantum ne inferiores videantur, alter alterum prævenire contendant, tanto nos discretionis moderamine continere necesse est, ut *operam nostram*, sicut dictum est, *neque ingeramus nolentibus, neque petentibus subtrahamus, quia in utroque livoris suspicio esse potest.* Si quando autem in aliquo forte negotio laborantibus opem ferre cupimus, tanta hoc humilitate et mansuetudine faciendum est, ut, iisdem ipsis manifestum sit, quod non excellentiam operis, sed consortium quæramus laboris. Cæterum quantum pertinet ad nos

summopere nitendum est, nequando vel in labore minus patientes, vel in obedientia præceptorum minus alacres, vel in charitatis operibus exsequendis minus inveniamur ferventes, quatenus bona conversatio nostra eisdem præbeat incitamentum virtutis, a quibus formam et exemplum sumpsit boni operis. Ista, fratres, si assidue volueritis cogitare, scietis et cito intelligentis quæ sit via disciplinæ, quæ vos per exercitium boni operis ducat ad consummationem bonitatis. Sed et si forte ad hæc investiganda atque discernenda quantum expedit per vos minus sufficitis, habebitis Domino adjuvante doctrinam et exempla bonorum, ubi et facienda audietis et facta videbitis. Et ne in hac etiam parte vobis ministerium nostræ exhortationis desit, ostendam nunc breviter quales vos vel ad percipiendam doctrinam, vel ad imitanda exempla bonorum exhibere debeatis.

Cap. VI. *Quales se debeant exhibere qui per doctrinam proficere volunt.*

Quoniam igitur ad scholam virtutum erudiendi acceditis, scire debetis contentiones verborum nullo modo deinceps ad vos pertinere, quia spiritualis doctrinæ studium non litigantes, sed auscultantes requirit, sicut per Moysen populo in lege Dei erudiendo dicitur : *Audi Israel et observa ut facias* (*Deut.* VI) : non dixit : *Et loquere sed potius tace.* Et sicut apostolus Jacobus admonet dicens : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram* (*Jac.* I). Et videte quam convenienter postquam multiloquium prohibuit, etiam de cavenda ira præceptum subjunxit, dicens : tardus ad loquendum, et tardus ad iram, ut patenter ostenderet quod qui linguam suam a multiloquio non vult compescere, non poterit diu animum suum a furore iracundiæ illæsum custodire. Multiloquium enim contentiones generat ; contentiones vero ad jurgia et maledicta linguam excitant : maledicta autem ad iracundiam et (quod adhuc gravius est) ad fraternum odium animum inflammant. Propterea Scriptura dicit : *In multiloquio peccatum non deerit et in multiloquio peccatum non effugies* (*Prov.* X). Et Jacobus apostolus omne genus bestiarum domari posse asserit : *Linguam, pestem esse indomabilem, quæ universam rotam nativitatis nostræ inflammat, et ob hoc perfectum esse virum qui in lingua sua non offendit* (*Jac.* III). Nam quin rixæ et contentiones de pestifera semper radice oriantur, dubium non est, quoniam nisi cor prius intrinsecus per elationem intumesceret, nequaquam lingua foris a custodia humilitatis suæ in contumeliam verborum se relaxaret. Sed dum superbe præ aliis sapientes videri volumus, erubescimus vel nostram ignorantiam ab aliis argui, vel aliorum sapientiam quasi ad nostram depressionem approbari. Sicque nonnunquam contra conscientiam nostram, vel nostrum errorem impudenter defendimus, vel alterius veritatem malitiose impugnamus. Hæc est *sapientia hujus mundi,* quam idem Jacobus apostolus *carnalem* vocat *et diabolicam quæ versuta est et maligna* (*ibid.*), illas solummodo astutiæ vias exquirens quibus possit errorem suum legere, et alienam veritatem quamvis manifestam, in opinione stultorum et insipientium hominum depravare. Sed non talis est sapientia quæ desursum venit, quæ nescit etiam semetipsam contra veritatem diligere, semper parata vel bonum quod non habet ab habentibus libenter petere, vel malum quod sustinet cum aliis et coram aliis veraciter accusare. Propterea de ipsa idem Jacobus apostolus sic ait : *Sapientia autem quæ desursum est primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, judicans sine simulatione* (*ibid.*). Proinde, fratres charissimi, linguam vestram a superfluitate non solum inanium verborum restringite, sed in ipsis etiam quæ recta sunt mensuram et modum tenete, et in collatione sanctorum magis auditores quam doctores esse eligite. Os clausum et aures apertas habete, et quanto estis ad loquendum modestiores, tanto estote ad intelligendum sagaciores. Sufficiat vobis (si forte res sic exigat) quod sapitis petentibus humiliter insinuare, contra resistentes autem nunquam præsumatis pertinaciter dicta vestra defendere, quia sicut jam vobis prædiximus, multarum modestiarum causas jurgia ministrant, et mox ut lingua indiscrete ad multiloquium resolvitur, ad disturbandam pacem cordis vestri quasi janua hosti aperitur. Restat ergo, fratres, ut si vere discipuli veritatis esse cupitis, tales vos studeatis exhibere quibus veritas facile persuaderi possit, quia et ipsa doctrina veritatis tales auditores amat, qui eam et a sapientibus exhibitam humiliter suscipiunt, a simplicioribus quoque administratam arroganter non contemnunt, qui in scientia Dei, hoc in peritia bene agendi cunctos prudentiores et sapientiores quam se esse existimant, nec erubescunt magistros habere omnes, a quibus discere possunt quod ignorant, qui bene dicta omnium libenter approbant, errores vero alienos (quantum ad se pertinere cognoverunt) pro tempore student vel modeste corripere, vel prudenter dissimulare. Qui denique studium scientiæ, morum disciplina exornant, et mansuetudinem ac modestiam mentis suæ non solum in custodia oris, sed etiam in habitu et gestu corporis sui demonstrant. Sed et de bonorum exemplis quæ in præsenti vobis dicenda existimo, paucis nunc (si potero) verbis demonstrabo.

Cap. VII. *De exemplis sanctorum imitandis.*

Quare putatis, fratres, vitam et conversationem bonorum imitari præcipimur, nisi ut per eorum imitationem ad novæ vitæ similitudinem reformemur ? In ipsis siquidem similitudinis Dei forma expressa est, et idcirco cum eis per imitationem imprimimur, ad ejusdem similitudinis imaginem nos quoque figuramur. Sed sciendum est quod nisi prius cera emollita fuerit, formam non recipit, sic

et homo quidem per manum actionis alienæ ad formam virtutis non flectitur, nisi prius per humilitatem ab omni elationis et contradictionis rigore molliatur. Neque enim per exemplum alterius aliquando in melius reformari poterit, qui adhuc per elationis vitium et bona aliena oppugnat, et sua mala defendit. Necesse est ergo ut si veraciter bonos imitari volumus, prius per veram humilitatem ad obedientiam corda nostra temperemus, quatenus vita nostra tanto citius ad novitatem redeat, quanto promptius in omnem quam viderit virtutis speciem, per voluntariam obedientiam se inclinat, et tanto altius ei vestigium alienæ bonitatis incipiat inhærere, quanto arctius studet bona aliorum imitari potius quam carpere. Aliam nobis adhuc non contemnendam considerationem ad præsens negotium forma sigilli exhibet. Figura namque quæ in sigillo foris eminet, impressione ceræ introrsum signata apparet, et quæ in sigillo intrinsecus sculpta ostenditur, in cera exterius figurata demonstratur. Quid ergo aliud in isto nobis innuitur, nisi quia nos qui per exemplum bonorum, quasi per quoddam sigillum optime exsculptum reformari cupimus, quædam in eis sublimia et quasi eminentia, quædam vero abjecta et quasi depressa operum vestigia invenimus? Sanctorum quippe opera quæ quantum ad existimationem hominum non ad dignitatem, sed ad utilitatem pertinent, illa in conversatione eorum quasi deorsum pressa jacent. Quando vero talia operantur quæ humanas mentes in admirationem sui pertrahunt, quasi quasdam in se eminentes sculpturas ostendunt. Quod ergo in illis eminet, in nobis introrsum recondi debet, et quod in illis depressum est, in nobis est erigendum, quia nos cum facta eorum ad imitationem trahimus, sublimia quidem in abscondito et abjecta in manifesto facere debemus, ne vel illa si ostendantur per amorem accepti favoris inani gloriæ servire incipiant, vel ista si abscondantur per timorem vilitatis, præmium retributionis amittant. Nescio quam homo deinceps habeat excusationem ignorantiæ, cui tot jam viæ demonstrantur, quibus possit ad scientiam veritatis pervenire. Ecce post discretionem rationis propriæ per quam dirigitur, post doctrinam sapientium per quam eruditur, post exempla bonorum quibus instruitur, adduntur etiam præcepta Scripturarum, quibus ab omnem vivendi rationem informatur. Postremo adjunguntur tentationes, quibus exercitatus per quotidianam experientiam de veritate præceptorum certior efficitur.

Cap. VIII. *De iis quæ in sacris Scripturis sunt attendenda.*

Vos autem fratres, qui scholam disciplinæ jam intrastis, in lectione divina prius debetis quærere, quod mores instruat ad virtutem, quam quod sensum acuat ad subtilitatem, magisque velle informari præceptis Scripturarum, quam quæstionibus impediri. Cum igitur divinas Scripturas legitis, solerter perpendite quid ibi dictum sit ad excitandum in vobis amorem Dei, quid ad contemptum sæculi, quid ad cavendas insidias inimici, quid ad bonos affectus nutriendos et parva desideria exstinguenda valeat, et quid citius cor per compunctionis ardorem accendat. Quid disciplinam in opere, quid humilitatem in cogitatione, quid patientiam in adversis habere doceat, quid denique ad agenda bona securum, et ad mala cavenda doceat esse circumspectum. Hoc modo lecta scriptura intelligentiam confert salutarem, et hanc ipsam sapientiam (quam pro virtute libenter despicitis) melius postmodum per virtutem invenitis.

Cap. IX. *Quomodo in omnibus operibus suis debeat homo esse circumspectus.*

Restat hoc novissimum et maxime fortassis præ cæteris necessarium, ut videlicet homo in omnibus operibus suis sit circumspectus et providus, quotidiana discussione cogitationes, locutiones pariter et facta sua apud semetipsum examinet. Sapientes quippe semper agendo discunt, et per exercitium bonorum operum quotidianis profectibus in majorem virtutis agnitionem excrescunt. Per experientiam namque eorum quæ faciunt, ad ea quæ postmodum agenda erunt, cautiores fiunt. Videt enim quod sæpe opus quod bona intentione inchoari creditur, tanto citius hominem in deceptionis laqueum præcipitat, quanto de intentionis suæ principio securus finem actionis minus observat, et imprudens quasi via plana ad foveam currit, quia videt quid faciat, sed quid factum suum sequi debeat, non attendit. Item non considerat quod nonnunquam evenire solet, ut affectus animi ita ambignus sit, ut nisi ex fine operis discernere non possit homo qualitatem suæ intentionis. Si vero diligenter consideret ad quem finem tendat mentis affectio, tunc jam plane vitium esse dignoscitur, in quo prius sibi animus falso de virtute blandiebatur. Et rursum invenitur aliud adhuc esse propter quod circumspectio homini ubique necessaria est, quoniam ad id etiam quod bonum est, agendum tanto magis homo peritus efficitur, quanto diligentius facta sua circumspiciens, seipsum quotidie in proficiendo superare conatur, cum sollicite attendit quid agat, quid agere debeat, utrum id quod faciendum est, faciat; utrum quantum et qualiter faciendum est faciat; utrum bono operi malum aliquod non admisceat; utrum bonum, quod agit quanta oportet devotione impleat; utrum alterius ut suum bonum diligat; utrum suum ut alterius malum reprehendat. Per singulos dies vitam suam ad judicium vocat, mane quando surgere debet considerat quid egerit per noctem; in vespere quando cubitum vadit, considerat quid egerit per diem, quantum ad bona agenda solito alacrior, quantum ad mala vincenda solito constantior. Si quid ex iis quæ agenda non erant præsumpserit, si in aliquo opere suo insidiis inimici supplantatus sit, qualiter demum per indicium transactæ deceptionis futuram illius fraudem cavere possit, quatenus cum nec superveniens

tentatio improvidum ad malum opus dejiciat, neque indiscretum in bono opere præsens negligentia fallat. Quisquis cor suum in ejusmodi studio exercet, existimo quod cito ad illam bonam et salubrem scientiam perveniat, quam, sicut supra diximus, ad servandam disciplinam et bonitatem psalmista dari sibi postulabat. Restat igitur nunc ut ea quoque, quæ de disciplina nobis demonstranda sunt, proferamus. Docebimus ergo vos primum quid sit disciplina, deinde quid valeat, postremo quomodo observari debeat.

CAP. X. *Quid sit disciplina, et quantum valeat.*

Disciplina est conversatio bona et honesta, cui parum est mala non facere, sed studet etiam in iis quæ bene agit per cuncta irreprehensibilis apparere. Item disciplina est membrorum omnium motus ordinatus, et dispositio decens in omni habitu et actione. Audistis quid sit disciplina, nunc attendite quam utilis et quam necessaria sit. Disciplina est compes cupiditatis, malorum desideriorum carcer, frenum lasciviæ, elationis jugum, vinculum iracundiæ, quæ domat intemperantiam, levitatem ligat, et omnes inordinatos motus mentis atque illicitos appetitus suffocat. Sicut enim de inconstantia mentis nascitur inordinata motio corporis, ita quoque dum corpus per disciplinam stringitur, animus ad constantiam solidatur. Et paulatim intrinsecus mens ad quietem componitur, cum per disciplinæ custodiam mali motus ejus foras fluere non sinuntur. Integritas ergo virtutis est, quando per internam mentis custodiam ordinate reguntur membra corporis. Interior namque est custodia, quæ ordinata servat exterius corporis membra. Sed qui statum mentis perdit, subsequenter foras in inconstantiam motionis defluit, atque exteriori mobilitate indicat quod nulla interius radice subsistat. Unde per Salomonem dicitur : *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et in omni tempore jurgia seminat* (*Prov.* VI). Propterea enim hunc talem (quem de indisciplina et discordia pariter notare voluit) prius apostatam nominavit, quia nisi prius intus a conspectu Conditoris aversione mentis caderet, foris postmodum ad inconstantiam et seminanda jurgia non veniret. Liganda ergo sunt foris per disciplinam membra corporis, ut intrinsecus solidetur status mentis, quatenus dum undique exterior custodia interiori mobilitati coercendæ opponitur, tandem mens ad pacem in semetipsa colligatur. Omnium namque vitiorum motus disciplina coercet, et quantum mala desideria foris coercendo comprimit, tantum per eam bonum desiderium interius convalescit. Paulatimque eadem virtutis forma per consuetudinem menti imprimitur, quæ foris per disciplinam in habitu corporis conservatur. Ecce vidimus quantum valeat disciplina, nunc qualiter custodiri debeat consideremus. Quatuor sunt præcipue in quibus servanda est disciplina, in habitu, in gestu, in locutione, in mensa, id est comestione.

CAP. XI. *De disciplina servanda in habitu.*

In habitu quinque modis disciplina custoditur, in genere et qualitate, in colore et formatione et coaptatione vestimentorum. In genere, scilicet ne sint vestimenta nostra nimis pretiosa. In qualitate, ne nimis sint subtilia vel mollia. In colore, ne nimis sint nitida, sive quolibet alio modo supra quam proposito religiosæ conversationis expetit fuscata. In formatione, ut sint decenter et religiose composita, et humilitatis signum habentia, id est non nimis magna aut dependentia, aut fluxa, nec nimis stricta, sive quolibet alio modo secundum sæculi vanitatem detorta. Coaptatio ad modum portandi pertinet, nam sunt quidam stulti qui stultis placere cupientes, quodam artificio vestimenta sua circa se componunt. Alii vero majori scurrilitate ridiculose transvertunt, alii autem ut pompam de se faciant, explicant ea, et quantum possunt, latius distendunt. Alii temere corrugata in unum colligunt, alii contorquentes et complectentes involvunt. Alii toto conanime stringentes et findentes ea, omnia corporis sui lineamenta, inverecundissima quadam turpitudine aspicientibus numeranda exponunt. Alii jactando et ventilando pannos suos, levitatem mentis suæ ex ipsa habitus sui mobilitate ostendunt. Alii incedentes sinuoso syrmate terram verrunt et limbis dependentibus, imo retro consequentibus caudis in similitudinem vulpium vestigia sua obducunt. Bene profecto, ut postquam pertransierint, pereat memoria illorum, ne sint amplius in recordatione in terra viventium. Qui ut ostendant de numero illorum se esse, de quibus Psalmista dicit : *Non sic impii non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I), quacunque perrexerint, quasi turbo tempestatis pulverem concitant, et ipsi filii tenebrarum illud lumen foris oculis hominum subtrahunt, quod intus cæcata mente perdiderunt. Est tamen in quo de eis etiam in præsenti vita vindictam capimus, quia iisdem suis pannis quibus nebulam pulveris luminibus nostris injiciunt, ad complanandam viam pedibus nostris, lutum platearum abstergunt. Quid amplius dicam ? Tædet me omnia vanitatis ostentamenta numerare, in quibus stulti et vecordes, mulieribus, imo meretricibus studia sua auferunt, et tanto dedecore quanta superstitione cum habitu pene sexum mutaverunt. Alii sunt mille modi quibus homines vanissimi et superstitiosissimi spectaculum de se intuentibus præbere concupiscunt. Sed hæc omnia servus Dei magna debet constantia despicere, cum videat nullos nisi stultos et irrisione dignissimos studiis talibus deservire. Hæc enim omnia veræ religioni contrariæ sunt et omnes qui studium et curam his adhibeant, quantum a religione alieni sint, patenter ostendunt. Sed gratia Dei omnes qui modo in religione constituti talibus student, et per hæc hominibus placere cupiunt, omnibus hominibus magis viles et contemptibiles fiunt. Et econverso qui hæc propter Deum despiciunt,

non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus chariores et honorabiliores existunt. Eant ergo nunc miseri et stulti ac omnis honestatis ignari, eant et comant pannos suos, qui non intelligunt quam juste in viris religiosam vitam professis cultus pretiosarum vestium reprehenditur, qui per apostolum Paulum etiam feminis prohibetur, *non*, inquit, *in veste pretiosa* (*I Tim.* II). Videant ergo quanta non dico reprehensione sed confusione, imo potius quanta damnatione digni sunt, qui in proposito religionis, cultui pretiosorum vestium student, quia *dives* ille *qui* in Evangelio *purpura et bysso* induitur, postea *in tormentis inferni* æternaliter cruciandus sepelitur (*Luc.* XVI). Quid autem in purpura nisi color et pretium, et quid in bysso nisi mollities reprehenditur? Cum ergo carni suæ et in purpura decorem, et in bysso mollitiem adhibuisse dicitur, procul dubio superbus simul et luxuriosus fuisse comprobatur. Qui ergo corpori suo prius illicite fomenta vitiorum exhibuit, jure postmodum hoc cruciandum flamma tormentorum accepit. Et tamen dives iste nondum propriis rebus abrenuntiaverat, sed quia in iis quæ possidebat temperantiam servare noluit, post illicitum usum rerum temporalium ad pœnam sempiternam pervenit. Si igitur ille quia propriis abusus est tantam damnationem meruit, quid putamus isti facient, qui propria non habentes alienam eleemosynam cultui suæ elationis impendere non pertimescunt? Væ eis quia ipsi (sicut per prophetam dicitur) *peccata populi* comedunt (*Ose.* IV), *et victimas in profundum* declinant (*Ose.* V), quia quod alii pro redemptione animarum suarum offerunt, hoc ipsi accipientes per illicitum usum ad damnationem animarum suarum convertunt. *Væ coronæ superbiæ Ephraim et flori decidenti* (*Isa.* XXVIII), quia *omnis caro fenum et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fenum et cecidit flos, quia spiritus iracundiæ Domini exsufflavit in illud. Exsiccatum est fenum et cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum* (*Isa.* XL). *Quid igitur superbit cinis et pulvis* (*Eccl.* X), *fumus evanescens et vapor ad modicum parens?* (*Jacob.* IV). *Quid est homo nisi putredo, et filius hominis nisi vermis? Vermis ipse, et vermis hæreditas ejus, hæreditabit enim homo vermes, bestias, serpentes* (*Eccl.* X). Quantumque excolatur et ornetur, quid est aliud caro quam caro? Quid igitur prodest in habitu qui foris ad tempus adhæret, gloriam quærere, et corruptionis putredinem, quæ in nobis est et semper permanet, non considerare? Propterea debent amatores religionis opere demonstrare quantum ipsi terrenea despiciant, nec carnem quæ moritura est cultu superstitioso excolere, sed pompæ indumentorum, morum ornamenta anteferre. Vestimenta plus vilia quam pretiosa, plus grossa quam subtilia, plus aspera quam mollia, plus fusca quam nitida, plus neglecte quam accurate composita vel adaptata amare, quatenus si non possint in vestimentis suis per omnia commoditatem abscindere, nunquam tamen præsumant eis uti ad ostentationem. Poterant hæc fortassis benevolis ad eruditionem modestiæ et humilitatis sufficere, sed scio duros et rebelles animos, nisi ad hæc mordacioribus lupatis frenati fuerint, non facile a via pristini erroris declinare. Quos quidem oportet in cunctis observationibus usque ad unguem stringere, et ut nullus deviandi locus tergiversationi relinquatur, ad singula vestigia determinatis præceptionibus obligare.

Cap. XII. *De disciplina servanda in gestu.*

Gestus est motus et figuratio membrorum corporis, ad omnem agendi et habendi modum; hic sex modis reprehensibilis invenitur, scilicet, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus, aut procax, aut turbidus. Mollis significat lasciviam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus inconstantiam, procax superbiam, turbidus iracundiam. Nam quod inordinati motus corporis, corruptionem et dissolutionem indicent mentis superius jam demonstratum est; ubi Salomonis testimonio virum apostatam exterioribus indiciis aversionem animi sui promentem ostendimus. Ait enim: *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur* (*Prov.* VI), quia videlicet cum mens interius a custodia sui solvitur, membra foris ad omnem actum inordinate commoventur. Et velut corpus paralytici modum quidem habet, sed officia membrorum in suis actionibus servare non valet, sic iste impatientia quidem et fluctuatione mentis ad quælibet præceps impellitur, sed in omnibus quæ agit nullo rationis moderamine gubernatur. Sed sciendum est quod in his vitiosis gestibus quidam inter se similes quodammodo esse videntur, et quemadmodum vitia de quibus nascuntur, inter se non multum discrepant, ita ipsi quoque motus exteriores quamdam inter se concordiam perversitatis observant; sicut similes sunt gestus mollis et procax, dissolutus et tardus, citatus et turbidus, quia et vitia ipsa inter se similia sunt, sicut et lascivia, et jactantia, negligentia et pigritia, inquietudo et impatientia. Propterea omnes isti inordinati gestus, quia de interioribus animæ prodeunt corruptionibus, in multis Scripturarum locis graviter argui et reprehendi, inveniuntur; quæ, etsi per singula enumerare non possumus, ne tamen pro nihilo rem in tantum exaggerare videamur, quædam ex his exempli causa revolvemus. De molli et procaci gestu lasciviam et arrogantem animam Dominus per Isaiam prophetam arguit, dicens: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis, sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera. Tolle molam, molle farinam, denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina* (*Isa.* XLVII). Et post pauca: *Sede, tace, intra in tenebras, filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultra domina regnorum* (*ibid.*). Quæ ergo descendere præcipitur, de procaci gestu et typo arrogantiæ increpatur. Unde

et bene subjungitur, *non est solium filiæ Chaldæorum*; quia sæpe homo apud alios tanto magis despectus habetur, quanto magis apud seipsum per tumorem arrogantiæ extollitur, ut impleatur illa sententia Veritatis qua dicitur : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et omnis qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV). De quo adhuc subinfertur cum dicitur : *Sede, tace, intra tenebras, filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultra domina regnorum* (*Isa.* XLVII). Magna etenim tunc hominem confusio sequitur, quando se ab aliis despici videt, etiam pro eo in quo ipse gloriatur. Sed quia lascivia et mollities amica est procacibus et superbis, increpata arrogantia, lasciviam etiam arguit cum subjungit : *Tolle molam, mole farinam, denuda turpitudinem, discooperi humerum, revela crura, transi flumina, quia ultra non vocaberis mollis et tenera* (*ibid.*). Quam sit ergo odibilis apud Deum lascivia et procacitas, ex hoc patenter ostenditur, quod Scriptura tam districta animadversione et dejectionem arrogantibus, et asperitatem mollibus superventuram comminatur. Hinc est rursum quod per eumdem Isaiam contra lascivos et procaces dicitur : *Hæc dicit Dominus : Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant et plaudebant, ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion* (*Isa.* III). *Ambulabant extento collo et nutibus oculorum*, hic notatur arrogantia. *Ibant et plaudebant, ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant*, hic notatur lascivia. Sequitur : *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion*, hæc est pœna arrogantium. *Et Dominus crinem earum nudabit*, hæc est pœna lasciviorum. Et quia hæc vitia luxus pretiosarum vestium sequi solet, pœna quoque ejus subinfertur cum dicitur : *In die illa auferet Dominus ornatum calceamentorum et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoria, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et pallia, linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vitas, et theristra; et erit pro suavi odore, fetor; et pro zona, funiculus; et pro crispanti crine, calvitium; et pro fascia pectorali, cilicium* (*ibid.*). Ecce quam diligenter omnia vanitatis insignia enumerat, ut hæc in quibus homines nullam vel admodum parvam culpam esse putant, quam districte a Deo pensentur, ostendat.

Dissolutum et tardum Salomon arguit dicens : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo et exemplo didici disciplinam* (*Prov.* XXIV). *Usquequo piger dormies, usquoque de somno non consurgis?* (*Prov.* VI). *Paululum dormies, modicum dormitabis pauxillum manus conseres ut quiescas, et veniet quasi cursor egestas tua, et mendicitas tua quasi vir armatus* (*Prov.* XXIV). Et rursum : *Vade ad formicam, o piger, et considera* A *vias ejus et disce prudentiam, quæ, cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi, et congregat quod comedat* in hieme (*Prov.* VI). Item de pigro : *Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger iis qui miserunt illum* (*Prov.* X). Et de dissoluto : *Manus fortium dominabitur, quæ autem remissa est, tributis serviet* (*Prov.* XII). Et iterum de pigro : *Vult et non vult piger, anima autem operantium impinguabitur* (*Prov.* XIII). Rursum de dissoluto : *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis* (*Prov.* XVIII). Item de pigro : *Abscondit piger manum suam sub ascella, et laborat si ad os suum applicuerit eam* (*Prov.* XIX). Item : *Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus ejus operari* (*Prov.* XXI). Et iterum : B *Dicit piger : Leo est in via, in medio platearum occidendus sum* (*Prov.* XXII). Item : *Sicut ostium in cardine suo, sic piger vertitur in lecto* (*Prov.* XXVI). Et in libro Ecclesiastico de pigro, tardo et dissoluto dicitur : *In lapide luteo lapidabitur piger, et omnes loquentur super aspernationem illius. De stercore boum lapidabitur piger, et omnis qui tetigerit eum, excutiet manus suas* (*Eccli.* XXII). Multa sunt alia si enumerare velim, quæ ad increpationem, vel ad irrisionem horum in Scripturis dicuntur, de quibus hæc ad exhortationem præsentem vobis dicta sufficere possunt.

Citatus vel inquietus simul et turbidus gestus per Salomonem iterum reprehenduntur, ubi, sicut jam in superiori exemplo demonstravimus, de viro C apostata dicitur : *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum et omni tempore jurgia seminat* (*Prov.* VI). Huic exemplo veniet perditio sua, nec habebit ultra medicinam. Quam sit enim perditioni proximus, ipse sua actione satis demonstrat, qui per inquietudinis vitium in semetipso pacem perdit etiam priusquam foris obsistentem inveniat. Et qua præcipitandus sit patet, si occasionem furoris invenerit, quem nullo turbante exterius sua intus levitas et impatientia ad furorem præcipitem rapit. Unde bene postquam inconstantiæ et levitatis signa enumeravit, dicens : *Annuit oculis digito loquitur, terit pede*, novissime indicium furoris expressit, dicens; D *Omni tempore jurgia seminat*. Quia, sicut dictum est, primum per levitatis vitium et inquietudinem pax internæ tranquillitatis dissolvitur, ac sic deinde agitata mens in foveam furoris præcipitatur. Quamvis enim id ipsum quod dixit, graditur ore perverso, *annuit oculis, terit pede, digito loquitur*, tam furoris quam inquietudinis signum sit, tamen hic esse solet ordo perditionis, ut primum homo per inquietudinem, constantiam gravitatis deserat, ac si tandem usque ad impatientiam furoris erumpat. Habet etiam hic gestus, id est citatus sive inquietus, cum molli ac procaci affinitatem, quia levitas aliquando lasciviam, aliquando impatientiam designat. Inquietus gestus lascivo et procaci concordat, sicut per Salomonem dicitur : *De fenestra domus meæ per cancellos prospexi, et vi-*

deo parvulos, considero vecordem juvenem, qui transit per plateas juxta angulum, et prope viam domus alienæ graditur in obscuro, advesperante die, in noctis tenebris et caligine. Et ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis : nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur (*Prov.* VII). Statim eam sequitur *quasi bos ad victimam ductus, et quasi agnus lasciviens et ignorans, et nescit quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta fecur ejus, veluti si avis festinet ad laqueum, et nescit quia de periculo animæ illius agitur; viæ inferi domus ejus, penetrantes interiora mortis* (*ibid.*). Nemo ergo deinceps putet parum relinquere eos qui contra disciplinam ad turpes motus, et inordinatas gesticulationes membra sua inflectunt, quia nunquam Scriptura tam severe istos exteriores corporis motus in nobis reprehenderet, nisi omnis exterioris hominis inhonesta figuratio et motio indecens, ab interiori mentis corruptione manaret. Propterea multum valet disciplina ad coercendos pravos motus animi, quatenus mala desideria dum per custodiam disciplinæ stringuntur ne foras effluant, tandem aliquando etiam interius surgere ac moveri omnino desuescant. Quia igitur vitia gesticulationum descripsimus, ordo exigit, ut nunc quis sit in omni gestu modus disciplinæ, definiamus, quod etsi fortasse per singula facere non possumus, magis tamen expedit aliquid inde ad eruditionem dicere, quam omnino silere. Primum ergo diligenter observandum est, ut singula membra suum teneant officium, neque usurpent alienum, deinde ut unumquodque suum opus tam decenter ac modeste impleat, quatenus per indisciplinam aspicientium oculos non offendat. Nam in quolibet horum peccetur, dignum reprehensione est, sive scilicet membra inter se actus suos confundant, sive id quod juste agere debent, recte non expleant. Discretio actionum in membris conservanda est, ut scilicet id agat unumquodque membrum ad quod factum est, ut neque loquatur manus, neque os audiat, nec oculus linguæ officium assumat. Sunt enim quidam qui nisi buccis patentibus auscultare nesciunt, et quasi per os sensus ad cor influere debeat, palatum ad verba loquentis aperiunt. Alii (quod adhuc pejus est !) in agendo vel audiendo quasi canes sitientes linguam protendunt, et ad singulas actiones velut molam labia torquendo circumducunt. Alii loquentes digitum extendunt, supercilia erigunt, et oculos in orbem rotantes, aut profunda quadam consideratione defigentes, cujusdam intrinsecus magnificentiæ conatus ostendunt. Alii caput jactant, comam excutiunt, vestimenta adaptando componunt, et latera cubitando, pedesque extendendo ridiculam satis ostentationis formam fingunt. Alii quasi ambæ aures ad audiendum factæ non sint, alteram tantum collo detorto voci venienti opponunt. Alii typum nescio

A quem figurantes, oculorum inter videndum alterum claudunt, alterum aperiunt. Alii majori ridiculo dimidiato ore loquuntur. Sunt præterea mille larvæ, mille subsannationes et corrugationes narium, mille valgia et contortiones labiorum, quæ pulchritudinem faciei et decorem disciplinæ deformant. Est enim facies, disciplinæ speculum, cui tanto major custodia adhibenda est, quanto minus si quid in ea peccatum fuerit, celari potest. Temperanda est igitur facies et mortificanda in gestu suo, ita ut nec proterve exasperetur, nec molliter dissolvatur, sed semper habeat et rigidam dulcedinem, et dulcem rigorem. Alii navigant brachiis incedentes, et duplici quodam monstro, uno et eodem tempore pedibus deorsum in terra am-
B bulant et lacertis sursum in aere volant. Quod est quæso monstrum hoc, quod simul in se fingit et hominis incessum, et navis remigium, et avis volatum ? Libet in hoc, poeticæ illius subsannationis elogio proclamare :

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne.
(HORAT. *in Arte poet.* v. 1-5).

Certe tale mihi videtur hoc portentosæ figurationis schema :

.........*Cujus velut ægri somnia venæ*
Fingentur species, ut nec pes nec caput uni
Reddatur formæ.
(*Ibid.* v. 7-10).

C Sed ne forte satiram potius quam doctrinam edere videamur (cum plurima adhuc enumeranda supersint) modestiæ hic quoque oblivisci non debemus. Etiam sic fortassis negligentibus et indisciplinatis quantum ipsi in his erubescere debeant, melius silendo ostendemus. Scire tamen debent unum esse vitium quod prius intrinsecus statum mentis dissipat, ac postmodum extrinsecus in membris ordinem actionis perturbat, sicut jam sæpius memorato Salomonis testimonio comprobatum est, ubi in apostata homine prius quidem mentis aversio atque defluxio præcessisse dicitur, ac postmodum contusio atque perturbatio actionis subsecuta memoratur. In eo enim quod dicitur : *Homo apostata vir inutilis* (*Prov.* VI), notatur de-
D fluxio mentis, in eo autem quod dicitur, *graditur ore perverso, terit pede, annuit oculus, digito loquitur* (*ibid.*), demonstratur confusio actionis. Hinc etiam est illud quod dicitur in libro Ecclesiastici : *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo* (*Eccl.* XIX). Quia videlicet per illud, quod foris sive bene sive male agitur, interior animi qualitas intuentium oculis patenter indicatur. Et idcirco oportet ut ad hanc perturbationem sedandam custodia disciplinæ opponatur, quæ unumquodque membrum ad suum officium restringat, quatenus dum alterum membrum operatur, alterum aut omnino quietum maneat, aut si forte ejus opera illi necessaria esse co-

gnoscitur, suo motu ad cooperandum illi decenter et ordinate moveatur. Ita ut nihil confuse, nihil præposterum in membris corporis agatur, sed ut sciat utrumquodque in quo alteri debeat succurrere, et in quo dum aliud movetur, se debeat quietum custodire. Est enim quasi quædam respublica corpus humanum, in quo singulis membris sua officia distributa sunt. Dum ergo unum membrum alterius membri officium inordinate sibi vindicat, quid aliud quam concordiam universitatis perturbat? Cumque aliud suo motu alterius motum impedit, certe illi quam natura moderatur, dispositioni contradicit. Prima igitur est custodia disciplinæ in gestu, ut unumquodque membrum in eo ad quod creatum est officia se contineat, neque alterius membri ministerium sui admistione confundat. Id est, ut oculi videant, aures audiant, nares olfaciant, os loquatur, manus operentur, pedes ambulent, quatenus neque transmutentur officia membrorum neque inordinate permisceantur.

Secunda est custodia disciplinæ in gestu, ut unumquodque membrum id quod facit, eo modo atque mensura faciat quo faciendum est, id est nec plus nec minus, nec aliter quam oportet, faciat. Quatenus in actu suo sic et dirigatur et moveatur, ut in nulla unquam parte temperantiæ limitem aut formam honestatis excedat, hoc est (ut id paucis exemplis probemus) ridere sine apertione dentium, videre sine defixione oculorum, loqui sine extensione manuum et intentione digitorum, sine contorsione labiorum, sine jactatione capitis, sine elevatione superciliorum; incedere sine modulatione gressuum, sine gesticulatione scapularum; sedere sine divaricatione crurum, sine alterutra superjectione pedum, sine extensione vel agitatione tibiarum, sine alterna accubitatione laterum, jacere sine disjectione membrorum. Et ut tandem de hac parte finem loquendi faciamus, gestus hominis in omni actu esse debet gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, et sine turbulentia severus. Mollem gestum temperat turbidus, et turbidum mollis, dissolutum procax, procacem dissolutus, citatus tardum, et tardus citatum, quia inter vitia contraria medius limes virtus est. Hæc de gestu ad præsentem doctrinam dicta sufficiant. Si qui vero tam duri cordis fuerint, ut his admonitionibus informari nequeant, illos quidem acrioribus stimulis urgeri oportet, ut quod sponte facere nolunt, faciant vel inviti. Scio enim quam difficile sit, cor malitia induratum ad formam disciplinæ et speciem honestatis incurvare, sed necesse est ut dura materia cum facile ad formam non flectitur, ei et acrioris flammæ incendium et mallei gravioris tunsio adhibeatur.

Cap. XIII. *De disciplina in locutione servanda : et primo quid loquendum.*

In locutione quinque res sunt observandæ, hoc est quid dicatur, cui dicatur, ubi dicatur, quando dicatur, quomodo dicatur. Quid autem dicendum sit, hoc primum generali distinctione discernitur, ut videlicet nunquam in sermonibus disciplinatis otiosa adhibeantur. Otiosa autem sunt omnia, quæ sunt aut nociva, aut inhonesta, aut inutilia. Inutilia autem sunt, quæ nec loquentibus, nec audientibus prosunt. Inhonesta sunt, quæ vel illius qui loquitur, vel illius cui loquitur, vel illius de quo loquitur dignitati non conveniunt. Nociva sunt quæ suis suasionibus animos auditorum sive ad errorem sive ad pravitatem inducunt. Hæc autem tria, id est nociva, inhonesta, inutilia, duobus modis discerni possunt, id est secundum qualitatem rerum de quibus locutio sit, et secundum qualitatem personarum per quas, vel ad quas, vel de quibus locutio fit. Qualitas personarum quatuor modis consideratur, id est secundum ætatem, secundum scientiam, secundum officium, secundum conditionem. Secundum ætatem, quia aliud convenit locutionibus senum, aliud locutionibus juvenum. Secundum scientiam, quia aliud convenit locutionibus sapientium, aliud locutionibus simplicium. Secundum officium, quia aliud convenit locutionibus eorum qui negotia exteriora tractant, aliud locutionibus eorum qui secretioris vitæ quieti et studio contemplationis invigilant. Secundum conditionem ac statum, quia aliud convenit locutionibus eorum qui sunt prælati, aliud locutionibus eorum qui sunt subditi. Senes loqui debent de discretione bene consulendi. Juvenes de instantia benefaciendi. Sapientes de mysteriis Scripturarum. Simplices de exemplis bonorum operum. Ii qui exteriora tractant negotia, de solertia acquirendi, ii qui quietam vitam ducunt, de disciplina vivendi. Prælati de provisione rerum, subjecti de obedientia præceptorum. Et unusquisque qui loquitur secundum qualitatem personæ suæ, qualitatem materiæ inquirat congruam de quo loquatur.

Cap. XIV. *Cui loquendum.*

Sequitur ut postquam elegerit homo quid dicat, etiam cui dicat diligenter attendat. Quia sicut ait quidam sapiens : *Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno* (*Eccl.* XXII). Et iterum : *Cum stulto ne multum loquaris, et cum insensato ne abieris* (*ibid.*). Et Salomon dicit : *Qui arguit impium, generat maculam sibi. Noli arguere derisorem, ne oderit. Argue sapientem, et diliget te. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere* (*Prov.* IX). Sed rursum in libro Ecclesiastico de discretione loquendi dictum est : *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate et cum injusto de justitia, et cum muliere de iis quæ æmulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione* (*Eccl.* XXXVII). Ubi intelligi datur quod boni pravorum colloquia aliquando appetere, aliquando vitare debent. Appetere debent boni pravorum colloquia, quando et sua

exhortatione illos sperant posse corrigi, et tantum A de sua stabilitate confidunt, ut non timeant ex illorum prava suggestione corrumpi. Quando vero et illorum duritiam et suam infirmitatem considerant, expedit eis ut fugiant, ne dum illos non valent admonitionibus suis corrigere, paulatim incipiant ipsi ad pravitatem illorum declinare. Cum ergo propter nostri ædificationem loquimur, cum illis loquamur quorum doctrina possimus ad virtutem instrui. Cum autem propter ædificationem proximi loquimur, cum illis loquamur quos speramus per nostram exhortationem a pravitate sua posse emendari. Alioquin et sapientes velle docere, superbia est, et obstinatos corripere, insipientia. Quia et injuriosus proximo est, qui meliori non exhibet reverentiam, et injuriosus sibi est, qui non B emendat sed provocat erga se insipientis vesaniam. Ergo qui cum alio loquitur primum consideret utrum propter se an propter illum loquatur. Si propter suam utilitatem loquitur, videat ut ille talis sit, de cujus colloquio utilitas sibi provenire possit. Si propter illum loquitur, caveat ne talis sit ille, qui vel sua exhortatione non indigeat, vel ita in malo obstinatus, ut exhortatione alterius corrigi se non permittat. Si ergo sic est, nunquam nisi vel ad nostri vel ad aliorum eruditionem loqui debemus, et in ipsa nostra locutione talem discretionem servare, ut semper studeamus et a sapientioribus discere, et minus doctos (ita duntaxat si se doceri patiantur) studeamus erudire. Et sicut interrogando, de illo potissimum quod nos magis C urget verba facimus, sic docendo, illud quod magis personæ auditoris congruit proferre debemus, ut contra vitium quod in eo sanare cupimus, competens nostri sermonis remedium opponamus, quemadmodum supradictum est : *Cum irreligioso de sanctitate, cum injusto de justitia, cum pigro de multa operatione loquendum esse.* Facile ergo cui sit loquendum agnoscimus, si id quod dicitur quale sit diligenter consideremus, quia id profecto unicuique magis dici convenit, quod ad illud, in quo ipse plus laborat, malum sanandum consilio commodiori occurrit. Verbi gratia, quando constantiam laudare volumus, ad pusillanimes non ad superbos sermonem nostrum dirigere debemus, quia cum vitium superbiæ sub prætextu constantiæ nonnunquam se contegat, si cœperimus super- D bis laudare constantiam, dum eos ad virtutem hortari credimus, amplius in suo vitio confirmamus. Exhortemur ergo ad constantiam timidos, ad timorem superbos, ad frugalitatem prodigos, ad liberalitatem avaros, ad humanitatem parcos, ad parcitatem gulosos, ad consilium temerarios, ad fervorem zeli tepidos, ad silentium verbosos, ad verbum exhortationis nimis tacitos, ad alacritatem segnes, ad mansuetudinem impatientes, ad justitiam negligentes, ad indulgentiam crudeles, ad verecundiam procaces, ad quietem præcipites, ad prudentiam incautos, ad sollicitudinem obliviosos, et ad modestiam inverecundos, et omnino quidquid dicere volumus cui dicendum sit, ex ipsa prius nostri sermonis qualitate colligamus.

Cap. XV. *Ubi loquendum.*

Sequitur tertia discretio loquendi, ut cum aliquid dicere volumus, prius ubi illud dici conveniat consideremus. Nam quædam sunt loca, in quibus perpetuum silentium servandum est. Quædam vero in quibus humanos sermones, id est confabulationes ad alterutrum edere non licet, exceptis iis verbis quibus homo cum Deo et ad Deum loquitur quando vel in orationibus vel in lectionibus sive in hymnis et canticis manifeste vel occulte prolatis Deo famulatur. Unde et beatus Augustinus *in oratorio nihil agendum esse* dicit, *præter id ad quod factum est.* Sunt item alia loca in quibus pro disciplina et instructione morum verba habenda sunt ; quædam iterum in quibus de intelligentia et expositione Scripturarum collationes (cum disciplina tamen et reverentia, hoc est sine contentione et clamore et qualibet turpitudine verborum) haberi possunt. Postremo sunt alia loca in quibus magis loquendi licentia laxatur, ita ut non solum de spiritualibus rebus, sed etiam de exteriorum dispositione et provisione sermones admittantur. Loca in quibus vana et superflua dici debeant, invenire non possum. Neque igitur in divinis et sacratis locis confabulationes inducere, neque in illis locis ubi de disciplina agendum est, quæstiones aut contentiones verborum ventilare neque in illis ubi de intelligentia divinarum Scripturarum tractandum est, exteriora negotia admiscere debemus, nec ea quæ sunt paucis revelanda, in manifesto propalare.

Cap. XVI. *Quando tacendum et quando loquendum.*

Quarta loquendi discretio est quando quid dicendum sit attendere. Est tempus quando nihil, et est tempus quando aliquid dicendum est, nullum vero tempus quando dicenda sunt omnia. Tempus est quando nihil dicendum est, quia tempus tacendi ; et tempus quando aliquid, quia tempus loquendi, tempus vero quando omnia, nunquam, quia sicut idem Salomon ait : *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo* (*Prov.* xxv). Habet igitur omne verbum tempus suum quando proferri debeat, tempus quando taceri. Quando autem loquendum sit, melius ostendemus, si prius quando tacendum sit demonstremus. Tempus enim tacendi tempus loquendi debet præcedere, quia prius per silentium tempore tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi proferatur. Propterea non ait Salomon : Tempus loquendi et tempus tacendi, sed *tempus tacendi et tempus loquendi* (*Eccli.* III), quia prius, sicut dictum est, in silentio forma loquendi sumitur, quæ postmodum tempore loquendi in voce teneatur. Aliquando tacere debemus propterea quod alter prior loqui cœpit, ne forte si sermonem ejus verborum nostrorum prolatione interrumpimus, et eum qui loquitur, et eos qui audiunt pariter offendamus. Aliquando tacendum est propterea, quia ad id quod dicere volumus, animos auditorum paratos adhuc non esse consideramus. Aliquando tacendum est propter multiloquium vitandum, vel

etiam propterea quod ipsi qui locuturi sumus, A nondum apud nosmetipsos congruam loquendi formam invenimus, quia profecto animus auditorum magis offenditur, si sermo qui ædificare debet, confusus et inordinatus proferatur. Aliquando tacendum est propterea quod ii, qui præsentes habentur, nequaquam tales sunt, ad quos verbum debeamus facere, quod duobus modis fieri potest, scilicet dum vel reverentia dignitati personæ impenditur, vel malitia incorrigibilis atque ideo indigna admonitione existimatur. Singula hæc exemplis Scripturarum probare possumus, quia non uno sed multis singula quæque confirmari Scripturarum testimoniis invenimus. Quod sermonem eorum qui priores nobis loqui cœperant, non debeamus interrumpere, sed semper loquentes alios et præcipue eos qui utilia et recta loquuntur, propter custodiam disciplinæ B reverenter sustinere atque exspectare, sanctus Job nobis ostendit, qui cum de sua disciplina et de aliorum erga se reverentia loqueretur, inter cætera sic ait : *Qui me audiebant, exspectabant sententiam meam ; et intenti tacebant ad consilium meum, verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum* (*Job* XXIX). Item sæpe propter infirmitatem auditorum tacendum esse, Dominus suo exemplo docet : qui, cum apostolos adhuc imbecilles et ad sublimioris doctrinæ eruditionem impares aspiceret ait : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI). Item aliquando tacendum esse propter præcipitationem loquendi vitandam, Salomon in Proverbiis C ostendit, dicens : *In multiloquio peccatum non deerit, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est* (*Prov.* X). Item : *Labia justi considerant placita, et os impiorum perversa* (*ibid.*). Item : *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignissimum* (*Prov.* XVIII). Item in libro Ecclesiastico : *Ne ventiles te in omnem ventum, et non eas in omni via, sic enim peccator probatur in duplici lingua. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei ut intelligas, et cum omni sapientia proferas responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo ; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato* (*Eccli.* V). Item sæpe propter reverentiam personæ tacendum esse, in eodem demonstratur cum dicitur : D *Priusquam interroges ne vituperes quemquam, et cum interrogaveris corripe juste. Priusquam audias ne respondeas verbum, et in medio seniorum ne adjicias loqui* (*Eccle.* XI). Item sæpe, propter malitiam auditorum tacendum esse, Salomon docet, dicens : *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui* (*Prov.* XXIII). Item : *Ne contendas cum pessimis: et ne æmuleris impios* (*Prov.* XXIV). Item : *Vir sapiens si cum stulto contenderit, sive irascatur sive rideat, non inveniet requiem* (*Prov.* XXIX). Quisquis hæc impedimenta loquendi cavere voluerit, facile fortassis et sine difficultate quando sit loquendum agnoscet, si tamen hoc attendit, quia aliud tempus est quando ei qui voluerit loqui conceditur, aliud est tempus quando ei qui noluerit loqui pro culpa reputatur. Sapiens autem æque cavet, vel ne eo tempore quando loqui debet, per negligentiam sileat, vel ne omni tempore quando loqui licet, per licentiam concessam in multiloquium cadat. Recte ego tempus loquendi discernitur, si homo nec unquam quando loqui debet, sileat, nec semper quando licet, loquatur. Restat nunc ut, postquam ostendimus quid vel cui et ubi et quando loquendum sit, etiam qualiter loquendum sit, demonstremus.

CAP. XVII. *Quomodo loquendum sit.*

Qualitas, id est motus loquendi in tribus constat, hoc est quo gestu, quo sono, qua significatione quid dicatur. Disciplina jubet ut loquentis sit gestus modestus et humilis, sonus demissus et suavis, significatio verax et dulcis. Modestiam debet habere gestus loquentis, ut nec inordinate, nec impudice, nec turbulenter inter loquendum membra moveat, neque oculorum nutibus, aut indecenti conformatione sive transmutatione vultus, placorem sui sermonis imminuat. Humilis debet esse gestus loquentis, ut apud auditores gratiam sermo ejus inveniat. Sonus loquentis esse debet demissus, ne strepitu, et immoderata clamositate auditores suos aut injuste terreat aut juste offendat. Suavis debet esse, ne prolationis asperitate tanto fiat animis audientium onerosior, quanto ad aures durior venit, et injucundior. Significatio, id est sententia sermonis, ideo debet esse vera, quia fallax verbum etiam si facunde aut composite dicitur, nihilominus tamen ab auditore aut noxium aut otiosum (si fuerit intellectum) reputatur. Sed et cum veritate necesse est, ut sermo loquentis dulcedinem habeat, quia sæpe etiam veritas auditori amara efficitur, si aut sine ratione, aut sine dilectione, hoc est, vel importune, vel impie contra eum proferatur. Singula hæc Scripturæ sacræ testimoniis comprobemus. Quod habitus indisciplinatus sermonem contemptibilem faciat, Salomon ostendit, dicens : *Non decent stultum verba composita* (*Prov.* XVI). Et iterum : *Non est speciosa in ore stulti parabola* (*Prov* XVII). Et iterum : *Fons vitæ eruditio possidentis; doctrina stultorum fatuitas* (*Prov.* XXVI). Et iterum : *Doctrina sua noscitur vir, qui autem vanu, et excors est, patebit contemptui* (*Prov.* XII). Item : *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola* (*Prov.* XXVI). Quod vero typus elationis sermonem hominis ingratum auditoribus reddat, Salomon iterum testatur, dicens : *Excelsa stulto sapientia in porta non aperiet os suum* (*Prov.* XXIV). Et iterum dicit : *Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives effabitur rigide* (*Prov.* XVIII). Quantum autem sermo clamosus a disciplinatis cavendus sit, ipse auctor disciplinæ ostendit, de quo per Isaiam scriptum est : *Non clamabit neque accipiet personam neque audietur foris vox ejus* (*Isa.* XLII). Verbum autem asperum, et rixosum omnino sermonibus disciplinatis secludendum esse, per eumdem probatur cum dicitur : *Labia stulti immiscent se rixis,*

et os ejus jurgia provocat (*Prov.* XVIII). De verbo A etiam mendaci quantum sit cavendum, idem ipse insinuat, dicens: *Testis falsus non erit impunitus, et qui mendacia loquitur, non effugiet* (*Prov.* XIX). Sed et verbum dulce, quantum valeat in sermone, liber Ecclesiasticus patenter demonstrat ubi dicit: *Verbum dulce amicos multiplicat, et inimicos mitigat, et lingua eucharis in bono viro abundat* (*Eccl.* VI).

CAP. XVIII. *De disciplina in mensa servanda, et primo in habitu et gestu.*

In mensa est duplex custodia disciplinæ. Ibi enim debet homo servare disciplinam in habitu suo, et disciplinam in cibo suo. Disciplinam in habitu, tribus modis, in disciplina tacendi, in disciplina videndi, in disciplina continendi sese. Taciturnitas inter epulas necessaria est idcirco, quoniam lingua quæ omni tempore prona ad peccatum labitur, periculosius cum per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur. Propterea enim dives qui inter epulas loquacitati servierat, post in inferno positus vehementius in lingua ardebat (*Luc.* XXVI). Custodia oculorum inter epulas propterea necessaria est; quia non decet ibi præcipue, ut vagos homo habeat oculos, neque curiose, et (ut amplius aliquid dicam) impudenter ea quæ apud alios aguntur circumlustrando prospiciat, sed ut potius pudice demissis luminibus ea tantum quæ sibi anteposita et apposita sunt attendat. Custodia quoque continendi sese ibi negligenda non est, quatenus videlicet neque in habitu, neque in gestu indecens aliquid aut inhonestum agatur. Nihil cum strepidu aut tumultu fiat, sed omnia membra cum modestia, et tranquillitate in disciplina contineantur. Non sicut quidam faciunt, qui cum ad sedendum assederint, inquieta quadam agitatione et confusione membrorum intemperantiam animi sui designant. Caput excutiunt, brachia exerunt, manus in altum expandunt, et non sine magna turpitudine quasi totum epulum simul sint absorpturi, ingentes quosdam conatus et gestus satis indecoros ostendunt. Anhelant, et suspirant præ angustia, ita ut existimes eos alium rugienti ventri patentiorem aditum quærere, quasi angustia faucium non possit esurienti stomacho satis sufficientem abundantiam ministrare. In uno ergo loco sedentes, oculis, et manibus quæ prope, quæ longe, omnia circumcurrunt, simul panes comminuunt, vina in calices, et pateras effundunt, discos in gyrum circumducunt, et velut rex super obsessam civitatem assultum facturus, dubitant ubi primum expugnationem aggrediantur, dum simul in omni parte irruptionem facere concupiscunt. Plus justo fortassis ista dicentes, verecundiæ obliti sumus, sed nescit aliquando impudentia erubescere, nisi fuerit manifeste confusa. His igitur tribus modis debet quisque inter epulas conservare disciplinam in semetipso, videlicet ut et linguam suam a loquacitate restringat, et oculos suos a circumspectione cohibeat, et ut cætera membra omnia cum modestia et quiete contineat.

CAP. XIX. *De triplici observatione disciplinæ in cibo, et primo quid comedendum.*

Sequitur etiam triplex observatio disciplinæ in cibo, observatio in eo quid sumat, observatio in eo quantum sumat, observatio in eo quomodo sumat. Observatio in eo quid sumat, id est ut neque nimis pretiosa et delicata expetat, nec nimis rara et insolita requirat, nec nimis laute et accurate præparata concupiscat. In primo enim luxus arguitur, in secundo curiositas, in tertio superstitio notatur. Sunt namque quidam quorum fauces satis ridicula infirmitate ægrotant, quæ nisi pinguia et delicata deglutire non possunt. Et si quando eis parci aut frugales cibi oblati fuerint, statim aut indigestionem stomachi aut pectoris siccitatem, aut obripi-
B lationem capitis, aut si qua sunt talia, ad frivolas excusationes prætendunt. Alii delicias et luxum ciborum magna constantia aspernantur, sed ab eis iterum non minori aut tolerabiliori petulantia communium cibariorum usus omnino despicitur. Nova quædam et insolita ciborum genera exquirunt, ita ut sæpe propter unius ventrem hominis per omnes circum pagos turba famulorum discurrat, et vix tandem vel ignotas de desertis procul montibus radices evellendo vel pauculos de imis gurgitibus profunda scrutatione pisciculos trahendo, sive intempestiva de arentibus rubetis arbuta colligendo, unius appetitus petulantiam compescere queat. Et sane mihi non satis patere potest, quod vitium istos exagitet, nisi forte quia per
C quandam animi insolentiam multos in suo obsequio occupari gaudent, sive quia per tumorem elationis cæteris omnibus quantum cibo dissimiles videri volunt. Alii superstitiosum nimis in præparandis cibis studium adhibent, infinita decoctionum et frixurarum et condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo elixa, modo assa, modo pipere, modo allio, modo cumino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes. Hi profecto non solum arguendi sed etiam deridendi sunt, qui quasi caupones ad omnem clepsydram eliciendi gustus gratia palatum extendunt. Igitur contra hæc vitia sananda necessarius est rigor disciplinæ, qui istas gulæ
D petulantias intra certum limitem cohibeat, quatenus se neque ad immoderatas delicias, neque ad novitates, neque ad superstitiosas præparationes ciborum appetendas diffundat.

CAP. XX. *Secundo, quantum comedendum.*

Deinde sequitur custodia disciplinæ in eo quantum quis sumere debeat, cujus mensura hæc mihi esse videtur, ut neque contra honestatem neque supra necessitatem. Non omnis venter idem capit, alius sic contentus, alius vero sic. Cui minus sufficit, iste priusquam ad turpitudinem edacitatis perveniat, in superfluitatem offendit; cui multum opus est, in eo sæpe honestas comedendi læditur, etiam priusquam ad superfluitatem veniatur. Ergo ille cui parum satis est, magis superfluitatem

caveat; ille vero cui multo opus est, magis ad honestatem attendat, quia neque ille nisi temperantiæ metas transierit, ad turpitudinem veniet, neque iste nisi prius honestatis oblitus fuerit, in superfluitatem impinget.

CAP. XXI. *Tertio, quomodo comedendum.*

Postremo est observatio in cibo, quomodo quis cibum sumere debeat. Hoc est quam munde et quam temperate. De immunditia comedendi pauca exempla proferre sufficiat, ut dum in quibusdam suis partibus cernitur, facile per similitudinem ubique caveatur. Quidam inter comedendum dum scutellas exonerare volunt, quadrata ferculorum frusta adipem sive saginam superroratam distillantia mensalibus involvunt aut super injiciunt, donec iterum evisceratis interioribus ea quæ remanserant, in pristinum locum reponant. Alii bibentes, digitos mediotenus poculis immergunt. Alii unctas manus ad vestimenta sua detergentes, rursus ad cibaria tractanda redeunt. Alii nudis articulis coclearis vice olera sua piscantur, ita ut in eodem jure et manus ablutionem et venter refectionem quærere videatur. Alii semicorrosas crustas et præmorsas collyridas cibariis iterando infigunt, et reliquias dentium suorum offas facturi in poculis demergunt. Hæc, sicut supra diximus, dicentibus erubescenda fuerant, si a facientibus præsumpta non fuissent. Nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam. Verumtamen hæc de immunditia indisciplinate manducantium ad exemplum dicta sufficiant. Temperantiam manducandi intelligimus in eo, si tractim homo et non cum nimia festinatione comedat; ubi nos quidem quantum fieri potest modum et mensuram omnes tenere suademus, legem tamen nullam dare præsumsimus, quia, sicut jam supra diximus, alius sic et alius sic. Hæc vobis, fratres, de scientia et disciplina interim nos diximus: Bonitatem vero orate ut vobis det Deus. Amen.

SOLILOQUIUM DE ARRHA ANIMÆ.

PROLOGUS

Dilecto fratri G. cæterisque servis Christi Hameris levæ degentibus H. qualiscunque vestræ sanctitatis servus, in una pace ambulare, et ad unam requiem pervenire. Soliloquium dilectionis, quod de Arrha animæ inscriptum est, nisi charitati vestræ, ut discatis ubi vos oporteat verum amorem quærere, et quemadmodum debeatis corda vestra spiritualium studio meditationum ad superna gaudia excitare. Hoc ergo, frater charissime, rogo, ut cum cæteris in memoriam mei suscipias, nec quod specialiter tibi mittitur, cæteros excludat, nec quod commmuniter omnibus datur, muneris prærogativam imminuat. Nolo vos hic provocare colore dictaminis, sed quia celare non potui meæ erga vos affectum devotionis. Salutate fratrem B. et fratrem A. et omnes alios, quorum nomina, etsi ego in præsenti sigillatim enumerare non valeo, omnia tamen in libro vitæ conscribi exopto. Valete.

SOLILOQUIUM DE ARRHA ANIMÆ.

Interlocutores sunt homo et anima.

HOMO. Loquar secreto animæ meæ, et amica confabulatione exigam ab ea quod scire cupio. Nemo alienus admittetur, sed aperta conscientia soli verba conferemus. Sic enim nec mihi timor erit occulta quærere, nec illi pudor vera respondere.

Dic mihi, quæso, anima mea, quid est quod super omnia diligis? Ego scio, quod vita tua dilectio est et scio quod sine dilectione esse non potes. Sed velim mihi sine verecundia confitearis, quid inter omnia diligendum elegeris? Dicam adhuc, ut manifestius intelligas quid te interrogem. Aspice mundum, et omnia quæ in eo sunt; multas ibi species pulchras et illecebrosas invenies, quæ humanos affectus illiciunt, et secundum varias utentium delectationes ad fluendum se desideria accendunt. Habet aurum, habent lapides pretiosi fulgorem suum, habet decor carnis speciem, picta tapeta et vestes fucatæ colorem. Infinita sunt talia. Sed hæc cur tibi enumerem? Ecce et tu novisti omnia, vidisti pene singula, experta plurima. Multa jam te vidisse recolis, et adhuc multa vides, in quibus quod dico experiri et comprobare possis. Dic ergo obsecro mihi, quid de his omnibus unicum tibi feceris, quod singulariter amplecti, quo semper perfrui velis?

Certus enim sum, quod aut horum quæ videntur aliquid amas, aut si jam postposuisti universa hæc, aliud habes quæ præ omnibus his diligas.

Anima. Sicut amare non possum quod nunquam vidi, sic de his omnibus quæ videntur, nihil adhuc amare non potui, et tamen de his omnibus quid super omnia amandum sit nondum inveni. Multis enim jam experimentis didici fallacem esse, et fugacem amorem hujus sæculi, quem semper, vel cum perit id quod mihi elegeram perdere, vel cum aliud, quod magis placeat, supervenerit, cogor commutare ; sic adhuc desideriis incerta fluctuo, dum nec sine amore esse possum, nec verum amorem invenio.

Homo. Gaudeo quod saltem in amorem temporalium non figeris, sed doleo quod in amore æternorum nondum requiescis. Infelicior esses, si de exsilio patriam faceres ; nunc vero, quia in exsilio erras, ad viam revocanda es. De exsilio patriam faceres, si in ista vita transitoria æternum amorem habere velles. Nunc vero in exsilio erras, quia dum traheris per concupiscentiam temporalium, amorem non invenis æternorum. Sed magnum salutis principium tibi esse potest, quod amorem tuum didicisti mutare in melius, quia sic ab omni temporalium amore avelli poteris, si major tibi pulchritudo ostensa fuerit, quam gratius amplectaris.

Anima. Quomodo potest demonstrari, quod videri non potest ? quod autem videri non potest, quomodo potest diligi ? Certe si in rebus temporalibus, et quæ videri possunt, verus et permanens amor non est, amari autem non potest, quod non potest videri, æterna miseria semper viventem sequitur, si semper permanens amor non invenitur. Nemo enim sine amore esse beatus potest, quia vel in hoc solo miserum esse constat, quod non diligit id quod est. Imo vero quis illum non dico beatum, sed vel hominem diceret, qui humanitatis oblitus, et societatis pacem respuens, solitaria quadam et misera dilectione se solum amaret? Necesse est igitur, ut aut eorum quæ videntur amorem approbes, aut si hunc tollis, alia quæ salubrius atque jucundius amentur, demonstres.

Homo. Si temporalia ista et visibilia idcirco amari debere existimas, quia illis quemdam sui generis decorem inesse conspicaris, cur teipsam potius non diligis, quæ specie tua omnino visibilium decorem et pulchritudinem vincis? O si teipsam aspiceres ! O si faciem tuam videres, agnosceres certe quanta reprehensione digna fueras, cum aliquid extra te amore tuo dignum existimabas !

Anima. Oculus cuncta videt, seipsum non videt, et eo lumine, quo reliqua cernimus, ipsam, in qua positum est lumen, faciem nostram non videmus. Alienis indiciis discunt homines facies suas, et speciem vultus sui audiendo sæpius quam videndo cognoscunt, nisi forte quoddam alterius generis speculum afferas, in quo faciem cordis mei cognoscam et diligam, quasi et illum non rectissime insipien- A tem quisque diceret, qui ad pascendum amorem suum similitudinem vultus sui jugiter in speculo consideraret. Ego igitur quia faciem meam et speciem vultus mei qualis sit, contemplari nequeo, facilius in ea, quæ foris admiranda videntur, affectum dilectionis meæ extendo. Præsertim quia amor nunquam solitarius esse patitur, et in hoc ipso jam quodammodo amor esse, si desint in alterum parilitatis consortem vim delectionis non diffundit.

Homo. Non est solitarius, cum quo est Deus, nec idcirco vis dilectionis exstinguitur, si a rebus abjectis et vilibus appetitus ejus cohibeatur. Hic magis sibi injuriam facit, qui vel inhonesta vel certe ea, quæ amore suo digna non sunt, in societatem dilectionis admittit. Primum igitur ne- B cesse est, ut quisque semetipsum consideret, et cum cognoverit dignitatem suam (ne injuriam faciam amori suo) abjectiora se non amet. Nam et ea, quæ per se considerata, pulchra sunt, pulchrioribus comparata vilescunt. Et sicut ineptum est deformia pulchris conjungere, sic omnino indecens est ea, quæ non habent nisi infinam quamdam et imaginariam pulchritudinem, pulchritudinis coæquare. Non vis habere anima amorem solitariam, noli tamen habere prostitutum. Quæris unicum, quære et unice electum. Scis quod amor ignis est, et ignis quidem fomentum quærit ut ardeat. Sed cave ne id injicias, quod fumum potius aut fetorem ministrat. Ea vis amoris est, ut talem esse necesse sit, quale illud est quod amas, C et qui per affectum conjungeris, in ipsius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris. Tuam igitur anima pulchritudinem attende, et intelliges qualem debeas pulchritudinem diligere. Non est tibi invisibilis facies tua. Oculus tuus nihil bene videt, si seipsum non videat. Nam cum ad seipsum contemplandum bene perspicuus est, nulla eum foris peregrina similitudo, vel adumbrata veritatis imaginatio fallere potest. Quod si forte interna illa tua visio per negligentiam obscurata est, et temetipsam ut decet et expedit contemplari non sufficis, cur saltem quid de te existimare debeas, ex judicio alieno non perpendis ? Sponsum habes, sed nescis. Pulcherrimus est omnium, sed faciem ejus non vidisti. Ille te vidit, quia nisi te vidisset, non D te diligeret. Noluit adhuc seipsum tibi præsentare, sed munera misit, arrham dedit, pignus amoris, signum dilectionis. Si cognoscere illum posses, si speciem illius videres, non amplius de tua pulchritudine ambigeres. Scires enim quod tam pulcher, tam formosus, tam elegans, tam unicus in tuo aspectu captus non esset, si eum singularis decor et ultra cæteros admirandus non traheret. Quid igitur ages ? Nunc videre illum non potes, quia absens est . Et ideo non times , neque erubescis illi injuriam facere, quod singularem ejus amorem contemnis, neque alienæ libidini turpiter et impudice prostituis. Noli sic facere. Si adhuc scire non potes qualis ille sit, qui te diligit, considera saltem arrham, quam dedit ;

fortassis in ipso munere ejus, quod penes te est, A poteris agnoscere quo affectu illum diligere, quo studio et diligentia te illi debeas conservare. In signis et arrha ejus, nobile donum ejus, quia nec magnum decuit ut parva daret, nec pro parvo sapiens magna dedisset. Magnum ergo est quod tibi dedit, sed majus est quod in te diligit. Magnum ergo est quod dedit. Quid dedit tibi anima sponsus tuus? Exspectas fortassis, et nescis quid dicturus sim. Cogitas a quo quid magni acceperis, nec invenis te aliquid tale habere aut accepisse, unde gloriari possis. Dicam igitur tibi, ut scias quid dedit sponsus tuus. Respice universum mundum istum, et considera si aliquid in eo sit, quod tibi non serviat. Omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis tuis famuletur, B et utilitati deserviat, tuisque oblectamentis pariter et necessitatibus secundum affluentiam indeficientem occurrat. Hoc cœlum, hoc terra, hoc aer, hoc maria, cum iis, quæ in eis sunt, universis, explere non cessant: in hoc circuitus temporum annuis innovationibus, et redivivis partibus antiqua innovans, dilapsa reformans, consumpta restaurans, pastu perpetuo subministrat. Quis ergo putas hoc instituit? quis istud naturæ præcepit ut sic uno consensu tibi serviat? beneficium accipis, et auctorem ejus non agnoscis. Donum in manifesto est, largitor occultus. Et tamen ipsa te ratio dubitare non sinit hoc tuum non esse debitum, sed beneficium alienum. Quicunque ergo ille est, multum tibi contulit, qui hoc totum et tantum C tibi dedit multum diligendus est, qui tantum dare potuit et qui tantum dare voluit, multum dilexit. Tantum ergo diligens, et tantum diligendus dono suo demonstratur, ut quam stultum est amorem tam potentis non ultro concupiscere, tam impium sit atque perversum tam diligentem non redamare. Vide ergo, o anima imprudens et temeraria, vide quid agis, cum in hoc mundo amari et amare concupiscis. Totus tibi mundus subjectus est, et tu non dice totum mundum, sed nescio quid vix aliquam mundi portiunculam, quod nec specie pulchra, nec utilitate necessaria, nec quantitate magna, nec bonitate optima antecedat, in societatem tui amoris admittere non aspernaris. Certe si hæc diligis, ut subjecta dilige, ut famulantia dilige, ut dona dilige, ut arrham sponsi, ut D munera amici, ut beneficia Domini. Sic tamen, ut semper memineris quid illi debeat, nec ista pro illo, nec ista cum illo, sed ista propter illum, et per ista illum, et supra ista illum diligat. Cave, o anima, ne (quod absit!) non sponsa, sed meretrix dicaris, si munera dantis plus quam amantis affectum diligis. Majorem charitati ejus injuriam facis, si et dona illius accipis, et tamen vicissitudinem dilectionis non rependis. Aut dona illius (si potes) repue, vel si dona illius respuere non potes, vicissitudinem dilectionis repende. Dilige illnm, dilige te propter illum, dilige dona illius propter illum. Dilige illum ut fruaris illo, dilige te quod diligeris ab illo. Dilige in donis illius, quod data sunt ab illo. Illum tibi, et te illi dilige, dona illius ab illo tibi, propter te. Hæc pura et casta dilectio est, nihil habens sordidum, nihil amarum, nihil transitorium, decora castitate, jucunda dulcedine, stabili æternitate.

ANIMA. Verba tua inflammaverunt me, concepi ardorem, et æstuo intus. Quamvis enim nondum viderim hunc, quem tam amabilem esse asseris, ipsa me tamen (fateor) sermonis tui dulcedine et exhortationis suavitate ad amorem ejus accendis. Cogor siquidem rationibus tuis illum super omnia diligere, a quo me video omnia in pignus dilectionis accepisse. Verumtamen adhuc unum superest, quod apud me valde felicitatem hujus amoris imminuat, nisi illud quoque (sicut cætera) manus tuæ consolationis extergat.

HOMO. Fiducialiter tibi promitto in hoc amore nihil esse, quod jure displicere debeat, et tamen ne magis videar credulitatem tuam fallere, quam veritati testimonium perhibere, volo ut mihi quod te movet aperias, ut meis iterum rationibus confirmata amplius in ejus desiderio convalescas.

ANIMA. Meminisse te volo, sed nec oblitum existimo, quod paulo ante (cum tu probabilem et honestum amorem commendares) dixeris non solum unicum, sed et unice electum esse debere amorem, id est in solum dilecto et solum diligendo constitutum, eo quod perfecto laudabilis amor non sit, si vel alter cum solo diligitur, vel qui summe diligendus non est, solus amatur. Ecce igitur ego unice electum et unice dilectum diligo. Sed hanc hujus dilectionis meæ injuriam patior, quod solum diligens sola non amor. Nam hanc dilectionis ejus arrham, quam mihi objicis, quot sint, vel certe quales, cum quibus hæc mihi communis est, tu ipse agnoscis. Quo igitur de privilegio singularis amoris potero gloriari, quæ hoc quod tam magnum asseris, non dicam cum bestialibus, sed et cum ipsis bestiis commune accepi. Quid mihi lux solis amplius confert, quam reptilibus et vermibus terræ? Omnia similiter vivunt, omnia spirant, idem pastus, idem potus omnium; quid hoc tam magnum? quid hoc tam singulare? vides certe quale est. Non itaque satis congrue singulariter diligendum probas, si non et ipsum quoque vel in aliquo singulariter dilexisse demonstras. Magna quidem fateor hæc et singulari amore digna forent, si singulariter data fuissent.

HOMO. Non mihi displicere potest hæc diligentia tua, quia in hoc patet, quod perfecte amore desideras, quoniam causam perfecti amoris tam diligenter investigas. Gratanter igitur hoc tecum disserendum suscipio, ut et tam optimi amorem ab hac pro qua causaris, injuria defendam, et simul te ne qua ab illius dilectione suspicione vacilles, ad integrum restituam. Tria quædam sunt, in quibus id quod te movet, invenias. Discerne quæ dona sponso tuo accepisti: alia enim communiter, alia specialiter, alia singulariter data sunt. Communiter data sunt, quæ omnibus propter te tecum

serviunt. Specialiter data sunt, quæ multis nec tamen omnibus propter te tecum sunt concessa. Singulariter data sunt, quæ tibi soli sunt data. Quid igitur, nunquid ideo minus te diligit, quia quædam dona sua tecum simul omnibus concessit? Nunquid feliciorem te fecisset, si tibi soli mundum dedisset? Ecce non sunt creati homines super terram, non sunt bestiæ, sola divitias mundi possides, ubi igitur illa grata et utilis societas humanæ conversationis? ubi solatia, ubi oblectamenta, quibus nunc frueris? vide igitur quia et in hoc multum tibi contulit, quod hæc ad solamen tuum tecum creavit. Si mundus iste, et hæc omnia tibi serviunt, quomodo etiam omnia ab obsequium tuum facta non sunt? Nunquid paterfamilias solus panem suum comedit? nunquid solus potum suum bibit? nunquid solus vestimentis suis induitur? nunquid solus calefit igne suo? nunquid solus habitat in domo sua? Totum tamen non immerito ejus dicitur, quidquid habent ii, qui ei vel per dilectionem, vel per subjectionem famulantur. Sive igitur illa, quæ tibi serviunt, sive illa, quæ tibi servientibus necessaria sunt, omnia tibi data sunt, omnia tibi obsequium impendunt.

ANIMA. Quod me movebat, præcidisti potius quam eradicasti. Ego namque hoc querebar, quod unice diligens unice dilecta non sum, quia pignus amoris mei aliis æque video esse concessum. Tuæ vero rationes hoc persuaserunt, ut illa quoque singulariter mihi donata crederem, quæ in usum servientium mihi communiter data viderem. In quo te convenienter satis, sed non sufficienter de hoc, quod me movebat, locutum esse confiteor; hinc enim doceor omnia, quibus vita irrationalium fovetur, meæ potius ditioni esse assignanda, propterea quod illa quoque, quæ iis aluntur, in usum meum sunt deputata. Privilegium tamen singularis amoris exinde non astruitur, quia hæc non soli mihi, sed cunctis similiter hominibus, multis vero amplius subjecta esse noscuntur. In iis ergo omnibus, quæ communiter usui hominum concessa sunt, et si quidem non juste amplius aliquid tibi vindicent, errant qui suæ ditioni quidquam singulariter ascribunt. Est igitur specialis quidam amor Creatoris ad homines, in quo quidem ipsi homines aliis creaturis, non autem ad invicem, amplius gloriari habent. Nam quod in assertionem singularis amoris dicis, etiam mihi inter cætera donatam esse societatem hominum, cum tam mea illis, quam illorum mihi concessa sint, nihil ego in hoc singulare reperire possum. In qua societate non solum me lædit amissa gloria singularitatis, sed et vilitas participationis. Quot enim increduli, quot scelesti, quot impuri sunt, qui in hac societate similiter gloriari possunt?

HOMO. Non te conturbare debet, quod in usu rerum temporalium eadem bonis et malis est participatio, nec idcirco eos similiter a Deo amari existimes, quia his omnibus tecum similiter communicare vides. Nam sicut bestiæ non propter se, sed propter hominem creatæ sunt, ita mali homines non propter se, sed propter bonos vivunt. Et sicut vita eorum utilitati bonorum deservit, sic omne, quo vita illorum alitur, dubium non est quin additionem bonorum referendum sit. Idcirco autem mali inter bonos vivere permittuntur, ut societas illorum, bonorum vitam exerceat, quos et felicitate sua admonent potiora his, et quæ mali communicare non possunt, bona quærere, et iniquitate sua cogunt arctius virtutem amare. Postremo, ut dum illos divina gratia destitutos vident per quælibet abrupta vitiorum ruere, discant, quantas pro sua salute debeant Creatori gratias referre. Ratio siquidem divinæ dispensationis ad nostræ salutis augmentum et glorificationis documentum hoc exigebat, ut sicut in vita bestiarum dicimus summam felicitatem non esse his uti, ita quoque in vita malorum hominum discamus nec esse summam felicitatem istis dominari. Similiter igitur bonis ac malis ista concedit debuerunt, quia aliter boni potiora sibi servari non crederent, nisi ista tam bonis quam malis communia esse viderent. Nihil igitur amplius de societate felicitate malorum conqueraris, nec ideo in privilegium singularis amoris tecum ascribendos putes, quia eos in usu et dominio rerum transeuntium socios habes, quia etiam in hoc, sicut jam diximus, saluti tuæ proficiunt, quod istis tecum non tantum uti, sed et dominari possunt. Quid autem de societate bonorum dicam? Nam hoc solum, nunc restat, ut consideres utrumne idcirco de singulari amore sponse tui gloriari non possis, quod ab eo non sine societate bonorum diligeris. Quapropter reminisci te volo illius (quam superius in assertionem attuli) sententiæ, quam tunc quidem quasi minus congruam ad id, de quo illic agebatur atque igitur comprobandum, judicasti. Replico igitur nunc eam, ut diligentius coram te discutiam; utrumne aliquid nobis ad id quod demonstrare nitimur confirmandum, ejus veritas astipuletur. Dixi enim etiam societatem hominum dono tibi Creatoris esse concessam, ut inde solamen vivendi capias, ne quadam solitaria et inerti vita destituta contabescas. Sicut igitur vita malorum tibi est exercitium, sic solamen est vita bonorum, qui certe tales sunt, quos nec felicitatis, tuæ participes, nec amoris tui aspernari debes habere consortes. Nam si vere bono diligis, quidquid illis beneficii impenditur, inde charitas, quæ in te est, non quasi de alieno, sed quasi de proprio gratulatur. Licet igitur beatum esset, isto amore te vel solam perfrui, multo tamen beatius est in ipso cum multorum bonorum congratulatione delectari, quia cum in eos etiam, qui comparticipant, affectus dilectionis expanditur, charitatis gaudium et suavitatis ampliatur. Spiritualis namque amor tunc melius cuique fit singularis, quando omnibus est communis. Nec participatione plurium minuitur, cujus fructus unus et idem totus in singulis reperitur. Nihil igitur

privilegio singularis amoris tui societas bonorum A præscribit, quia sponsus tuus in omnibus diligit te, quos diligit propter te, ac per hoc etiam singulariter diligit te, quia nihil diligit sine te. Non autem timeas animum illius in amorem plurium quasi per affectum distrahi, et idcirco minorem esse ad singulos, quod partitus quodammodo et divisus videatur in cunctos. Sic singulis adest quasi omnibus, quia nec alium nec majorem dilectionis affectum singulis impenderet, si absque cunctorum participatione singulos amaret. Ergo omnes unum unice diligant, ut omnes ab uno unice diligantur, quia nec alius præter unum unice ab omnibus diligendus est, nec alius præter unum unice omnes diligere potest. Omnes autem in uno se quasi unum diligant, et unius dilectione unum fiant. B Iste amor unicus est non tamen privatus, solus nec tamen solitarius, participatus nec divisus communis et singularis, cunctorum singulus et singulorum totus, nec participatione decrescens, nec usu deficiens, nec tempore veterascens, antiquus et novus, affectu desiderabilis, experientia dulcis, fructu æternus, judicunditate plenus, reficiens et satians, nec unquam fastidium generans.

ANIMA. — Satis jucundæ mihi sunt assertiones tuæ, et fateor quoniam inde jam incipio ardentius hujus amorem appetere, unde prius cœperam eum amplius fastidere. Sane unum adhuc superest desiderio meo quod si per te adipisci potero, satis per omnia mihi factum esse non dubitabo. Hoc C autem est, si quomodo demonstrari possit qualiter iste sponsus castitatis singulis quos diligit quasi omnibus affectu et effectu adsit. Et de affectu quidem dubitare non potero, si hoc in effectu verum esse cognosco.

HOMO. O anima mea, si tantopere in incepto persistis, nec tibi satisfactum esse judicas, si non prorsus singulare beneficium sponsi tui impensum agnoscas, etiam in hoc tuæ petitioni libenter annuo, quoniam hanc tuam instantiam ex devotione potius nasci, quam ex importunitate cognosco. Nam in hoc quoque providit tibi optimus amator tuus, ne nihil esset in quo singulariter de ipso gloriari possis sed sicut communia et speciala dedit, sic et singularia tribuit. Commu- D nia quidem sunt ea, quæ in usum universorum veniunt, sicut est lux solis, spiramen aeris. Specialia vero, ut ea, quæ non omnibus, sed quasi quidam societati concessa sunt, sicut est fides, sapientia, disciplina. Singularia autem ut ea, quæ unicuique propria impertita sunt, sicut *Petro principatus in apostolis, Paulo apostolatus in gentibus, Joanni privilegium amoris*. Considera ergo anima mea, quæ communia cum omnibus, quæ specialia cum aliquibus, quæ singularia sola acceperis. In omnibus iis te dilexit, quæ vel communiter tecum omnibus, vel specialiter quibusdam, vel singulariter tibi soli tribuit. Cum iis rursum omnibus te dilexit, quibus te participatione doni sui sociavit. Præ omnibus iis te dilexit, quibus te singularis gratiæ dono prætulit. In omni creatura dilecta est, cum omnibus bonis dilecta es, præ omnibus malis dilecta es. E ne parum tibi videatur, quod præ omnibus mali dilecta es, quanti boni sunt, qui minus te accepe runt? Sed quia pro desiderio singularis amori ad ea potius, quæ singulariter data sunt niti t video, quamvis multa adhuc dici possent de iis i quibus et cum quibus dilecta es, hoc quod jan dictum est sufficere volo. Nolo tamen, ut parun existimes vel in tantis, vel cum talibus te esse di lectam, ubi et bonos omnes habeas socios, malo vero, ut quæ condita sunt universa, subjectos Vidisti igitur, o anima mea, quanta sunt in qui bus dilecta es, vidisti quales sunt cum quibus d lecta es, nunc præ quibus dilecta sis considera quantum potest. Tibi loquor, anima mea, tu nos quid acceperis, et necesse habes adhuc meliu nosse, ne incipias vel de iis quæ non accepis præsumere, vel de iis quæ accepisti gratias no referre. Utinam recolere possim ea quomo do tibi expedit, et quomodo illi placet, qui ti hæc dedit! Nam et ipse idcirco hæc tibi dedit, u tu semper ea in memoria habeas, et nunquam a ejus amore oblivione tepescas. Primum cogita an ma mea, quod aliquando non fueris, et ut ess inciperes, hoc ejus dono acceperis. Donum erg ejus erat, ut fieres. Sed nunquid tu ei aliquid de deras priusquam fieres, quod tibi hoc ab eo red deretur ut fieres? Nihil prorsus, nihil tu dederas nihil dedisse poteris priusquam fieres, sed grati accepisti ab eo ut fieres. Cui ergo prælata est in e quod facta es? Quis minus accipere potuit, qua qui ut fieret accepit? Et tamen nisi hoc esset ali quid accipere; non poterat qui non erat incipere et nisi esse quam non esse melius esset, nihil ill qui est eo, qui non est, amplius accepisset. Quar ergo, Deus meus, fecisti me, nisi quia esse magi quam non esse voluisti me? Et plus dilexisti m omnibus iis qui accipere non meruerunt illud a te Cum ergo, Deus meus, esse mihi dedisti bonum e magnum, bonum et pulchrum bonum tuum mih dedisti, et me (cum hoc mihi dares) prætulisti om nibus quibus hoc tantum bonum tuum dare nolu sti. O anima mea, nunquid aliquid dicimus, cur hoc Deo nostro dicimus? Deo nostro a quo facti su mus, facti qui non fuimus, et ab omnibus qui fac non sunt amplius, accepimus. Sic prorsus, sic al quid dicimus, et multum dicimus cum hoc dicimus et hoc semper dicere debemus, ne unquam obl viscamur eum a quo tantum bonum accepimus Qui utique si nihil amplius dedisset, pro eo ips tamen semper a nobis laudandus et diliger dus esset. Nunc autem amplius dedit, qui dedit non solum esse, sed pulchrum esse, fo mosum esse, quod tantum superat nihil per ex stentiam, tantum antecedit aliquid per formam, i quo multum placet id quod est, et amplius id quo tale est. In quo, anima mea, omnibus te præla tam aspice, quos tale et tam excellens existen bonum vides non accepisse. Sed nec hic termina potuit munificentia largitoris optimi. Adhuc ali quid plus dedit, et magis nos ad similitudiner suam traxit; voluit ad se trahere per similitudinem

quos ad se trahebat per dilectionem. Dedit ergo nobis esse, et pulchrum esse; dedit et vivere, ut præcellamus et iis quæ non sunt per essentiam, et iis quæ inordinata aut incomposita sunt, per formam, et quæ inanimata, per vitam. Magno debito obligata es anima mea, multum accepisti, et nihil a te habuisti. Et pro iis omnibus non habes quid retribuas, nisi tantum ut diligas. Nam quod per dilectionem datum est, nec melius nec decentius quam per dilectionem rependi potest. Accepisti autem hoc totum per dilectionem. Poterat enim Deus etiam aliis creaturis suis dedisse vitam, sed amplius in hoc dono dilexit te. Nec ideo plus dilexit te, quoniam plus diligendum invenit in te, sed quia gratuito plus dilexit te, talem fecit te ut jam nunc merito plus diligat te.

Anima. Quanto plus audio, tanto plus audire concupisco, perge, quæso, et quæ sequuntur narrato.

Homo. Post esse, et post pulchrum esse, post vivere, datum est et sentire, datum est et discernere, et per eamdem dilectionem datum est, quæ nisi præcessisset, nihil a largiente datum, nihil ab indigente acceptum fuisset. Quam sublimis, et quam decora facta es, anima mea. Quid tibi iste ornatus tantus ac talis voluit, nisi quia idem ipse, qui te induit, sponsam suo thalamo præparavit? Novit ad quod opus te conderet, novit qualis ornatus illud opus deceret, et ideo dedit quod decuit, et quod tantum decuit, ut et ipse diligeret hoc, qui dedit. Sensibus foris decoravit, intus sapientia illustravit. Sensus dans quasi exteriorem, sapientiam quasi interiorem habitum. Sensus quasi quasdam gemmas fulgentes appendens exterius, sapientiam quasi naturali pulchritudine faciem vultus tui decorans intus. Ecce ornatus tuus, omnium gemmarum vincit pulchritudinem, ecce facies tua omnium formarum superat decorem. Talem omnino esse decebat, quæ ad cœlestis regis thalamum introducenda fuerat. Quantum dilecta es, et præ quantis dilecta es, quando talis facta es! Quam singulare donum, quam non omnibus concessum, non nisi dilectis et diligendis concedendum! Multum gloriari poteras, et multum custodiri debueras, ne tale donum perderes, ne tale ornamentum fœdares, ne tantum decorem corrumperes, ne eo amisso vel immunito amplius misera fieres, quam eo non accepto vel non perfecto misera fuisses, ne te cum damno amissæ pulchritudinis simul torqueret confusio fœditatis, et abjecta vilior fieres quam si recepta non fuisses. Istud ergo custodiendum et illud cavendum fuerat, ut istud custoditum persisteret, et illud cautum non eveniret. Sed vide quid fecisti, anima mea; dereliquisti sponsum tuum, et cum alienis prostituisti amorem tuum. Corrupisti integritatem tuam, fœdasti pulchritudinem tuam, dispersisti ornatum tuum. Tam vilis, et tam turpis, et tam immunda facta es, quasi talis sponsi amplexibus amplius digna non esses. Oblita es ergo sponsi tui, et pro tantis beneficiis condignas gratias non egisti. Meretrix facta es, et præ nimiis fornicationibus tuis laxata sunt ubera tua. Rugosa effecta est frons tua, genæ marcidæ, languentes et stupentes oculi, labia pallore obducta, exsiccata cutis, virtus infracta ipsis quoque amatoribus tuis odiosa.

Anima. Sperabam tanta illa præconia ad alium finem tendere, sed ut video ad majorem confusionem mei hæc dixisti, ut eo magis odio dignam ostenderes, quo tantis beneficiis acceptis, et non custoditis magis ingratam comprobasses. Vellem ergo aut factum non esse quod dictum est, aut saltem dictum non esse quod factum est, ut vel oblivio confusionem tegeret, si præsumptio reatum non vitasset.

Homo. Non ad confusionem tui, sed ad eruditionem dicta sunt, ut magis illi fias obnoxia, qui te et fecit cum non eras, et redemit cum perieras. Nam illud quoque in assertionem amoris illius commemoravi, ut inde occasione sumpta jam nunc tibi narrare incipiam, quantum iste sponsus tuus (qui tam excelsus apparuit cum te conderet) humiliari dignatus est cum te repararet. Illic tam sublimis, hic tam humilis, non tamen hic quam illic minus amabilis, quia nec hic quam illic minus admirabilis. Illic potenter magna tibi contulit, hic misericorditer pro te dira sustinuit. Ut enim te relevaret illuc unde cecideras, ipse descendere dignatus est huc ubi jacebas, et ut tibi juste redderetur quod perdideras, ipse dignatus est pie pati quod tolerabas. Descendit ergo, suscepit, sustinuit, vicit, restauravit, descendit ad mortalem, suscepit mortalitatem, sustinuit passionem, vicit mortem, restauravit hominem; ecce, anima mea, obstupesce tanta mirabilia, tanta beneficia propter te exhibita. Cogita quantum diligat te, qui tanta facere dignatus est propter te. Pulchra facta fueras ejus munere, fœda facta es tua iniquitate. Sed iterum mundata es et formosa facta ejus pietate, operante tamen utrobique charitate. Olim cum non esses, dilexit te ut conderet. Postea cum fœda esses, dilexit te ut pulchram faceret, et ut ostenderet tibi quantum te diligeret, non nisi moriendo a morte te liberare voluit, ut non tantum pietatis impenderet beneficium, verum et charitatis monstraret affectum. Nunc autem tam sincera charitate te diligit, ac si semper cum eo perstitisses, nec exprobat tibi reatum, nec improperat tibi beneficium. Et si deinceps fideliter cum eo perseverare, ipsumque ut decet amare, ac tuum illi amorem incontaminatum conservare volueris, majora prioribus se daturum promittit.

Anima. Jam quodam modo amare incipio culpam meam, quia, ut video, non parum mihi malefecisse profuit, quanto ex eo mihi, id quod votis omnibus scire desiderabam luce, clarius innotescit. O felix culpa mea, ad quam diluendam dum ille charitate trahitur, ipsa quoque ejus charitas mihi desideranti, et totis eam præcordiis concupiscenti aperitur. Nunquam tam bene dilectionem ejus agnoscerem, si in tantis periculis eam experta non fuissem. O quam feliciter cecidi, quæ post

lapsum felicior resurrexi. Nulla dilectio major, nullus amor sincerior, nulla charitas sanctior, nullus affectus ardentior; mortuus et pro me innocens, nihil in me, quod amaret inveniens. Quid ergo, Domine, dilexisti in me, et tantum dilexisti ut morereris pro me? Quid tale in me invenisti, pro quo tanta et tam dura sustinere voluisti?

Homo. O anima mea, argue temetipsam coram Domino, quod hucusque tantis beneficiis ejus ingrata fuisti, et miserationes ejus plurimas cognoscere noluisti. Sed ut adhuc melius intelligere possis quantum illi debeas, me reliquia ejus beneficia secundum cœptum ordinem prosequente, volo ut diligenter intendas.

Anima. Hoc semper audire desidero, quod mihi tam dulce est, ut idem te incessanter iterare cuperem, non ad alia quoque quæ restant audienda, festinarem.

Homo. Abieras ergo et perieras, et quia in peccatis tuis venundata eras, venit ille post te ut redimeret te, et tantum dilexit te, ut sanguinis sui pretium appenderet pro te, talique pacto et reduxit te de exsilio, et redemit de servitio.

Anima. Nescivi quod tantum me diligeret Deus, amplius mihi vilis esse non debeo, quæ tantum Deo placui, ut et mori eligeret pro me, ne perderet me.

Homo. Et quid si cogitare cœperis quot et quales in comparatione tui abjecti sunt, qui hanc, quæ tibi data est, gratiam consequi non potuerunt? Certe audisti ab initio usque ad hanc diem, quam multæ generationes hominum pertransierunt, quæ omnes sine cognitione Dei, et pretio suæ redemptionis in interitum sempiternum dilapsæ sunt. Omnibus illis te redemptor et amator tuus prætulit, quando tibi hanc gratiam largitus est, quam nullus horum percipere meruit. Et quid dices? Quare putas prælata es illis omnibus? Nunquid tu fortior, nunquid sapientior, nunquid nobilior, nunquid ditior illis omnibus fuisti, quia hanc præ illis omnibus specialem gratiam sortire meruisti? Quot fortes, quot sapientes, quot nobiles, quot divites ibi fuerunt? et tamen universi relicti et abjecti perierunt. Tu sola præ omnibus illis assumpta es, et quare in te hoc factum sit, nullam præter gratuitam Salvatoris tui charitatem, causam invenire potest. Elegit ergo et præelegit, te sponsus tuus, amator tuus, Redemptor tuus, Deus tuus. Elegit te in omnibus, et assumpsit te ex omnibus, et amavit te præ omnibus. Nomine suo vocavit te, ut memoriale ejus semper esset apud te, voluit te participem esse in nomine, participem in nominis veritate, quoniam unxit te illo (quo et ipse unctus erat) oleo lætitiæ, ut ab uncto sit unctus, qui a Christo dicitur Christianus.

Anima. Multum, fateor, collatum est mihi, sed quæso te, si ut (asseris) ego jam assumpta sum, quid adhuc differor, quoniam ad amplexus sponsi necdum venire possum?

Homo. Nescis ergo, anima mea, nescis quam fœ-

A da prius fuisti, quam polluta, quam deformis et squalida, discissa et dissipata, omni horrore et enormitate plena. Et quomodo tam cito in illum pudoris et castitatis thalamum introduci expetis, nisi prius saltem cura aliqua et studio exculta ad pristinum decorem repareris? Nam hoc est quod nunc exspectaris, hoc est quod iste tuus sponsus adhuc præsentiam suam tibi subtrahit, et nec[illum] in mutuos amplexus et dulcia oscula te admittit quia videlicet nec polluta debet mundum tangere, nec turpem decet pulchrum videre. Cum autem præparata et decenter ornata fueris, tunc demum in illum cœlestis sponsi thalamum sine confusione permansura introibis. Nec te pudebit tunc priscæ turpitudinis, cum nihil turpe, nihil pudore dignum

B habebis. Prius ergo stude formam tuam excolere, faciem ornare, habitum componere, maculas tergere, munditiam reparare, mores corrigere, disciplinam servare, et omnibus tandem in melius commutatis digno sponso dignam sponsam reddere. Aliquid dicere volo, unde te magis cautam efficiam, ne pro eo quod electam te audis, au[t] elatio tumidam, aut negligentia reddat dissolutam. Nunquam audisti quid rex Assuerus fecit, quando Vasthi reginam propter insolentiam illius repudiavit? factum insigne, exemplum utile, periculum grave. *Abjecta est* ergo *illa propter superbiam suam, et factum est regis præceptum, ut de omni regno suo congregarentur puellæ speciosæ virgines, et adducerentur ad civitatem Susan, et tra-*

C *derentur in domum feminarum sub manu Ege eunuchi, qui erat præpositus et custos mulierum regiarum, ubique acciperent mundum muliebrem et cætera ad usum necessaria. Sicque omnibu[s] abundanter secundum regiam ambitionem supple[men]tu excolerentur, et ornarentur. Per sex mense[s] oleo myrtino ungerentur, per alios sex quibus-dam pigmentis uterentur, et sic compositæ et ornatæ, de triclinio feminarum ad regis cubiculum transirent, ut quæ ex omnibus magis placuisset illa pro Vasthi in solio regni sederet* (*Esther.* II). Vide quam multæ electæ sunt, ut una eligeretur illa scilicet quæ oculis regis formosior et ornatio[r] cæteris videretur. Ministri regis multas eligant a[d] cultum. Rex ipse unam eligit ad thalamum. Prim[a] electio multarum facta est, secundum regis præ-

D ceptionem, secunda electio unius facta est, secundum regis voluntatem. Consideremus ergo si fort[e] exemplum hoc præsenti (de quo agimus) negoti[o] valeat adaptari. Rex, summi regis Filius, venit i[n] hunc mundum (quem ipse creaverat) desponsar[e] sibi uxorem electam, uxorem unicam, uxorem nuptiis regalibus dignam. Sed quia hunc Judæa hu-militatis forma apparentem recipere contempsi[t] abjecta est. Et missi sunt ministri regis, aposto[li] videlicet, per totum mundum congregare animas et adducere ad civitatem regis, id est ad sanctam Ecclesiam, in qua domus est et mansio mulierum regiarum, id est sanctarum animarum, quæ fe-cundantur et generant non ad servitutem, sed a[d] regnum filios. Quæ, quia non ex timore, sed cha-

ritate Deo serviunt, quasi in libertatem bonorum operum partus edunt. Multi ergo vocati intrant per fidem Ecclesiam, et ibi sacramenta Christi quasi quædam unguenta et antidota ad reparationem, et ad ornatum animarum præparata, accipiunt. Sed quia ore veritatis dicitur : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX), non omnes, qui ad hunc cultum sunt admissi, ad regnum sunt eligendi, nisi tantum ii qui sic student se per ista mundare et excolere, ut cum ad regis præsentiam introducti fuerint, tales inveniantur, quos ipse magis velit eligere quam reprobare. Vide ergo ubi posita es, et intelliges quid facere debes. Posuit enim te sponsus tuus in triclinio, ubi mulieres ornantur, varia pigmenta et diversas species dedit, cibosque regios, de mensa sua ministrari tibi præcepit, quidquid ad sanitatem, quidquid ad refectionem, quidquid ad reparandam speciem, quidquid ad augendum decorem valere potest, tribuit. Cave ergo, ne ad colendam teipsam negligens sis, ne in novissimo tuo, cum in conspectu sponsi hujus repræsentata fueris, indigna (quod absit!) ejus consortio inveniaris. Præpara te sicut decet sposam Regis, et sponsam Regis cœlestis, sponsam Sponsi immortalis.

ANIMA. Amaricasti iterum me, et perculisti pavore non modico. Nam quantum ex verbis tuis intelligi datur, mutavi propositum, sed non evasi periculum. Mutavi propositum, quia ab illo, qui me olim distrahebat vago instabilique amore, ad unicam dilectionem conversa sum. Non evasi periculum, quia, sicut asseris, nisi me omnibus modis dignam exhibere studiero, ad fructum hujus dilectionis non pertingo. Superest ergo ut nunc mihi diligentius edisseras de hoc triclinio in quo mulieres regiæ aluntur, et de cibo regio qui eis datur, et de ipsis quoque unguentis quibus unguntur, et de cæteris omnibus quæ ad cultum sive decorem exhibentur. Ipsius enim dilectione provocor, iis deinceps studium impendere, sine quibus me video ad dilectionis affectum non posse pervenire. Atque utinam ego illa una esse merear, cujus decorem atque ornatum rex laudabit. Quam felix illa et quanto electis electior, quæ ad hunc finem studium suum perducet? Quam exiguum jam omnem laborem reputarem, si ad hunc finem studium meum perducere possem. Quæso igitur ut non pigriteris per singula mihi ediscere, quæ sint illa remedia quibus faciem meam debeam ad hunc decorem reformare, quia vehementer illi placere cupio, cujus charitatem erga me tam benignam et amorem tam jucundum agnosco.

HOMO. Sic vere necesse est ut facias. Precorque, ut ipse, qui tibi jam voluntatem hoc faciendi tribuit, vires etiam perficiendi tribuere velit. Quæris quod sit triclinium, quære etiam quod sit regis cubilum. Istas duas mansiones propone tibi, quia harum tibi consideratione opus est. Est ergo triclinium, est regis cubiculum. In triclinio sponsæ ad nuptias præparantur, in cubilo autem nuptiæ celebrantur. Præsens Ecclesia quasi triclinium est, in qua nunc sponsæ Dei ad futuras nuptias præparantur. Cœlestis Jerusalem quasi Regis cubiculum est, in qua nuptiæ ipsæ celebrantur. Post tempora autem ornandi, de triclinio transeunt ad Regis cubiculum, quia post tempora bene operandi veniunt, ut boni operis sui percipiant fructum. Præsens vero Ecclesia triclinium dicitur propter tres ordines fidelium, conjugatorum, continentium, rectorum vel virginum. Videamus deinceps quæ sunt unguenta, et pigmentorum genera, qui cibi, quæ vestimenta ad cultum sponsarum præparata. Neque hoc prætermittendum est, quod ipse sponsus sicut gratuito primum quodammodo fœdas ac turpes diligit, ita et gratuito eis ad ornatum adminiculum omne impendit. Nec quidquam ex se habent, nisi ab illo accipiant unde illi placeant, ut etiam hoc ad dilectionem pertinere scias, quod habes unde ornare te possis, quæ utique ex te nihil habes, nisi ab illo acceperis. Primum est fons baptismi hic positus, et lavacrum regenerationis, in quo sordes præteritorum criminum abluis. Deinde chrisma et oleum, in cujus unctione Spiritu sancto liniris. Post hæc delibuta et unctione lætitiæ perfusa ab mensam venis, et percipis ibi alimentum corporis et sanguinis Christi, quo interius saginata atque refecta noxiam illam præteritorum jejuniorum maciem depellis, et pristina plenitudine atque fortitudine reparata rursus quodammodo juvenescis. Deinde vestimenta bonorum operum induis, et fructu eleemosynarum, cum jejuniis et orationibus, cum sacris vigiliis, aliisque operibus, pietatis, quasi quodam vario ornatu decoraris. Ad ultimum sequuntur aromata virtutum, quarum odor suave spirans omnem illum antiquarum sordium fetorem fugat, ita ut tibi quodammodo tota mutari, et in aliam transformari videaris, et magis læta, magis alacris, magis sospes efficiaris. Datur etiam tibi speculum sancta Scriptura, ut ibi videas faciem tuam, ne quid minus aut aliter quam decet habeat compositio ornatus tui. Quid ergo dicis anima mea? Scis utrumne adhuc aliquid horum perceperis? Certe in fonte abluta fuisti, certe de mensa Regis eumdem cibum comedisti, et eumdem potum bibisti. Sed forte iterum polluta es, habes lacrymas, quibus iterum te abluas. Iterum unctio emarcuit in te, per bonam et piam devotionem iterum te ungas. Iterum jejunio diuturno confecta es : iterum lacrymis abluta, et piæ devotionis unctione renovata ad refectionem tuam redeas. Vide quam pia dispensatione tibi ubique concurritur. Non habuisti et datum est tibi, perdidisti et restauratur tibi, nusquam derelinqueris, ut scias quantum ille te diligat, a quo amarris; non vult te perdere, et ideo tanta patientia exspectat, et concedit pie, negligenter toties amissa iterum atque iterum si tu volueris reparare. O quot jam perierunt, qui ista tecum acceperant, sed amissa iterum tecum recipere non meruerunt. Plus ergo omnibus illis dilecta es, quia tibi tam benigne amissum sedditur, quod illis perditum tam districte negabatur. Nunquid tidi gratia bene ope-

randi nulla data est? tamen voluntas bona ipso A largiente negata non est. Si magna opera facis: misericorditer sublimaris. Si non facis magna opera, fortassis salubriter humiliaris. Melius novit ille quid tibi expediat quam tu, et ob hoc si vis bene de illo sentire, totum, quod ab illo tibi fit, bene fieri intellige. Forte gratiam virtutum non habes, sed dum vitiorum impulsu concuteris, melius in humilitate solidaris. *Suavius redolet Deo humilitas infirma, quam virtus elata.* Nihil ergo dispositioni illius præjudicare audeas, sed semper cum timore et reverentia ora eum, ut quemadmodum ipse novit tibi subveniat. Si qua adhuc in te mala permanserunt, pie diluat, si qua inchoata sunt bona benigne perficiat, et ea te (qua ipse voluerit) via ad se perducat. Quid tibi amplius dicam? estne aliquid adhuc quod dicere possumus ad ostendendam dilectionem? Tibi loquor, anima mea, estne aliquid? Quid dicis? Si tua dicis, aliena non poteris. Si aliena et tua, non tamen omnia. Quis enim omnia dicere potest? et tamen scimus quod omnium origo charitas est. Ecce duo nati sunt, eadem utrisque nobilitas generis, eadem hora nativitatis. Alter in paupertate relinquitur, alter divitiis sublimatur, et utrumque charitas operatur, quia et hunc paupertate humiliat, et illum abundantia consolatur. Iste debilis est, et ille fortis. Ille tenetur ne malum perficiat, iste roboratur, ut ad bonum opus convalescat: utrumque charitas probat, non reprobat. Alter per sapientiam illuminatur, alter in simplicitate sui sensus relinquitur. Iste ut seipsum despicere, ille ut studeat Creatorem suum agnoscere, utrique tamen voluit charitas adesse. Talis est amor Dei erga nos, nec quidquam omnino humana infirmitas tolerat, quod ipse (quantum in sua bonitate est) ad bonum nostrum non disponat.

CONFESSIO.

Confiteor tibi miserationes tuas, Domine Deus meus, quid non dereliquisti me, dulcedo vitæ meæ, et lumen oculorum meorum. *Quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuisti mihi?* (*Psal.* CXV.) Vis ut diligam te, et quomodo diligam te? quantum diligam te? quis sum ego ut diligam te? et tamen *diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, liberator meus, Deus meus, adjutor meus, protector meus, cornu salutis meæ, et susceptor meus, et quantum adhuc dicam? Tu es Dominus Deus meus* (*Psal.* XVII). O anima mea, quid faciemus Domino Deo nostro, a quo tot et tanta bona accepimus? Neque enim contentus fuit eadem (quæ et cæteris) bona nobis tribuere, sed in malis quoque nostris cum singularem dilectorem agnoscimus, ut eum tam de bonis quam de malis nostris omnibus singulariter diligamus. Tu dedisti mihi, Domine, ut te agnoscam, et præ cæteris multis de tuis secretis revelata intelligam. Alios coætaneos meos in tenebris ignorantiæ dereliquisti, et mihi præ illis lumen sapientiæ tuæ infudisti. Tu dedisti mihi verius cognoscere te, Purius diligere te, sincerius credere in te, ardentius sequi te. Tu dedisti mihi sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam disertam, sermonem gratum, doctrinam suasibilem, efficaciam in opere, gratiam in conversatione, provectum in studiis, effectum in cœptis, solamen in adversis, cautelam in prosperis, et quocunque vertebam me, ubique gratia tua et misericordia præcessit me. Et sæpe cum mihi consumptus videbar, subito liberasti me; quando errabam, reduxisti me; quando ignorabam, docuisti me; quando peccabam, corripuisti me, quando tristabar consolatus es me, quando desperabam confortasti me, quando cecidi erexisti me; quando steti, tenuisti me, quando ivi duxisti me; quando veni, suscepisti me. Hæc omnia mihi fecisti, Domine B Deus meus, et alia multa de quibus mihi dulce erit semper cogitare, semper lequi, semper gratias agere, ut te laudem et amem pro omnibus beneficiis tuis, Domine Deus meus. Ecce habes, anima mea, arrham tuam, et in arrha tua cognoscis sponsum tuum: serva te illi intactam, serva impollutam, serva integram, serva incontaminatam. Si olim meretrix fuisti, jam virgo facta es, quemadmodum amor illius consuevit corruptis integritatem reddere, et integris castitatem conservare. Semper autem cogita quantam tecum misericordiam fecerit, et in hoc perpende quantum ab ipso diligeris, quod ejus beneficium nunquam tibi defuisse cognoscis.

ANIMA. Vere fateor merito amor iste singularis C dicitur qui, cum se in multos diffundat, ita tamen unicè singulos amplexatur. Vere pulchrum et mirificum bonum, quod commune est omnium, et totum singulorum. Cunctis præsidens, singulos implens, ubique præsens, omnium curam agens, et tamen singulis quasi omnibus providens. Sic certe mihi videtur cum ejus miserationes circa me attendo, quod (si fas est dicere) quodammodo nihil aliud agat Deus, nisi ut meæ saluti provideat, et ita totum ad custodiam mei occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli vacare velit. Semper præsentem se exhibet, semper paratum se offert, quocunque vertero me, non me deserit, ubicunque fuero non recedit, quidquid egero pariter assistit; et quod tandem cunctis actionibus sive cogitationibus meis perpetuus inspec- D tor, et quantum ad bonitatem suam pertinet, individuus cooperator adsit, ipso operis suis effectu patenter ostendit. Ex quo constat quod licet facies ejus adhuc a nobis non possit videri, nunquam tamen possit præsentia ejus evitari. Ego autem fateor, diligentius hoc considerans timore pariter et pudore ingenti confundor, quod illum, cui tam vehementer placere cupio, ubique mihi præsentem et omnia mea occulta videntem intueor. O quam multa sunt in me de quibus coram oculis ejus erubesco, et pro quibus jam magis illi desplicere timeo, quam pro iis quæ laudanda in me sunt (si qua sunt) placere posse in me confido? O utinam ad modicum ab oculis ejus possem abscondi, donec maculas istas omnes detergerem, et sic demum ante

conspectum ejus sine macula immaculata apparerem ! Nam quomodo in hac deformitate placere illi potero, quæ et mihi quoque in illa vehementer displiceo ? O maculæ veteres, o maculæ fœdæ et turpes, quid tandiu hæretis ? Abite, discedite, et ne præsumatis amplius oculos dilecti mei offendere. Nolite fallere vosmetipsas, non semper mecum (ipso adjuvante) manebitis, quamvis me adhuc pigritante exterminari non potuistis. Ego juravi super vobis quod nec tenebo, nec diligam vos amplius, quia omnino detestor et prorsus abominor turpitudinem vestram. Jamque deinceps, etiamsi possem a Sponso meo non videri, nollem tamen a vobis infici. Quanto magis nunc quia palam ipso sum, et quia plus certe me contristat ejus offensio, quam mea etiam turpitudo. Recedite ergo, in vanum amplius mihi adhæretis, quia, etiam mecum manentes, meæ non estis. Alienas vos a sorte mea judico, et vobiscum deinceps nullam communionem habere volo. Habeo aliud exemplar cui conformari cupio, et ad aliud jugiter respicio, ac quantum possum magis semper ac magis exinde similitudinem traho. Ex quo hoc etiam didici, quod vos exterminare debeo, et qualiter hoc faciam jam agnosco.

Homo. Mira res nobiscum agitur, quam ideo fortassis non miraris, quia necdum quid dicere velim intelligis. Considero namque qualiter a principio nostri sermonis multa quæ adversari videbantur dilectioni in medium adduxeris, et quod ex eis semper non infirmata, sed amplius probata sit virtus dilectionis. Dixisti dilectionem singularem pariter et communem esse non posse, sed inde comprobata est amplius mirabilis, quod demonstrata est communis esse et singularis. Dixisti rursum te perfecte non diligi, eo quod ad cultum electam audieras, et adhuc ad thalamum assumptam non vidisti. Sed tamen iterum ostenditur tanto major erga te dilectio, quanto major per ejus patientiam tua exspectatur perfectio. Ad extremum modo dubitare cœpisti, an, in hac deformitate tua quam (licet invita) pateris, ab illo posses diligi. Sed quando hoc dubitasti, olim te totam fœdam et tamen dilectam fuisse jam non meministi. Si ergo te nunc diligere dignatus est, quando tota turpis, et nihil adhuc decoris habens fuisti, quanto magis nunc diliget te, quando decorari, et priscam turpitudinem deponere jam cœpisti? Nam et hoc quoque ad laudem dilectionis ejus pertinet, quod imperfectam diligere dignatur. Et quamvis quæ- A dam adhuc in te videat, quæ sibi non placent, diligit tamen hoc ipsum, quod tu quoque ea in temetipsa jam odisse cœpisti quæ illi displicent. Non enim tam statum quam propositum respicit, nec quid sis, sed quid esse velis, attendit, si tamen tu quantum potes satagis, ut quod adhuc esse non cœpisti, esse merearis.

Anima. Hoc ultimum interrogationis meæ benigne, ut suspicias, quæso, quid est illud dulce, quod in ejus recordatione aliquando me tangere solet, et tam vehementer atque suaviter afficere, ut jam tota quodammodo a memetipsa abalienari, et nescio quo abstrahi incipiam. Subito enim innovor et tota immutor, et bene mihi esse incipit ultra quam dicere sufficiam. Exhilaratur conscien- B tia, in oblivionem venit omnis præteritorum dolorum miseria, exsultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desideria jucundantur, jamque alibi (nescio ubi) me esse video, et quasi quiddam amplexibus amoris intus teneo, et nescio quid illud sit, et tamen illud semper retinere, et nunquam perdere toto adnisu laboro. Luctatur quodammodo delectabiliter animus, ne recedat ab eo, quod semper amplecti desiderat, et quasi in illo omnium desideriorum finem invenerit summe et ineffabiliter exsultat, nihil amplius quærens, nihil ultra appetens, semper sic esse volens. Nunquid ille est dilectus meus? Quæso, dic mihi, ut sciam an ille est, ut si denuo ad me venerit, obsecrem eum ne recedat, sed semper permaneat.

C Homo. Vere ille est dilectus tuus qui visitat te, sed venit invisibilis, venit occultus, venit incomprehensibilis. Venit ut tangat te, non ut videatur a te ; venit ut admoneat te, non ut comprehendatur a te ; venit non ut totum infundat se, sed ut gustandum præbeat se ; non ut impleat desiderium, sed ut trahat affectum ; primitias quasdam porrigit suæ dilectionis, non plenitudinem exhibet perfectæ sapietatis. Et hoc est quod maxime ad arrham desponsationis tuæ pertinet, quod ille, qui in futuro se tibi videndum, et perpetuo possidendum dabit, nunc aliquando (utquam dulcis sit agnoscas) se tibi ad gustandum præbet. Simul etiam interim de absentia ejus consoleris, quando ejus visitatione ne deficias incessanter reficeris. D Quæso, anima mea, multa jam diximus, post hæc omnia unum agnosce, unum dilige, unum sequere, unum apprehende, unum posside.

Anima. Hoc opto, hoc desidero, hoc totis præcordiis concupisco.

DE LAUDE CHARITATIS

PROLOGUS.

Servo Christi Petro, H., *gustare et videre quoniam suavis est Dominus ! (Psal.* XXXIII.)

Cogitanti mihi, frater charissime, quomodo dilectionem vestram ad memoriam mei excitare possem, primum occurrit, ut de ipsa vobis dilectione scribe-

rem, qui nihil aliud præter ipsius dilectionis munus a vobis postularem. Quod ergo potui feci, charitatem quibus valui verbis commendavi, quatenus dum ejus laudem legitis, quam ardenter ego eam et in vobis diligo, et a vobis expeto, scire valeatis. Nec irasci ipsa vestra charitas mihi debet, si ejus igni jam fortiter ardenti exiguum verborum meorum flatum tepidus ipse admoveo, non tam ut illa magis ardeat, quam ut mei erga se desiderii conanem agnoscat. Legite ergo atque diligite, et quod propter dilectionem legitis, ad hoc legite ut diligatis : totum ex dilectione fit, dilectio mittit, dilectio suscipit, dilectio est quod tribuitur, dilectio quod recompensatur.

DE LAUDE CHARITATIS.

Tam multos jam laudatores charitas habuisse cognoscitur, ut si quid ego in laudem ejus dicere cœpero, præsumptio fortassis magis quam devotio videatur. Quis enim sanctorum a principio mundi exstitit, qui non charitatem nobis aut verbo, aut facto commendavit? Charitas Abel martyrem fecit, (*Gen.* IV), charitas Abraham de terra sua eduxit (*Gen.* XII), quia et ille per charitatem innocenter mortem pertulit, et iste per charitatem natale solum libenter deseruit, uterque per charitatem terra cœlum commutavit. Charitas sola est quæ ab initio servis Dei mundi hujus illecebras fugere, voluptates calcare, carnis concupiscentiam cohibere, desideria frangere, honores contemnere, postremo universa præsentis vitæ blandimenta respuere, ipsam quoque pro desiderio vitæ perpetuæ mortem suadet non timere. Hanc vim dilectionis Paulus senserat, cum dicebat: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Spero autem, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII). Hinc sponsus in Canticis canticorum sponsam de virtute dilectionis admonet, dicens : *Pone me ut signaculum super cor tuum, pone me ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (*Cant.* VIII). Mors etenim viventes exstinguit, infernus autem nec mortuis parcit. Dilectio autem ut mors fortis est, quia sicut illa sensum carnis, sic ista affectum concupiscentiæ carnalis perimit. Dura est sicut infernus æmulatio, quia eos, quos intus trahit desiderium æternorum, non solum foris blanda respuere, sed et adversa quæque et aspera pro eo quod diligunt adipiscendo, cogit tolerare. Consideremus quot jam martyres per tormenta ad regnum cœlorum transierunt. Qualem ergo in eis vim amoris arsisse credimus, quos propter Deum nec sibi pepercisse videmus ! Consideremus quid dimiserint, quid secuti sint, qua transierint. Quid dimiserint videmus, quid secuti sint non videmus sed credimus, qua transierint audivimus. Bona ista temporalia dimiserunt, bona æterna secuti sunt, per tormenta transierunt? Conveniamus nunc cor nostrum, et videamus si acquiescat nobis omnia quæ hujus mundi sunt, relinquere, non gloriam, non honorem, non divitias amare, non arridere, prosperis non condelectari blandis, non congratulari lætis. *Domine, imperfectum meum viderunt oculi tui* (*Psal.* CXXXVIII). Quam longe ab hac non dicam perfectione, sed perfectionis inchoatione me video ! Et certe parum hoc erat amicis Dei, ut pro amore æternorum ista spernerent, ista calcarent, sed abjectis his omnibus alacriter ad votum currentes, nec minis teneri poterant, nec tormentis. Trahebat eos charitas, et ideo nec retrahebat cupiditas, nec terrebat adversitas. Currebant ergo, mundum post se reliquerant, Deum ante se habebant. Sed interposita sunt tormenta ut interrogarentur, vel quo desiderio hunc quærerent, vel qua constantia illum despexissent. Interrogata est veritas, probata charitas, confusa iniquitas. Accedunt illi ad pœnas intrepidi, et quantum mentem amor intus vulneraverat, tantum caro foris vulnera sua despiciebat. Accedunt, et transeunt, atque morientes confessi sunt, quo viventes desiderio cucurrerunt. O charitas, quomodo illis sapiebas, quam dulcis eis fuisti, quas tanta propter te sustinere coegisti ! Quibus illos ad te vinculis traxisti, quos mundo et per blandimenta retrahente, et per tormenta repellente, perdere tamen non potuisti. Concurrerunt, quia tu eos traxisti ; transierunt, quia tu eos juvisti ; pervenerunt, quia tu eos suscepisti. Quam inexstinguibiliter in præcordiis eorum arsisti, quia nec probris, nec præmiis, nec pœnis obrui potuisti. Ista quasi quædam flumina inundaverunt, sed multa flumina, et aquæ multæ charitatem exstinguere non potuerunt. O charitas quid dicam de te ? quomodo laudabo te ? Si saperem te, appreciarem te ; si scirem quanti vales, pretium appenderem pro te. Sed forte excedis augustias meas, nec invenire tuum pretium potero penes me. Dabo tamen quod habeo, et totum quod habeo dabo, totam domus meæ substantiam pro te commutabo. Totum quod est in habitaculo corporis mei, totum quod est in habitaculo cordis mei pro te dabo, cum totum dedero totum quasi nihilum reputabo. Omnes delectationes carnis meæ, omnes jucundidates cordis mei pro te libenter impendam, ut te solam habere, te solam possidere valeam. Tu sola mihi meis omnibus charior, tu sola mihi utilior, tu sola suavior, tu sola jucundior, amplius delectans, abundantius satians, tutius salvans, felicius conservans. Aliis etiam annuntiabo de te. Dic mihi, o cor humanum, utrum magis eligis, semper gaudere cum hoc sæculo, an esse semper cum Deo? Quod plus diligis, hoc potius eligis. Audi ergo, ut aut corrigas dilectionem, aut non differas electionem. Si mundus iste pulcher est, qualis putas est pulchritudo ubi Creator mundi est? Dilige ergo ut eligas, dilige melius ut eligas salubrius. Dilige Deum, ut eligas esse cum Deo, ergo per dilectionem eligis. Sed quo plus diligis, eo citius pervenire cupis, et festinas ut apprehendas, ergo

per dilectionem curris, et per dilectionem apprehendis. Item quo plus diligis, eo avidius amplexaris, ergo per dilectionem frueris. Vide quomodo totum tibi est dilectio, ipsa est electio, ipsa est cursus, ipsa est perventio, ipsa est mansio, ipsa est beatitudo. Dilige ergo Deum, elige Deum, curre, apprehende, posside, fruere. Jam, inquis, elegi, qua via curram ut perveniam? Per viam Dei curritur ad Deum. Non possum, inquis, viam inexpertam solus currere; da socios ne aberrem. Cum iis, qui in via Dei currunt, curre et tu viam Dei, meliores socios habere non potes in via quam illos, qui jam olim cucurrerunt in ea, et per longam currendi experientiam et usum laboris nec errare timent nec deficere. Quæ est ergo, ais, via Dei, et qui sunt currentes in ea? Rectæ sunt viæ Domini, et justi ambulabunt in eis. Justitia est ergo via, et justi sunt qui in via currunt. Et ne forte moveat te quod ambulantes nomino, et iterum currentes dico, velociter ambulare ipsum est currere. Sicut ille faciebat, qui dixit: *Viam mandatorum tuorum cucurri* (*Psal.* CXVIII). Et alibi: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (*ibid.*); ut idem intelligas ambulare et currere, ne beatiorem beatis se diceret, si illis ambulantibus ipse cucurisset. Habes ergo viam, habes socios in via, habes hæreditatem in patria, habes qua pergas, cum quibus pergas, ubi requiescas. Qua pergas, justitiam. Cum quibus pergas, amantes et sectantes justitiam. Quo pervenias, et in quo requiescas, et auctorem justitiæ, et fontem vitæ. Nulla via justitia rectior, nulla societas justorum societate melior, nulla requies Deo tranquillior. Perge securus, perge festinus, ut velociter pervenias, feliciter requiescas: cito pergere est ardenter amare. Vide ergo quomodo totum bonum tuum ex charitate pendet. Per charitatem viam eligis, per charitatem viam curris, per charitatem ad patriam pervenis. Vis scire, quod non nisi per charitatem viam justitiæ eligis? *Si quis*, inquit Dominus, *diligit me, sermones meos servabit* (*Joan.* XIV); de ipso autem sermone alibi dicitur: *Sermo tuus veritas est* (*Joan.* XVII); de qua iterum Psalmista: *Viam*, inquit, *veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus* (*Psal.* CXVIII). Si ergo sermo Domini veritas est, per illam utique charitatem via veritatis eligitur, per quam sermo Domini impletur. Ergo charitas eligit viam justitiæ. Sed nunquid sine charitate viam justitiæ non eligitur, et sine charitate curritur? Audi [illegible] ipsum Psalmistæ (quod superius commemoravi) testimonium, quo dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum* (*ibid.*). Quid est enim cor dilatatum, nisi cor amore fervens, cor a charitate impletum? Per charitatem igitur cor dilatatur, corde dilatato via justitiæ curritur. Per charitatem itaque eligis, per charitatem curris, per charitatem apprehendis et frueris. *Deus*, inquit Joannes apostolus, *charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Qui igitur charitatem habet, Deum habet, Deum possidet, in Deo manet* (*I Joan.* IV). O bona charitas, per quam Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum currimus, ad Deum pervenimus, Deum possidemus. Quid amplius dicam de te, charitas? ducem te dixi in via Dei. Et quid si teipsam viam Dei dixerim? utique sic charitas tu via es. Sed non sicut aliæ viæ tu via es: *Adhuc*, inquit Paulus apostolus, *excellentiorem viam vobis* demonstrabo (*I Cor.* XII); de te enim dixit, o charitas: Tu es namque via superexcellens, via supereminens, vias distortas dirigens, vias rectas ostendens. Tu es caput viarum rectarum, omnes viæ rectæ a te exeunt et in te recurrunt. Nam præcepta Dei viæ sunt ejus, quæ omnia a te pendent et in te consistunt. Tu es plenitudo justitiæ, perfectio legis, consummatio virtutis, agnitio veritatis. Via igitur es, o charitas. Qualis via? superexcellens, suscipiens, dirigens et perducens. Cujus via? via hominis ad Deum, et via Dei ad homines. O beata via, quæ sola commercium nostræ salutis agnoscis! Tu Deum ad hominem deducis, tu hominem ad Deum dirigis. Ille descendit quando ad nos venit; nos ascendimus, quando ad illum imus. Nec ille tamen nec nos nisi per te ad alterutrum transire possumus. Tu mediatrix es, adversos concilians, disjunctos socians, et tantum dispares, quodammodo coæquans. Deum humilians, nos sublimans, illum ad ima trahens, nos ad summa erigens. Sic tamen ut nec abjecta, sed pia sit ejus descensio, nec superba, sed gloriosa sit nostri exaltatio; magnam ergo vim habes, charitas, tu sola Deum trahere potuisti de cœlo ad terras. O quam forte est vinculum tuum, quo et Deus ligari potuit, et homo ligatus vincula iniquitatis disrupit! Nescio si quid majus in laudem tui dicere possim, quam ut Deum de cœlo traheres, et hominem de terra ad cœlum elevares. Magna virtus tua, ut per te usque ad hoc humiliaretur Deus, et usque ad hoc exaltaretur homo. Considero Deum ex femina natum, infantem, pannis obsitum, vagientem in cunis, sugentem ubera. Respicio postea comprehensum, ligatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, sputis illitum, lanceatum, clavis fixum, felle et aceto potatum, illic indigna, hic dira passum, et tamen cur vel illa dignaretur, vel ista pateretur, si causam quærimus, aliam præter solam charitatem non invenimus. O charitas! quantum potes? si tantum invaluisti erga Deum, quanto magis erga homines! Si Deus propter hominem tanta pertulit, quid homo propter Deum tolerare recusabit? Sed fortassis facilius vicis Deum quam hominem, magis prævalere potes Deo quam homini, quia quo magis beatum, eo magis Deo est debitum a te superari. Hoc optime tu noveras, quæ ut facilius vinceres, prius illum superabas; adhuc nos rebelles habuisti, quando illum tibi obedientem de sede paternæ majestatis usque ad infirma nostræ mortalitatis suscipienda descendere coegisti. Adduxisti illum vinculis tuis alligatum, adduxisti illum sagittis tuis vulneratum. Amplius ut puderet hominem tibi resistere, cum te videret etiam in Deum triumphasse. Vulnerasti

impassibilem, ligasti insuperabilem, traxisti incommutabilem, æternum fecisti mortalem. Hæc omnia fecisti, ut dura corda nostra emollires, et insensibiles affectus compungeres, et ut se a torpore suo resolverent, et facilius ea sagittæ tuæ penetrarent. Nec incassum hoc fecisti, multis, enim sic a te superati sunt, multi jam tibi manus dederunt. Multi jam in suis præcordiis sagittas tuas infixas portant, et altius adhuc eas infigi desiderant. Delectabiliter enim et suaviter vulnerati sunt, et plagas tuas se percepisse, nec dolent, nec erubescunt. O charitas! quanta est victoria tua! unum prius vulnerasti, et per illum omnes postmodum superasti. O charitas! laudavi te quantum potui, et multum cogito mecum si quid adhuc sit, quod in laudem tui excellentius possit dici. Nescio enim an forte majus sit te Deum dicere an Deum te superasse. Quod si majus est, etiam hoc libenter et fiducialiter de te dicam: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Audi, homo, et ne amplius parum reputes si charitatem habes, audi quod Deus charitas est. Nunquid parum est Deum in se manentem habere? tantum est charitatem possidere, Deus enim charitas est. Hoc privilegium sola charitas habet ut Deus dicatur et sit, ita ut nulli alteri hoc convenire possit. Non enim dicitur: Deus humilitas est, aut: Deus patientia est, sicut dicitur: Deus charitas est, quia cum omnis virtus Dei donum sit, nulla præter solam charitatem hoc habet, ut non solum donum Dei, sed etiam Deus dici possit. Charitas autem ideo donum Dei est, quia Spiritus sanctus a Deo datur fidelibus, ideo autem Deus est, quia idem Spiritus illi, a quo datur consubstantialis est in eadem Deitate, et coæternus. Reliqua igitur gratiarum dona largitur Deus etiam iis, quos reprobat, solam autem charitatem quasi seipsum iis tantum, quos diligit in præmium servat. Charitas igitur est fons proprius, de quo non communicat alienus, quia, sicut dictum est, reliqua dona gratiarum ii etiam, qui per vitam reprobam a Deo alieni sunt, nonnunquam percipiunt. Charitatem autem malus habere non potest, sed quicunque illam habet, non jam alienus est a Deo, sed ipse in Deo, et Deus in eo manet. Sic familiaris est Deo, charitas, ut ipse mansionem habere nolit, ubi charitas non fuerit. *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum venimus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Si ergo charitas tecum est, venit Deus ad te, et manet apud te; si tu recedis a charitate, recedit et ipse a te, et non permanet apud te. Si charitatem nunquam habuisti, nunquam venit Deus ad te, nec mansit apud te. Si charitatem cœptam deseruisti, recessit Deus a te. Si in charitate cœpta permansisti, Deus tecum est, et permanet apud te.

A Charitas omnem animæ languorem sanat, charitas vitiorum omnium radices exstirpat, charitas omnium virtutum origo est. Charitas mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, Deum demonstrat. Animam, in qua charitas habitat, superbia non inflat, invidia non devastat, ira non dissipat, tristitia mala non vexat, avaritia non excæcat, gula non inflammat, luxuria non inquinat; semper munda est, semper casta est, semper quieta, semper læta, semper pacifica, semper benigna, semper modesta, in adversis secura, in prosperis temperata, mundum contemnens, Deum diligens, omnium bona amando sua faciens, sua omnibus libenter impertiens, non timens inopiam, non magnopere expetens abundantiam.

B In quo charitas Dei est, semper cogitat quando ad Deum perveniat, quando mundum relinquat, quando scandala evadat, quando veram pacem inveniat. Semper cor sursum habet, et desiderium in superna elevatum. Si quando ambulat, si quando sedet, si quando agit, si quando quiescit, quidquid egerit, cor a Deo non recedit. Tacens Deum cogitat, loquens nil præter Deum, et quod ad Dei amorem pertinet, loqui desiderat. Alios ad charitatem exhortando, seipsum inflammat, charitatem omnibus commendat: quam dulcis amor Dei, quam amarus et quam impurus sit amor hujus sæculi non solum voce, sed opere quoque omnibus demonstrat. Deridet hujus mundi gloriam, sollicitudinem arguit, et quam stultum

C sit in iis quæ transeunt fiduciam habere, ostendit. Miratur cæcitatem hominum, qui hæc diligunt, miratur quomodo jamdudum universa hæc transitoria et caduca omnes non contemnunt. Omnibus existimat dulce esse quod sibi sapit, omnibus placere quod diligit, omnibus manifestum quod cognoscit. Istis indiciis charitas se prodit, et eos, in quibus habitat, non solum intrinsecus voluntate, sed et foris conversatione discernit. Hoc jam tantum de charitate dictum est, et tamen adhuc de charitate dici potest, et tantum dicendum est, quantum dici non potest. Quid igitur, o bona charitas, o chara charitas, quid dignum dicam laudibus tuis? Certe post tanta priorum præconia nihil de te dicere mea parvitas præsumeret, si unquam

D de te dici satis potuisset. Illabere igitur nobis, o dulcis et suavis charitas, dilata cor nostrum, expande desiderium, distende mentis nostræ sinum, amplifica cordis nostri habitaculum, ut capere possit hospitem et mansorem Deum. Infundat et diffundat te in cordibus nostris per Spiritum sanctum suum Redemptor noster unicus et Salvator Jesus Christus Filius Dei, ut ipse cum Patre ad nos venire digentur, et mansionem in nobis facere. Qui cum eodem Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE MODO ORANDI.

PROLOGUS.

Domino et Patri charissimo H. Munusculum hoc dilectionis meæ ea vos precor benignitate suscipite, qua me illud scio devotione obtulisse. Dictatum brevem de virtute orationis inelimato licet sermone conscriptum misi charitati vestræ, in quo distinctum habetis quibus modis orantis animus inter precum verba per compunctionem accenditur; demonstratum etiam cur illæ a nobis Scripturæ, quæ petitionis formam non habent, pro nostra sive aliorum salute postulantibus inter orandum proferuntur. De oratione ergo orationem postulaturus scripsi, cujus dulcedinem quanto jam longo pietatis studio perfectius gustastis, tanto libentius donum accipere et donum impendere debetis. Valete.

CAP. I. *Quod ex propriæ miseriæ et divinæ misericordiæ consideratione ad orandum Deum incitari debemus.*

Quo studio et quo affectu a nobis orandus sit Deus, ex nostra miseria simul et ejus misericordia considerare possumus. Quid enim efficacius hominem ad orandi studium excitaret quam miseria et calamitas tantorum malorum, quibus addictus premitur? Et quid jucundius ad effectum orandi traheret quam misericordia Conditoris sui, quam inter mala sua toties experitur? Ne ergo mens humana et orandum pigra sit, hinc sua necessitate compellitur; ne autem trepida et diffidens oret, illinc pietate Dei provocatur. Istis duabus alis, miseria scilicet hominis et misericordia Redemptoris, oratio sublevatur, quia dum mens alterna horum consideratione se ad devotionem incessanter excitat, quodam spiritualis desiderii impetu sursum levata volat. Sic ergo orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur aut præcedat. Nam et ii qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo, aut aliud quam oportet petendo, facile per ignorantiam falluntur, aut certe minus quam oportet digne petendo per desidiam tepescunt. Primum igitur necesse est, ut si prudenter et utiliter Dominum orare volumus, jugi meditatione animum nostrum exerceamus, et in consideratione miseriæ nostræ dicamus, quid nobis necesse est petere, in consideratione autem misericordiæ Dei nostri, quo desiderio debeamus postulare. Cogitemus quam brevis sit vita nostra, quam lubrica, via quam mors incerta. Cogitemus quod lugentes in hanc vitam intravimus, cum dolore pertransimus, cum luctu exituri sumus. Cogitemus quantis amaritudinibus admistum sit, si quid etiam dulce aut jucundum in via hujus vitæ occursu suo nobis al- A ludit; quam fallax, quam suspectum, quam instabile, quam transitorium est quidquid hujus mundi amor parturit, quidquid species et pulchritudo temporalis promittit. Alia sunt mala, cum quibus nascimur, et processu temporis sive occulta Dei gratia, sive manifesta industria, liberamur. Alia vero in hanc vitam nobiscum veniunt, et a nobis ante mortem non recedunt. Alia item sunt mala quæ ex tempore nobis accrescunt, et rursum decursu temporis abeunt. Alia autem post nativitatem contrahimus, et ante mortem non evacuamus. Et quis omnia mala vitæ hujus enumerare possit? Ut enim prætermittamus ea mala, quæ omnes communiter homines opprimunt, qualia æstimamus esse secreta pericula singulorum, quorum B sibi quique consciti sunt? Si cogitare quisque voluerit quæ ab ineunte ætate mala fecerit, quæ sustinuerit, et constituat ante oculos suos præterita tempora et dies vitæ suæ, consideretque diligenter quot inanes labores tulerit quoties pro amore hujus vitæ frustra desudaverit, quoties in laboriosis conatibus fallaces exitus invenerit, et post longos discursus requiem necdum ullam adeptus sit, cognoscet quid de hac vita judicare possit. Cum autem vitæ hujus ærumnam considerat, etiam quæ sit patriæ cœlestis suavitas atque dulcedo attendat, et perpendat quid invenerit, quid perdiderit, ubi jaceat, unde ceciderit, ut ex utroque intelligat quantum sibi in hoc exsilio lugendum sit. Hinc enim Salomon dicit: *Qui addit scientiam, addit et* C *dolorem* (*Eccle.* I), quia quanto magis homo mala sua intelligit, tanto amplius suspirat et gemit. Postremo superest ut in memoria malorum nostrorum etiam misericordiæ Dei recordemur, quia fiducialius de futuro ejus miserationes requirimus, si quemadmodum in præterito nostri misertus sit, cogitemus. Revocemus ad memoriam bona, quæ tribuit, et quod in periculis sæpe constitutos clementer eripuit, nec unquam peccatis nostris quo minus misereretur vinci potuit, oblitos sui de se admonuit, aversos a se revocavit, venientes ad se benigne suscepit, pœnitentibus indulsit, perseverantes custodivit, stantes tenuit, lapsos exerit, malas delectationes in amaritudines commutavit, sed rursum salubriter amaricatis consolationes suas tribuit. Postremo autem tribulatione purgatis quie- D tem et pacem perfectam restituit, qui nec peccantibus unquam defuit ut corrigeret, nec justis ut custodiret. Quisquis hujusmodi meditationibus ante orationis tempus animum suum exercuit, nec improvidus fortassis nec tepidus ad orationem venit. Meditatio namque assidua scientiam parit, scientia vero parta ignorantiam pellit, et compunctionem parit, cumpunctio autem parta desidiam fugat, et

devotionem parit, devotio vero orationem perficit. Scientia est, quando homo ad agnitionem sui illuminatur. Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Devotio est pius et humilis affectus in Deum, qui ex compunctione generatur. Territus enim magnitudine malorum suorum animus, et diffidens de propriis viribus, ad Deum se convertit. Et tanto ardentius patrocinium illius expetit, quanto apertius sibi nihil extra Deum relictum esse videt, in quo confidere possit. Devotio igitur est conversio in Deum pio et humili affectu. Humilis enim est ex conscientia infirmitatis suæ, pius est ex consideratione divinæ clementiæ. Hæc in se tres principales virtutes habet, fidem, spem, charitatem. Neque enim homo per devotionem se ad Deum converteret, nisi crederet se ab eo salvari posse, et speraret eum misereri velle. Postremo nisi eam plus quam mala sua diligeret, nequaquam, illa fugiens, refugium sibi in ipso eligeret. Credit ergo, sperat et diligit. Credit potentiam, sperat misericordiam, amat custodiam. Nihil ergo aliud est oratio quam mentis devotio, id est conversio in Deum per pium et humilem affectum, fide, spe, charitate subnixa. Sed quia multis modis mens per devotionem accenditur, rursum quia ipsa devotio mentis variis modis voce promitur, debemus aliquas sigillatim orationis species distinguere, ut apertius valeamus ejus virtutem indicare.

Cap. II. *De tribus speciebus orationis et generibus supplicationis.*

Tres sunt species orationis, supplicatio, postulatio, insinuatio. Supplicatio est sine determinatione petitionis humilis et devota precatio. Postulatio est determinatæ petitioni incerta narratio. Insinuatio est sine petitione per solam narrationem, voluntatis facta significatio. Tria sunt genera supplicationum, captatio, exactio, pura oratio. Captatio est id quod fit ante postulationem ad præparandum et inclinandum animum auditoris, quod tribus modis facimus. Primo cum aliquid dicimus, quod personam vel causam nostram commendat, sive meritum nostrum, sive infirmitatem, sive aliud aliquid enumerando, quod ad nostram causam vel personam commendandam valeat apud eum, cui nostram petitionem offerimns. Secundus modus captationis est, cum aliquid in laudem ejus proferimus, quem oramus, per quod apud animum nostrum charum eum et acceptabilem esse significamus, ut nostra charitate vicissim ejus dilectionem mereamur. Tertius modus captationis est, quando aliquid dicimus, per quod apud animum auditoris causa adversarii nostri sive persona deprimitur, ut odio potius quam amore digna videatur. Istis tribus modis fit captatio. Hoc autem genere supplicationis frequentissime divina Scriptura uti solet. Hoc enim agimus, ubicunque laudes Dei canimus, ubicunque infirmitatem nostram, ubicunque malitiam adversariorum nostrorum recitamus. Et omnino quidquid Dei auribus dignum, et nostræ necessitati congruum ante petitionis pronuntiationem eloquimur. Exactio est id quod fieri solet post factam postulationem, quando auditorem (ne petitio nostra apud eum in oblivionem veniat) quadam (ut ita dicam) importunitate atque instantia frequenter memorem facimus. Quæ memoria tribus modis renovari videtur, videlicet quando aliquid vel de persona ejus, vel de persona nostra, vel de causa nostra iterato dicimus, unde vel nos vel causam nostram atque petitionem in ejus animo renovemus. Hoc genus supplicandi quam apud homines importunum videtur, tam apud Deum gratum atque laudabile est. Pura oratio est, quando ex abundantia devotionis mens ita accenditur, ut cum se ad Deum postulatura converterit, præ amoris ejus magnitudine etiam petitionis suæ obliviscatur; et dum amore ejus, quem videt, perfrui vehementer concupiscit totaque jam illi vacare desiderat, ejus etiam, pro quo venit, curam libenter postponat. Hoc genus orandi in forma est, et quam præ cæteris omnibus unicum, tam est apud Deum præ cæteris omnibus pretiosum. Sed inter hæc tria supplicationum genera infimum locum captatio, medium exactio, supremum et excellentissimum pura oratio obtinet. Quia captatio timorem, exactio fiduciam, pura oratio perfectum habet amorem. Sciendum est etiam, quod supplicatio aliquando fit per sola nomina sicut est illud: *Misericordia mea, refugium meum, susceptor meus, liberator meus, Deus meus, adjutor meus* (*Psal.* CXLIII). Aliquando per sola verba sicut est respice, miserere, placare, attende et fac. Aliquando simul per nomina et verba sicut est illud: *Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ rex meus, et Deus meus* (*Psal.* V). Sed illud genus supplicationis, quod per sola nomina fit, quo magis est foris significatione imperfectum, tanto magis intus est abundantia dilectionis plenum. Affectus enim hoc proprium habet, quo quanto major et ferventior intus est, tanto minus foris per vocem explicari potest. Illud vero genus supplicationis, quod per sola verba exprimitur, minorem quidem isto devotionem indicat, majorem autem illo, quod nominibus simul et verbis, plena videlicet significatione pronuntiatur. Illud igitur, quod solis nominibus fit, ad puram orationem pertinere videtur, quod solis verbis ad exactionem; quod nominibus simul et verbis ad captationem. Ita ut pura oratio magis in jubilum convertatur, et appropinquet Deo, perveniat citius, et efficacius obtineat.

Cap. III. *Quid postulatio et quid insinuatio.*

Postulatio est determinatæ petitioni incerta narratio, sicut est illud: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* L). Hæc tribus modis fit, obsecrando, rogando, simpliciter postulando. Obsecratio est, quando vehementior necessitas devotius precibus insistere cogit. In mediocribus causis rogamus, in minimis simpliciter postulamus. Habent igitur hæc tria differentia suas, quia excellentissimum est obsecrare, medium rogare, minimum simpliciter postulare. Insinuatio est

sine petitione per solam narrationem voluntatis facta significatio. Hæc quoque tribus modis fit, timore, fiducia, contemptu. Timore fit, quando vel causa magna est quam agimus, vel magna persona est quam rogamus, sicut est illud : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (*Joan.* XI). Rogare enim voluit, ut fratrem suum mortuum Dominus suscitaret, sed quia propter magnitudinem causæ et reverentiam personæ extimuit, insinuare potius quam postulare elegit. *Domine*, inquit, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Dixit unde voluntas intelligeretur, sed temeritas non reprehenderetur, ut vel non exaudita repulsæ non pateretur opprobrium, vel exaudita voluntatis suæ consequeretur effectum. Fiducia fit insinuatio, quando vel de facilitate causæ, vel de benevolentia personæ confidimus, et ideo desiderium nostrum patenter exprimere negligimus, quia nos obstinere posse sola insinuatione speramus. Sicut est illud, quod in nuptiis deficiente vino Domino mater dicit. *Vinum non habent* (*Joan.* II). Non dixit : Peto ut defectum poculi, vinum creando aut commutando, suppleas, sed hoc maternæ reverentiæ privilegium deberi existimavit, ut quidquid vel innuendo se velle significaret, pati a Filio repulsam non debuisset. Et hoc quidem justum fuerat, si tale aliquid ab eo petivisset, quod ille facere posset secundum naturam, quam ab ea sumptam gerebat. Nunc autem quodammodo juste reprehenditur, quia ab ea natura, quam non dederat, obedientiam in miraculo exigebat. Et dicitur ei : *Quid mihi et tibi est mulier?* (*Ibi.*) Miraculum enim facere Dei virtus est, non hominis, et ideo cum a matre Christus homo de miraculo requiritur, idem non quasi homo, sed quasi Deus mulierem non matrem de præsumptione causatur. Maria enim a Christo non quasi mater exigere Filio, sed quasi mulier (si necesse fuisset) miraculum humiliter postulare, debebat a Deo. Contemptu fit insinuatio quando vel causa vilis est, vel persona quæ rogatur humilis. Quæ omnino ab oratione divina excluditur, apud homines autem maxime superbos et potentes magno studio exercetur. Et sicut in supradictis ostendimus, ita quoque in his tribus differentiam invenimus. Insinuatio enim ex fiducia perfectis convenit, ex timore incipientibus, ex contemptu malis. Dehinc reliqua, quæ de oratione tractare proposuimus, abnectenda sunt.

CAP. IV. *Cur orantes legimus interdum ea, in quibus nullæ petitionis exprimuntur verba.*

Quosdam siquidem movere solet, quod in orationibus nostris cum Deum sive pro nostra sive pro aliorum salute petere volumus, illos etiam nonnunquam psalmos, qui vel petitionis verba non habent, vel ad nostram petitionem non pertinent, decantare solemus. Et de aliis etiam Scripturis, quas in orationibus frequentamus, similem absurditatem producunt, cum ejusmodi sunt, ut vel formam orandi non habeant, vel illi, quam nos agimus, causæ non concordant. Quid enim, aiunt, prodest in oratione illa verba dicere, quibus invenimur vel nihil, vel aliud quam necesse est a Deo postulare? Non orat sed subsannat potius, et ad iracundiam provocat Deum, qui cum ante conspectum ejus quasi postulaturus venerit, subito se ad alia (quæ nihil ad rem pertinere videntur) replicanda convertit. Ecce enim, inquiunt, Deum pro indulgentia peccatorum nostrorum deprecari volumus; quid nobis ad hoc prodest, si vel *Quare fremuerunt gentes* (*Psal.* II), vel : *Attendite popule meus* (*Psal.* LXXVII), vel alium hujuscemodi psalmum decantamus? Nonne ridiculum est, ut talia canentes orare nos credamus? Istud fortasse, aliqui dicant, et existiment nihil utilitatis esse quoties talia nostris orationibus admiscemus; sed quisquis supradictas orationis species diligenter prospexerit, qualiter etiam ista in orationibus dicta valeant facile discernet. Nam hoc genus orandi sæpe ad impetrandum invenitur efficacius quam illud etiam, in quo manifeste petitionis modum orantes explicamus. Et licet hoc, ut diximus, ex his quæ superius memorata sunt, satis evidenter intelligi possit, si tamen hic specialiter demonstretur, quid nisi amplius veritas patescit? Hoc interest quando oramus hominem, et quando oramus Deum, quod homo necessitatem nostram scire non potest, nisi ab alio doctus fuerit, Deus autem scit, etiam antequam petatur, quid nobis necesse sit. Homo igitur, qui rogatur, per narrationem nostram edocetur, ut sciat quid velimus; per supplicationem nostram pulsatur, ut annuat quod petimus. Sed in illa, quæ ad Deum fit, oratione narratio necessaria non est, nisi forte homo ad hoc narret, ut ipse suam petitionem melius intelligat, ut et per narrationem suam admonitus quid petat consideret, et per considerationem petitionis suæ excitatus devotius oret. Sane quantum ad Deum pertinet, sola supplicatio sufficit, quia, ut diximus, Deus non necesse habet doceri ut sciat, sed supplicandus est ut annuat. Sed nullo alio modo citius Deus ad annuendum flectitur, quam si precantis animus toto devotionis affectu ad ipsum convertatur. Quæcunque ergo sunt verba orantis, absurda non sunt, si tantummodo ad hoc competenter proferri possint, ut vel orantis affectum ad moram Dei excitent, vel (quod amplius est) si jam amore ejus flagrat, excitatum demonstrent. Demonstrent autem, non ut Deum occulta nostra quasi nescientem doceant, sed ut nos dum internum nostrum desiderium foris loquimur, ex ipsis nostris verbis amplius ad amorem inflammemur. Sola ergo cordis devotio quantum ad Deum sufficere poterat, nisi ad hoc etiam in voce formaretur oratio, ut mentem orantis ad majorem devotionem accendat. Nam, sicut diximus, si petitioni inserta narratio est, non Deus docetur, sed orans admonetur considerare quid petat, ut devotius, oret. Si vero sola supplicatio est, quia devotionem intus in corde esse significat, ad majorem devotionem animum inflammat. Sed quia diversis modis humanus affectus ad amorem Dei provocatur, libet nunc ipsos sigillatim

modos distinguere, et distinctos per exempla demonstrare.

CAP. V. *Tribus potissimum modis orantium affectus in Deum excitari.*

Sed sciendum primum, quod fere omne hoc genus orandi, quod quibusdam prorsus ab orationis usu excludendum videtur, ad captationem pertinet, quam videlicet captationem, quamvis superius quasi speciem supplicationis annumeravimus, secundum quamdam tamen largiorem consuetudinem non solum supplicando, sed etiam postulando et insinuando captare solemus. In captatione autem benevolentia auditoris comparatur. Quod tribus modis fit, sive quando aliquid in laudem ejus dicimus, sive quando aliquid de nostra miseria commemoramus, vel etiam quando aliquid, quod ad depressionem adversariorum nostrorum spectat, in medium adducimus. Dicamus igitur omnes illas Scripturas, quas quorumdam opinio ad orationis usum non esse assumendas existimat, idcirco utiliter debere, et convenienter posse inter vota precum nostrarum ab orantibus recitari, quia in nobis affectum piæ devotionis excitant, et cor nostrum vel narrando laudem Dei ad ejus amorem provocant, vel nostram miseriam commemorando, ante conspectum ejus nos humiliant, vel malitiam adversariorum nostrorum exaggerando, et utilem nobis sollicitudinem et fiduciam coram ipso ampliorem præstant. Laudem Dei in potentia et bonitate ejus cognoscimus. Miseriam nostram in hoc, quod fragiles et peccatores sumus. Malitiam adversariorum nostrorum quia et ad diripiendum sunt astuti, et ad opprimendum impii. Sive igitur laudem Dei bonitate ejus et potentia, sive miseriam nostram in infirmitate et culpa nostra, sive malitiam adversariorum nostrorum in tyrannide eorum et astutia, ad exercitationem mentis et augmentum bonæ devotionis orantes commemoremus, nihil ineptum facimus et per pium affectum quem ipsa nobis verba excitant, ubique orantes sumus. Ut enim breviter cuncta complectar, quotiescunque laudem Dei narramus, quæcunque sint verba quantumcunque prolixa, quid in his omnibus tamen intus cor nostrum nisi hoc unum loquitur, quod eum admirans amat, et amando admiratur? Similiter quando de nostra miseria coram eo orantes agimus, quæcunque sint verba, quantumcunque prolixa, quid in his cor nostrum dicit nisi hoc unum, quod confitemur nos misericordiam ejus quærere, et in eo omnem fiduciam nostram collocare? Quæ devotio quanto humilitati propinquior, tanto est Deo acceptabilior. Item cum adversariorum nostrorum malitiam in orationibus nostris coram Deo accusamus, qualiacunque sint verba quantumcunque prolixa, quid tamen aliud per hæc omnia quam justum judicium Dei ad nostri liberationem exposcimus, ut eripiat nos ab iis, quorum tyrannide injuste opprimimur, et quorum malitiam juste aversamur? Et quia ultionem de inimicis nostris, et judicium causæ nostræ divino ar-

A bitrio libenter relinquimus, quid est quod pro hac humilitate et devotione juste a Deo impetrare non debeamus? Unusquisque ergo cum in oratione vel psalmos vel alias quascunque scripturas decantat, diligenter consideret cui affectui serviant, et ad illum affectum toto nisu cor suum excitet, ad quem id quod loquitur magis pertinere videt, quia si verborum quæ loquitur affectum habuerit, per affectum ipsum melius verborum virtutem cognoscet, et intelligentiam capiet, et per verborum intelligentiam in majorem devotionem affectum accendet.

CAP. VI. *Quantum gratus sit Deo fervens orantis affectus.*

Quantum autem affectus cordis bonus Deo pla-
B ceat, humana nobis etiam consuetudo, quamvis vitiosa, quadam tamen virtutis imitatione demonstrat. Certe videmus adulatores qualiter se erga illos, a quibus aliquid expetunt, devotos simulant. Sæpe procedentibus obviam eunt, in turba constitutos pomposis salutationibus honorant, transire volentibus viam præparant, alios locum dare jubent, dominos adventare proclamant, cathedras in medio constituunt, pulvinaria sternunt, pedibus provolvuntur. Ex antiquis historiis magnalia patrum replicant, etsi in eis non inveniunt quid laudent, priorum facta ad eorum laudem retorquent, se devotos, se fidos non solum dicunt, sed jurant, et quod esse nolint, hoc omni studio videri laborant. Nunquid putatis juste reprehendi possent,
C si essent quod non sunt, sed esse se fingunt? Si hoc malum esset ut tales essent, cur tantopere tales videri student? Imo vero si tales essent quales se fingunt et non sunt, vere laudabiles essent. Nec ob aliam causam eorum petitio ab hominibus sæpe respuitur, nisi quia tales non esse, quales se fingunt esse, sciuntur. Si ergo illi juste in suis precibus repelluntur, quia sciuntur tales non esse quales se esse fingunt: ut nos mereamur quod petimus a Deo percipere, quales illi se simulant, tales studeamus in veritate Deo nos exhibere. Ostendamus foris verbis, habere nos intus erga Deum affectum devotionis. Et non solum ostendamus, sed quod ostendimus habeamus. Ne, si solum ostendamus, non veri amatores sed adulatores simus, et quia Deum ostentatione decipere
D non possumus, nosmetipsos potius decipiamus. Præterea sicut adulatores simulatam devotionem priores offerunt, et per eam illorum, quos deprecantur, gratiam comparare volunt, sic et nos precibus nostris præveniamus faciem Domini, et ut mereamur obtinere quod petimus, non simulatam devotionem, sed veram charitatem offeramus. Beatificemus amicos Domini nostri, indignemur inimicis ejus, laudemus in eo potentiam, magnificemus pietatem, admiremur sapientiam, extollamus generositatem, approbemus æquitatem. Item narremus ei miseriam nostram, indicemus ei necessitatem nostram, indicemus et revelemus ei infirmitatem nostram, confiteamur ei culpam nostram, dicamus et credamus alium non esse, per quem

possimus eripi, per quem speremus liberari. Item ostendamus ei, adversariorum nostrorum dæmonum et perversorum hominum malitiam, crudelitatem, iniquitatem, tyrannidem, quod ei adversantur qui nos persequuntur, quod nobis hostes sunt, qui ei contradicunt, quod odimus quæ odit, quod diligimus quæ diligit. Malle nos propter eum odia inimicorum ejus perpeti, quam contra eum habere pacem eorum. Omnes igitur Scripturæ ejusmodi, quæ ad captationem faciendam congruunt, sive ipsa captatio per supplicationem, sive per postulationem, sive per insinuationem fiat, alienæ ab orationis usu habendæ non sunt, quia licet aliquæ illarum narrationes petitionem non habeant, habent tamen omnes affectus virtutum, quos in nobis accendunt, per quos qui orant citius, quam per vocis petitionem impetrant.

CAP. VIII. *De diversis affectuum modis, et quibus psalmis quisque adaptetur.*

Quia igitur in affectibus pietatis est omnis virtus orandi, enumeremus aliquot ex ipsis, et exemplis demonstremus, ut quia omnes enumerare non possumus (infiniti enim sunt affectus) quid tamen in omnibus laudabile sit, et Deo acceptum; ex quibusdam conjiciamus. Est affectus dilectionis, cum forte mens vel videns, vel reminiscens id quod amat, subito amoris igne corripitur. Est affectus admirationis, cum aliquid novum et admirabile contemplans in stuporem excitatur. Est affectus congratulationis, cum acceptabile aliquid et beneplacitum videns, quadam hilaritate perfunditur. Est affectus humilitatis, quando ex consideratione infirmitatis suæ ab elatione sua sponte comprimitur. Est affectus mœroris, quando ex consideratione malorum suorum quodammodo contabescens infirmatur. Est affectus timoris, quando ex consideratione imminentium pœnarum concutitur. Est affectus indignationis, quando in odium adversariorum ex ipsa iniquitatis eorum magnitudine inflammatur. Est affectus zeli quando ex amore justitiæ ad desiderium ultionis accenditur. Est affectus bonæ præsumptionis, quando ex nova aliqua et singulari fiducia ad vindicandum plus solito quidpiam animatur. De istis affectibus primi tres ad istud præcipue genus Scripturarum pertinent, in quo fit laudatio. Quia scilicet ex commemoratione bonitatis, surgit affectus dilectionis, ex commemoratione potentiæ et fortitudinis surgit affectus admirationis, ex commemoratione autem alicujus prosperi eventus et facti felicis surgit affectus congratulationis. Tres sequentes ad illud genus pertinent, in quo fit commemoratio infelicitatis et miseriæ. Quia videlicet affectus humilitatis surgit ex commemoratione propriæ infirmitatis, affectus doloris surgit ex commemoratione malorum præsentium, vel ex recordatione præteritorum. Affectus timoris ex prævisione futurorum. Tres ultimi affectus illi magis Scripturarum generi congruunt, in quo fit invectio et accusatio in adversarios videlicet contra nequitiam illorum, indignatio contra injuriam, zelus propter malitiam, major de Dei misericordia præsumptio. Exempla singulorum hæc sunt, ex affectu dilectionis canitur psalmus: *Diligam te, Domine* (*Psal.* XVII). Ex affectu admirationis canitur psalmus: *Domine Dominus noster* (*Psal.* VIII). Ex affectu congratulationis canitur psalmus: *Omnes gentes* (*Psal.* XLVI). Et in his omnibus est laudatio. Ex affectu humilitatis canitur psalmus: *In te, domine speravi* (*Psal.* XXX). Ex affectu doloris canitur psalmus: *Usquequo, Domine, oblivisceris?* (*Psal.* XII). Ex affectu timoris canitur psalmus: *Domine, ne in furore* (*Psal.* VI), et in his omnibus est mista querelæ deprecatio. Ex affectu indignationis canitur psalmus: *Quid gloriaris in malitia* (*Psal.* LI). Ex affectu zeli canitur psalmus: *Deus ultionum Dominus* (*Psal.* XCIII). Ex affectu bonæ præsumptionis canitur psalmus: *Judica me, Domine, quoniam* (*Psal.* XXV), etc.

CAP. VIII. *Quod in eodem psalmo sæpius ab uno affectu in alium fiat transitus.*

Sciendum tamen est hanc proprietatem in omnibus psalmis non esse, ut per totam seriem unus affectus extendatur, sed sæpe de alio affectu fit transitus in alium, secundum quod mentes orantium diversis modis affici solent. Hoc autem qualiter per singulos cognosci possit explanare, prolixioris operis tractatum expetit. Volumus tamen hoc in aliquibus exempli causa demonstrare. Forte cogitare cœpi quanta sit felicitas esse cum Deo, quanta item sit miseria vivere in hoc sæculo, quanta demum calamitas semper cruciari in inferno, et ex hac meditatione mea subito amore cœlestis patriæ attractus, ipso affectu ducente in hæc verba decurro. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* (*Psal.* I), cujus psalmi totam seriem si secundum intimum compunctionis sensum inquirimus, quid aliud nisi hoc ubique dicentem invenimus: Felices qui nunquam a Deo recesserunt, felices qui semper cum eo permanserunt, felices qui in ejus obsequio fideles et devoti perstiterunt? Nam infelices et miseri illi sunt, qui se ab illo elongaverunt, et cum illo perseverare noluerunt, vel qui post ad illum non redierunt. Gratias illi qui quantum perstiti, confusio mihi quantum discessi. Nunc autem quantum prope sum elongare nolo, quantum longe sum redire cupio, utinam ad illum perveniam, utinam ab illo nunquam recedam; *Adjuva me, Deus meus* (*Psal.* CVIII). Affectus igitur iste dilectionis est surgens ex laudatione. Item exemplum alterius. Cogitavi mecum quanta esset potentia Dei, ac deinde admirari cœpi vesaniam hominum, qui mortales sunt, et tamen voluntati ejus obviare minime pertimescunt. Ex hac itaque admiratione compulsus sum exclamare et dicere: *Quare fremuerunt gentes* (*Psal.* II), Et est admiratio mista indignationi, quia vesaniam admiramur, præsumptioni indignamur, vel certe in nobismetipsis dum foris assultus vitiorum crebros et importunos aspicimus, et intrinsecus de Dei adjutorio præsumimus

ipsam tentationum nostrarum molestiam cum quadam indignatione arguimus dicentes : *Quare fremuerunt gentes?* Et est summa totius psalmi ad hoc tendens, ut per Dei potentiam confirmati insolentes adversitates contemnamus, et tanto nos adversariis nostris fortiores, quanto Deo viciniores sumus, præsumamus. Illorum interitum festinum attendamus. Dei magnificentiam contra eorum superbiam frangendam opponamus, cum omni reverentia animum nostrum ad obsequium illius subjiciamus semper supra nos admirantes ejus potentiam, infra nos despicientes eorum insolentiam. Hic est affectus admirationis indignationi mistus ex laudatione surgens. Sequentis psalmi series non secundum unum affectum texitur, sed sæpe de A affectu in affectum transit, verbi gratia : *In angustiis constitutus* (*Psal.* III); quantum semper in Dei misericordia confidebam cogitare incipio, quia tamen quodammodo me ab eo derelictum video, ex affectu doloris in hæc verba prorumpo. *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me* (*ibid*). Rursumque ex affectu doloris in affectum bonæ præsumptionis recurrens aio : *Tu autem, Domine, susceptor meus es* (*ibid.*) Ut et mœrorem per fiduciam relevem, et fiduciam per mœrorem castigem. Et quis omnes virtutes psalmorum, quis illas ignitas compunctiones sanctorum affectuum enumerare loquendo potest? quibus mens in oratione accenditur, et gratissimum Deo sacrificium in ara cordis adoletur.

DE AMORE SPONSI AD SPONSAM.

Ibo mihi ad montem Myrrhæ et ad colles Libani, et loquar sponsæ meæ (*Cant.* IV). Sponsus quidam hic loquitur, qui sponsam habet, et spondet se visitaturum eam. Nota ergo quod non semper domi est sponsus iste, cavet enim forte ne vilescat amor suus, et quia citius in tædium veniret si semper præsens esset, ideo aliquando se subtrahit, aliquando ad tempus recedit, ut dum requiratur absens, strictius teneatur præsens. Et tunc forte aberat, quando hæc dicebat. Sed ne rursum longior mora aliquatenus oblivionem gigneret, redire disponebat, et ait : *Ibo mihi.* Secum loquitur quod facturus est, quia ad dicendum dulce est quod dulce est ad faciendum, et nescio quo pacto quod multum cupimus, nunquam loqui fastidimus. *Ibo*, inquit, *mihi*. Sibi vadit, quia singularis amor participem secreti non recipit. Sibi vadit, quia non vult sodalem itineris, qui non patitur consortem amoris. Sed quæris quisnam sit iste talis sponsus, et quæ sponsa ejus? Sponsus est Deus ; sponsa est anima. Tunc autem sponsus domi est, quando per internum gaudium mentem replet; tunc recedit, quando dulcedinem contemplationis subtrahit. Sed qua similitudine anima sponsa Dei dicitur? Ideo sponsa, quia donis, gratiarum subarrhata. Ideo sponsa, quia casto amore illi sociata. Ideo sponsa, quia per aspirationem Spiritus sancti prole virtutum fecundanda. Nulla est anima, quæ hujus sponsi arrham non acceperit. Sed est quædam arrha communis, quædam specialis. Communis arrha est quod nati sumus, quod sentimus, quod sapimus, quod discernimus. Specialis arrha est, quod regenerati sumus, quod remissionem peccatorum consecuti sumus, quod charismata virtutum accepimus. Et quod quisque habet, hoc cuique arrha est. Arrha est diviti divitiæ suæ, quibus fovetur, ne eum molestia pau- B pertatis frangat. Arrha est pauperi paupertas sua quæ castigatur, ne abundans per incontinentiam diffluat. Arrha est forti fortitudo sua, qua roboratur ut ad bonum opus convalescat. Arrha est debili debilitas sua, qua frangitur, ne malum perficiat. Arrha est insipienti simplicitas sua, qua humiliatur, ne superbiat. Et omnino quidquid in hac vita humana fragilitas tolerat, hoc pius Conditor quantum in sua bonitate est, vel ad correctionem pravitatis, vel ad profectum virtutis dispensat. Ideo in omnibus gratias agere debemus, ut dum ubique ipsius misericordiam agnoscimus semper in ejus amore proficiamus.

Ibo, inquit, *mihi ad montem Myrrhæ*, etc. Myrrha, quæ amara est ad gustandum, et corpora mortuorum a putredine servat significat mortificationem C carnis. Libanus, quod nomen interpretatur *decandidatio*, significat munditiam carnis. Hæc ergo est via, per quam Sponsus ad sponsam venit, mons Myrrhæ, et colles Libani, quia primum per abstinentiam concupiscentiam carnis occidit, deinde per munditiam cordis ignorantiam mentis abstergit. Postremo quasi tertio die ad colloquium sponsus veniens desiderio sui animam accendit, ideo convenienter dixit *montem Myrrhæ,* non collis Myrrhæ *et colles* non montem *Libani*, quia in afflictione debemus esse constantes, et in successu virtutum humiles. Altitudo enim montis eminentiam significa magnanimitatis, et mediocritas collis temperantiam humilitatis. Item quod montem singulari numero posuit, et colles plurali, significat quod in mortifi- D catione exterioris delectationis parum est quod perdimus; et in illuminatione mentis intrinsecus multiplex est bonum, quod invenimus. In monte Myrrhæ accipimus fortitudinem contra carnis concupiscentiam. In collibus Libani accipimus illuminationem mentis contra ignorantiam. In colloquio

Sponsi accipimus charitatem contra malevolentiam et cordis obdurationem. Potentia ad Patrem, sapientia ad Filium, charitas appropriatur ad Spiritum sanctum. Quando enim ex fragilitate peccamus, peccamus in Patrem, quasi contra potentiam. Quando ex ignorantia peccamus, peccamus in Filium, quasi contra sapientiam. Quando vero ex malevolentia peccamus, peccamus in Spiritum sanctum, quasi contra dilectionem. Ideo peccare in Patrem et Filium hic, sive in futuro remittitur, quia qui ex fragilitate vel ex ignorantia peccat, sicut aliquam excusationem habet in culpa, ita etiam aliquam remissionem habere debet in pœna, sive in hoc sæculo si pœnituerit, ut facilius consequatur indulgentiam, sive in futuro sæculo, si in malo perseveraverit, ut tolerabiliorem sentiat pœnam. Qui vero ex malitia peccant, eorum peccatum nullam habet excusationem, et ideo pœna eorum remissionem habere non debet, quia, sive pœnituerint in hoc sæculo, plena satisfactione mulctandi sunt, sive non pœnituerint plena damnatione in futuro sæculo puniendi, et ideo hi tales nec hic, nec in futuro sæculo remissionem accipiunt, non quia pœnitentibus venia denegetur, sed quia pleno peccato plena retributio debeatur.

Loquar, inquit, *sponsæ meæ.* Duobus modis loquitur Deus ad animam. Aliter ad fornicariam, et aliter ad sponsam. Aliter ad fœdam, aliter ad pulchram. Aliter ad peccatricem, aliter ad justificatam. Illius fæditatem increpat, hujus pulchritudinem laudat. Illam increpando timore concutit. Istam laudando ad amorem accendit. Illi loquitur, quando ei maculas suas ostendit : isti loquitur, quando dona quæ contulit ei ad memoriam reducit. Illius tenebras illuminat, ut agnoscat quid sit, et defleat quod fecit ; istam affectu dulcedinis internæ tangit, ut recolat quid accepit et non obliviscatur eum qui dedit. *Loquar*, inquit, *sponsæ meæ.* Si ego Sponsus sum, si ad sponsam locutus sum, scitote quod præter amorem nihil loqui possum. Postquam igitur hæc secum dixerat sponsus, continuo iter arripuit : veniensque et videns sponsam mox quasi ex ejus specie in admirationem tractus in hæc verba prorupit. *Tota speciosa es, proxima mea* (*ibid.*) [*tota pulchra es, amica mea*, etc.], etc, vel cum præcedenti hoc conjungitur : *Loquar sponsæ meæ*, sic scilicet, *tota speciosa es, proxima mea*, etc. Sed illud gratius accipitur : tota speciosa es, proxima mea ; ideo tota speciosa, quia proxima ; si non esses proxima, non esses tota speciosa. Videte quid dixerit ; *Tota*, inquit, *speciosa es, proxima mea.* Omnis anima vel aversa est a Deo, vel conversa ad Deum. Aversarum autem alia est remota, alia remotissima. Conversarum vero alia propinqua, alia proxima. Quæ remota est, turpis quidem est, sed non tota. Quæ remotissima est, tota turpis est. Item quæ propinqua est, speciosa est, sed adhuc non tota ; quæ proxima est, tota speciosa est. *Tota speciosa es, proxima mea. Et macula non est in te* (*ibid.*). Totus speciosus est, cui nihil deest pulchritudinis. Totus speciosus est, cui nihil inest turpitudinis. Ego totus speciosus sum, quia omne quod pulchrum est in me est. Tu tota speciosa es, quia nihil quod turpe est in te est. *Macula non est in te. Veni ad Libanum* [*de Libano*], *speciosa.* Invitat eam et vocat, quia et ideo ad eam venit, non ut cum illa permaneret, sed ut illam ad se traheret. *Veni ad Libanum veni ad Libanum, venies* [*veni*], *coronaberis* (*ibid.*). Bis invitando dicit : *Veni ;* tertio affirmando subjungit : *Venies.* Sed hæc quid est affirmatio nisi congratulatio, qua bono proposito nostro congaudet ? Ac si diceret : Obedientiam laudo, propositam Deo devotionem non ignoro. Voco et respondes, invito et parata es. Ergo venies. Sed quare dicit bis, *Veni?* Ut qui extra se est primum ad se redeat, qui in se est supra se ascendat. Primum in nobis est, et prævaricatores ad cor redire monet, deinde supra nos est, ut justificatos ad se invitet. *Veni*, inquit, *veni. Veni foris intro ad te.* Veni intus, interius, et plane intrinsecus supra te ad me. *Veni ad Libanum, sponsa, veni ad Libanum. Veni de Libano, veni ad Libanum.* Veni de Libano decandidato ad Libanum non decandidatum, sed candidum. Veni de corde mundato ad mundatorem cordium, non mundatum, sed mundum. Non pervenis ad me si remanes in te, ascende supra te et invenies me. *Venies, et transibis ad montem Seir*, vel *Savir* (*ibid.*). Seir interpretatur *hispidus* vel *pilosus.* Savir vero *nocturna avis* vel *fetor*, et Seir idem qui et Edom, id est Esau. Esau et Jacob duo erant fratres, Esau prior natus, sed postea nato Jacob supplantatus. Esau venator et studiis agrestibus deditus fuerat ; Jacob, vir simplex, domi habitabat. Quid autem hi duo fratres nisi duos motus, qui in homine sunt, designant, hoc est concupiscentiam carnis et spiritus ? Scimus autem quod dicit Apostolus. Non prius quod spirituale, sed quod carnale est, prius est. Hoc est Esau prius nascitur. Cum vero concupiscentia spiritus roboratur, tunc concupiscentia carnis marcescit. Hoc est Esau a postgenito Jacob supplantatur. Item concupiscentia carnis quasi Esau venator foris pascitur, concupiscentia vero spiritus quasi Jacob vir simplex intus delectatur. Est ergo Seir *pilosus* carnis motus turpis et indecorus. Et bene pilosus, quia, sicut pilus in carne radicem figit, sed excrescendo carnem excedit, ita carnis motus de necessitate oritur, sed excrescendo in voluptatem usque profluit. Et quemadmodum pilus præcidi sine dolore potest, evelli sine dolore non potest, sic appetitus carnis, quantum, ad super fluitatem pertinet quasi extra sensum carnis, sine detrimento præciditur, sed quantum ad necessitatem spectat, quasi intra carnem sit, non sine detrimento exstirpatur. Ecce diximus quid sit Seir ; nunc quid sit mons Seir videamus. Habet enim Seir iste montem, habet et vallem ; et (ut plus dicam) habet montem, habet campum, habet vallem ; sed in valle est debilis; in campo est fortis, in monte insuperabilis. Seir in monte est appetitus carnis in necessitate ; Seir in campo

est appetitus carnis in satietate ; Seir in valle est A appetitus carnis in voluptate. Quando ad vivendum tantum caro sustentamentum accipit, Seir in monte est. Quando vero ad robur nutrimentum quærit, Seir in campo est. Quando autem ad lasciviendum delicias poscit, Seir in valle est. Quare ergo in monte insuperabilis est? quia sustentamentum carnis in hac adhuc mortalitate degentibus necessarium est. Quare in campo fortis? quia et robur carnis aliquando profectibus animæ utile est. Quare in valle debilis, quia voluptas carnis semper superflua est. In valle prohibetur, in campo conceditur, in monte remuneratur. In valle servit, in campo pugnat, in monte regnat. In valle est luxuria, in campo est temperantia, in monte parcimonia. In valle adjuvante gratia facile calca- B tur, in campo cum difficultate vincitur, in monte ne superari valeat, ipse ei quotidianus noster defectus vires jugiter subministrat. Qui superflua resecat, Seir in valle conculcat. Qui vero de necessariis aliquid minuit, Seir in campo vincit. Qui autem ad sustentamentum tantum naturæ necessaria tribuit, quasi Seir in monte exactiori obsequium reddit. Sciendum tamen quod Seir iste ibi sine difficultate vincitur, ubi periculosissime dominatur : ubi vero prorsus insuperabilis est, ibi sine periculo tolerari potest. Si vero legatur Seir, quod interpretatur *nocturna avis*, vel *fetor*, ad eumdem carnalem motum congrue referri potest. Qui vel ideo nocturna avis dicitur, quia occultus venit, dum sub specie necessitatis irrepit volupta- C tis illecebra, vel quia per delectationem carnis nascitur excæcatio mentis. Nocturna ergo avis est occultus et improvisus motus carnis. Quare vero concupiscentia carnis fetor dicatur, hoc jam expositione non indiget. *Et Hermon.* Hermon interpretatur *anathema ejus.* Cujus ejus ; ipsius anathematis. Ergo quasi anathema diceretur anathematis. Primum ergo nobis quærendum quid sit anathema, deinde quid sit anathema anathematis adjungendum. Anathema est separatio ; anathema anathematis, separatio separationis. Et fortasse si separatum esse malum sit, tum separatum esse a separato bonum erit. Quis autem melius potest dici anathema quam apostata angelus? qui se primum per superbiam a societate supernæ illius D civitatis separavit, ex demerito prævaricationis suæ, dum vero capitis membrum esse noluit ab unitate corporis illius præcisus, caput iniquorum omnium factus est. Constat autem quod omnis homo secundum primam generationem, qua in peccato concipitur, et in peccato nascitur, hujus capitis membrum est, et ad illius societatem pertinet ; sed quisquis, per sacramenta fidei regeneratus membrum Christi efficitur, ab unitate hujus corporis separatur. Quis est ergo anathema, nisi diabolus et membra ejus? et qui sunt anathema anathematis, si qui separati a corpore diaboli, facti sunt membra Christi. Quid significet Hermon jam diximus ; nunc quid significet mons Hermon videamus. Nam, quemadmodum supa de Seir dictum est, ita et nunc de Hermon dici potest, quod videlicet alii sunt mons Hermon, alii campus Hermon, alii vallis Hermon. Vallis Hermon dici pos sunt, qui per fidem quidem a diabolo jam sepa rati sunt, sed adhuc per vitam carnalem in infimis desideriis prostrati jacent. Campus Hermo sunt hi fideles qui, medium quemdam statum tenentes, nec per voluptatem carnis in imo depress sunt, neque per spiritualem conversationem a superna erigi possunt. Mons vero Hermon sunt ii qui non solum per fidem a diabolo sunt separati sed etiam per eminentiam virtutis, et per constan tiam mentis contra diabolum sunt erecti. Et h profecto sunt, quibus antiquus hostis magis invi det, quos non solum a se divisos, sed etiam contr se erectos videt. Hi sunt ergo, quos jugiter perse quendo opprimere nititur, quos et a se recessisse et contra se stare conspicatur. Isti ergo tanto gra viores tribulationes sæpe sustinent, quanto magi communem omnium hostem sibi singulariter in festum habent. Nihil ergo melius per montem Sei quam parcimoniam, nihil melius per montem Her mon quam patientiam sanctorum accipimu Sequitur deinde : *A cubilibus leonum* (*Cant.* IV Quid per cubilia leonum nisi (ut ita dicam) sopit crudelitas intelligitur? Et quid est sopita crudel tas, nisi carnis voluptas, quæ imprudens qu nunc quidem delectat per experientiam, post ve cruciat, prius per conscientiam, deinde per pœnan Attende quomodo nunc in delectatione carnal voluptatis dormit venturæ damnationis pœn *Favus*, inquit Salomon, *distillans labia meretrici et nitidius oleo guttur ejus, novissima autem illi amara quasi absynthium, et lingua ejus acu quasi gladius biceps* (*Prov.* V). Et rursum *Si qu est parvulus, declinet ad me ; et vecordi locu est. Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absco ditus suavior. Et ignoravit, quod gigantes ibi sun et in profundis inferni convivæ ejus* (*Prov.* IX Et Dominus ad beatum Job de antiquo hoste l quens, ait : *Sub umbra dormit in secreto calam in locis humentibus* (*Job.* XL). In illis enim men bus diabolus pausat, quæ intus a calore divi amoris frigidæ foris natant in fluxu carnaliu voluptatum, quæ oblectamenta nunc quidem mo lia videntur per experientiam, post vero crudel sentientur per pœnam. Nunc siquidem leo cub et dormit, quia mentibus carnalium nunc per d lectationem peccati diabolus blandum se simula nondum qualis futurus sit, ostendit. Sed tu evigilare incipiet, quando eos, quos illicitis nu delectationibus seducens spontaneos tenet in culp post aperte sæviens invios trahet ad torment Sequitur : *A montibus leopardorum* (*Cant.* IV) [*molibus pardorum*]. Leopardus a leone et par procreatur. Leo crudelis est, et pardus macul sus. Sic ergo leo propter crudelitatem dæmon pardus propter varietatem congrue hæretic designat, qui cum unitatem fidei diversis et p versis dogmatibus scindunt, quasi quibusda maculis corpus infectum gerunt. Qui sunt er

leopardi nisi superbi amatores hujus sæculi, quos primum diabolus per doctrinam hæreticorum ad perfidiam generat, ac deinde per hujus mundi amorem ad vitia inflammat? Montes leopardorum divitiæ sunt et pompæ hujus sæculi, in quibus se pravi extollunt, et electorum vitam acrius insectantur,quando eos in hoc sæculo abjectos, et se sublimes aspiciunt. Bene ergo dicitur ad sponsam: *Venies, et transibis ad montem Seir, et Hermon a cubilibus leonum, a montibus leopardorum.* Sed quid est *de cubilibus leonum ad montem Seir*, nisi de incontinentia ad castitatem, de voluptate ad parcimoniam: Et quid est *de montibus leopardorum ad montem Hermon*, nisi de superbia ad humilitatem,et de crudelitate ad patientiam? Et nota quod dixit de cubilibus non de cubili, de montibus non de monte, et ad montem non ad montes. De cubilibus ergo ad montem, de montibus ad montem, hoc est de multis ad unum progredimur,quia quanto magis mundum fugiendo Deo appropinquare incipimus, tanto magis in unum congregamur. Quod nobis, etc. Amen.

DE MEDITANDO SEU MEDITANDI ARTIFICIO

OPUSCULUM AUREUM.

Meditatio est frequens cogitatio modum, et causam et rationem uniuscujusque rei investigans; modum quid sit, causam quare sit; rationem quomodo sit.Tria sunt genera meditationum, unum in creaturis, unum in scripturis, unum in moribus. Primum surgit ex admiratione, secundum ex lectione, tertium ex circumspectione. In primo admiratio quæstionem generat, quæstio investigationem, investigatio inventionem. Admiratio est dispositionis, quæstio causæ, investigatio rationis. Dispositio est in cœlo cuncta æqualia, in terra alta et depressa: pro hac admiratio. Causa, propter vitam terrenam terra, propter vitam cœlestem cœlum: pro hac quæstio. Ratio, qualis terra, talis vita terrena; quale cœlum, talis vita cœlestis: pro hac investigatio. In lectione autem sic considerandum. Primo lectio ad cognoscendam veritatem materiam ministrat, meditatio coaptat, oratio sublevat, operatio componit, contemplatio in ipsa exsultat. In Scripturis meditatio est, quomodo scire oporteat. Exemplum scriptum est: *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Accedit meditatio lectioni, quare dixit prius, *declina a malo*, et postea *fac bonum.* Causa quia nisi prius mala recedant non adveniunt bona. Ratio, sicut prius mala germina eradicantur, postea plantantur bona. Item quare dixit: *Declina a malo?* Quia in itinere occurrunt. Item declina, quia ubi fortitudine resistere non possumus,consilio et ratione declinando evadimus.Item declinamus mala vitando materiam peccati, ut pro superbia, divitias, pro incontinentia abundantiam, pro concupiscentia speciem carnis, pro invidia et contentione vitanda amorem possessionis. Hoc est declinare. Item, si quemadmodum omne malum declinandum præcipitur, sic omne bonum faciendum jubetur. Et sicut qui non omne malum declinat, sic qui non omne bonum facit, reus est. Sed si sic est quis non est reus? Ergo ab omni malo declinare jubemur. Bona autem quædam sunt necessitatis, quædam voluntatis. Necessitatis sunt quæ sunt in præcepta et voto; de cæteris si quid supererogatur redditur, si nihil non imputatur. Item meditatio in lectione est, quomodo sint quæ sciuntu quia sunt, te quomodo facienda sunt. Est enim meditatio excogitatio consilii quomodo implentur quæ sciuntur, quia inutiliter sciuntur nisi impleantur. Item, meditatio in lectione est triplicis considerationis. Secundum historiam, allegoriam, tropologiam. Secundum historiam est, quando eorum quæ facta sunt rationem vel quærimus, vel admiramur suis temporibus, et locis, et modo congruo perfectam. In hac consideratio judiciorum divinorum meditantem exercet, quæ nullis temporibus recta defuerunt et justa, quibus factum est quod oportuit, et redditum quod justum fuit. Secundum allegoriam meditatio operatur in dispositione præcedentium, futurorum significationem attendens mira ratione et providentia coaptatam sicut oportuit ad intelligentiam, et fidei formam fabricandam. In tropologia meditatio operatur quem fructum dicta afferant, exquirens quid faciendum insinuent, vel qui doceant esse vitandum; quid ad eruditionem, quid ad exhortationem, quid ad consolationem, quid ad terrorem scripturæ lectio proponat, quid ad intelligentiam virtutis illuminet, quid nutriat affectionem, quid formam vivendi ad iter virtutis edoceat.

Meditatio in moribus secundum affectus,et cogitationes,et opera. In affectibus considerandum est ut sint recti, sinceri, hoc est ad id ad quod debent esse, et quomodo debent esse. Diligere enim quod non oportet malum est, et similiter quod diligere oportet, diligere quomodo non oportet,malum est. Itaque bonus affectus est,quando est ad id,ad quod debet et quomodo debet.Amnon sororem dilexit,et erat affectus ad quod debuit,sed quia male dilexit, non erat quomodo debuit (*II Reg.* XIII). Igitur affectus esse potest ad id, ad quod debet et non quomodo debet.Nunquam autem esse potest quomodo

debet, nisi ad id ad quod debet. In eo ad quod debet rectus, et quomodo debet sincerus. In cogitationibus considerandum, ut sint mundæ et ordinatæ. Mundæ sunt, quando neque de malis affectionibus generantur, neque malas generant affectiones. Ordinatæ sunt, quando rationabiliter, hoc est tempore suo adveniunt. Tempore enim non suo etiam bona cogitare sine vitio non est, ut in lectione de oratione, et in oratione de lectione. In operibus considerandum est primum, ut bona intentione fiat. Bona intentio est, quæ simplex est, et recta. Simplex sine malitia. Recta sine ignorantia. Quæ enim sine malitia est, zelum habet. Sed quæ ignorantia est secundum scientiam, zelum non habet. Itaque intentionem oportet esse et rectam per discretionem, et simplicem per benignitatem. Secundo in operibus considerandum est, ut ex recta intentione inchoata cum perseveranti fervore ad finem perducantur, ut nec perseverantia torpeat, nec amor tepescat. Item meditatio in moribus duplici consideratione discurrit, intus et foris. Foris ad famam, intus ad conscientiam. Foris quid deceat, et quid expediat: deceat ad exemplum, expediat ad meritum: nobis ad meritum, proximis ad exemplum. Intus ad conscientiam, ut sit munda conscientia, nec accusationem patiatur, vel pro torpore boni, vel pro præsumptione mali. Munda autem conscientia est, quæ nec de præterito juste accusatur, nec de præsenti injuste delectatur.

Item in moribus meditatio considerationem suam exercet, ut omnes motus qui oriuntur in corde deprehendat, unde veniant et quo tendant. Unde veniant secundum originem, quo tendant secundum finem. Omnis enim motus de aliquo est, et ad aliquid. Motus igitur cordis aliquando manifestam habent originem, aliquando occultam, et quæ manifesta est aliquando manifeste bona est, aliquando manifeste mala. Quæ manifeste bona est a Deo est; quæ autem manifeste mala, sive a diabolo est, sive a carne. Isti enim tres auctores sunt omnium suggestionum, et omnes apirationes, quæ invisibiliter cordi adveniunt, ab istis procedunt. Item quæ occulta sunt, aliquando bona sunt et occulta, aliquando mala, et dubia. Et quæ bona sunt, a Deo sunt; quæ autem mala sunt, vel a diabolo, vel a carne sunt. Quæ igitur manifesta sunt, sive bona, sive mala, a prima sua origine judicantur. Quæ autem dubia sunt in origine, probantur a fine. Exitus enim manifestat quod a principio celabatur, et propterea qui motus suos a principio judicare non potest, finem investiget et consummationem. Quæ enim dubia sunt vel incerta, bona sunt vel mala occulta. Et quæ mala sunt, sicut dictum est, vel a diabolo, vel a carne sunt. Et sunt mala utraque, nec differunt in eo quod mala sunt, sed differunt, quoniam quæ a carne sunt, frequentius surgunt propter necessitatem, quæ vero a diabolo sunt, sæpius oriuntur præter rationem. Quod enim a diabolo suggeritur, sicut alienum est ab homine, ita requenter alienum est ab humana ratione, ut, verbi

A gratia, nuper satiatus famem patiatur, paulo ante inebriatus siti æstuet, post longam dormitionem consurgens somno pergravetur. In hoc ergo opera diaboli discernuntur, quoniam extranea sunt ab homine, et aliena ab humana ratione. Opera autem carnis, et suggestiones ejus sæpius præcedentem habent causam necessitatem. Sed quia modum et mensuram transeunt, excrescunt in superfluitatem. Ut verbi gratia cum post famem cibus sumendus immoderate appetitur, et post abstinentiam in sumendo edulio mensura non tenetur. Item meditatio morum triplici judicio exercetur. Primo quod judicat inter diem et noctem. Secundo quod judicat inter diem et diem. Tertio quod judicat omnem diem. Inter noctem et diem judicare, est mala a bonis di-
B videre. Inter diem et diem judicare, est inter bonum et melius discretionem habere. Omnem diem judicare, est singula bona pro merito suo æstimare. Item meditatio morum finem et directionem in omni conversatione considerat. Finis est, ad quod tenditur. Directio, qua facilius pervenitur. Omnis enim, qui ad aliquid tendit, secundum aliquid cursum suum dirigit, et qui directius pergit, citius pervenit. Sunt enim quædam bona, in quibus etiam multum moveri parum est promoveri. Alia compendioso labore fructum magnum adducunt. Et hæc ergo discernenda sunt, et eligenda magis, quæ magis prosunt. Quæcunque enim magis prosunt, meliora sunt, et omne opus secundum fructum suum judicari oportet. Multi hanc discretionem
C non habentes, plurimum laboraverunt, et parum profecerunt, quoniam oculum habuerunt foris tantum ad speciem operis, et non intus ad fructum virtutis. Gavisi sunt enim magna se facere, magis quam utilia exercere, et dilexerunt potius illa, in quibus videri possent, quam emendari. Item meditatio in moribus primum considerat quæ debita sunt, sive ex præcepto sive ex voto, et ea primum agenda judicat, quæ sic facta habent meritum, ut non facta generent reatum. Hæc ergo primum facienda sunt, quæ sine culpa dimitti non possunt. Post hæc si quid voluntaria exercitatione superadditur, sic faciendum est, ut debitum non impediatur. Alii volunt quod non debent, qui non valent id quod debent. Alii, et si valent
D quod debent, voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item meditatio morum duo mala in bona actione præcipue cavenda considerat, hoc est afflictionem et occupationem. Afflictio est ad amaritudinem. Occupatio ad dissipationem. Per afflictionem. dulcedo mentis amaricatur. Per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est, quando pro his, quæ non valet per impatientiam uritur. Occupatio est, quando in his (quæ valet) agendis per impatientiam agitatur. Ne igitur male amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat: ne autem male occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat. Item meditatio morum alia consideratione formam vivendi dijudicat probans nec bonum esse ea, quæ non fiunt, impatienter appe-

tere, nec bonum esse ea, quæ fiunt, insipienter fastidire. Qui enim semper quod non facit appetit, et quod facit fastidivit, nec præsentibus fruitur, nec futuris satiatur. Inchoata enim ante consummationem deserit, et inchoanda ante tempus apprehendit. Propterea bonum est bono suo esse contentum, et præsentia bona supervenientibus bonis augere, non pro futuris abjicere. Levitas enim est bonorum commutatio, exercitatio autem virtutis, multum diversa currunt via, qui pro novis vetera abjiciunt, et qui ab inferioribus ad superiora conscendunt. Qui enim mutationem quærit, fastidiosus est sicut qui profectum appetit, studiosus est. Rectissime ergo incedit, qui sic est fervens ad melius, ut in bono non sit fastidiosus, sed sustineat prius, donec posterius tempore suo apprehendat.

DE FRUCTIBUS CARNIS

ET SPIRITUS.

PROLOGUS.

Cum omnis divinæ paginæ sermo id intendat, ut homini bonum humilitatis persuadeat, et superbiæ malum declinandum attentius suadeat, præsertim cum in altero salutis et vitæ, in altero ruinæ principium sit, necessarium videtur ipsius humilitatis et superbiæ fructum et efficaciam quasi formam quamdam visibilem virtutum cultori facie tenus ostendere, quatenus alterutrius speciei, superbiæ, vel humilitatis imitator cognoscat ex fructuum qualitate, quid mercedis assequatur ex utriuslibet executione. Duas itaque arbusculas fructu et ascensu dissimiles, et rudi, et novello cuilibet converso, adjunctis vitiorum sive virtutum paucis diffinitiunculis proponimus, ex quarum radice fructuum proventus pateat, et quæ arbor ex duabus eligenda sit allectus fructu discernat. Et quidem superbia fructus carnis radix est, fructus spiritus humilitas. Quæ diversitas inspecta radicum, fructum earum moderabiliter quærentis appetitum ostendit. Denique vetus Adam se collocat in arce vitiosæ arboris. Novus Adam principatum obtinet proventus spiritualis. Si ergo præstantius deteriori, id est bonum malo altrinsecus conjunxeris, quod in his emineat, quod præponderet valenter intellexeris. Collatis enim qualitatibus contrariorum cito meliorum æstimatio patebit. Perspectis igitur radicibus ramis et fructibus nostris arbitrii tui sit eligere quod volueris.

Cap. I. *De tribus virtutibus theologicis, et quatuor cardinalibus ex humilitate nascentibus.*

Cunctarum enim, ut prædictum est, virtutum fundamentum est humilitas, *quia omnis qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* xiv). Et pauperibus *spiritu regnum cælorum aperitur* (*Matth.* v). Prima autem virtutum humilitati fides accedit, quia *impossibile est sine fide placere Deo; et justus ex fide vivit* (*Hebr.* xi). Sed fide quid profecis s spe non quæris quod fide complecteris? *Quod enim nondum videmus speramus et spes non confundit.* (*Rom.* v). Quia vero sperando amamus quod jam fide tenemus, spei charitas succedit et sic fides, quæ per dilectionem operatur, recte procedit. Qualiter autem istæ tres virtutes, id est spes, fides, charitas distinguendæ, tenendæque sint prudentia docet et informat. Justitia ornat et consummat. Fortitudo retinet et roborat, et ne excurrant in nimia et ne incompetenter intra suos terminos coarctentur, temperantia moderatur et discernit. Si ergo has quatuor virtutes addas tribus superioribus, septenarius iste virtutum numerus plenitudinem septiformis gratiæ suis executoribus adducit, per quam vitiorum compago dissolvitur, corpus diaboli superatur, et per semitam justitiæ fons et origo virtutum omnium aditur.

Cap. II. *De parium inter se et cum imparibus collatione, ut virtutum cum virtutibus, vitiorum cum vitiis ac virtutum cum vitiis.*

Si adjunxeris similia similibus, partium æqualitas utriusque partis excellentiam perhibet. Si vero dissimilia contuleris, magis patet diversitas alterius. Sicque conjunctio parium differentiam arcet partium singularum, et diversa qualitas utriusque crescere videtur ex utroque. Confer album nigro, sapientem stulto, superbum humili, malum bono, et ex ipsis contrariis distantibus argumentum propriæ

naturæ videtur accedere singulis speciebus. Sic A de fructibus præmissarum arborum considera. Quantæ enim sit amaritudinis cum germine suo radix superbiæ facile pervidetur ex sanctæ humilitatis uberi dulcedine. Itaque qui vitiorum furias, virtutum oppositione debellare proposuit, ad rem esse noverit naturas eorum vel qualitates subtili examine considerare, quibus inspectis tota vis eorum considerabitur in triumphis humilitas. Igitur quæ ex virtutum principatu altissimum obtinet locum septiformi virtutum theologicarum, et cardinalium corona cingitur. Ex quibus aliæ virtutes quasi de fonte quodam derivatæ suis exsecutionibus perfectionem quamdam inducunt, et bravium ostendunt quod pugnantibus quidem promittitur, exhibetur autem vincentibus. Cui humi- B litati summa vitiorum occurrens superbia; in phalange sua mortis ostendit materiam, et sequacibus ruinam certam. Utriusque igitur comitatus, natura vel affectu distantes non pigeat considerare, ut, reprobatis per rationem vitiis, per virtutem possit triumphare.

Cap. III. *De superbia, et ejus comitibus.*

Superbia et singularis excellentiæ, tumentisque animi super omnes cœtus quædam gloriæ et supereminentiæ appetitio. Cujus comitatus principales isti sunt :

Luxuria, ventris ingluvies, avaritia, tristitia, ira, invidia, vana gloria.

Quæ quidem septem vitia principalia (ut aliquid de sæculari scientia loquamur) subalterna genera C (juxta quemdam modum) dicere possumus, id est ut sint species ad superiora, id est ad superbiam unde procedunt; genera vero ad inferiora, id est ad vitia ex ipsis prodeuntia. Verbi gratia, dicimus superbiæ malum quoddam genus substantivum esse ; et vitia de superbia manantia, species quasdam substantivas, ut sunt animal et homo, equus, etc., sed juxta aliquid. Sicut dicimus noctem tenebras multiplicare, et silentium malitiam tegere, cum in altero lux, in altero vox intermisssa sit, et multa his similia. Neminem autem hic fucus et externus color offendat, quem idcirco posui ut fontem et rivum, id est superbiam cum suis appendicibus eo melius ostendam. Nunc itaque annexis definitiunculis, de superbiæ malitiæ procinctu et D comitatu videamus.

Cap. IV. *De vana gloria, et comitibus ejus.*

Vana gloria est placendi desiderio mota utriusque hominis incompetens agitatio. In ejus comitatu sunt hypocrisis, inobedientia, jactantia, novitatum præsumptio, arrogantia, loquacitas, pe - tinacia.

Hypocrisis est virtutum simulatione clausum vitium ex arte palliare.

Inobedientia est, ex duritia mentis obstinatæ, ei, cui parere debeas, justa imperanti, nolle obtemperare.

Jactantia est fastu mentis id agente, majora quam sint de te inaniter prædicare et promittere.

Novitatum præsumptionis est contra qualitatem sui ordinis, aut virium singulari tumore novi aliquid attentare.

Arrogantia est venditare quæ non habes, et gloriari ex eo quod non acceperis placendi hominibus cupiditate.

Loquacitas est per quam levitas interior stulta verborum effusione monstratur.

Pertinacia est ex irrationabili, et inflexibili mentis obstinatione meliori nolle cedere.

Cap. V. *De invidia, et comitibus ejus.*

Invidia est, quæ fervidum in dolore reddit animum ob alterius bonum et honorem, ea videre nolentem. In cujus comitatu sunt odium, afflictio, exsultatio, malitia, detractio, amaritudo, susurratio.

Odium est, quod motum irati animi morosius et tenacius spe vindictæ mordaciter abscondit, et hominem ipsum, non tantum vitia ejus, malevolentia persequitur.

Afflictio in prosperis est odientis animi cruciatus ex profectu minus sibi placentis descendens.

Exsultatio in adversis est ex casu alterius ob conceptum semel odium immodicæ lætitiæ ostentatio.

Malitia est alieni damni sine spe boni ex eo obtinendi desiderium.

Detractio est alienæ gloriæ et famæ mordax et invida per verba, aut diminutio.

Amaritudo est spiritalis expers gaudii quædam distractæ mentis solitudo, et ex alieno bono ægrotatio.

Susurratio est per quam vel odiosæ adulationis vel derogationis sibilo quodam alter in odium alterius excitatur.

Cap. VI. *De ira, et comitatu ejus.*

Ira est strictus concitati animi furor ulciscendi libidine fervens. Ejus comites sunt clamor, blasphemia, contumelia, luctus, temeritas, furor, indignatio.

Clamor est perpetrati facinoris sonora, et inverecunda exprobratio.

Blasphemia est cum quadam probrosa irreligiositate convitiosorum jaculata in alium malidictio; aut est divini vel humani nominis diminutio jurando vel exprobrando facta.

Contumelia est cum mœroris livore, et amaritudinis imperio alienæ infamiæ manifestatio.

Luctus est, qui exacerbato animo, quod minus in superiorem potest ultionis in se fletibus satisfacit.

Temeritas est rationis expers procacis animi indisciplinatus excursus.

Furor est effrenata conceptis intrinsecus adversis animi impatientis, et impotentis rabies.

Indignatio est turbida quædam ex insolenti malevolentia in inferiorem despectio.

Cap. VII. *De tristitia seu acedia et comitatu ejus.*

Tristitia est ex frustrato rebus contrariis vot

turbatæ mentis anxietudo, et rei bonæ bene gerendæ tædium. Ejus comites sunt desperatio, rancor, torpor, timor, acidia, querela, pusillanimitas. A

Desperatio est ad vitæ statum, vel virtutum reditum, fracta spei gubernatio; vel est spei de salute aut venia obtinenda abjectio.

Rancor est ex atrabili, aut nimia pigritia virium, animi et corporis enervatio et corruptio.

Torpor est languentis animi pigritia, remissa motio, corporis totius hebetudo.

Timor est per quem menti fluctuans angustia ex contrariorum exspectatione generatur.

Acidia est ex nimia confusione animi nata tristitia sive tædium, vel amaritudo animi nimia, qua jucunditas spiritalis exstinguitur, et quodam B desperationis principio mens in seipsa subvertitur.

Querela est latentem cordis molestiam verbis impatientibus aperire, et se minus posse quam possit ostendere.

Pusillanimitas est ex rerum adversarum tædio iners et inconsiderata fracti animi dejectio.

Cap. VIII. *De avaritia et comitatu ejus.*

Avaritia est gloriæ, divitiarum, seu quarumlibet aliarum rerum insatiabilis et inhonesta cupiditas. Ejus comites sunt philargyria, perjurium, violentia, usura, fraus, rapina et fallacia.

Philargyria est per quam, singulari appetitu pecuniæ corradendæ, continentiæ frena laxantur: C interpretatur enim *amor argenti.*

Perjurium est fraudulenta commodi consequendi aut damni devitandi gratia, veritatis agnitæ abnegatio pejerando facta.

Violentia est per quam malitia seu injuria, commodi gratia, in inferiorem potenter et per vim exercetur.

Usura est pecuniæ aut alterius rei mutuo datæ cum fenore receptio.

Fraus est per quam familiari rei, inopiæ vel malitiæ causa, clandestina subreptione consulitur.

Rapina est ex avidæ mentis proveniens impetu violenta alienarum rerum direptio.

Fallacia est per quam motibus deceptoriis veritas rei palliatur, vel odium alterius vel proprium D commodum intenditur.

Cap. IX. *De ingluvie ventris seu gula et comitatu ejus.*

Ventris ingluvies est immoderata qualiumcunque ciborum potuumve hiantis concupiscentiæ satisfactio. Ejus comites sunt ebrietas, crapula, mentis hebetatio, languor, delicatio, oblivio.

Ebrietas est per quam menti quædam sui oblivio generatur ex superfluorum potuum indulgentia.

Crapula est solius corporis causa, illecebrosus et avidus ciborum appetitus.

Mentis hebetatio est acutæ rationis obtusio carnalis intemperantiæ crassis sensibus inducta.

Languor est voracitatis vitio contracta ægræ mentis desidia.

Delicatio est sibi aut potus lauti, deliciosi, et cari ultra statum et necessitatem appetitio.

Oblivio est per quam animo vitiis ob gulam sepulto, honestatis et salutis negligentia inducitur.

Cap. X. *De luxuria et comitatu ejus*

Luxuria est ex immundis descendens desideriis lubrica, et effrenata mentis corporisve prostitutio. Ejus comites sunt voluptas, lascivia, ignavia, petulantia, titubatio, blanditiæ, deliciæ.

Voluptas est cum quadam lubrica suavitate ad illicita fœdæ mentis inclinatio.

Lascivia est indecens motus dissoluti corporis in loco verecundo ex intemperantia carnali prodiens.

Ignavia est de virtutum laudabili exercitio languida utriusque hominis dejectio.

Petulantia est ex carnalium cogitatuum conceptione totius corporis lascivus in rem amatam impetus.

Titubatio est lubricæ carnalitatis instantia fracti animi vitium exterius prodiens, aut ex immodica venere membrorum vacillatio.

Blanditiæ sunt cum quadam dulcedine vitiosorum delectaminum sensualis extrinsecus facta exhibitio.

Deliciæ sunt corporalis illecebrositatis cum quadam superfluitate usurpatio.

Cap. XI. *De humilitate, et ejus comitibus.*

Cognito jam horrendo procinctu superbiæ qui trahit ad sinistram, humilitatis exercitum attende qui ducit ad dexteram. Civibusque cognitis Babyloniæ, cives attende Hierosolymæ.

Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis, vel conditoris, voluntaria mentis inclinatio. Ejus autem hi sunt comitatus principales: Prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, fides, spes et charitas.

Cap. XII. *De prudentia, et comitatu ejus.*

Prudentia est in sui custodia boni, malique provida sagaxque dignoscentia. Ejus autem comites sunt timor Domini, alacritas, consilium, memoria, intelligentia, providentia, deliberatio.

Timor Domini est in fide, et bonis moribus divinorum præceptorum vigilans custodia. Initium siquidem sapientiæ timor est Domini.

Alacritas est animi ad bonum opus perficiendum læta et circumspecta promptitudo.

Consilium ex examinandarum gubernandarumque causarum subtilis animi prospectus.

Memoria est ad mentis intuitum imaginaria quædam repræsentatio præteritorum.

Intelligentia est statum præsentium rationabili vivacitate pensitare et dignoscere.

Providentia est per quam subtilitate sagaci futurorum eventus colligitur.

Deliberatio est ante quodlibet incœptum plena maturitatis et solertiæ consideratio.

CAP. XIII. *De justitia et comitatu ejus.*

Justitia est per quam communitatis gratia tenetur, et sua cuique dignitas non negatur. Cujus comites sunt lex severitas, æquitas, correctio, jurisjurandi observatio, judicium veritas.

Lex est per quam facienda jubentur, et non facienda prohibentur.

Severitas est per quam judiciaria vindicta sequendo veri rigorem districtius in peccantem exercetur.

Æquitas est lance justitiæ ex æquo librata dignissima meritorum retributio.

Correctio est erroris innati vel consuetudini introducti freno rationis inhibitio.

Jurisjurandi observatio est quæ, plebescito civibus promulgato, transgressionem ejus temerariam arcet præstito juramento de conservatione illius perpetua.

Judicium est per quod, ex audientia meritorum, dignum redditur vel supplicium vel meritum.

Veritas est per quam probabili ratione dictum aliquod vel factum immutatum profertur.

CAP. XIV. *De fortitudine et comitibus ipsius.*

Fortitudo est immobilis inter adversa animi laborum et periculorum susceptio. Cujus comites sunt magnanimitas, fiducia, tolerantia, requies, stabilitas, constantia perseverantia.

Magnanimitas est generosa quædam excellentia animi res difficiles et arduas pulchre et fortiter administrantis.

Fiducia est, ex virtutum conscientia, immotam mentem inter adversa sibi constituere, et de bono exitu confidere.

Tolerantia seu patientia est diuturna alienæ improbitatis vel molestiæ sufferentia.

Requies est per quam menti quædam securitas ex contemptu perfunctoriæ varietatis affertur.

Stabilitas est mentis, fixa nulla locorum vel temporum varietate, per diversa jactatæ retentio.

Constantia est sui similis, et statu suo dignus, perpetuus, et immotus vitæ tenor.

Perseverantia est quæ virtutum quadam perfectione (longanimitate perficiente) confirmat animum, ne ante consecutum finem desistat ab incepto.

CAP. XV. *De temperantia, et ejus comitibus.*

Temperantia est in illicitos animi impetus rationis firma et discreta dominatio. Ejus comites sunt discretio, morigeratio, taciturnitas, jejunium, sobrietas, afflictio carnis, contemptus sæculi.

Discretio est dijudicandis rerum causis provida humanorum motuum moderatrix ratio.

Morigerationis est, servata propria virtute, se juste pieque moribus secum commorantium contemperare.

Taciturnitas est cum quadam fructuosa animi quiete a verbis etiam utilibus linguæ suæ coercitio.

Jejunium est interiorum vigilantia discreta parcimoniæ custodia.

Sobrietas est pura ab illecebris utriusque hominis temperantia, dicta quod ebrietate seorsum ac separata sit.

Afflictio carnis est per quem lascivæ mentis seminaria castigatione discreta comprimuntur.

Contemptus sæculi est ex intuitu caducorum ratione inductus amor æternorum.

CAP. XVI. *De fide et ejus comitibus.*

Fides est in studio sancto, quæ ex præmissorum veritate ad invisibilia futura mentem facit pendere. Est enim argumentum rerum non apparentium. Ejus comites sunt religio, munditia, obedientia, castitas, reverentia, continentia, affectus.

Religio est per quam reverenti famulatu cæremoniæ divini cultus exercentur.

Munditia est consummata integritas utriusque hominis intuitu divini vel amoris vel timoris.

Obedientia est innixa pio studio propriæ voluntatis voluntaria abnegatio.

Castitas est per edomitas vitiorum furias munda et honesta totius corporis habitudo.

Reverentia est castus Deo exhibitus ob fidem, quam de eo habemus, cultus.

Continentia est per quam carnalium affectuum impetus consilii moderamine refrenantur.

Affectus est concepto per fidem sancto gaudio pii amoris in proximum effusio.

CAP. XVII. *De spe et ejus comitibus.*

Spes est animi motus immobiliter ad ea quæ certa ratione expetit accipienda suspensus. Cujus comites sunt contemplatio supernorum, gaudium, modestia, confessio, patientia, compunctio, longanimitas.

Contemplatio supernorum est per sublevatæ mentis jubilum mors carnalium affectuum.

Gaudium est ex contemptu præsentium veniens festinæ mentis jucunditas spiritalis.

Modestia est pudici et honesti habitus de laudabili profectu verecundia.

Confessio est per quam animæ morbus latens spe consequendæ veniæ in Dei laudem aperitur.

Patientia est æternæ respectu gloriæ voluntaria et insuperabilis contrariorum perpessio.

Compunctio est quoddam animæ suspirantis incendium natum vel timore supplicii vel amore præmii.

Longanimitas est ad complenda justa desideria infatigabilis laborum sustinentia.

CAP. XVIII. *De charitate et comitatu ejus.*

Charitas est mentis affectus, et pius amor ad Deum et proximum ferventer et ordinate porrectus. Ejus comites sunt gratia, pax, pietas, mansuetudo, liberalitas, misericordia, indulgentia, compassio, benignitas, concordia.

Gratia est in qua mutuæ benevolentiæ alterius ad alterum affectuosus cultus ostenditur.

Pax est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas.

Pietas est ex benignæ mentis dulcedine gratia omnibus auxiliatrix affectio.

Mansuetudo est per quam mansueti vel modesti tranquilitas animi, nullius improbitate limitem suæ quietis excedit.

Liberalitas est per quam liber animus in largitione possessorum nulla tenacitate coarctatur.

Misericordia est clemens et æqualis in omnes dignatio, et in afflictos compassibilis animi inclinatio.

Indulgentia est remissio reatus alieni ex sui consideratione descendens.


Compassio est per quam ex proximi dolore condolenti animo quædam afflictio generatur.


Benignitas est cum quadam splendida morum suavitate diligentis animi fervida conspectio.

Concordia est convenientia in recto animorum indirupta quædam et unita complexio.

Cap. XIX. *De dilectione, et ejus ratione duplici.*

Quotidianum de dilectione sermonem serimus, si forte scintillet in cordibus nostris, et exardescat ignis flammam faciens, aut totum consumens, aut purgans totum. Ex eo namque totum est quod bonum est, et totum quod malum est, ex eo est. Unus fons dilectionis intus saliens duos rivos infundit. Alter est amor mundi, cupiditas ; alter est amor Dei, charitas. Medium quippe est cor hominis, inde fons amoris erumpit. Et cum per appetitum ad exteriora decurrit, cupiditas dicitur, cum vero desiderium suum ad interiora dirigit, charitas nominatur. Ergo duo sunt rivi, qui de fonte dilectionis emanant : cupiditas, et charitas. Et omnium malorum radix cupiditas, et omnium bonorum radix charitas. Invenimus autem illud, quod nostra desideria sic multifariam dividit, et cor unum in diversa deducit, aliud non esse præter amorem. Qui cum sit motus cordis secundum naturam singularis et unicus, secundum actionem autem divisus cum se inordinate movet, id est ad ea quæ non debet, cupiditas dicitur : cum vero ordinatus est, charitas appellatur. Magnam rem commendare volumus, si tamen valemus quod volumus. Omnipotens Deus qui nullo indiget, quia ipse summum et verum bonum est, qui est, qui nec de alieno accipere potest quo crescat, quoniam ex ipso sunt omnia, nec de suo amittere quo decidat, quoniam in ipso immutabiliter consistunt universa, ipse rationalem spiritum creavit sola charitate, nulla necessitate, ut eum suæ beatitudinis participem faceret. Porro ut idem aptus esset tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem. Spirituale palatum quodammodo per hanc sensificans ad gustum dulcedinis internæ, quatenus per ipsam videlicet dilectionem suæ felicitatis jucunditatem saperet, eique infatigabili desiderio inhæreret. Per dilectionem ergo copulavit sibi Deus creaturam rationalem, ut ei semper inhærendo, ipsum quo beatificanda erat, bonum, et ex ipso quodammodo per affectum sugeret, et de ipso per desiderium biberet, et ipsum per gaudium possideret. Igitur per amorem sociata est Factori suo creatura rationalis solum, qui est dilectionis vinculum, quod ligat utrosque in ipsum, et tanto felicius quanto fortius. Propter quod etiam ut indivisa societas, et concordia perfecta utrobique haberetur, geminatus est nexus in charitate Dei et proximi, ut per charitatem Dei omnes uni cohærerent, per charitem proximi omnes ad invicem unum fieret, ut quod de illo uno, cui omnes inhærebant, quisque in semetipso non caperet, plenius atque perfectius per charitatem proximi in altero possideret ; et bonum omnium fieret totum singulorum.


VETUS
ADAM.
LUXURIA
immunditia.
blanditiæ.
ignavia.
libido.
deliciæ.
petulantia.
voluptas.
turpi-loquium.
lascivia.
titubatio.
turpitudo.
fornicatio.
Fructus
Carnis.
ebrietas.
mentis hebet.
VENTRIS INGLUVIES.
crapula.
gula.
oblivio
voracitas.
languor.
fallacia.
philargyria.
AVARITIA.
rapina.
violentia.
usura.
perjurium.
fraus.
Baby-
lonia.
rancor.
desperatio.
TRISTITIA.
timor.
torpor
acedia.
pusillanimitas.
querela.
rixa.
clamor.
IRA
protervia.
blasphemia.
contumelia.
luctus.
furor
Sini-
stra.
malitia.
odium.
INVIDIA.
detractio.
amaritudo.
susurratio
exsultatio in adversis proximi.
afflictio in prosperis
loquacitas.
hypocrisis.
VANA GLORIA.
pertinacia.
inobedientia.
jactantia.
novitatum præsumptio
arrogantia.
SUPERBIA
RADIX VITIORUM.
ARBOR
VITIORUM


NOVUS ADAM.
liberalitas.
pietas.
CHARITAS.
misericordia.
mansuetudo
concordia.
compassio.
gratia.
pax.
indulgentia.
benignitas.
Fructus
Spiritus
obedientia.
reverentia.
castitas.
continentia.
FIDES.
religio sancta.
affectus.
munditia.
contemplatio.
compunctio.
patientia.
confessio.
SPES.
longanimitas.
modestia.
gaudium.
Hiero-
solyma
jejunium.
sobrietas.
taciturnitas.
carnis afflictus.
TEMPERANTIA.
morigeratio.
contemptus sæculi.
discretio.
constantia.
tolerantia.
stabilitas.
fiducia.
FORTITUDO.
requies.
magnanimitas.
perseverantia.
Dex-
tera.
intelligentia.
providentia.
memoria.
deliberatio.
PRUDENTIA.
timor Domini.
alacritas.
consilium.
correctio.
severitas.
jurisjurandi observatio.
veritas.
JUSTITIA
judicium.
lex.
æquitas.
HUMILITAS
RADIX VIRTUTUM.
ARBOR
VIRTUTUM.

HUGONIS DE S. VICTORE

OPERUM PARS QUARTA. — EPISTOLÆ

EPISTOLA PRIMA.

AD RANULPHUM DE MAURIACO.

Quod charitas nunquam excidit.

Dilecto fratri R. Hugo peccator.

Charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII). Audieram hoc et sciebam quod verum erat. Nunc autem, frater charissime, experimentum accessit, et scio plane quod charitas nunquam excidit. Peregre profectus eram, et veni ad vos in terram alienam; et quasi aliena non erat, quoniam inveni amicos ibi: sed nescio an prius fecerim, an factus sim. Tamen inveni illic charitatem, et dilexi eam: et non potui fastidire, quia dulcis mihi erat; et implevi sacculum cordis mei, et dolui quod augustus inventus est, et non valuit capere totam: tamen implevi quantum potui. Totum implevi quod habui, sed totum capere non valui quod inveni. Accepi ergo quantum capere potui, et onustus pretio pretioso pondus non sensi, quoniam sublevabat me sarcina mea. Nunc autem longo itinere confecto, adhuc sacculum meum plenum reperio, et non excidit quidquam ex eo, quoniam *charitas nunquam excidit*. Illic ergo, frater charissime, inter cætera memoria tui primum inventa est, et signavi ex ea litteras istas, cupiens te sanum esse et salvum in Domino. Tu ergo vicem repende dilectionis, et ora pro me. Dominus Jesus Christus tecum sit. Amen.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

De solutione quatuor quæstionum per Ranulphum de Mauriaco propositarum.

HUGO RANULPHO DE MAURIACO.

Fervor charitatis tuæ pondus quæstionum nobis invexit. Postulas primum expositionem tibi fieri in illud opus quod Cœna Cypriani dicitur: quod quia nunc præ manibus non erat, convenientem apud te excusationem accipimus.

QUÆST. I. Deinde quæris quid sibi velit illa altercatio Michaelis cum diabolo pro corpore Moysi, quæ in Epistola apostoli Judæ commemoratur. Hic tibi hoc sufficere putamus quod patres nostri qui ante nos verbum Dei ministraverunt, per corpus Moysi populum Judaicum intelligendum putaverunt, cujus et ipse caput exstiterat. Per Michaelem vero divinam potentiam cum diabolo, id est cum adversaria virtute, quasi concertantem pro populo

A eodem, ut salvus fieret; neque alia maledictione adversarii virtutem repulsam, nisi quia Dominus qui elegit Hierusalem, ab his potestatem inimici repulit, quos de populo illo per solam gratiam ad salutem elegit.

QUÆST. 2. Quæris rursum quos intelligi oporteat libros illos, et utrumne adhuc supersint, quorum in libro Numerorum et Jesu Nave mentio fit, sed et in Malachim et Paralipomenon, cum dicitur: *Nonne hoc scriptum est in libro Justorum et libro Bellorum Domini;* et item: *in libro Gad videntis, et Addo, sive Semeiæ, aut Haiæ Silonitis.* Nos itaque et in hoc sensum doctorum sequentes, librum Justorum et librum Bellorum Domini non alios, sed hos ipsos libros in quibus hæc scripta sunt intelli-

B gimus, more Scripturarum narrationem suam commendantium, quando ad confirmationem suam, suo quasi alieno testimonio adducto, auctoritas congeminari videtur. Liber autem Gad et Addo et Semeiæ et Haiæ libros fuisse proprios ab ipsis qui prænominati sunt auctoribus editos, sed per translationis seriem ad nos nequaquam pervenisse. Utrum autem adhuc apud Hebræos habeantur, incertum, quamvis verisimilius post incensam legem a Chaldæis hos quoque sublatos e medio nec superesse modo probabilius existimetur. Pro eo autem quod in Malachim et Paralipomenon dicitur: *Nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum sive Verborum dierum regum Juda aut Israel* (*III Reg.* XV), quamvis hic in quæstione tua propositum non sit,

C si quid supererogavero, tu cum redieris, si reddere non placet, ne tamen succenseas: fieri etenim potest ut sint qui et hoc ignorent, quibus si tecum consulitur, displicere non debet. Librum igitur Verborum dierum regum Juda, et item librum Verborum regum Israel, singulos libros intelligendos arbitramur, in quibus gesta regum, scilicet Juda et Israel, non uno aliquo auctore descripta, sed diversis temporibus et diversis auctoribus, prout videlicet ea evenire contingebat, adnotata fuerunt. De quibus ea quæ magis digna memoria videbantur, per subsequentes auctores excerpta et stylo climatiore formata in hos libros, Malachim scilicet et Paralipomenon, compendiosa narratione expressa sunt. Illi ergo sunt libri ad quos mit-

D tunt Malachim et Paralipomenon, reliqua cognoscere volentes. Hos autem nec per translationem

ad nos venisse, nec apud Hebræos modo exstare putamus.

QUÆST. 3. Quæris item quomodo accipiendum sit id quod dicit Salvator : Quod *omnis qui reliquerit uxorem*, etc., *propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX), cum ipse alibi dicat (*Matth.* V), uxorem excepta causa fornicationis, recte dimitti non posse, neque a viro discedere debere. Ubi convenienter intelligitur quod id etiam quod homo propter se convenienter facere non potest, aliquando propter Deum recte facere potest. Tunc autem recte propter Deum facit, cum secundum Deum facit. Propter Deum igitur uxorem relinquere, est vel per continentiam propter Deum abstinere ne accipiat ; aut cum reatus illius exigit, vel assensus permittit, concupiscentia non teneri ne discedat. Recte igitur relinquit propter Deum, qui relinquere potest secundum Deum. Quandiu autem secundum Deum relinquere non potest, propter Deum relinquere non potest. Cum autem causa Dei exigit, non solum relinqui sed recte etiam odio haberi potest, ut in eo propter Deum odiatur, quod contra Deum non diligitur.

QUÆST. 4. Quæris etiam quid sibi velit hoc dictum Apostoli in illa Epistola quæ scribitur ad Hebræos : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste et participes sunt facti Spiritus sancti, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam* (*Hebr.* VI). Quod idcirco gravius auditu est, quia pœnitentiæ remedium tollere, et peccatoribus desperationem inducere videtur. Propterea non convenit verbum Dei ita interpretari, ut in eo aliquid veritati contrarium sentiamus. Quod igitur dicit, semel illuminatos et cœlestis doni participes effectos, post lapsum, ad pœnitentiam renovari non posse, vel sic accipimus, quia homo per se quidem peccare potest, sed per se sine adjutorio divinæ gratiæ corrigi non potest, sicut scriptum est : *Spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII). Vel sic : quod, post lapsum, homo renovari non potest, ut scilicet hoc sit quod fuisset si non peccasset. Verbi gratia, si virgo est et corrumpitur, pœnitere potest, sed iterum virgo esse non potest. Et si pœnitendo forte facit ut melior sit quam fuit cum cecidit, non tamen facere potest ut talis sit qualis fuisset si non peccasset, et tamen hæc bona quæ nunc facit fecisset ; secundum quod aliquo modo irrecuperabile præteritæ culpæ damnum constat, cum præsentibus lucris justitiæ hoc semper deesse cernitur, quod in culpa præterita amissum comprobatur : quod utique si adesset, plus esset. Potest et aliter convenienter intelligi hæc impossibilitas. Peccator enim semel morte Christi redemptus, et a peccati vetustate liberatus, si denuo lapsus fuerit, secundum id iterum renovari non potest, quod Christi mortem aliam ad renovationem habere non potest, quamvis eamdem possit [*an* poscit ?] et eadem denuo renovari possit. Terretur autem probabiliter peccator, ut scilicet quia Christus cujus morte redemptus est, iterum mori non potest, sic caveat peccatum iterare, sicut impossibile videt mortem Christi iterari pro peccato, sicut scriptum est (*Hebr.* X), post acceptam veniam voluntarie peccantibus, hostiam pro peccato non relinqui, id est, vel hanc ad excusationem vel aliam ad remissionem. Voluntaria enim peccata intelligenda non sunt, de quibus dicitur : *Jam nihil damnationis est his qui sunt in Christo Jesu* (*Rom.* VIII). Nam voluntarie peccantibus etiam in Christo positis hæc hostia ad excusationem damnationis non relinquitur, sicut pœnitentibus etiam de volunturiis peccatis ad remissionem condonatur. Sic itaque post acceptam gratiam lapsi iterum renovari non possunt et tamen renovari possunt, quia iterari non potest, quo renovantur, ut aliud sit ; sed ab his qui renovandi sunt denuo recuperari potest; ut eo recuperato amisisse damnabile non sit.

EPISTOLA III.

AD JOANNEM HISPALENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Quod non solum corde tenenda, sed et ore confitenda sit fides Christiana.

JOANNI Hispalensium archiepiscopo, HUGO servus crucis Christi.

Quid, frater charissime, quid dicam tibi ? Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. Vir ille fortis erat et magnus, et omnium contemptor tormentorum, *et nemo illi loquebatur verbum, quia videbant dolorem ejus esse vehementem* (*Job.* II). Quomodo igitur nos tibi loqui poterimus in tanti doloris vehementia ? Si tamen doles quantum tibi dolendum est [*al.*, tu dolendus es] ? quid tibi faciemus ? Tenebimus conceptum sermonem, quem cor nostrum et anima nostra, non (quomodo in illis) impatientia loquendi, sed vehementia dolendi parturire jam cœpit. Ergo tacere poterit charitas, ut non erumpat et clamet in doloribus suis, et in angustia tribulationis suæ. Jam enim gladius pervenit usque ad animam, et venit mors fraudulenta carni parcens, ut spiritum exstinguat. Nosti, frater, quid velim ? De anima tua causa agitur. Vide quid facias. Christus tibi opponit mortem suam, Christianus redemptionem suam. Quærit ille emptum, iste redemptum. Ille se pretium pro te incassum dedisse conqueritur ; iste pretio redemptum perditum lamentatur. Sed dicis : Ego conscientiam meam novi. Nemo me terreat : Christianum non facit lingua, sed conscientia. Ego Christum diligo : sufficit mihi. Non amplius ille quærit. Quod potissimum meum est, illi dedi. Cor habet, illud possideat. Dicam homini quodlibet. Ipse Dominus novit quod invitus nego. Lingua hoc dicit, non conscientia. Ore quidem nego, sed corde confiteor. Audi, frater. Scriptura dicit : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* XVI). Quomodo ergo salutem habere putas, si confessionem non habes ? Christum negas et dicis te Spiritum sanctum habere ? Quid est ergo quod ait Apostolus : *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu ?* (*I Cor.* XII.) Si dicis anathema Jesu, Spiritum Christi quomodo habes

Si vero non habes Spiritum Christi, non es Christi. *Qui non habet*, inquit Scriptura, *Spiritum Christi, hic non est ejus* (*Rom.* VIII). Audi iterum : *Qui*, inquit, *me erubuit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (*Luc.* IX). Sed dicis bene : Qui pro erubescentia Christum negat, juste damnatur, juste a Christo non cognoscitur. Parum enim est hoc verecundiam Christo anteferre. Ego plus habeo quod in excusatione prætendam. Non enim erubesco, sed timeo. Majus est quod me terret. Ipse novit quia pati non valeo. Parcit ergo infirmitati, condescendit devotioni. Non attendit ad vocem, sed ad charitatem respicit. *Nemo carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V). Timeo pro carne mea, quam odire non possum. O fallax deceptio ! Ergo carnem amabis, et Creatorem blasphemabis ? Quid ergo sibi vult quod ait : *Qui amat animam suam plus quam me non est me dignus* (*Luc.* XIV). Si animam recte plus amare non potes, carnem potes ? Sed dicis : Non plus carnem diligo : plus enim diligo Deum nostrum quam carnem meam. Videamus modo. Quod plus diligis, hoc potius eligis. Dicit Deus tuus : *Noli timere eos qui corpus occidunt, animæ autem non habent quid faciant* (*Matth.* X). Hoc ergo Deus dicit, hoc caro contradicit ; vide modo. Quod plus diligis, hoc potius eligis. O qualis pastor ! Quomodo tu animam poneres pro ovibus tuis (*Joan.* X), qui nec pro anima tua animam tuam ponis ? Tu pro anima tua dare non vis carnem tuam, et pro ovibus tuis dares animam tuam ? O qualis pastor ? Non sic fecit bonus ille Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est. Quid tibi videtur ? Si sic ille ut tu mortem timuisset, quæ, putas, ovis adhuc a morte liberata fuisset ? Putavit ille bonum pastorem eligere ovibus suis, qui, veniente lupo, non effugeret, neque sub trepidationis latebra sese ovium periculo posthabito occultavit. Venit lupus, oves rapere non potuit ; pastorem non solum rapuit, sed abstraxit. Mira res ! Ovis audet, et pastor trepidat. O qualis pastor ! Si talis futurus fuisti, quare curam ovium suscepisti ? Si accepisti dignitatem, quare non impendis bonitatem : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis* (*ibid.*). Sed dicis : Petrus ore negavit ; tamen, quia corde non negavit, respexit illum Dominus, et vocatus est nomine suo ad resurrectionis gaudium cum aliis apostolis. Hoc, ut audio, maximum est quod ad excusationem tui prætendis. Respexit ergo Dominus Petrum negantem. Quare ? ut faceret confitentem : prius flentem, postea confitentem. Respexit ad compunctionem, vocavit ad confessionem. Si ergo tu respectum Christi habes, ubi sunt lacrymæ ? Si autem lacrymaris, quare non confiteris ? Si sequeris Petrum negantem, cur non imitaris confitentem. Postremo, frater, si Christianus es, ubi est signum regis tui ? Ego alienum characterem video in fronte tua. Scis quid futurum sit super illis qui characterem bestiæ portant ? Servi Dei nostri signati sunt in frontibus suis, et non possunt ex terminii sententiam evadere, nisi solum ii qui in figura Tau crucis Christi signaculo muniuntur. Crux in pectore, fides in corde ; crux in fronte, confessio in ore : utrumque debetur, utrumque exigitur. Totum Christus vindicat sibi. Cor ad fidem sui, os ad confessionem sui. Sed astat tortor, gladius exertus minatur. Audi : *Qui amat animam suam, perdet eam ; et qui perdiderit animam suam in hoc mundo propter me, in vitam æternam custodiet eam* (*Marc.* VIII). Qui perdit propter me, recipiet a me. Ego commendatum servabo, ut melius restituam. Nihil trepides. *Capillus de capite tuo non peribit* (*Luc.* XXI). Quid sollicitaris de anima, qui de capillo etiam securitatem accepisti ? Sed fortassis dices mihi, quod multi hodie intra sinum Ecclesiæ in fide et confessione Christi vivunt, qui, si sic interrogarentur, nullatenus Christum confiterentur. Ad quod ego tibi voce prophetica respondeo, quod *judicia* Domini *abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Non possumus, nos, scrutari profundum judiciorum Dei, et investigabiles vias ejus penetrare. *Miserebor*, inquit, *cui misertus fuero ; et misericordiam præstabo, cui misericors fuero* (*Rom.* IX ; *Exod.* XXXIII ; *Rom.* IX). Si ergo in oculis ejus placitum fuerit, ut quibusdam parvulis suis, quos mater Ecclesia aut conceptos portat, aut nutrit editos, parcat, et ad istos graviores tentationum interrogationes venire non permittat, tu quis es qui ei dicas : *Cur ita facis* (*Job.* IX). Non tuam decet excellentiam, ut te in numero talium existimandum intelligas. Inter magnos servos non quasi parvulos, sed custos et provisor parvulorum locum acceperas. Tibi itaque, quasi magno et forti, et ad primam vel proximam consecutionem idoneo, dixit Jesus : *Sequere me* (*Joan.* XI). Te igitur proximum post ipsum locum adeptum, ut eum sequaris, admonuit, quatenus tu postea sequacibus tuis, quibus ad vitam ducatum præbere debueras, fiducialiter dicere posses : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI). Si ergo Dominus te, tanquam servum magnum et fidelem, ad gloriam suæ imitationis vocare voluit, vide quale sit hoc, ut tu ad pusillos ejus qui interim fovendi sunt, non premendi, respiciens, dicas : *Domine*, hi *autem quid ?* (*Joan.* XXI). Dixit hoc ille, quem tu imitari putas, cum tamen per omnia non debeas, non intelligens, dignitatem vocationis illius, neque recte intuens pietatem dispensationis divinæ. Et idcirco justæ increpationis sententiam audivit, ut auscultare disceret, non judicare. *Sic*, inquit, *eum volo manere, donec veniam. Quid ad te ? Tu me sequere* (*ibid.*) Hoc est ergo, frater, verbum quod intentissime et diligentissime audire debes, ut Regem tuum sequaris et consequaris. Sequaris ad pœnam, consequaris ad gloriam. Si patiendum est pro Christo, excusationem non habes. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam; quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Si autem et sine passione negas, non solum dico, non excusaris, sed amplius dico quod accusaris. Miser, ubi est anima tua, ut non recogi-

tes qualis factus sis? qualem gloriam perdidisti, et ad quantam miseriam et confusionem corruisti? Aspice temetipsum, qualis es: ubi est corona tua et gloria? Dereliquisti Regem tuum: unaquæque gens deos suos sequitur: *Et certe ipsi non sunt dii* (*Jer.* II). Tu Dominum et Deum tuum reliquisti, et factus es vilis, opprobrium pessimo- A rum. O qualis pastor Christianorum! Quomodo tu pasces oves Christi, qui te ipsum perdidisti? Lupo futuro oves pascendæ datæ sunt. O qualis pastor! Erubesce, miser, et confundere! Christianorum oculi in te sunt. De longe videris. Non potes latere. Error tuus te notum fecit. Non potes evadere confusionem, nisi ostendas confessionem.

AD OPERA HUGONIS APPENDIX DUPLEX.

I.

AD OPERA DOGMATICA.

HUGONIS DE FOLIETO

UT VIDETUR

DE CLAUSTRO ANIMÆ

LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Rogasti nos, frater amantissime, quatenus aliqua remedia tentationum, videlicet spiritualis delectationis fercula, fratribus vobiscum commorantibus quærerem ac propinarem. Quæsivi, frater, et inveni. In solitudinem etenim Veteris Testamenti pauculas radices salutiferas reperi. Ex terra vero Evangelii bene culta, quosdam fructus boni saporis attuli. Ex libris autem expositorum et aliorum quorumdam sapientum, quasi ex agricolarum hortis, quosdam flores collegi, ut in unum congesta locum, suavem reddant odorem. Ex radicibus itaque, id est ex sententiis Veteris Testamenti, aliquod remedium sanitatis infirmi ruminando possunt percipere. Fortiores vero ex fru- B ctibus Evangelii tanquam ex opere bono reficiantur. Delicati autem diversis expositionum floribus meditando delectentur. Sic Paulus apostolus, apud Miletam insulam egressus de mari, *collegit multitudinem sarmentorum*, ut sociis qui secum de maris periculo evaserant, ignem propter frigus accenderet (*Act.* XXVIII). Unde Beda super Actus apostolorum: « Sarmenta, inquit, sunt dicta quælibet exhortationum, quæ ad accendendam charitatem valentia, integritate decerpta Scripturarum, quasi frondibus, sunt excisa ramorum. » Moraliter igitur mare, mundum, navis hujus sæculi vitam, naufragium vitæ periculum, egressio de mari renuntiationem mundi, insula quæ mari supereminet portum rectæ con-

versationis significat. Paulus illos verbo prædicationis frigidos ac pigros fratres, et ex undis mundanæ tempestatis abstractos excitat ad amorem Christi. Sarmenta exhortationis sunt verba, ignis charitatem designat. Per viperam vero quæ processit pulsa ab ignis calore, immundi spiritus sive detractores veritatis designantur. Quæ invadit manum Pauli, id est opus doctrinæ spiritualis impedire nititur, detractionis morsus inferendo, et invidiæ virus infundendo. Hac viperam, frater, exhorresco, et ne virus detractionis inferat, congruum est ut evitemus. Nulli ergo nostrum, frater, patefacias nomen, ne ex insipientia auctoris et personæ vilitate, operis nostri labor vilescat, et ne vipera cujus manum invadere debeat, agnoscat. Placet quoque opusculi hujus spatium in quatuor libellos relevandæ mentis gratia scindi, quia, ut ait beatus Augustinus: « Ita libri termino reficitur lectoris intentio, sicut labor viatoris hospitio. » Primus quidem quid noceat claustralibus vel mundo renuntiare volentibus, continet. Secundus vero claustri materialis ordinationem, in quo tenetur homo exterior, docet. Tertius animæ claustrum ordinat. Quartus claustri non manufacti habitationem quæ est in cœlo, commendat appetendam. Summi quoque abbatis, scilicet Christi, pacem quam ibi habet cum subjectis, hic hortatur cum fratribus exhibendam.

Cap. I. *Quod incipientibus ædificare quærendus sit locus fundamenti.*

Incipientibus ædificare quærendus est locus fundamenti, ne superpositi parietis congeries inclinet se ad ruinam. Solent enim ex hoc rationabiliter qui firmiter ædificare volunt, eversa et ejecta terra, super firmam petram licet nimio labore quæsitam, ædificii sui ponere fundamentum. Diversa est tamen diversorum ratio ædificiorum. « Ampla etenim palatia reges sibi ædificant, sed *domus illorum sepulcra eorum in æternum* (*Psal.* XLVIII). Turres firmas in summis montium locant, vallant aggere, et muro cingunt, montes non suis, sed pauperum manibus transferunt, circumductis solo imperio fluminibus, excludunt hostium vires, nihil tamen horum morti contradicere potest. » Episcopi domos non impares ecclesiis magnitudine construunt, pictos delectantur habere thalamos, vestiuntur ibi imagines pretiosis colorum indumentis. Pauper item sine vestibus incedit, et vacuo ventre clamat ad ostium. O mira, sed perversa delectatio! Trojanos gestat paries pictus purpura, et auro vestitos, Christianis panni negantur veteres. Græcorum exercitui dantur arma, Hectori clypeus, datur auro splendens, pauperi vero ad januam clamanti non porrigitur panis, et, ut verum fatear, pauperes spoliantur sæpe, et vestiuntur lapides, et ligna. Ornant prætoria columnis, fores domibus anteponunt, quæ utinam pauperes includerent, non excluderent. « Cives urbium suarum monitiones studiose disponunt, ut sic incursus hostium repellant, excubias ordinant, vectes ferreos portis inserunt, portas suas muniunt custodibus. Sed *tu, o Domine! pone custodiam ori meo, ut non delinquam in lingua mea* (*Psal.* CXL).» Monachi faciunt sibi claustra quibus homo exterior teneri possit; sed utinam claustra facerent quibus homo interior ordinate tenetur! Sic, fratres, sic quidam turres ædificant, ut securius rapiant, alii sola delectatione, et superfluitate gaudent. Alii necessitate, et timore, ne opprimantur a potentibus (ut diximus), laborare non desinunt. Claustra vero quasi castra Domini alii Domino componunt, et sicut regum ministri turrium instaurata munitione securius fraudes inimicorum excludunt: sic homo interior, et homo exterior intra munimina claustrorum positi, antiqui hostis insidias, et temporalium rerum fragiles casus effugiunt. Utile igitur esse credimus ut introducantur duæ personæ, et quod in rebus subtilioribus obscurum latet, per res oculis subjacentes liquidum fiat. Sicut etenim accidit si duo socii aliquod castrum intrarent, cum ab hostibus oppugnari deberet, quorum unus esset discretus sive prudens, alter indiscretus sive imprudens, unus piger, alter expeditus, sic homo interior, et homo exterior. Discretus in die munitiones parat, erigit propugnacula, defensionis loca singulis assignat, officia præcessendi injungit quibusdam sociorum, concordiam docet, jejunandi tempus indicit, ne fames, quæ clausis intrat portis, inter armatos victoriæ obtineat principatum; fraudem damnat, ne per aliquem hostis ingrediatur; sed ante omnia perseverantem patientiæ constantiam habendam fore prædicat, et hortatur. In nocte vero excubias ponit, discurrit per vigiles, somnolentos increpat, et præ cæteris sæpissime socium excitat, quia piger est, et docet, quia indiscretus est. Si autem propitius hostes accedant, machinamenta belli præparat, aries januam pulsat; tanc exit armatus, sustinet hostes, viribus hostium incursus repellit, quia expeditus est, providentia machinamenta dissipat, quia discretus est. Sic agit discretus non ad tempus, sed assidue, ne adversariis tradatur castrum, ne et ipse capiatur, et tradatur exactori, mittatur in carcerem, trahatur ad tormenta. Istius vita mores instruit audientium, loqui de eo etiam debilium mentibus præbet affectum. Audire enim diligenter bonum, et velle fieri, magna pars bonitatis est. Hoc est, fratres, officium discreti et expediti. Indiscreti autem et pigri officium est, impedire discretum, tardare expeditum. Hunc talia agentem, labor expediti, discreti docta providentia facit participem laudis et gloriæ. Quando autem liberatur ab hostibus castrum, cum socio Domini tui gratiam recipit, et remuneratur cum eodem. Sic contigit quandoque, fratres, ut piger trahatur ad præmium, sed sæpius invenisse contrarium in hac societate cognovimus. Mira res! Iste, qui talis ante fuerat, cujus probitas licet damnosa eis exstitisset, ab hostibus tamen laudari meruit; cujus providentiam sociorum murus exstiterat, iste talis, dico, assidui-

tate quadam a socio victus, pigro consentit, indiscretum patitur, vagantem sequitur. Ecce, fratres, piger expeditum luctando dejicit, discretum indiscretus decipit. Sic vagantes extra castrum ab hostibus capiuntur, recipiunt pro munere pœnam, pro labore supplicium. Adaptetur igitur proportionalis similitudo, ostendatur in homine interiori et exteriori quod contigisse potuit in duobus prædictis. Hominem enim exteriorem, videlicet carnem nostram, nemo dubitat indiscretum esse, et pigrum : animam vero, id est hominem interiorem, ex natura sua discretum, et expeditum, benignitas Creatoris plasmavit. Ecce claustrum, id est Dei castrum, intraverunt ambo, ecce undique hostium turbæ conclamant, quidam minantur ut terreant, blandiuntur multi ut decipiant, promittunt etiam B aliqui ut pervertant, insidiantur fere omnes ut rapiant, *simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII). Extra mundus totus exeuntibus obstrepit ; intus vero sagittantur in occulto recti corde : volant ignea tela, confligunt hostes eminus, moriuntur multi ; nullus sine vulnere unius diei periculum evadere potest : sicut diximus, diabolus per quosdam de exercitu suo claustralibus minatur ut terreat eos, per alios blanditur ut decipiat, per alios promittit ut pervertat, per reliquos insidiatur ut rapiat. Sed qui sunt qui minantur homini interiori et exteriori intra claustri jam munitiones positis, vel etiam aliquibus aliis de renuntiatione sæculi cogitantibus ; in primis audiat bonitas vestra. Cum aliquis, fra- C tres charissimi, claustrum intraverit, vel cum adhuc positus in hoc sæculo, admonente Spiritus sancti gratia, de renuntiatione mundi hujus aliquid cum amaritudine mentis cogitare cœperit, tunc mundi hujus princeps per delectationem temporalium minas incutit, per voluptatum varietates terrores accumulat. Qualiter autem per delectationem temporalium antiquus hostis minari non desinat, notum fieri forsitan non erit inutile.

CAP. II. *Qualiter per delectationem temporalium diabolus minari non desinat.*

In primis etenim exteriorem hominem, id est carnem nostram (quam pigro et indiscreto socio superius comparavimus), delectatione diabolus ag- D greditur. Inducit ei religionis formam et consuetudines ejusdem adversantes carni ; ostendit ei propositi difficultatem. Et cum hoc fecerit, quantum sit ad lapsum prompta humanæ naturæ fragilitas, prætendit ; vestis asperitatem, lecti duritiam, vilium ciborum assiduitatem, laboris intolerantiam, prælatorum crudelitatem, fratrum discordiam, mentis ponit ante oculos. Addit etiam longa vigiliarum nocturnarum spatia, claustri tædium, constitutas silentii horas, jejunii diuturnitatem, et ciborum licet vilium subtractionem. Et ut gravius terreat, et si fieri possit ad desperationem pertrahat, quid ex istis evenire mali queat diligenter inquirit, et annuntiat. Omnia ista imbecillitati carnis adversaria

A esse testatur ; et verum dicit, sed voluntarie patimur ista, quoniam ex his præmium æternæ beatitudinis exspectamus. Ex istis ægritudines insanabiles nasci/turas affirmat. Non esse bonum naturæ complexiones turbare, cum ex subtractione ciborum mutentur complexiones, ex mutatione complexionum conturbatio naturæ contingat ; ex conturbatione naturæ infirmitas ; ex infirmitate, mors. Ecce, fratres, diabolus physicam docet : ecce medicus factus est, de complexionibus loquitur : infirmitates diversas, si teneatur religio, generari prædicat. Sed quare hoc ? Non ut mederi velit, sed ut occidere possit ; non ut ægritudines curet, sed ut securius inferat mortem. Videt ex subtractione ciborum luxuriæ vires posse minui, et ideo non tardat minari ægritudinem. Timet otium perire et somnolentiam destrui : et ideo laboris intolerantiam, et protensa vigiliarum spatia prætendit. Credit ex paupertate humilitatem nutriri, et ideo quærit occasiones quibus humilitatis impediat adventum. « Paupertas enim, ut ait beatus Gregorius, bonis mentibus solet esse custos humilitatis. » Hæc assidue replicare claustralibus non desinit, hæc pluribus de renuntiatione mundi cogitationibus anteponit. O calliditas antiqui hostis ! o ingenium sine sapientia, sed non sine malitia ! Abstinentiam et jejunium, et cætera quæ superius diximus, damnat, et per ista naturam carnis deficere astruit, et tamen superfluitatis vitium tacet, per quod natura suffocatur, vel excedit terminos suos. Sic, o fratres, mundi hujus princeps homini exteriori, id est carni, per delectationem temporalium minatur ut terreat, sic locum munitionis aggreditur in quo novit esse debiliorem. Sed homo interior discretus et expeditus, scilicet anima, excitatus tumultu minarum, sine mora socio ad defensionem adjungitur, implens illud quod beatus Ambrosius dicit de arca Noe : « Boni custodis præsentia, inquit, ibi frequentior est, ubi muri fragiliores sunt. » Pigrum socium, ne deficiat, hortatur ; Salomonis utitur consilio dicentis : *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationes* (*Eccli.* II) ; docet rationabiliter indiscretum, qualiter sustinere debeat minas hostium ; religionis bonum commendat, delectationis vero pessimæ vitium damnat ; monet eum ne exhorreat fluctuationem vitæ hujus, quia ad tempus est, sed ponat anchoram spei, et dicat : *Exspectabo eum qui salvum me fecit a pusillo animo et tempestate, non dabit enim in æternum fluctuationem justo* (*Psal.* LIV). Hortatur iterum illum ne contristetur in exercitatione sua, ne conturbetur a voce inimici, et a tribulatione peccatoris, sed dicat : *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (*Psal.* CXVIII). His et aliis multis incitamentis homo interior consolatur exteriorem, licet cum eo impugnetur, et conturbetur in exercitatione sui. Cum enim caro in se affligetur, vel sæcularium hominum patitur convicia, tunc « homo interior, ut ait beatus Augustinus, affectus tædio, et multorum rabie cir-

cum latratus, reluctatur odio, ut perficiat dilectionem et in ipsa lucta contristatur, » et ideo dicat cum Propheta : *Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam ; intende mihi, et exaudi me* (*Psal.* LIX). Conturbatus est in exercitatione sua Petrus, cum ambularet inter undas ; vidit ventum validum venientem, et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens : *Domine, pereo, salva me* (*Matth.* XIV). « A quo vento valido turbatus est Petrus? « ait beatus Augustinus, cum exponeret illum locum, « turbatus, inquit, est a voce inimici, et a tribulatione peccatoris. » Sic tentat diabolus quoslibet per hujusmodi tentationes a charitate removere, cui contradicimus cum Apostolo, dicentes : « *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia* (*Rom.* VIII), an aliquid eorum quæ sequuntur? Nemo igitur a charitate nos separet. Quis enim charitatem habuerit, antiqui hostis minas timere non poterit, quia *charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV), nec impugnationibus delectationum cedet qui charitatis utitur clypeo, quia *charitas* patienter *omnia sustinet* (*I Cor.* XIII. » Hoc igitur clypeo homo interior et exterior utantur ad defensionem, ne vel terreantur minis, vel impugnationibus cedant. Et hæc de prima propositione sufficiant.

CAP. III. *Quomodo blanditur diabolus ut decipiat.*

Primum per delectationem temporalium antiquus hostis minas prætendit, nunc vero per pulchritudinem rerum temporalium homini blanditur ut decipiat. Pulchritudini enim adjuncta est delectatio, ita ut ipsa pulchritudo sit delectationis causa. Ad hoc illud pertinere credimus quod in Veteri Testamento legimus scriptum de patriarcha Abram, a quo cum separari vellet Loth, et daretur ei a patruo eligendæ possessionis libertas, levavit oculos et aspexit omnem regionem Jordanis, quæ irrigabatur, priusquam everteret Dominus Sodomam, et Gomorrham, sicut paradisus Domini, hanc elegit ; sed postea inter diversos reges ortum est bellum, et a quatuor regibus captum Loth, narrat historia : quo comperto Abraham numeravit vernaculos, et cum trecentis decem et octo viris adeptus victoriam, nepotem liberavit (*Gen.* XIII, XIV). Notate, fratres, cum separari vellet Loth ab Abram, regionem aspexit Jordanis, quæ irrigabatur sicut paradisus Domini, et loci pulchritudinem utilitati præposuit. « Infirmior enim, ut ait beatus Ambrosius, amœna eligit, utilia fastidit. » Sic non tantum captus loci pulchritudine, ad amœna Jordanis descendit, sed etiam ab hostibus captus ibidem esse cognoscitur. Doceat igitur Loth hominem exteriorem, ne princeps mundi hujus per pulchritudinem rerum blandiatur ei, ne discedens a socio capiatur ab hostibus. Placeret forsitan alicui, si de adducto exemplo exquisitius loqueremur. Audiat ergo diligens lector qui non quos vult, vel quando vult, explanationum potest habere libros, audiat non me, sed beatum Ambrosium, cujus auctoritatem hic sequi volumus, vel sensum verbis aliis, vel ejusdem verba ponentes. Et ut ad majorem instructionem loqui valeamus, interpretationes nominum non sit annotari difficile. Abram enim interpretatur *pater*, Loth vero *declinatio*, Jordanis autem *descensio.* Hæc, omnia in homine possunt adaptari, quia mens justi hominis *pater* esse dicitur. Sicut enim pater filiis præsidet, sic mens justis cogitationibus præsidet, et vagos sensuum motus quasi quodam paternitatis dulci regit affectu. Loth autem *declinatio* dicitur. Separatur ergo Loth ab Abram, quando aliquis a justitia suæ mentis declinat. Duobus autem modis declinatio dicitur. Unde beatus Ambrosius ait : « Cum Loth declinaret malum, hoc est, errorem, flagitium, crimen, tunc jungebatur patruo : cum autem declinaret bonum, hoc est justum, innocentem, sanctum, sociebatur flagitio. » Separari dicitur Loth ab Abram, quia terra non poterat eos recipere. Ut enim beatus inquit Ambrosius, una anima motus diversos non recipit naturaliter sibi repugnantes. Sic per terram anima designatur ; per Loth vero, motus quidam vitiorum declinantes a justitia mentis ; per Abram, mentis perfectio. Non potest enim eadem anima et mentis perfectionem et vitiorum multitudinem simul capere, quin ibidem separationem fieri contingat. In separatione vero, ipsi Loth datur electio ; sed, ut dicitur, deflectentibus a vero amica est jactantia. Hinc est quod diabolus cum in prima creatione a veritate, id est a Deo, discederet, primum superbiæ reatum incurrisse legitur. Inde etiam Loth levavit oculos, quod est arrogantiæ signum. Sublimes enim oculos Scriptura superbiæ demonstrat esse notam (*Prov.* VI). Discedens a veritate diabolus descendit de cœlo ; discedens ab Abram, Loth descendit ad oppida Jordanis. Descendit enim ad oppida Jordanis, quia, ut ait Ambrosius, « virtutis consortium deserit qui speciem eligit, non veritatem. » Sequitur autem esse captum Loth, et quinque reges a quatuor esse superatos. Sed qui sunt illi quatuor reges, qui de quinque triumpharunt et adduxerunt totum equitatum Sodomorum, qui ceperunt etiam Loth, filium fratris Abræ? « Quinque reges, ait beatus Ambrosius, quinque sunt corporis sensus : visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus. » Quatuor reges illecebræ corporales atque mundanæ sunt, quoniam et caro hominis et mundus ex quatuor constant elementis. Merito reges dicuntur quia habet suum culpa dominatum, habet regnum grande. Unde Apostolus : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus* (*Rom.* VI). Sensus igitur nostri facile corporalibus delectationibus et sæcularibus cedunt, et a quadam eorum potestate capiuntur. Corporales autem delectationes et illecebras sæculi hujus non vincit nisi mens, quæ fuerit spiritualis, adhærens Deo, et se totam a terrenis separans. Deflexio omnis his capitur. Unde quod Joannes ait : *Væ habitantibus in terra* (*Apoc.* VIII)! non utique omnes homines comprehendit (sunt enim quidam in terris positi, quorum conversatio in cœlis est), sed eos quos terrenæ conversationis

affectus, atque hujus vincit sæculi gratia. Ergo, fratres, non habitatores, sed accolæ simus terræ hujus. « Accola, ut ait beatus Ambrosius, temporalis diversorii speciem gerit : habitator autem omnem spem atque usum suæ substantiæ illic collocat, ubi habitandum putaverit. » Itaque qui est terræ accola, habitator est cœli. Qui autem habitator est terræ, possessor est mortis. Sic Loth, id est declinatio, capitur : dum habitaret in Sodomis. Habeat ergo, fratres, homo exterior Loth et Abram ante oculos, et hoc utatur exemplari, ne pulchritudine rerum transeuntium tractus, a socio, id est ab homine interiori, separetur.

Cap. IV. *De quatuor causis tentationum, quæ omni homini fugiendæ sunt, et maxime renuntiantibus huic sæculo habendæ despectui.*

Sunt autem quatuor diversitates rerum, quæ ad pulchritudinem pertinent, quas vocamus causas tentationum, quæ omni homini fugiendæ sunt, et maxime renuntiantibus huic sæculo habendæ despectui. Sed quæ sint hæ causæ tentationum, et quare et quomodo fugiendæ, audientium mentibus pro captu nostro patefaciamus exemplis. Prima autem harum quatuor est loci amœnitas, ut civitates et oppida, quæ non tantum ex situ loci amœnitatem recipiunt, sed etiam ex inhabitantium gratia. Secunda vero causa est locus divitiarum ; ubi enim divitiæ, ibi periculum. Tertia vero causa est pretiosus ornatus, ut est equorum cura pinguium, et vestimentorum exquisita varietas. Quarta autem est mulierum species, quarum (ut dicitur) vox blanditur auribus, et facies oculis. Ecce quæ sint illæ quatuor tentationum causæ audivimus, nunc autem quare fugiendæ sint, restat ut dicamus. Ideo etenim fugienda sunt ista, quia ex pulchritudine mulierum voluptas carnis nascitur. Ex varietate vero vestimentorum affectus placendi subministratur. Locus autem, id est urbes et oppida, dant opportunitatem impetrandi quod placet. Per divitiarum vero affluentiam, quod placet impetrari solet. Sic, fratres, confluunt omnia ista ut perficiatur tentatio, et ideo dicuntur tentationum causæ. Confert enim pulchritudo delectationem, ornatus affectum, locus opportunitatem, divitiæ effectum. Hæ sunt illæ quatuor, quarum illa est prima cum qua fit tentatio, secunda propter quam fit, tertia in qua fit, quarta per quam ducitur ad actum. Cum muliere etenim speciosa delectatio carnalis, quæ cum turpi non fieret, perficitur. Propter ornatum corporis placet, quæ sine ornatu videntibus displiceret. In opportuno vero loco res ad finem trahitur, quam importunitas impediret. Sed licet illa tria confluant, licet pulcher sis, et perornatis vestibus incedas, si tamen desit pecunia, invenietur ab illa competens dilationis occasio. Restat igitur ut per pecuniam cœpta tentatio finem recipiat. Bersabee, Uriæ Ethei uxor, cum lavaret se in solario domus suæ, propter pulchritudinem placuit David, placuit et traxit ad crimen (*II Reg.* XI) ;

A fuit igitur Bersabee causa cum qua fieret tentatio. Judas cum in Thamnas iret ad tondendas oves, Thamar nurum suam in meretricio habitu sedentem in bivio reperit, cum reperta rem habuit (*Gen.* XXXVIII). Quid ergo, fratres ? Placuit Judæ Thamar, num propter pulchritudinem, cum etiam quænam esset ignorabat ? Consequens ergo est ut ornatus meretricii habitus sit aliqua causa propter quam Judas complesset delectationem carnalem. Ammon vero filius regis David, cum vehementer Thamar sororem suam diligeret, opportunitatem loci quæsivit et invenit, infirmum se esse mentitus est, impetrat a patre suo sororis adventum, solus solam aggreditur, poscit coitum, negat illa, negantum opprimit, vim inferens oppressæ

B (*II Reg.* XIII). Doceat igitur nos Thamar opportunitatem loci fugere, ne in ipso fiat præmeditata tentatio. Similiter : *Judas Scariotes opportunitatem quærebat, ut Jesum* Judæis *traderet* (*Luc.* XXII). Per pecuniam etiam Jesum Judæis traditum esse novimus. Novimus etenim Judam furem esse et loculos habere (*Joan* XII), quod per hoc etiam evidentius ostenditur, quod triginta argenteos retulisse in templum, et ibidem projecisse legitur. Timeat ergo unusquisque nostrum ne per pecuniam decipiatur, cum unus ex duodecim, illum, qui diligendus est super aurum et topazion, qui mundi etiam pretium tam parvo mutaverit pretio, vendiderit. Audiant igitur hæc, ut sibi caveant illi qui loculos portant, qui pecunias servant, qui

C nundinas et fora pro necessitatibus fratrum frequentant, qui sæcularium domos et curias perlustrant. Devitent ergo hujusmodi fratres solarium Bersabee, bivium Thamar, thalamum Ammon filii regis David ; devitent etiam personas infames, hospitia suspecta, munuscula dare et accipere, pecuniam plurimam congregare, ne in ipso laqueus lateat, in quo cum alio pereant. Ecce quæ sint illæ quatuor tentationum causæ, et quare sint fugiendæ, præmisimus. Nunc autem qualiter vitari queant, pro modulo nostræ imbecillitatis assignemus. Pulchritudinem igitur mulierum et delectationem carnalem, quæ inde procedit, per oculorum et cordis pudicitiam ne noceat, vitare possumus. Ad hoc pertinet illud quod in Regula clericorum scriptum a beato Augustino legitur : « Impudicus, in-

D quit, oculus impudici cordis est nuntius. Qui damnat impudicitiam, pudicitiam laudat. Sunt enim contraria immediata, et necesse est alterum inesse circa suum susceptibile. Pudicus oculus janitor est cordis, sedet ad januam, nec permittit intrare quod noceat, nihil nuntiat nisi quod deceat, quidquid indecens esse noverit, excludit et eliminat. Impudicus vero quærens quod placeat, per omnia discurrit, volentes intrare patitur, nolentes vero monet et hortatur. » Unde Scriptura dicit : Oculi prima tela sunt adultera (*Eccli.* XXVI). Solent homines tribus generibus armorum uti ad defensionem, telis videlicet, hasta et gladio. Longe positi vulnerantur telis in illos qui cuspide tangi nequeunt ; vibratur hasta, cum pugnatur cominus,

officium suum gladius implet. Similibus armis utitur impudicitia ad expugnandum hominem exteriorem, quod in Joseph patriarcha Veteris Testamenti contigisse narrat historia. Ait enim Scriptura : *Et immisit uxor domini sui oculos suos in Joseph* (*Gen.* XXXIX). Hæc sunt impudicitiæ tela, quibus vulnerantur multi, licet longe positi. His telis oculorum pudicitiam opposuit. Scriptum est enim (*Prov.* V) : « Noli intendere mulieri fallaci, ne capiaris oculis, neque rapiaris palpebris ejus. Petulans enim libido est. » De qua petulantia oculorum dicit beatus Augustinus in Regula clericorum : « Si hanc petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediatur, sed de proximo corrigatur. Nec tantum petulans est libido, sed etiam procax. » Ait enim uxor domini Joseph ad ipsum Joseph : *Dormi mecum* (*Gen.* XXXIX). Hæc est vibratio hastæ, blandientis adulteræ sermo. Huic opponitur cordis munditia. Venenata enim colloquia non recipit mundi cordis puritas, sed audit Scripturam dicentem : Non te seducat meretrix multo blandimento sermonis, nec laqueis labiorum suorum te alliget (*Prov.* V). Nec tantum petulans et procax libido est, sed importuna. Tenuit enim uxor domini sui vestem Joseph, et ait Ambrosius : « Teneri veste potuit, qui teneri non potuit animo. Hic est gladius, quo configitur cominus, mollis scilicet adulteræ tactus. » Huic resistit Joseph per munditiam cordis et corporis, respuit enim adulteræ tactum, rupit fimbriam ne serperet contagium, et ideo scriptum est : « Ne motus fueris ad alienam, neque contineas amplexibus non tuam (*ibid.*). » His igitur modis docet nos Joseph ne per pulchritudinem mulierum ad delectationem trahamur. Vestium vero ornatum et affectum qui inde subministratur, vilis habitus amor exterminat. Nemo enim qui vere habet proprii habitus contemptum, alieno delectatur ornatu. Sed et loci opportunitatem, ne tentationi sit congrua, claustri assiduitas excludit. Qui enim discurrunt per alienas domos, qui assiduitate sæcularium gaudent hominum, qui foris spectacula sequuntur, qui non ad necessitatem communem, sed ad propriam voluntatem sunt parati, qui causas itineris sui non habent sed fingunt, tales, dico, sicut sunt faciles ad discurrendum, ita forsitan proni sunt ad ea quæ loci opportunitas subministrat. Secura est ergo claustri assiduitas, quam cura rei familiaris non turbat, quam non sollicitant accessus hominum. Ibi inter fratres, alterius ad alterum diligens habetur custodia, ibi prælatorum subjectis discreta providet solertia, ibi silentium aufert locum confabulationibus, lectio assidua exstinguit jam. Scriptum est enim : « Ira prolata crescit, dilata minuitur (*Prov.* XXX). » Ibi disciplina cæteros motus cordis servire cogit munditiæ, et omnis opportunitas, quæ est ad malum, per claustri assiduitatem excluditur. Per paupertatem vero voluntariam pecuniæ affectus (de quo superius locuti sumus) exstirpatur. Restat igitur ut per pudicitiam cordis et

A oculorum delectatio carnalis excludatur ; per amorem vilis habitus, vestium pretiosarum varietas subtrahatur ; per claustri assiduitatem, opportunitas quæ est in malum privetur ; per voluntariam paupertatem, affectus pecuniæ annihiletur. Istis utatur homo interior et exterior ad defensionem, ne per pulchritudinem rerum temporalium (quæ per illa quatuor blanditur ei) decipiatur. Anteponat cœlestia terrenis, æterna transitoriis, decoris pulchriora, bonis meliora. Terrena corrumpuntur, finem exspectant, pulchritudinis amittunt florem, bonitatis fructu privantur. Cœlestia vero termino carent, non corrumpuntur infirmitate, non franguntur senio, non annihilantur vetustate. Felix æternitas quæ corruptione caret, infelix illa B quam comitatur æternaliter corruptionis defectus, quæ ideo durat ut crucietur, ideo æternaliter cruciatur, quia sine fine peccarent homines si possent. Decipitur igitur qui pulchitudinem temporalium blandientem sibi sequitur : sed anteponat spiritalem, ut videat Regem in decore suo.

CAP. V. *Quomodo promittit diabolus ut pervertat.*

Contingit quandoque ut qui nimis terreri nequeunt, nec blandimentis acquiescunt, promissis citius flectantur muneribus. Ideoque tertio loco competentius, qui sunt illi, qui promittunt homini interiori ut eum pervertant, videamus. Prudentia mundi ipsa est quæ promittit ut pervertat. Promittit enim duo, pretiosa videlicet et sublimia, C hoc est divitias et honores. Alterum cupiditatis, alterum superbiæ. Hæc sunt latera scalæ, per quam diabolus descendit de cœlo ad inferos. Promittit nobis mundi prudentia, sed nihil dat, et si aliquando recipiunt homines quod promittit, non datur illud sed emitur. Dat mundus opes, sed non gratis. Qui enim efficitur servus peccati pro ipsis non accipit gratis. Dat honores, sed non sine pretio. Quibus promittit mundus opes, et cujus sunt opes quas promittit ? Quomodo dat, et ubi dat quod promittit ? Raptoribus promittit agricolæ substantiam, oves viduæ, agros pupilli ; feneratori vicini sui domum, amplitudinem possessionis, divitiarum affluentiam. Ecce quibus promittit, et cujus sunt quæ promittit. Stulta est hæc providentia, quæ thesaurizat et ignorat cui congreget ea D (*Psal.* XXXI). Militibus promittit inter enses lucra, inter telorum grandinem, sub metu carceris, sub mortis periculo ; negotiatoribus ultra mare promittit lucrum per mortis fauces ; ibi naufragii timor, ibi vento commendantur opes et animæ. Ecce quomodo dat et ibi dat quod promittit. In utroque periculum, in utroque difficilis acquirendi modus. Ibi promittit lucrum, ubi dare queat sepulcrum. Claustralibus vero vagandi licentiam, quam rigor claustri abstulerat, repromittit ; fabulosas vero confessiones otiosorum, platearum, plausus, fori spectacula, ciborum affluentiam, vestis mollitiem, et, ut cuncta compleam, libertatem faciendi quod placet supradictis accumulat. Ecce pugna difficilis. Ecce Jabin, rex Asor, pugnat contra filios

Israel. Ecce ad Chananæos mittit qui habitant in maritimis et per montana et per campos, ad regem Simeon [Semeron], et in Fennendor [Ceneroth], sed et multos alios congregat quos est enumerare difficile (*Josue* XI). Sed quid ait Dominus ad Jesum Filium Nave qui principatum post Moysen susceperat? « Ne verearis, ait Dominus, faciem illorum, quia crastina die ad hanc horam tradam eos sauciandos ante faciem Israel, et equos eorum subnervabis, et currus eorum igne combures (*ibid.*).» Audiat hoc qui est de exercitu Jesu, non filii Nave, sed Filii Dei. In uno enim quoque homine bellum hoc reperiri potest. Jabin enim, rex Asor, congregat exercitum. Jabin autem interpretatur *sensus sine prudentia*. Asor vero *aula*, id est, mundus. Mittit ergo ad Chananæos qui habitant in maritimis locis, vicinos fluctibus, qui in montibus et fluctibus permovent cuncta, qui sunt ex genere Chanaan, filii Cham, filii Noe. Cham interpretatur *calor*, Chanaan vero *commotio*. Qui autem calet cito commovetur. Mittit et ad montana, id est, ad illos qui gloriantur in sublimibus, et ambulant in magnis et mirabilibus super se. Mittit et ad campos, id est, ad eos qui terrena sapiunt, qui planitie voluptatum delectantur, qui sunt quasi pecora campi, proni ad vitia. Mittit et ad regem Simeon, qui interpretatur *exauditio*. In bonam quandoque partem ponitur exauditio, ut cum dicitur : *Vocem fletus mei exaudivit Dominus* (*Psal.* VI), secundum quod Simeon unus de patriarchis nomen accepit (*Gen.* XXIX). Exaudierat enim Dominus precem matris ejus. Dicitur autem econtrario exauditio, quando quis exaudit præceptum diaboli. Solet enim dicere : *Si procidens adoraveris me, dabo tibi hæc omnia* (*Matth.* IV). Et ad Evam dixisse legitur : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Promisit esse deos, ut faceret reos. Et inde dicitur Simeon, quia qui sic exaudiunt diabolum cum rege Asor occurrunt Israelitis. Mittit et in Fennendor, qui interpretatur *conversio*. Conversio dupliciter dicitur. Est enim conversio qua quis ad Deum convertitur. Est et alia de qua Apostolus ad Galatas dicit : *Currebatis bene, quis vos impedivit* (*Galat.* V), id est, a cursu bono et opere recto convertit ? Hi sunt qui sequuntur Jabin regem Asor, id est, prudentiam mundi. Provideant igitur sibi homo interior et exterior, ut superatis hujusmodi hostibus equos eorum subnervare non differant, sed et currus eorum igne comburant. Est in hoc exercitu elationis currus, in quo per similitudinem rotas quibus feratur, equos qui ipsum trahant, aurigam qui regat, quive sedeat in ipso curru, assignare possumus.

CAP. VI. *De curru elationis.*

Quatuor enim sunt qui trahunt currum elationis, id est, amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus et inobedientia, Rotæ vero sunt jactantia mentis et arrogantia, verbositas et levitas. Auriga in hoc curru potest esse spiritus superbiæ. Amatores mundi sunt qui feruntur in hoc curru. Infrenes sunt equi, volubiles rotæ, auriga per-

A versus, et qui portatur infirmus. In utroque periculum, quia semper casum et ruinam minatur superbia. Rotæ sequuntur equos. Præcedit enim amor dominandi jactantiam, amor propriæ laudis arrogantiam, contemptus levitatem, inobedientia verbositatem. Solent enim inobedientes in verba defensionis prorumpere. Præcedentes hujus currus rotæ altiores sunt posterioribus, et ideo descendere novit, non ascendere, viam novit ad inferos, non ad montem Domini. Similiter currum voluptatis et equos luxuriæ, et quælibet vitia quibus trahuntur homines quasi equis ad peccatum, subnervare non differamus. Possunt enim hujusmodi equi vigiliis et orationibus, jejuniis et labore continuo subnervari. Currus vero

B igne sancti Spiritus comburi possunt. Hic est ignis hæc sunt arma claustralium. Hi sunt qui interficiunt Iabin, qui Chananæorum habitantium in maritimis commotionem non timent, qui superbis habitantibus in montanis non cedunt, nec voluptuosis camporum planitie gaudentibus commiscentur, a quibus non exauditur supradictus Simeon, nec convertuntur cum illis de Fennendor, sed interficiunt regem cum exercitu, subnervant equos et comburunt currus. Ascendamus ergo summi Regis currum, et prosequamur hostes. Habet enim equos suos Christus, de quibus dicit propheta : « Ascendisti super equos tuos et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III). » « Horum, » ut ait B. Ambrosius super *Beati immaculati*, « frena

C pacis, habenæ sunt charitatis, constrictæ inter se concordiæ vinculis, et jugo fidei subjectæ, quatuor rotis Evangelii bonum aurigam portantes verbum Dei. Cujus flagello fugantur illecebræ sæculares, et mundi istius princeps exterminatur. » Mira res. Rota intra rotam currebat, et non impediebatur currus celeritas, id est, Novum Testamentum in Veteri Testamento, intra illud currebat, per quod annuntiabatur.

CAP. VII. *Quomodo insidiatur diabolus ut rapiat.*

Nunc autem ultimo loco de superbia quæ insidiatur, ut rapiat, est agendum, quæ, licet peccati initium fuerit, « tamen, » ut ait beatus Augustinus, « prima fuit, et ultima delebitur. Hæc est quæ sæculares possidet et retinet ; noviter conversos vexat et revocat, justos vero tentat et illudit. »

D In sæcularibus apparet, in noviter conversis notatur, et in religiosis quandoque latet. Sæcularium mentes per voluntatem inhabitat, in noviter conversis ex præcedenti usu redolet, religiosis mentibus per suggestionem se interserit. Insidiatur sæcularibus, ut in pravo comprehendat opere, religiosis vero insidiatur per gloriam laudis humanæ. Eleazarus, ut veridica narrat historia, elephantem occidit, et occisus ab elephante legitur esse. Cecidit enim elephas super Eleazarum, et mole sui corporis oppressit eum (*I Mach.* VI). Per Eleazarum illi designantur qui mundi fastus repudiant per humilitatem. Per elephantem superbia mundi designatur. Dum enim vestis asperitatem libenter patimur, dum tenues ama-

mus pannos, dum vilibus utimur cibis, dum labore callosa squalet manus, et cutis frigore riget, et sole nigrescit, tunc Eleazarus occidit elephantem. Cum vero in hujusmodi vulgi favorem aut laudem quærimus, tunc Eleazarum cadens opprimit elephas. Et pulchre per elephantem figuratur superbia, utriusque enim natura similem tenet compositionem. Elephantis natura talis esse dicitur, ut ossa crurum illius juncturis careant, et ideo flectere crura sua nequeat, sed stet semper, et si aliquando quietem corpori suo velit inferre, stando latus inclinat ad arborem, sic et somno utitur et quiete. Sed homines regionis illius in qua habitant hujusmodi bestiæ, in die solent arborem succidere, ut cum nocte venerit, cadat uterque, et interficiatur elephas. Utrumque fit : succiditur arbor, et interficitur bestia. Cuncta ista superbiæ conveniunt, et talis est ejus compositio. Membra superbiæ inflexibilia sunt. Cum enim aliquis superbus loquitur, si imponas ei silentium, non acquiescit, *sed*, ut ait Salomon, *totum spiritum suum profert stultus* (*Prov.* XXIX). Si dum confabulalionibus aurem præbet reprehendas, negligit ; si aliquid operatur et contradicis, non cessat, et sic ejus crura flecti nequeunt. Actus superbiæ semper stat, ut de elephante diximus, sed qui sic stat, male stat. Ad propriam voluntatem quasi ad arborem latus inclinat superbus, ut quietem recipiat. Quod enim per dispositionem propriæ voluntatis agimus, hoc quieto suscipimus animo ; si autem aliter ordinetur, pro labore reputatur. Succidatur igitur arbor propriæ voluntatis, ut cadat et occidatur bestia superbiæ. Sed, ut diximus, cavendum est nobis, ne cadens opprimat aliquem. Sic igitur noviter conversis insidiatur superbia. Religiosis vero tribus modis insidiatur : tunc scilicet cum aliquis se solus existimat esse justum, vel quando nimium de justitia confidit, vel quando cessat a bono opere. Elias se solum justum esse existimans, in hæc verba prorupit : *Domine, altaria tua subverterunt, prophetas tuos occiderunt, et ego remansi solus inter eos* (*III Reg.* XIX). Cui Dominus respondisse legitur : *Adhuc restant septem millia, qui non curvaverunt genua sua ante Baal* (*ibid.*). Petrus vero nimium confidenter loquens ait : *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI). Et tamen negavit, et ideo nimium locutus est confidenter. Tobias illos designat qui cessant a bono opere. Scriptum enim est de Tobia : *Fatigatus a sepultura Tobias, venit in domum suam, et cum jactasset se juxta parietem et obdormisset, ex nido hirundinum calida stercora ceciderunt in oculos ejus, et factus est cæcus* (*Tob.* II). Cum aliquis a bono opere cessat, tunc Tobias fatigatus a sepultura venit in domum suam. Domus Tobiæ moraliter carnem nostram designat. Nidus hirundinum, qui ex luto conficitur et ex plumis levibus intus paratur, delectationem terrenarum rerum pulchre demonstrat. « Hirundines, ut ait Beda *super Tobiam*, propter levem volatum superbiam cordis levitatemque figurant quarum immunditia confestim eos quibus dominatur, excæcat. Quasi enim nido hirundinum suppositus dormit, qui levitati ac superbiæ mentem incautus subjicit. » His ergo modis superbia religiosos illudit, « quæ, ut ait beatus Augustinus, etiam bonis insidiatur ut pereant. » Sicut fratres longe superius de duobus sociis discreto et indiscreto evenire posse monstravimus, sic homo interior superbiæ insidiis resistens, mundanæ prudentiæ respuens munera, pulchritudinis temporalis non acquiescens blandimentis, delectationis carnalis minas spernens, socium videlicet hominem exteriorem movet, ac hortatur ad pugnam, trahit ad præmium. Unde Eusebius Cæsariensis : « Suscipe, inquit, Domine, geminum animæ carnisque servitium ; te enim jubente et auxiliante, communem hostem communi intentione devicimus. » Habet igitur speciales fructus fragilitas corporis mei. Ego intellectu, discretione, consilio spiritualiter contra adversarios steti ; caro hæc corporaliter, operis sudore, sobrietate et jejuniis dimicavit. « Laborandum itaque, » ut inquit idem Eusebius Cæsariensis, « et totis viribus utriusque hominis luctandum est, ut magis nobilior portio inferiorem ad cœlorum secum excelsa sustollat, quam ut inferior superiorem in inferni profunda demergat. » Datur igitur post victoriam præmium, datur utrique hæreditas regni, æternæ beatitudinis præmium largitur, et sic homo exterior interiori congaudet, id est, caro glorificata congratulatur spiritui, quia nullum corruptionis amplius exspectat jacturam.

CAP. VIII. *Quomodo mens fiat spelunca latronum et domus negotiationis et meretricis prostibulum.*

Sed quandoque, fratres, ut superius diximus, contrarium contingit, et miramur quomodo contingat. Quis enim non miretur ab indiscreto discretum decipi, a pigro fortem superari posse? Miramur hunc ordinem naturæ, miramur et modum, succumbit ratio, dominatur animalitas, infirmitas carnis animum privat a virtute, et sic ejicitur Dominus, ut hostis recipiatur. Proh dolor ! minatur Christus et non timetur ; promittit, et non creditur ei ; blanditur, et pejores efficimur. Quid promittit Christus ? vitam æternam. Quid minatur ? ignem æternum. Quomodo blanditur ? exspectando per misericordiam. Non permittit ut pervertat, sed convertat. Ejicitur tamen, et contigit illud quod scriptum est in Evangelio : *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis speluncam latronum* (*Matth.* XXI). Fit igitur mens hominum quandoque spelunca latronum, fit domus negotiationis, fit meretricis prostibulum. Fit spelunca latronum, quando aliquis invidendo fratri suo ut detrahat insidiatur, et virtutum spoliat indumentis. Fit domus negotiationis, quando pro iis quæ agimus, humani favoris forum frequentamus, et ibidem ementes et vendentes, laudem pro bono opere quasi stulti mercatores recipimus. Fit meretricis prostibulum, quando in thalamo castæ mentis, lupanar libidinosæ delectationis erigitur. Hoc quod dico sæculares pertimescant, et similitudinem quam de duobus sociis assignavimus prætendant, ne, cum

intraverint religionis claustrum, iterum impugnanti, antiqui hostis ditioni subdantur. Nunc autem, fratres, nos qui claustrum intravimus, aliquid de exhortatione sæcularium contra ea, quæ superius minatus est diabolus per delectationem temporalium, pro modulo imbecillitatis nostræ dicamus. Audiant igitur sæculares quos temporalis delectatio retinet, qui religionis abhorrent habitum, quam suavis sit veræ religionis cohabitatio. Audiant pauperes et lætentur; mediocres et hortentur alios; divites et confortentur. Abundans est enim religio pauperi, mediocri sufficiens, tolerabilis diviti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, perversis severa, bonis optima. Hæc autem sunt novem beneficia religionis. Immoremur igitur diligentius in singulis, ut ex beneficiis suis bonitas religionis agnoscatur.

Cap. IX. *Quod abundans pauperi sit religio.*

Abundans est, inquam, pauperi religio. Audiant igitur pauperes et lætentur, audiant et obediant. Paupertatis sunt tres species. Sunt enim quidam qui rebus temporalibus egent, sed inviti: et hæc vocari solet egestas. Egent enim rebus et egent bona voluntate, qua ditius nihil esse potest. Nihil enim ditius bona voluntate. Sunt et alii qui rebus abundant, sunt tamen pauperes spiritu, et hæc est aurea paupertas, quia licet affluant divitiæ, corda tamen nolunt apponere. Hæc et illa periculum habent, sapiens autem periculum vitat. Sapiens autem erat Salomon, qui aliam paupertatem desiderabat. Quam? Illam quæ daret victui necessaria, quæ est illa? mediocritas (*Prov.* xxx). Est enim hæc tertia species, hanc vocant philosophi frugalitatem. Unde Seneca. *In epistola ad Lucium* cum laudaret paupertatem voluntariam ait: « Frugalitas est voluntaria paupertas.» Sunt enim quidam de hoc sæculo venientes ad religionem vel Ecclesiam, « quorum paupertas, » beato Augustino attestante, « talis erat quando foris erant, quod nec ipsa invenire poterant necessaria. Quorum cellario non hæreditas, non patrimonium, sed manuum labor annonam præbebat, et si cessaret manus, panis deficeret.» Quibus penuria, quæ nihil pene tribuit, vestes qualescunque ministrabat. Tales quandoque Ecclesias intrant quæ largis abundant possessionibus, ut in Ecclesia possint honorari, qui in sua domo nonnisi contemptibiles esse potuerunt. Qui si forte ecclesiam in qua paupertas amatur, intraverint, illico de discessu cogitant, causas fingunt, intolerabilem dicunt illius loci consuetudinem, nimiam prælatorum severitatem prætendunt, aliqua de fratribus opponunt sibi, quæ cum nolint pati, dicunt quod non possunt, et hoc totum callide machinantes, ut competentius ad ditiorem valeant transire Ecclesiam, quasi humiliter rogant a vinculo professionis absolvi, miscentes blandis aspera: minantur enim scandalum, si male discesserint et jurant in alia Ecclesia se quietæ mentis esse posse, in sua vero nunquam. Si vero ad ultimum negetur quod postulant, tunc audires qualiter erigunt cervices contra eos, ad quos foris accedere non audebant. Tunc videres qualiter illic divites humiliantur, et pauperes illic inflantur. Respondentes abbati suo fronte libera, accusant fratres quosdam, criminosos vocant, justos quosdam per ironiam, quos vero justos negare non possunt, invidentes bono, nimium justos appellant. Quid plura? Tandem fracto propositi sui voto discedunt, honorari gaudent, abjectionis pristinæ obliviscuntur, genus suum erubescunt, proprio nomine nolunt appellari, amant nomina dignitatum. Si vocentur abbates, si præpositi, si priores, arridet oculus, hilarescit facies, apparent in vultu signa conscientiæ et sic nuntiat animus quid optat. Hujusmodi pauperibus non promittit Christus regnum, sed infernum. Sunt tamen alii qui ex paupertate ad Ecclesiam venerunt, quibus si dentur necessaria, ex humilitate putant esse superflua, otium diei unius putant esse sacrilegium, saturari vilibus cibis arbitrantur vitium, nulli se æquales esse, ex debito cunctis servire existimant, aliquantulum bonas erubescunt vestes habere, et nisi condiret humilitatem discretio, uti licitis licitum esse dubitarent. Tales sequuntur Christum pauperem itinere recto, quia pauperes pauperem, humiles humilem sequuntur. His dantur ad necessitatem temporalia, et promittuntur ad æternitatem cœlestia, hoc est enim primum religionis beneficium, ut egentibus necessaria præstet, et nulli sit ingrata.

Cap. X. *Quod sufficiens sit mediocri religio.*

Sufficiens est mediocri religio. Sufficere debet, quia necessaria præbet, *Dat satis, dat gratis.* Sed forte dicat aliquis: Nec dat satis, nec dat gratis. Non dat, inquit, gratis, quia cum necessaria largiatur ac impendat, laborem exigit. Noluit Deus ut pro labore dentur necessaria, sed pro labore temporali quies æterna promittitur et datur. Dat satis, ut diximus. Duobus enim, ut diximus, modis egena est humana conditio, uno quo natura deficit, altero qui naturam afficit. Fame natura deficit, frigus naturam afficit, sed mediocritas utrumque reficit. Dat enim quo natura caleat, et quo convaleat, et hoc sufficit naturæ. Non enim ad hoc ut satisfiat humanæ naturæ, color sed calor, non delectatio sed sustentatio naturæ quæritur. Dat igitur mediocritas satis, et dat gratis. Mediocritas est quasi via plana, in qua nec celsitudo divitiarum lapsum minatur ascendentibus nec profunditas egestatis cadentibus resurgendi spem negat. Hæc est via regia, de qua dicit Dominus ad Moysen, ut incederet via regia, nec declinaret a dextris sive a sinistris (*Deut.* v). Tres sunt viæ, et tres sunt qui gradiuntur per illas, egestas, mediocritas, divitiæ; pauper, mediocris et dives. Mediocritas est via media, quæ tenenda est, quæ ducit ad civitatem summi regis, a dextris vero et sinistris sunt egestas et divitiæ. Mediocritas vero quasi mensura quædam, qua totius bonitatis spatium terminatur, verbi gratia, cum aliquis a justitia deficit, sicut de Heli sacerdote legitur, tunc, ut ita dicam, quasi certitudine quadam deficit a mensura bonitatis.

Cum vero usque ad crudelitatem per intemperantiam justitia protenditur, tunc quasi longitudine quadam, bonitatis excedit mensuram : et hæc est mensura sufficiens mediocri, quia nec subtrahit necessaria, nec impendit superflua. Primum igitur beneficium fuit necessaria dare egentibus, secundum vero est mediocri necessaria non subtrahere. A

Cap. XI. *Quod tolerabilis sit diviti religio.*

Tolerabilis est diviti religio, portari potest. Jugum taurorum cervices humiliat ; onus quod trahitur, superbiam carnis (quæ quasi ex adipe procedit) domat. Sic jugum Christi cervicositatem nostram inclinat, ne simus quasi bos cornupeta, qui effundit sanguinem. Onus autem ejus carnem nostram macerat, ne lasciviens in luxuriam defluat, aut vagabunda insequatur otium. Onus nostrum, B vita Christi ; doctrina vero ejus, quasi jugum nobis imponitur ; alterum leve est, alterum suave. Sed dicet forsitan aliquis : Onus Christi non est leve sed grave, jugum ejus non est suave sed asperum. Vita enim Christi est opprobria pati, nihil possidere, affligere corpus, mori pro proximo. Sed cui est hoc onus leve ? Audiant cui ; *Cupio*, inquit Paulus, *dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I) ; et alibi : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Mira res. Hæc abhorrent quotidie sæculares, et hæc quotidie patiuntur. Timent opprobria pati pro Christo, pro mundo autem patiuntur opprobria sempiterna. Mori pro Christo pertimescunt, et pro temporali lucro C quotidie moriuntur. Nonne est leve mori pro proximo, et esse cum Christo ? Spes muneris laborem imminuit. Vere onus leve vita Christi, quia nec multa portat, nec diu portat. Terminus enim mortis prope est, et caret pondere divitiarum religio, non acquirit cum cupiditate, non possidet cum amore, non dolet si amiserit. *Jugum* vero *Christi suave est* (*Matth.* XI). Doctrina enim ejus quasi jugum, quia subjugare solet colla superborum : vinculum vero dilectio. Audi quam, suave jugum imponitur cervicibus nostris. *Dilige*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII) ; et alibi : *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos* (*Matth.* V). Ecce, fratres, jugum cum vinculo, hoc est, doctrina de dilectione. Jungit dilectio jugum cervicibus, quia doctrinæ tunc jugo subjicimur, quando doctrina cum dilectione recipitur. D Jugum vero diaboli gravat et opprimit. Jugum ejus peccatum est ; vinculum ejus consuetudo peccandi ; onus quod portatur, pœna peccati. Sub hoc jugo tenentur duo, caro scilicet et spiritus. Hoc jugo premuntur divites : multa enim patitur divitum superbia, vincula, carceres, frigus, famem quandoque tolerant. Novimus, fratres, divitum mensas, noverunt et aliqui vestrum. Protervitas acquirit ibidem sibi locum, non simplicitas, quibusdam datur ibi cibus absque potu, et e converso. Multi vero jejuni surgunt a mensa, et tamen læti urbanitate quadam, famem suam consolantur. Jam cœperunt prandia divitum non præcedere cœnam : cœna enim divitum aut tenuis aut nulla. Mensa vero religionis ordinata, sufficiens, non superflua, nullus amittit locum ibi cum rubore, quia omnia disponit humilitas. Jejunant etiam milites ut aliena bona rapiant ; similiter jejunant scholares ut subtiliores fiant, et nolunt jejunare ut audiant : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Dicit Christus, *reficiam* ; dicit homo, deficiam : cui credam ? Credo quia qui potuit hominem facere, possit et reficere. *Venite*, inquit, *qui laboratis, laboratis* dico *in luto et latere* (*Exod.* I). Lutum Ægypti tenax fetidum, mistum sanguine, lateres ejus indissolubiles, igne cupiditatis et flamma libidinis cocti. In his laborant divites. Labor divitum grandis, vigilant insidiantes pauperi. Hinc frigus, hinc tenues panni. Hic loricæ pondus sustinet, ille graditur inermis inter tela. Levior est labor claustri, et tamen timetur. Levius est pondus tunicæ quam loricæ. Tutius est claustrum quam castrum. Tutior abbatis obedientia, quam regis jussio. Hæc inter gladios mittit, illa periculum vitat. Laborant multi, sed non prodest eis. Laboravit Saul et Agag rex Amalech, sed labor eorum cassus. Laboravit David et Salomon, hic pugnando, ille ædificando, utilis labor utriusque (*I Reg.* XV). Pugnavit David ut vinceret, ædificavit Salomon ut requiesceret. Pugnemus cum David, non contra David in Judæa, ut habitemus in Hierusalem cum eo. Multa passus est David. Cum adhuc esset in domo patris sui, vicit leonem et ursum. In exercitu Israel Goliam interfecit (*I Reg.* XVII). Dum vero serviret Saul et obediret ei egrediens ad imperium regis, cogitabat tamen Saul interficere eum. Porro David obtinuerat gratiam Jonathæ, qui nuntiabat ei regis animum (*I Reg.* XVIII). Cum vero mortuo Saule David regnum susciperet impugnatus a filio suo Absalon, cum senioribus populi fugiendo periculum vitavit, nec exoptavit filii mortem, sed et filium et regem mortuum planxit (*II Reg.* XV, 18). Patet mortalis sensus. David enim, cum puer esset in domo patris sui, vicit leonem et ursum : hoc autem fit cum aliquis adhuc positus in sæculo, superbiam ac luxuriam in se destruit. Post hæc in exercitum Israel veniens Goliam interfecit, id est, congregationi fidelium fratrum adjunctus, diabolum superat. Obediens fit prælatis licet perversis, et hoc est ingredi et egredi ad imperium Saulis. Inquietatur a Saule David, sed Jonathæ gratiam obtinet qui consolatur eum, quia Spiritus sancti donum habet a quo consoletur : hoc enim interpretatur Jonathas *columbæ*, id est Spiritus donum. Mortuo Saule David quem elegerat Dominus, a populo sublimatur in regnum, quia qui humiliter subesse didicit, ad prælationis honorem erigitur. Persequitur Absalon patrem, multa enim prælati a filiis spiritualibus patiuntur. Plangit David persequentem filium, quia quilibet pater spiritualis de perversitate filiorum (quæ est mors animæ) contristatur. Tres planxit David, filium, amicum et hostem, id est, Absalon, Jonathan et Saulem. Im-

plet David omnem legem, scilicet naturalem, scriptam et evangelicam : naturalem, cum plangit filium ; scriptam, cum dolet pro amico, id est, pro Jonatha ; evangelicam cum plangit hostem, id est, Saulem. Qui talis est non abhorret claustri laborem, sed saltat cum David nudus ante arcam (*II Reg.* VI). Labor claustri tolerabilis est, quia mediocritas laborem temperat, nec aufert diviti nisi superflua. Religio quod nocet aufert, quod necesse est ministrat, et ideo tolerabilis est diviti.

CAP. XII. *Quod larga sit infirmis religio.*

Larga est infirmis religio. Quatuor autem sunt infirmitatis species. Quidam enim sunt qui infirmantur ex senio, alii vero ex membrorum læsione, alii ex infirmitate ad tempus recedente, alii vero continuo detinentur languore. Sunt autem aliqui quorum senectus est garrula, iracunda, plena proverbiis, fabulis vacans, et licet oculus eorum cæcutiens tenebrescat, licet manus tremebunda cesset ab opere, licet officium suum pes ignoret, licet totus corpore et animo curvus incedat, tamen, ut ait beatus Augustinus in libro De duodecim abusionibus sæculi, cum de sene irreligioso loqueretur, « cor et lingua ejus non senescunt. Hi sunt qui gloriantur cum male fecerint, qui gloriantur se fuisse divites, bella principum sæcularium non pacem sanctorum recitant, ad causas vocari volunt quia præterita noverunt. » Tales accusarent Susannam, si laudare velles, et laudarent Jezabel mulierem fornicariam, et ideo *judicium eorum revertetur in caput suum : et descendet angelus Domini ut secet eos medios* (*Dan.* XIII). Sunt et alii qui, cum terram non videant oculis, mente cœlum considerant, qui licet pedibus offendant, licet toto corpore nutent, non offendunt tamen lingua, non nutant animo, tacent noxia, quod instruit narrant, hominem interiorem labori supponunt, cum non possint exteriorem supponere. Instant orationi, recogitant omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, et ideo renovabitur ut aquilæ juventus eorum (*Psal.* CII). Illorum vero qui membrorum læsionem sive molestiam corporis sui, sive languorem patiuntur : sunt quidem ægre ferentes corporis anxietatem, consulent medicum, si statim non convaleant, irascuntur infirmitati desperant de sanitate. Sed quid dicam, fratres, de iis ? Dolorem capitis non patiuntur benigne, et pro Christo capitis tormenta quomodo sustineret ? flagellum timent, et quomodo pro Christo capitis abscisionem paterentur ? Sunt alii qui non serviunt carni, sed volunt ut serviat caro spiritui, qui non quærunt medicum nisi Christum, clamant cum propheta : *Sana me, Domine, et sanabor* (*Jer.* XV) : soli portant infirmitatem suam, quia non inquietant aliquem querimoniis, non sunt querulosi, sicut illi de quibus locuti sumus. Quatuor sunt unde conqueruntur infirmi, scilicet de infirmitate, de medicina, de cibo, de ordine. De infirmitate ideo quidam conqueruntur, quia pondus infirmitatis inviti portant. Alii vero sunt qui conqueruntur, eo quod fratrum labori

A interesse nequeant. De medicina vero quod non subveniatur eis, ut ipsi dicunt, charitate fraterna, quidam conqueruntur. Alii quod dispendium patiatur Ecclesia pro infirmitate eorum, contristantur. De cibo autem quidam querimoniam faciunt, eo quod non sufficienter vel quomodo vel quando volunt ministretur eis. Alii vero dolent eo quod delicata comedant nihil operantes, et quod aliquis eis serviat et ipsi nulli serviant. De ordine autem quidam conqueruntur, imputantes ordinis gravitati infirmitatis suæ causam, et sic quod bene egerant, male perdunt. Sunt autem alii qui ideo conqueruntur de ordine, quia a conventu fratrum separati delicatius tractentur. Si autem a lectulo, fratrum in choro psallentium voces audierint, tunc

B psalmos ruminant, orantes in cubiculo cordis clausis ostiis : et licet totam noctem pervigilem duxerint doloribus suis agitati, illos tamen beatos judicant qui per partem noctis Deo servientes laborabant. Spondam lectuli non egrediuntur ; et tamen illos qui tædium claustri benigne ferunt, felices esse putant, nihil de ordine implere se fatentur ; sed, nisi fallor, implent totum. Infirmitatis claustro coarctantur, disciplinantur anxietatum virgis et spinis dolorum ; jejunant, vigilant, laborant ; quia cibum, somnum, quietem infirmitas negat : et tamen si paretur lectulus suavior, si cogantur sine caligis dormire, quasi aliquid criminale fecerint, in hujusmodi vitam timent finire. Tales indigent consolatione, ne molestia corporis

C vel interioris hominis afflictione deficiant. Audiant isti quid dicat angelus Petro : *Præcingere, et calcea te caligas tuas* (*Act.* XII). Unde Beda super actus Apostolorum : « Tunicæ, inquit, sibi Petrus ligamenta propter rigorem carceris ad horam relaxaverat, ut tunica demissa circa pedes, frigus noctis utcunque temperaret, » exemplum præbens infirmis, quod cum molestia corporali vel injuria tentamur humana, liceat nobis aliquid de nostri propositi rigore relaxare. Utantur igitur sapientium consilio, ne deficiant, scripta enim sunt ad nostram doctrinam. Hæc sunt quæ de infirmitatis diversitatibus, utcunque diximus ; nunc quomodo infirmis sit larga religio, breviter ostendamus. Ait beatus Benedictus : « Super omnia et ante omnia,

D agenda est cura infirmorum. » Ecce quomodo larga est religio infirmis. « Ante omnia » inquit : hoc est velocius quam alicui de omnibus fratribus, debet infirmo fratri parari quod postulat. « Super omnia, » id est, abundantius, quam cæteris, ut si dentur aliis necessaria, infirmis plura et delicatiora quærantur ; plura, ut ex multis aliquid placeat, delicatiora, ut cum gustaverint, reficiantur ex aliquo.

CAP. XIII. *Quod compatiens sit delicatis religio.*

Delicatis est compatiens religio. Quatuor sunt delicatorum species, scilicet voluntate, usu, genere et natura. Voluntate delicati sunt illi qui cum grossioribus cibis uti possunt nolunt ; sed diversa et exquisita fercula quærentes, respondent ventri et petenti obediunt. Respondeo, fratres mei, et ego ven-

tri : et si clamaverit, non pane sed virga compesco, id est, non saturitate sed abstinentia. Sicut enim pater filii lenocinantis pravos mores virga castigat, sic per abstinentiam ventris et gulæ voluptuosus restringitur affectus. Sollicitum me reddit cura ventris nunc hos, nunc illos exoptans cibos. At ego illi : Quid petis, venter? Num mihi soli quandoque fercula plura parabuntur ? et unum multis fratribus dabitur? multis unum, et uni plura ? Absit! Quid ergo ? « Necesse est igitur, ut non ad ingurgitationem ventris, ut ait beatus Gregorius, utamur ; sed discamus » *satiari et esurire, et abundare et penuriam pati cum beato Paulo* (*Philip.* IV), « ne plus carni tribuamus quam necessitas petat, et sic excludatur delicata voluptas. » Usu vero delicati sunt multi, licet sint de plebe : qui cum in sæculo essent, serviebant ventri ; in Ecclesia vero positi, usum soliti cibi mutare nolunt, ne sequatur infirmitas. Infirmitatem timent, et animæ suæ mortem inferunt. Impossibilitatis suæ, usum vitæ præcedentis esse causam testantur : sed, ut dici solet, malus usus abolendus est. Genere delicati sunt filii nobilium : qui, sicut fuerunt in sæculo nobiliores dignitate generis, ita in conventu fratrum nobiliores haberi volunt ciborum lautitiis. Sæpe tamen nobiles genere, nobiliores sunt boni processu operis. Jactant se non esse delicatos, humiles sunt verbo, vestitu et opere, amabiles ad societatem, tractabiles si corrigantur, honesti consilii, fratrum consolatores. Hi sui generis auctoritatem non prætendunt, ut honorari queant in Ecclesia, non de parentum suorum dignitate gloriantur, sed occultant causas superbiæ, ne pes eorum labatur in vitium. Natura vero delicati sunt, quorum complexio talis est, ut pondus laboris, jejunii et vigiliarum ferre non valeat, qui etiam cibos exquisitos fastidiunt, qui sunt oneri sibi, qui calore solis dissoluti, cito lassantur, et frigore statim torpescunt. Tales etiam quosdam de populo natura plasmavit. Omnibus his compatiens est religio. Est et vera, et falsa compassio, utraque tamen tribus modis fieri solet, scilicet ore, corde et opere. Ore ficta compassio fit, quando aliquis flebilibus verbis damnum alterius consolatur. Corde vero, quando aliquis, qui abundat divitiis, alicui oppresso ægritudine vel egestate occurrit, et pietate motus, compatiendo mentis affectum inclinat ; transiens autem non succurrit egenti. Hæc compassio sterilis concepit, sed non peperit. De conceptu enim veræ compassionis solet nasci eleemosyna, sed tanquam venefica mulier avaritia jugulat partum, ne prodeat in lucem. Hæc eleemosynæ fructum impedit, et conceptum compassionis de semine pietatis prolapsum, a corde hominis velut a matrice mulieris mortuum ejecit. Illa quæ ore fit tantum, adulatoria est, hæc autem sterilis nuncupatur. Sequitur alia, quæ multa tribuit sed ideo ut laudetur, aut plus recipiat. Hæc pondus veræ compassionis non portat, sed vanæ gloriæ levitate sustollitur, nec compatitur sed gloriatur, et ideo superbia vocari potest. Sic una earum adulando dicit se amicam esse ; alia vero fingendo lacrymas, etiam sapientes decipit ; tertia vero multa tribuens, majora recipit. Accipiuntur et hæ tres in bonam partem compassionis species : cum aliquis fratrem suum benigne consolatur, vel quando vere compungitur corde, aut pauperi quando miseretur et commodat, nec retributionem sequitur, sed solo pietatis affectu trahitur ad munus. Una ex istis consolatoria ; altera est pietatis ; tertia est refectionis. Sunt quidam qui compatiuntur sibi, quidam compatiuntur fratri, quidam vero magistro. Primum modestiæ est, secundum dilectionis, tertium prudentiæ. Quosdam verecundia sive desiderium carnis affligendæ reprimit, ne carnis indigentiæ et necessitati compati velint, qui si modesti essent, compaterentur sibi, ne interficerent civem. Alios vero cogit dilectio compati fratri suo ; sed quia non habent unde compassionis opera compleant, prælatis (quorum est providere et impendere necessaria) qualis sit et quid possit frater ille, diligenter intimant. Compatiuntur et magistro, ne qui præire debet, deficiat in via. Unde quidam usus inolevit in conventu quorumdam fratrum, ut aliquem de fratribus abbati suo præponant, cui obediat in agenda sui cura, et cum visum fuerit fratri congruum, abbatem suum in esu carnium seu in aliquo tali sibi ipsi condescendere faciat, ne rigor prælationis frangat humanam fragilitatem, et hæc est compassio prudentiæ. Tria sunt per quæ probatur vera compassio, scilicet occulta beneficia, paupertas et mors. Beneficium enim si impendatur occulte, humanæ laudis favorem exstinguit. Quando autem pauperi miseretur aliquis, temporalis removet spem retributionis. Cum pro proximo mortem pati non renuit, amorem mundi non præponit. Hæc sunt enim tria illa quæ solent enervare compassionis membra, humanis favor, temporalis retributio et amor mundi. Qui mortem patitur pro proximo, vere compatitur, sic Christus pro nobis passus est, quia vere compassus est.

CAP. XIV. *Quod moderata sit religio fortioribus.*

Fortioribus moderata est religio. Tenendus est in omnibus modus, quod enim excedit modum, excedit et vires. Modus servat rem incolumem, quam immoderatio confundit. Modus æqua lance librat onera fortiorum sicut debilium, ne graventur fortiores, aut debiles opprimantur sub onere. Tres sunt enim species fortium. Sunt enim quidam fortes animo, alii vero corpore, alii scientia. Scientia sunt fortes quidam, qui licet diligentis affectu animi careant, licet fortitudo corporis non suppetat ipsis, tamen rationabili quadam scientia (qua Creatoris sui benignitatem et suam negligentiam cognoscunt) inclinant animi rigorem, et corpus cogunt servire suo Creatori, onera fraterna consolando portant, corruentes allevant docendo, et si corruerint ipsi, cito resurgunt, ne scandalum generent, quia sapientes sunt. Duo gravia portant, animum videlicet labentem, carnemque infirmam ; tegunt occulta cordis et animi, et regunt opera carnis sola discretione : et

sic discunt bene amare, quia sciunt bene operari. Corpore sunt fortes, quos natura solidavit ad tolerandos labores, quorum quidam quod prosit operari possunt, sed nolunt; alii possunt, et volunt; alii vero plus volunt quam pati possunt. Potuit sed noluit bene operari Golias, cum esset corpore fortis. Potuit et voluit servire David Creatori suo. Volunt plusquam pati queant ipsi justi quandoque, qui sic edomant carnis superbiam, ut virtus deficiat cum laborare velint: si jejunant, stomachus languet; si legunt, vertiginem; si quid laboris agunt, capitis dolorem patiuntur. Et hoc ideo quia habuerunt zelum, sed non secundum scientiam. Sunt enim quædam in quibus maxime debet haberi scientia, scilicet jejunium, vigiliæ et labor. Nisi enim labori succedat quies et refectio, non potest humana natura laborem tolerare, sed moderatus labor, et abstinentia cibi delicati, et statutæ a sanctis Patribus vigiliæ, corpori et animæ medelam conferunt sanitatis. Qui autem sic vivunt, fortitudinem et animæ et corporis habent secundum scientiam. Sunt autem alii qui corpore fortes, debiles autem animo, parcunt sibi, seipsos amantes, sectantur otium, vacant fabulis. Tales accusantur de furto, de rapina, de mendacio. Fures sunt quia communi necessitati subtrahunt quod commune fecerant cum renunciarent mundo, seipsos abnegantes. Raptores sunt coram Deo, quia, eo vidente qui novit abscondita cordium, communi vitæ quod sciunt aut possunt violenter auferunt. Mentiuntur autem coram Deo et hominibus, quia quod voverant reddere possunt, sed nolunt. Sic igitur coram fratribus suis fures, coram Deo raptores, coram hominibus et coram Deo mendaces sunt. Decipiunt ergo fratres ignorantes quod possint, offendunt Deum, oculis cujus nuda et aperta sunt omnia (*Heb.* IV), non Deo reddunt quod coram fratribus voverunt. Hoc est enim proprium furti, rapinæ et mendacii, ut unum occulte, alterum aperte, tertium vero aliter quam promittitur eveniat. Restat nunc ut de illis qui sunt fortes animo, aliquid dicamus. Sunt enim quidam fortes, alii fortiores, alii fortissimi. Fortis Tobias (*Tob.* I), fortior Job (*Job.* I), fortissimus Abram (*Gen.* XII). Duobus modis probatur animi fortitudo, cupiditate scilicet et carnalitate. Non cessit Tobias cupiditati, quando Gabelo consobrino suo egenti pondus argenti commisit, nec plus amavit pecuniam quam proximum. Amisit Job substantiam, sed quid ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Dimisit Abraham quod possidebat et obedivit voci Domini, non coactus sed sponte. Tobias commisit, Job amisit, Abram dimisit; hic pecuniam, iste substantiam, ille terram, domum et cognationem; unus in spe, alter patienter, alius vero sponte; primus egenti compatiendo, secundus vero patienter tolerando, tertius jubenti obediendo. Sic nunc cedunt cupiditati, quæ in tribus consistit, id est, in amore possidendi, in dolore amittendi, in coactione deserendi. Sed simili-

A ter expellunt tres tria, quisque suum, nec cedunt carnalitati. Non plus enim amavit Tobias filium quam debuit, nec carnalitatem præposuit sed supposuit spiritualitati, præsentem filium bona docuit, orabat pro absente (*Tob.* IV). Job vero de morte filiorum non doluit plusquam necesse fuit, pro morte eorum lacrymas fudit, reddens, proximo compassionis debitum. Cum viverent autem *consurgens Job diluculo, offerebat per singulos holocausta, et sic faciebat Job cunctis diebus* (*Job.* I). Abram vero non tantum Ismaelem expulit, sed etiam Isaac, quem in senectute sua de sterili conjuge genuerat, qui erat amor patris (ipse est enim quem diligebat, Isaac) matris solatium gaudium utriusque (*Gen.* XXI, XXII) illum dico talem, ad im-

B molandum Deo obtulit. Sic, fratres, debemus esse animo fortes, ut Tobias. Si loquatur aliquis nostrum cum amico suo, doceat eum bona; si vero absens fuerit, oret pro absente. Si autem fortior esse voluerit, cum auferuntur sua, non persequatur hostes. Non enim Job persecutus est hostes Chaldæos cum auferrent sua. Tribus modis persequimur hostes, scilicet manu, lingua et animo. Manu persequimur hostes, quando illud quod vi raptores abstulerant, vi recuperamus contradicente Apostolo, qui dicit: *Ne repetas tua. Qui enim repetit cum litigio, male repetit* (*I Cor.* VI). Lingua persequimur, quando conquerendo sive accusando apud potentiores ut nostra recipiamus proximos nostros licet mali sint, sub articulo mortis vinctos re-

C linquimus, *non dantes locum iræ*, [ut ait Apostolus, *sed vindicantes nosmetipsos* (*Rom.* XII). Animo autem persequimur, quando hoc quod vi aut circumventione non possumus, odio et protervitate miseræ mentis persequi non desistimus: quod Apostolus prohibet dicens: *Cum omni*, inquit, *pacem habentes* (*ibid.*). Quid ergo, fratres, dicam de iis qui pro bove aut asino proximum persequuntur? Quid facerent, si mortem filii nuntiares? Et quid si septem filiorum, sicut Job nuntiatum est, autumares evenisse? Instruit igitur beatus Job claustrales de patientia, qualiter damna rerum temporalium sustinere debeant, qualiter pro morte amicorum carnalium dolere conveniat, utrumque benigne portans, qui nec pro damno rerum persecutus est

D hostem, nec pro morte filiorum ad odium (quod est mors animæ) cor inclinavit. Qui vult autem fortissimus esse sicut Abram, qui non amisit sua, sed dimisit; qui non amavit filium suum ut Dei Filium offenderet, talis dico renuntiet omnibus quæ possidet, et immolet gladio verbi Dei illos quos carnaliter diligebat vel carnali amabat affectu. Fortissimus Abram, sed beatus Laurentius fortior fortissimo. Audiamus qualiter Abram sua dimisit, Laurentius sua *dispersit et dedit pauperibus* (*Psal.* XI). Abram filium suum Deo obtulit. Laurentius seipsum pro Filio Dei; hic ignem parat, colligat filium, gladium evaginat, sed angelum audit prohibentem ne perficiat, ille ad ignem positus Christum prædicat, carnifices urgentes, carbones ministrantes verbis non exasperat, efficitur holaucaustum

Domino, id est totum incensum, intus igne charitatis, exterius vero flamma tribulationis. Hic quia obediens efficitur, filium recipit incolumem, ille quia perseverat in tormentis, a Dei Filio recipitur ad salutem. Hæc est fortitudo charitatis. De hac scriptum est : *Fortis ut mors dilectio* (*Cant.* VIII), et ut verum fatear, fortior dilectio. Nihil enim separat a charitate Christi. Sunt igitur, ut supra diximus, tres species fortium, corpore scilicet, et animo, et scientia. In his autem consistit fortitudo totius religionis. Qui scit enim et vult et potest bene operari, si modum teneat, perfectus est.

CAP. XV. *Quod pœnitentibus sit misericors religio.*

Pœnitentibus est misericors religio. Tribus modis pœnitet homo : ore tantum, aut corde tantum, aut ore et corde simul. Saul ore, Petrus corde, David ore et cordi simul pœnituit. Tria commisit David erga servum suum Uriam, scilicet perfidiam, homicidium, adulterium cum uxore ejus ; et tamen accusante Nathan propheta, semetipsum judicavit in corde et voce dixit : Peccavi Domino. Quia corde pœnituit audivit ab eodem. Dimissum est peccatum tuum (*II Reg.* XII). Ter negavit Petrus et tamen respexit eum Dominus, quia flevit amare (*Luc.* XXII), lavit enim lacrymis fœdæ contagia linguæ. Tribus modis peccavit Saul : per superbiam, per inobedientiam, per excusationem peccati. Per inobedientiam, peccavit, quando peccatores Amalech non interfecit, quod præceperat Dominus, sed versus ad prædam fecit malum in oculis Domini (*I Reg.* XV). Per excusationem peccati peccavit, cum diceret Samuel : *Quæ est hæc vox gregum quæ resonat in auribus, aut armentorum quam ego audio ?* (*ibid.*) et ait Saul : *De Amalech adduxerunt ea, peperit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolaret Domino Deo tuo, reliqua vero occidimus* (*ibid.*). Seipsum Saul excusat, sed populum accusat. Populus, inquit, pepercit, quod Dominus non præcepit ; nos autem reliqua occidimus, quod præceperat Dominus. Unde Beda super Samuelem : « Saul, inquit, ea quæ, Domino jubente, occisa sunt, se cum populo occidisse, his vero quæ contra interdictum ejus reservata sunt, non se, sed populum pepercisse testatur. » Per superbiam peccavit, cum demum diceret Samueli : *Peccavi, sed nunc honora me coram senioribus populi mei et coram Israel* (*I Reg.* XV). Immoderata Saulis superbia, sed moderata Samuelis humilitas. Honorari reprobus quærit, et honorat propheta reprobum. Sic etiam nostris temporibus inveniuntur multi, qui a magistris spiritualibus redarguti, pœnitentes ore tantum, timent honore privari. Si quidem inter nos tales videmus, aut pati nolumus, aut accusamus, quia incorrigibiles. Samuel autem non tantum patitur, sed etiam honorat. Unde Beda super Samuelem : « Nos quoque in exemplum beati Samuelis decet ergo tales modeste agere. » Neque eos oportet traducere, quos incorrigibiles et divino judicio non dubitamus damnandos, maxime illos quos aliquo gradu ecclesiastico (quem ejusdem Saulis vinctio non indecenter exprimit) cognoverimus insignitos. Sunt enim multi qui detrahunt prælatis, qui quamvis detrahant eis, vellent tamen esse quod illi sunt. Si autem contingat quod volunt, illis quod judicaverant, meliores non sunt. Sicut igitur diximus supra, peccavit Saul per superbiam, per inobedientiam, per excusationem peccati, superbiæque diaboli, prævaricationis Adæ, excusationis Evæ particeps efficitur. Adam contra Patrem, Eva contra Filium, diabolus contra Spiritum sanctum peccavit. Adam Patris bonitatem, Eva Filii sapientiam, diabolus Spiritus sancti benignitatem accusavit. Adam Patris bonitatem, cum diceret : *Mulier quam dedisti mihi*, seduxit *me* (*Gen.* III). Eva Filii sapientiam redarguit, quod non sapienter egerit, quia posuit serpentem in paradiso a quo decepta est. Diabolus autem benignitatem Spiritus sancti ignorat, dum desperando de venia in delicto maximo perseverat, id est, in superbia. Unde Psalmista : *Et emundabor a delicto maximo* (*Psal.* XVIII). Ubi beatus Augustinus : « Delictum, » inquit, « maximum est superbia. » Hi tres sunt qui testimonium dant adversus Saul in cœlo, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus : Pater qui est veritas, de mendacii excusatione ; Filius, qui est Patri obediens usque ad mortem (*Philip.* II), de inobedientia ; Spiritus sanctus, de perseverantia peccati testimonium proferunt. Cavendum igitur nobis est, qui culpas nostras excusamus, qui sumus inobedientes et superbi, ne adversum nos dent hi tres testimonium in cœlo. Superiori non obedivit Saul, nec pepercit inferiori, sed sibi, dum populum sibi subjectum accusat, dum seipsum excusat et recusat præceptum Samuelis. Contra superiorem enim peccat, id est contra Samuelem, quicunque laicus sacerdotem dehonestat. Dignus est enim sacerdotium regno. Quod in Passione Domini figuratum novimus esse per servum pontificis, cui Petrus abscidit auriculam, huic nomen erat Malchus (*Joan.* XVIII), quod interpretatur *rex*. Serviebat enim Malchus pontifici, quia dignius est sacerdotium regno. Mirantur aliqui, forsan dubitantes de damnatione Saulis, hoc quod diximus. Legant Hieronymum contra Jovinianum, et invenient ibidem tres hominum ordines, arietes scilicet, oves et hædos. Inter arietes David numeratur, inter oves Jonathas, inter hædos Saul. Ad sinistram ergo Saul, quia hædi ad sinistram ; Jonathas ad dextram, quia inter oves reperitur. De illo dicit ibidem Hieronymus, quod amore prophetæ dignus erat.

Redeamus nunc ad propositum nostrum, et videamus quomodo pœnitentibus sit misericors religio. Tribus modis pœnitet homo, et tribus miseretur Deus. Peccantem exspectat, desperantem consolatur, et congaudet pœnitenti. Peccantem revocat dono gratiæ, desperantem consolatur per spem veniæ, pœnitentem roborat ex promissis gloriæ. Miseretur et homo homini tribus modis : Miseretur enim prælatus discipulo, discipulus prælato, et discipulus quandoque discipulo. Miseretur quandoque prælatus

discipulo, dum peccantem verbis benigne corrigit, desperantem ad spem per exempla misericordiæ erigit et correctum post commissa diligit. Hæc ideo dico, quia nonnulli sunt qui, cum aliquem familiarem habeant, si peccet, despiciunt, et hoc, quod pejus est, fatentur quod non diligant eos sicut prius. Peccavit Petrus, sed Christus eum non despexit, sed respexit et dilexit. Miseretur et prælato discipulus tribus modis: dum irato non resistit magistro, aut peccanti non detrahit, vel perversum patitur. Iratum enim Saul fugiebat David, purgantem in spelunca ventrem, cum posset, non occidit, perversumque passus est quandiu vixit (*I Reg.* XXIV). Miseretur itidem discipulus discipulo, dum peccanti orando compatitur, aut quando inter se et illum corripit, aut quando peccanti in se benigne dimittit.

CAP. XVI. *Quod perversis severa religio.*

Perversis est severa religio. Servat enim honestatem severitas, levitatem castigat, timetur ab indoctis: ipsa est decor senum, juvenum virga, ornat prælatorum personas, colorat speciem virtutum. Sicut enim rubor mistus candori, si competenter disponatur faciem gratam reddit aspicientibus, sic severitas mista rectitudini, si dulcedine condiatur, vultum religionis decorat. Dulcedo prælati ad pœnitentiam trahit, peccantem discipulum severitas corrigit, rectitudo dat legem delinquenti. Sic nec severitas levitatem patitur, nec dulcedo dissolutionem, nec rectitudo lineam justitiæ transgredi permittit. Unde Psalmista: *dulcis et rectus dominus* (*Psal.* XXIV). Volunt quidam esse severi, sed nesciunt et dum volunt esse severi, crudeles efficiuntur. Iram pro severitate, amaritudinem pro dulcedine, pro rectitudine crudelitatem ostendunt, et sic confunditur vultus religionis, ubi ex flamma crudelitatis ignescunt oculi, pallor miscetur livori, quia procedunt ex ira et amaritudine. Ira prælati peccantem turbat, amaritudo persequitur crudelitas affligit. Ira prælati casum dat perverso, justum vero provocat ad iram. Duæ sunt species perversitatis, scilicet apertæ et occultæ. Sunt quidam adeo perversi, ut quod ipsi male operantur, defendant aperte; quod autem bene alii faciunt, detestentur et impugnent. Incorrigibiles sunt: hoc solum quod volunt, esse bonum credunt; obedientiam autem nunquam aut negligenter implent, humiles fratres provocant, turbant silentium: Talium figuram gestabat Philisthæus ille, qui egressus de castris philisthiim, provocabat filios Israel (*I Reg.* XVII). Cujus magnitudo et amorum diversitas, moraliter statum perversorum (qui magni sunt apud semetipsos) et qualitates morum designant. Ad hunc Philisthæum expugnandum venisse David legitur. Sed hoc bellum tribus modis fit; historialiter scilicet, mystice et moraliter, id est, inter Goliam et David, inter Christum et diabolum, inter quemlibet justum et aliquod diaboli membrum. Præcessit in re, contigit in mysterio, habetur et nunc in moribus. Cum igitur mitteretur David a patre suo Isaï ad visitandos fratres suos, qui erant in exercitu Israel: miserat enim eum, ut narrat historia, pater suus dicens: *Fratres tuos visitabis si recte agant et cum quibus ordinati sunt disce. Venit ergo in Magala ad exercitum: qui egressus, vociferatus erat in certamine. Direxerat enim Israel aciem, sed et Philistiim ex adverso fuerant præparati: et cucurrit David ad locum certaminis, interrogans si omnia recte agerentur erga fratres suos. Cumque adhuc loqueretur David, apparuit vir ille spurius ascendens Goliath nomine, Philisthæus de Geth ex castris Philistinorum* (*ibid*). *Fratres tuos visitabis si recte agant*, dicit historia, *et cum quibus ordinati sunt disce.* Et Dominus in carne veniens visitavit nos, diligenter quæque recte agere, vel cum quibus ordinate vivere debeamus, docens. Quod et moraliter quotidie evenire cernimus, dum prælati quique subjectos suos rectitudinem bonæ operationis docent, vel cum quibus ordinem bene vivendi tenere debeant, instruunt, ne, cum perverso perversus, vel cum tepido fratre noviter conversus societur. Venit David ad exercitum Israel: et invenit eos vociferatos ad prælium, et Philistiim ex adverso præparatos. Veniunt et inveniunt prælati quandoque fratrum discordiam. *Et cucurrit David ad locum certaminis, et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos.* Currunt prælati tam mentis affectu quam gressibus pedum, solliciti de salute suorum, investigantes si recta sunt opera eorum, an adhuc corrigenda videantur. Inquirunt mores, discunt visu et auditu quæ sit discordiæ causa. Unde Beda super Samuelem: « Nunc quoque, inquit, per sua membra Dominus idipsum agere non cessat, cum bonos a malis discernens, his sua munera partitur, illos dimittit inanes. » *Cum adhuc loqueretur David, apparuit ille vir spurius ascendens, Goliath nomine Philisthæus de Geth et castris Philisthinorum.* Loquente vero aliquo justo et docente quæ recta sunt, et inquirente quid noceat, apparet ille spurius, id est, diabolus in corde alicujus descendens. Unde? A cogitatu maligno ad verba convicii, a verbis convicii ad opera perversa, Goliath nomine, id est, revelatus. Quibus? Illis qui dicere possunt: Non enim ignoramus cogitationes ejus. Philisthæus de Geth. Philisthæus, *cadens potione* interpretatur. Cadens ab altitudine superbiæ, potione desperationis imbutus, et oblitus misericordiæ. Geth, quod interpretatur *torcular*, Beda attestante, aptissime multitudinem pravorum designat, civitatem videlicet diaboli, ad bonorum in sæculo tormenta semper exercitatam. Sicut enim in torculari premitur uva, premitur et exprimitur, separatur vinum ab acinis, vinum transit ad convivium Domini; acinis autem datur locus in sterquilinio, sic a multitudine pravorum justi calcantur; et sicut in torculari ab acinis vinum separatur, sic in tribulatione probantur justi, injusti autem tempore tentationis recedunt. De Geth igitur Philisthæus erat, unus de multitudine pravorum. Et cassis ærea super caput ejus, et dorica hamata induebatur; et ocreas

æreas habebat in cruribus, et clypeus ejus æreus tegebat humeros ejus. Cassis, lorica, ocreæ et clypeus, diversa defensionis sunt genera, quibus sui ipsius (qui est caput omnium impiorum) diabolus stultitiam defendere conatur. Moraliter autem perversi casside caput tegunt, dum perversæ actionis intentionem laudant. Sinistrum vero latus obumbrant clypeo, dum sinistram pravæ actionis excusant partem. Ocreas habent in cruribus, quæ est quasi extrema pars corporis, quia usque ad finem in obstinatione perseverant. Lorica induuntur, qua totum tegitur corpus, quando totam defendunt actionem. Hæ siquidem species armorum ex ære factæ perhibentur esse, metallo videlicet cæteris amplius canoro. Quia quidquid agit perversus, non humili confessione profitetur, nec ratione veritatis, sed clamoso strepitu sæcularis eloquentiæ defendit, et per exempla reproborum confirmat. Unde sequitur, *et armiger ejus antecedebat eum.* Armiger Goliæ quilibet reprobus esse potest, exempla cujus antecedunt et adjuvant ad confirmandam perversorum malignitatem. Ex his auctoritas trahitur, ex his sumuntur defensionis arma, et hæc est perversitas aperta. Unde sequitur : *Stans clamabat adversus phalangas Israel.* Stans clamat, quia in elationis monte perversus positus, voce detractionis, blasphemiæ, et scandali humiles fratres qui Deum mente considerant, provocare non cessat. Sic igitur perversitatis caput, est intentio pravæ actionis ; sinistrum latus, pars sinistra ; crura, finis actionis ; corpus, actio tota ; cassis vero, intentionis commendatio ; clypeus, sinistræ partis excusatio; duæ ocreæ perseverantia et obstinatio ; lorica, totius actionis aperta defensio. His armis cognoscitur Philisthæus, cum procedit ad prælium. Sunt autem alii quorum perversitas est occulta, qui consilio suo fratres promovent ad iram, excitant ad rixas, qui consilio suo faciunt insurgere Absalon contra David, id est, filios spirituales contra eorum patres ad discordiam promovent, qui machinantur ut moriatur David in castris, sicut de Achitophel legitur (*II Reg.* XXVII). Sed utriusque severa debet esse religio, ut aperte perversis resistat in faciem, et occultorum consilia mutet. Sic David Philisthæi frontem lapide comminuit, sic Chusi consilium destruxit Achitophel. Frons Philisthæi est cognitio perversitatis. Percutitur ergo Philisthæus in fronte, quando perversitas insipientis agnita, reverberatur a sapiente. Chusi autem interpretatur *silentium ;* Achitophel vero *ruina fratris.* Destruxit ergo consilium Chusi consilium Achitophel ; quia per silentium, eorum qui sunt quasi ruina fratrum, annihilatur consilium. Providet Chuzi ne turbetur exercitus Israel, quia per silentium, impetus et incursus sermonum a conventu fratrum Deum videre cupientium rationabiliter arceantur. Hæc duo ad severitatem, rarus scilicet sermo et rigor sermonis, pertinent. Rarus enim sermo concordiam servat, rigor sermonis corrigit emendanda. Affabilis est severitas non garrula, asperitatem monstrat, sed non est

A litigiosa. Severitas a crudelitate differt ; hæc corrigit, illa cruciat ; hæc justis convenit, illa perversos comitatur. Minatur severitas, sed non maledicit. *Maledixit Philisthæus David, sed non maledixit David Philisthæo. Tu venis*, inquit, *ad me cum gladio et hasta et clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum* (*I Reg.* XVII). Maledicunt Philisthæo multi, nec veniunt ad eum in nomine Domini. Maledicit ille Philisthæo qui, cum et aliquem cadentem potione diaboli properat corrigendum, non humilitatis verba sed superbiæ, non exhortationis sed iracundiæ, non blandimenta sed opprobria profert. Nec venit in nomine Domini ad Philisthæum, qui religioni vel notabilitati suæ, seu etiam scientiæ litterarum,
B qua prævalet, et non divinæ gratiæ tribuit quod perversum corrigit. Sic multi veniunt, et ideo non tradit Deus Philisthæum in manus eorum. Quod non maledixit David Philisthæo, benignitatis est ; quod Deo ascripsit sui adventus efficaciam, humilitatis ; quod autem minatus est, severitatis. Sed quid minatur ? *Auferam*, inquit, *caput tuum a te, et dabo cadavera castrorum Philistiim avibus cœli et bestiis terræ* (*ibid*). Caput Philisthæi, diabolus dicitur ; cadavera vero castrorum Philistiim, carnales affectus reproborum (qui sunt castra diaboli) moraliter designant. Cadaver est quasi caro data vermibus. Sicut enim caro putrida vermibus nutrimentum præstat, sic carnales affectus cogitationes perversas
C nutriunt. Aves cœli illos designant, qui alis contemplationis ad cogitanda cœlestia sublevantur. Bestiis terræ coaptantur illi qui terram suam noverunt excolere, qui necessitati fratrum terrena ministrant, rei familiaris curam gerentes, quos alibi designant *Rachel et Lia* (*Gen.* XXIX), *Martha et Maria* (*Luc.* X). His avibus cœli et his bestiis terræ cadavera castrorum Philisthiim id est, carnales affectus reproborum, dantur ad corrigendum. Sic igitur corrigit aperte religio perversos, sic occulte perversorum providet consilio.

CAP. XVII. *Quod bonis sit optima religio.*

Bonis et optima religio. Bonos facit rerum distributio, meliores mundi renuntiatio, optimos au-
D tem religionis cohabitatio. Mundus bonis et pessimus, religio vero bonis et malis est optima. Facit enim quandoque de malo bonum, de bono meliorem, de meliori optimum, et hoc fit quando visitat impium Deus. Unde Psalmista ; *Visitasti terram et inebriasti eam* (*Psal.* LXIV). Visitat Deus et bonam et malam terram, terram meliorem, et terram optimam. Per timorem terram malam visitat, bonam per incipientem charitatem, meliorem per abundantem, optimam per perfectam. Visitat Deus terram malam, quando aliquis timore judicii compungitur, et ab illicitis abstinet. Bonam vero per incipientem charitatem visitat, quando sua distribuit aliquis, renuntiat mundo, mutat habitum, tenet pacem cum fratribus suis, nisi calumnietur ab aliquo; si autem calumnietur, calumniam non patitur, sed adhuc le-

viter turbatur, irascitur et odit. Claustri tædium non æquanimiter portat, vilitatem et identitatem ciborum abominatur. Cibus vero animæ, quod est verbum Dei amarus videtur ei, si aliquoties arctius corrigatur. Sic Filii prophetarum cum venissent ad domum Elisei, præcepit Eliseus coquo suo ut refectionem eis pararet. Cum autem gustassent illi pulmentum in herbis coctum, et invenissent amarissimum, cœperunt clamare : *Mors est in olla homo Dei, mors est in olla homo Dei* (*IV Reg.* IV). Olla Elisei differt ab Ægyptiis ollis. Illæ quidem carnium sunt, hæc pulmentorum herbaceorum. Illæ adipe pinguium condiuntur, unde procedit iniquitas, hæc Elisei farina dulcoratur, quæ est charitas. Illarum dulcedinem sequitur amaritudo, hujus vero amaritudinem sequitur suavitas. Surgens Eliseus accepit farinam quam ipse habebat, et posuit in ollam, et sic factum est dulce, quod prius amarum exstiterat. Eliseus qui *solaris* interpretatur, Christum designat, cocus doctores, pulmentum verbum Dei, farina charitatem. Ponit ergo Eliseus farinam in pulmento, quando aliquis per abundantem charitatem visitatur a Domino, ut cui grossior cibus fastidio prius exstiterat, vel qui leviter irasci consueverat aut obedientiæ contradixerat, nunc obediat, frugalitatem sequatur, inimicum diligat. Abundat enim charitas, cum diligitur inimicus, sed non est perfecta, nisi parata sit mori pro proximo. *Nemo* enim *charitatem habet majorem, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV). Perfecta vero charitas inimicum diligit, pro proximo mori non pertimescit, hæc foras mittit timorem, hæc Dominum diligit et sustinet. Unde Psalmista : *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (*Psal.* XXVI). Exspecta per spem, ne desperes per timorem, viriliter age per incipientem charitatem, et confortetur cor tuum per abundantem, ut sustineas Dominum per patientiam perfectæ charitatis. Sic igitur bonis est optima religio quia ducit ad perfectionem. Sufficiant nunc quæ de novem beneficiis religionis dicta sunt, ut adhuc aliquid quasi in transitu de cohabitatione ejusdem breviter tangamus.

CAP. XVIII. *Quatuor sunt in religione diligenter notanda.*

Quatuor sunt in religione notanda. Suavis est enim et mitis, quieta et secura. Suavis est in cohabitatione, mitis in sermone, quieta in mente, secura in actione. Nec tamem sic suavis est ut sit indiscreta, nec sic mitis ut patiatur injusta ; nec sic mente quieta, ut bonum non cogitet ; nec sic secura, ut Dominum non timeat ; sed sic secura, ut pro timore humano ab opere bono non desistat. Religio assimilatur mulieri castæ, quæ ab aliquo diligitur ut ducatur in uxorem, ideo scilicet quod pulchra sit, quod divitiis abundet, quod de genere nobilium sit, quod sapiens sit, in pulchritudine illius delectetur, et de nobilitate filiorum glorietur, ut augeantur sua illius censu, et serventur sensu. Huic mulieri assimilari potest religio, quæ pulchra est in contemplatione, sapiens est in circumspectione, nobilis quia libera a peccati servitute, dives hæreditate, cujus hæreditas est regni cœlestis æternitas. Amat luxuriosus speciosam, sed non amat castam, si quandoque carnalis animus tactus pulchritudine religionis, ejus induit habitum. Cum autem castitatis munditiam reperit, displicet quod placuerat. Sic uxorem Abræ, quam rex Ægypti propter pulchritudinem rapuerat, intactam reddidit marito dicens : *Ecce*, inquit, *uxor tua ante te, accipe eam, recede hinc* (*Gen.* XII). Super hunc locum beatus Ambrosius in secundo libro quem fecit de Abraham : « Intueamur, inquit, animo aliquem intemperantem, qui invitus castitatis gratiam quodam ejus captus decore sequendam putet, deinde pedissequas ejus nesciens, quibus incedit comitata, sobrietatem scilicet et modestiam ac verecundiam, parcimoniam cibi, fugam lasciviæ, seriem cautionem, sollicitam custodiam, subitoque ebrietatis successus calore, aut ipsius carnis æstu, aut occursu formæ decentioris, nequaquam se teneat, nec carnis legi repugnet, nonne dicit : « Putabam rem faciliorem castimoniam sequi. Supra humeros meos, supra vires meas est, rarus cui ista jungatur. » Recedat ergo, recedat de finibus sensuum meorum. Et conversus ad aliquem monitorem sui, qui studuerit in ejus mentem inducere assuetudinem castimoniæ dicens non arduam fore nec impossibilem, sed pluribus sociam, finitimam studiosis, convenientem voluntariis. « *Quid hoc*, inquit, *fecisti mihi?* » quare non dixisti mihi, quia uxor tua est? hoc est, quod non perfunctorie sed legitimo teneatur conjugio, sed dixisti sororem tuam ? Quis ignorat, fratres, nostris temporibus hoc in Ecclesiis evenisse ? Sunt enim nonnulli qui delicatam ac voluptuosam esse credunt religionem, expertem laboris, vacantem otio, habitum religionis indiscrete capiunt, votum faciunt, professionis vinculo constringuntur. Cum autem religionis ordinem et consuetudines ejusdem adversantes carni noverint, in hæc verba prorumpunt : « Putavimus, inquit, pondus religionis levius esse. » Quis enim potest ferre claustri tædium, diuturnitatem silentii, pondus laboris, parcimoniam cibi? Sic ergo uxorem suam reddunt Abræ, expellentes eam ut liberi remaneant in Ægypto. Abjiciunt enim habitum religionis, et in desideriis suæ carnis perseverant. Abram vero ascendit ab Ægypto in Bethel, id est, carnalium voluptatum consortia deserens, in domo Dei manet. Hoc enim interpretatur Bethel *domus Dei*. Abraham religionis est forma, exemplum cohabitantium. Tria sunt, quæ pacem cohabitantium turbare solent, id est, quando aliquis movetur ad iram pro seipso, vel pro amico, vel pro commodo. Hæc tria removit Abraham dum habitaret cum nepote. Primum removit dicens, *non* sit rixa *inter me et te ;* secundum, cum diceret, neque *inter pastores meos et pastores tuos* (*Gen.* XIII). Tertium possit : Ecce, inquit, tota terra ante te, hoc est, si de me, si de amico, si de possessione dissensio est, omnibus cedo si autem mori-

bus non convenit, discede a me. O quanta promisit nepoti Abraham, ne cogeretur a nepote discedere. Sed etiam virtutis est hoc, ac disciplinæ. Dixit enim ante nos quidam philosophus, quatuor hæc bono viro inesse, ut laboret. Primum, ut omnes sibi amicos faciat. Secundum, ut si non potest facere amicos, non faciat inimicos. Tertium, ut si istud non suppetit, sententia communi discedat. Quartum autem, ut si quis cedentem persequatur, vindicet se ut potest. Sed illa tria superiora in operibus Abrahæ cognoscimus, quartum autem non ita est, quando etiam circa cedentem servavit, affectum parentis, ut eum non solum non persequeretur, sed etiam captum liberaret ac erueret. Denique cum Apostolus tria illa doceat, A quartum præceptis suis solvit, quod addiderat philosophia. Ait enim, cum discipulum, vel pacificum populum informare vellet : *Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII). Deinde si hoc non potest, certe nec discordias, nec inimicitias. Ideoque addidit : *Non vindicantes, charissimi* (*Ibid.*) In quo tertium illud concluditur, ut vindicare nos nequaquam velimus, sed *date*, inquit, *locum iræ* (*Ibid.*). Habes et quartum, ut discedas magis, et vindictam Deo committas quam tibi exigas. Nunc autem, fratres, quia primi libelli spatium dilatavimus, in pace cohabitantes, et nosmetipsos per patientiam invicem supportantes, Deo autem vindictam committentes, finem ponamus.

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

Locuturus, charissime, de iis quæ ad ædificationem claustri materialis pertinent, quibusdam forsitan solito gravior apparebo, neminem tamen condemnans, sed eos qui remotiores sunt a sæculo, laudans, monens eos, qui multa et periculosa possident, docens illos qui paupertate et humilitate gaudent. Scio tamen multos esse in majoribus ecclesiis, qui licet multa possideant, in aliis tamen paupertatem amant, possident ea tanquam non possidentes, utuntur possessis quasi non utentes, exempla paupertatis diligunt, et ea quæ de paupertate scripta sunt, ut studiose legunt legentes, seipsos conspiciunt, et sub onere divitiarum gemunt. Hi sunt pauperes spiritu, non habitu. Nos autem ad oculum pauperes sumus, locum mutavimus, non animum, vestem, non mentem. Sunt etiam in majoribus ecclesiis aliqui sublimes oculis, inflati superbiæ spiritu, qui pauperes fratres cum supervenerint, ex latere respiciunt, derident eos, detrahunt illis, vacantes otio, ponentes symbolum, quasi canes dente livido ossa pauperum fratrum corrodentes, odientes saccum Hieronymi, tunicam Benedicti, matulam Eulalii, lacrymas Arsenii, nuditatem Pauli, ollam Elisei. Ab his igitur, frater charissime, sicut superius oravi, longe fac nomen tuum.

CAP. I. *De ædificatione claustri materialis.*

Quoniam de ordinatione claustri materialis, frater, aliquid mediocritatem sectando dicturi sumus, ordine congruo consideranda vobis quatuor occurrunt, scilicet qui sint, qui teneant ordinem, aut quid teneant, ubi maneant et unde vivant, ut plures sint et boni propositi, ut cohabitandi suppetant ædificia et victui habeant necessaria. Sit tamen in numero circumspectio, in proposito devotio, in ædificiis mediocritas, in rebus possessis frugalitas, ne si creverit turba, nascatur turbatio, aut pro difficultate propositi suprebat desperatio, B ne ex ædificiorum magnitudine subintret elatio, aut ex abundantia rerum se inserat tentatio. *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationes et in laqueum diaboli* (*I Tim.* VI).

CAP. II. *De numero fratrum recipiendorum.*

Tenenda est, ut diximus, primum circumspectio in numero fratrum, ut tot simul habitent, qui ordinate vivere possint, ne vel excusante paupertate irregulariter vivant, vel pro multitudine cohabitantium, necessitati eorum illicita quærant. Qui enim multos congregant, necesse est, ut eorum victui multa quærant. Sed dum quærunt plura, crescit exteriorum cura, sparguntur per diversas regiones ecclesiæ beneficia, sparguntur et fratres, soli inter sæculares habitant nolentes pati C fraudem, sed judicio contendere parati. Qui vero per cellulas duo, vel tres, vel etiam quatuor, aut quinque simul habitant, claustrali non coarctantur lege, loquuntur et quando, et cui, et quomodo volunt. Nec horum tamen, sive illorum vitam accuso, sed quid in utrisque periculi lateat, annuntio. In his autem quidam monachi, quos hæredes beati Benedicti novimus esse, discretionem servant, ut si fratrum superabundet numerus, et detur eis possessionis locus remotior, non minus quam duodecim fratres transmittunt, ne religionis opus paucitatis negligentia corrumpatur.

CAP. III. *De temperantia et compassione erga fratres habendis.*

D Propositi nostri deinde temperanda est institutio, ne vel dissoluti vivamus in deliciis, aut arduitate propositi desistamus a cœpto. Ait enim beatus Ambrosius super Psalmum *Beati immaculati* : « Quid dicam de his ? Sunt enim in nobis qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eis est, quia videntur sibi consulere, sed inscientia in eis, quia non compatiuntur

ıaturæ, nec æstimant ejus possibilitatem. » Com- A ›atiamur itaque naturæ : non est enim extra na- uræ ordinem compati, nec hi tamen ut sit ad ıimiam delectionem carnis compassio, sed ad su- tentationem. Est et compassio, de proposito no- tro. Ait enim beatus Augustinus in regula, quam ıobis tenendam proposuit : « Si iis, qui venerunt x moribus delicatioribus ad monasterium, ali- [uid alimentorum, vestimentorum, operimento- umve datur, quod aliis fortioribus et ideo felicio- ibus non datur, cogitare debent quibus non atur, quantum de sua sæculari vita illa ad istam escenderint, quamvis usque ad aliorum, qui sunt orpore firmiores, frugalitatem pervenire nequi- erunt. » Ordinet igitur nostri propositi legem ıediocritas quæ novit æqualiter omnibus sua B ›artiri.

ʼAP. IV. *Ut ædificatio fratrum extra cohabitationem sæcularium fiat, et sit modesta.*

Congruum videtur nobis ædificia fratrum extra ohabitationem sæcularium debere constitui, ne ilentium claustri, sive dormitorii quies tumul- uantis populi strepitu conturbetur ; ne, dum lin- ·ua tacet, respondeat cor, vel, dum corpus quie- əm recipit, animus sit inquietus. Ædificia fratrum on superflua sint, sed humilia ; non voluptuosa, ed honesta. Utilis est lapis in structura, sed quid ›rodest in lapide, cælatura ? Utile hoc fuit in con- tructione templi, erat enim forma significationis t exempli. Legatur Genesis in libro, non in pa- iete. Vestitur Eva in pariete, pauper autem juxta C ›arietem nudus accubat. Datur Adæ tunica pelli- ea, fratrum vero multitudo coarctatur hiemali ıolestia. Liceat hoc (si cui licitum esse debeat) il- s, qui urbibus aut in vicis morantur, ad quos onfluit populi frequentia, ut simplicitas eorum əneatur delectatione picturæ, qui non delectantur ubtilitate Scripturæ. Nobis autem, qui solitudine electamur, utilior est equus, aut bos in agro, ıuam in pariete. Hic satiant oculos videndo, ibi la- ›orant necessitati subveniendo. Hospitum domus uas esse volumus : unam, quæ fratribus qui re- gionis habitum gerunt, sive etiam quibusdam per- onis sæcularium (quos abbatis, seu fratrum pro- identia ibidem suscipiendos decreverit) deputetur ; liam vero domum remotiorem illis suscipiendis vo- D umus esse deputatam, qui lingua vel habitu clau- tralium pacem turbare possunt. Sic igitur servan- la sunt tria in ædificiis, id est, positio, dispositio, ompositio : ut positione sua removeantur a sæcu- aribus, dispositione vero sæculares removeant, ompositione non superflua sint sed utilia.

Cap. V. *Quæ fratribus possidere liceat.*

Agros, vineas, pecorum greges, hortos, prata, acus nutriendis piscibus aptos, fratribus haben- los concedimus : hæc enim victui necessaria præ- əent. Decimas vere non recipiant, nisi de illis quos ncolunt agris, non villas, non earum reditus, non ura fori, non telonei nummos, non transeuntium nercatorum laboriosos, ut ita dicam, recipiant ›bolos. Quæ enim justitia est, ut si vendiderit ovem vidua, jure fori nummum reddere cogatur ? Non obtineant judicis vices, nec more principum militibus dominentur, sed oppressis subveniant, et pauperum fratrum ministrent obsequiis. Quatuor sunt nobis in rebus possessis observanda, scilicet ne licita injuste acquiramus, aut juste acquisitis illicite perfruamur, ne multa quamvis licita possideamus, aut illicita licite defendamus. Male enim acquirere, aut male uti acquisitis, de licito facit illicitum. Multa vero possidere propinquum est cupiditati, et sic quandoque quod nimium diligitur, male defendi solet. Duo sunt, quæ illicite acquirere solent, id est cupiditas et superbia, et duo, quæ male fruuntur acquisitis, id est, gula et luxuria : duo sunt quæ male possidere volunt, id est, prodigus et avarus, unus ut congreget, alter ut dissipet ; et duo, quæ possessa defendunt, id est, intemperantia et prudentia mundi. Superbia diabolo clausit cœlum, gula primo parenti abstulit paradisum, avaritia diviti aperuit infernum, intemperantia vero adhuc corrumpit mundum. Hæc omnia, frater, divitias sequuntur. Est enim vitiis locus in divitiis, virtutum vero sedes humilitas, humilitatis autem locus est paupertas. De qua beatus Gregorius : « Paupertas, inquit, bonis mentibus solet esse custos humilitatis. »

Cap. VI. *Quod tria sint in cibis consideranda.*

Quoniam per esum primi parentis culpa sumpsit initium, ideo cavendum nobis est, ne sicut ille per escam paradisi meruit expulsionem, ita et nos arceamur ab ingressu. Sunt igitur tria in cibo consideranda, id est, quid et quando, et quantum comedamus, scilicet cibi species, hora et mensura, ne illicitum, aut extra horam, aut ultra mensuram aliquid sumamus. Illicitum comedit Adam in paradiso, et expellitur (*Gen.* III) ; extra horam Jonathas, et a patre maledicitur (*I Reg.* XIV) ; populus vero Israel ad sepulcra concupiscentiæ ultra mensuram, et occiditur (*Num.* XI). Transgreditur Adam præceptum Domini ; frangit Jonathas quod observabat multitudo populi ; decipitur Israel in saturitate cibi. Sic igitur transgressio meruit expulsionem ; negligentia vox communis maledictionem ; saturitas mortem. In his, fratres, quotidie decipimur, dum murmurantes in deserto cum Israele, ad Ægyptias carnes et ollas suspirantes (*ibid.*) et præcepta prælatorum transgredimur, et quod communiter a fratribus tenetur, negligenter observamus. Nunc transeamus ad ea quæ necessitati fratrum mediocritas concedit habenda. Fructibus arborum, et terræ nascentibus utantur, butyro, aut oleo seu lacte non sagimine eorum pulmenta condiantur. A carnibus abstineant, nisi aut necessitate, aut dispensatione extra conventum alicubi concedatur. Vino liceat uti fratribus in conventu, sed tamen vitandum summopere nobis esse credimus (quod cum verecundia dicturi sumus) ne, scilicet quod misericorditer conceditur, ut a quibusdam fieri solet, quasi ex debito requiratur. Non enim promittimus, sed concedimus. Si autem locus aut paupertas quod concedimus negaverit, iis,

quæ regio aut possessio ministraverit, sine murmure utantur. Nemo igitur nostri propositi abhoreat abstinentiam, quæ de omnibus ciborum generibus solum carnis excludit visum, cætera vero concedit, et benigne subministrat. In iis ciborum generibus, quæ necessitati fratrum licita esse diximus, tria sunt observanda, id est, modus, mensura et numerus : modus, ut moderate utantur appositis ; mensura, ut apposita sustentatione non delectationi sufficiant ; numerus, ut ex aliquo appositorum reficiantur, ne abstinentia nimia caro afflicta deficiat, aut saturitate luxurietur. In mensura debet esse æqualitas, non quantitatis, sed sufficientiæ. Unde beatus Augustinus : « Non æqualiter, inquit, omnibus, quia non æqualiter omnes valetis. » Hæc æqualitas est non quantitatis, sed sufficientiæ. Tunc enim res æqualiter dividitur, cum ille, qui dividit, prout cuique opus est, singulis partitur. In hoc multi multoties decipiuntur, cum delicatiori alicui usum cibi lautioris concessum viderint. « Non est, inquit, hæc æqua religio, quæ personas recipit, divites honorat : et sic contingit, ut ait beatus Augustinus, detestanda perversitas, ut in monasterio ubi, quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati. Ili mensuram quærunt voluptatis, non necessitatis.» Quatuor per similitudinem dicuntur esse mensuræ, id est, mensura avaritiæ et voluptatis, mensura dispensationis et necessitatis. In his lex, quæ inter ementes et vendentes habetur, per similitudinem potest asignari. Avaritiæ mensura est nimia parcitas, mensura vero voluptatis superfluitas, mensura dispensationis, benignitas, mensura necessitatis, sufficiens æqualitas. Avaritia subtrahit necessitati, voluptas excedit necessitatem, dispensatio necessitati misericorditer addit, necessitas debitum indigentiæ requirit. Solent mercatores quandoque duabus mensuris uti : una, qua vendentes sua distribuunt, quæ minor est ; altera vero, qua ementes aliena recipiunt, sed hæc major est, major est ipsis, minor est proximo. Si quidam prælati avaritiæ et voluptatis mensura utentes, nimiæ parcitatis vasculo subjectis ministrant, ipsi autem pleno superfluitatis utuntur modio. Parcitatem prædicant subjectis, sed ipsi voluptatem sequuntur. Sunt et alii mercatores, qui rectis utentes mensuris ementi munus ex sola benignitate misericorditer impendunt, quibus benignitas quorumdam prælatorum comparatur, qui cum subjectis necessaria provideant, addunt etiam quandoque minus perfectis aliqua voluptuosa, ne deficiant. Utamur igitur in domo religionis mensura discretionis, hæc est enim mensura, quæ singulis sufficiens est.

Cap. VII. *De numero ferculorum.*

De numero autem ferculorum diligens est habenda consideratio, ne si multis offeras unum, alicui sit ingratum ; aut si numerositatem ferculorum concedas, vitium superfluitatis incurras.« In diebus igitur jejuniorum, duo fercula cocta sufficiant ut sicut ait beatus Benedictus, qui non possunt ex uno, ex alio reficiantur.» Tertium vero ex terræ nascentibus, seu ex alio aliquo, quod crudum vesci possit. In cæteris vero diebus propter causam, quam supra diximus, in hora prandii duo fercula cocta, in cœna vero unum crudum. seu coctum pro voluntate disponentis habere liceat. Præter hæc autem sunt et alia pietatis fercula, quæ ad prælatorum dispensationem pertinent, licet enim prælatis præter hæc, quæ concessa sunt, aut fratribus generaliter, aut alicui de mensa sua, aliquod ex condescensionis benignitate transmittere, nec tamen eis injustum videri debet, quos fecit aliqua consuetudo fortiores, si minus pati valentibus, sive illis, qui nimium patiuntur laborem. aliquoties pietas magistri provideat.

Cap. VIII. *De habitu, et numero vestium.*

Vobis, fratres, dicitur : Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quatuor autem sunt in habitu religionis notabilia, id est vilitas et superfluitas, paucitas et pretiositas, In vilitate vana gloria et simulatio, in pretiositate superbia aut delectatio ; in paucitate intolerantia aut desperatio ; in superfluitate vero amor seculi, non amor Dei, amor palatii, non amor paradisi notantur. Utamur igitur mediocritatis mensura, et audiamus Apostolum dicentem : *Non in veste*, inquit, *pretiosa* (*I Tim.* II). Et Hieronymus contra Jovinianum monachum : « Grandis, inquit, exsultatio est animæ, cum parvo contentus fueris, mundum habere sub pedibus, et omnem ejus potentiam, epulas, libidines, (propter quæ divitiæ comparantur) vilibus mutare cibis, et grossiori tunicæ compensare.» De diversitate vestium a diversis diversa dicuntur. Volunt enim quidam inter purpuram et saccum, inter sericum et cilicium linum esse medium. Nos autem, qui non sumus de domo regia, sed de Ecclesia, in medio lanam locamus ; quæ nec asperitate nimia quemquam perurget, nec multum recedit a suavitate lineæ vestis. « Qui enim induuntur mollibus, in domibus regum sunt (*Matth.* I). » in deserto vero non vestis suavitas, sed asperitas quæri debet. Unde beatus Augustinus : « Fateor, inquit, de veste pretiosa erubesco.» Et beatus Hieronymus : « Saccus, inquit, et jejunium, arma sunt pœnitentiæ, et remedia peccatorum, quia inanis venter, et habitus luctuosus ambitiosius Deum deprecantur.» Sufficiant igitur unicuique fratrum nostrorum tunicæduæ, pellicea una super pellitium, pelles sine pallium, cappa, femoralia, caligeæ, pedules, et propter laborem scapulare. Lectualia vero hujusmodi erunt, culcitra de floccis linea, capitale linteum, auricularium, cingulum, cultellus, pecten, acus.

Cap. IX. *De iis, qui vagi et otiosi fratribus laborantibus detrahunt.*

Laboros manuum tuarum quia manducabis. Beatus es, et bene tibi erit (*Psal.* XXVII). Quid autem erit illis, qui *in labore hominum non sunt?* (*Psal.* LXXII.) Ipsi non flagellabuntur levibus pœnis, sed tormentis gravioribus cruciabuntur. Quid autem dicam de eis, qui vagi et otiosi vacantes fabulis, et inundantes animæ verborum fratribus labori manuum statutis

horis instantibus subsannantes detrahunt? *Nunquid non labor labiorum ipsorum operiet eos?* (*Psal.* CXXIX.) De his inordinate, et non secundum formam apostolicam ambulantibus, ad Thessalonicenses scribit Apostolus dicens: *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis* (*II Thes.* III). Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, die ac nocte laborantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos daremus formam vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hoc denuntiavimus vobis, quod si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.

CAP. X. *Ut prælatus sit sapiens, non negligens.*

Possunt hæc omnia, quæ superius diximus, ordinata servari, nisi negligentia prælatorum præpediantur. Si enim caput languidum fuerit, cætera quoque membra erunt debilia. Caput membra sequuntur, et discipuli magistrum. Tria sunt autem capita, scilicet corporis, congregationis et mentis. In singulis siquidem capitibus aures sunt et oculi, habet enim prælatus oculos, quoslibet fratres discretos, qui quod in subjectis vident, renuntiant. Habet et ratio mentis oculos, actuum scilicet et contemplationum. Debet igitur, prælatus sapiens esse, non negligens. *Oculi*, autem, *sapientis in capite ejus* (*Eccl.* II), id est, in Christo, ut se talem subjectis exhibeat, qualem se Christus discipulis præbuit imitandum, ut cum apostolo dicere possit: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV). In tribus maxime prælati Christum imitari debent (quia in loco Christi sunt), id est, in dignitate, potestate et officio. Fuit Christus sacerdos, rex, et minister. Sacerdos, cum in ara crucis seipsum hostiam daret; Rex cum a ligno regnaret; minister, cum Petri pedibus aquam ministraret. Sacerdoti igitur dignitas, regi potestas, ministro competit officium; dignitati debetur reverentia, potestati obedientia, officio cura. Duo igitur ex his debentur prælatis, tertium subjectis. Reverentia et obedientia prælatis exhibenda est a subjectis, cura vero subjectis impendenda est a prælatis. Quid? nonne in his subjecti prælatos imitari debent? Non. Sed cum viderint prælatos in dignitate humiles, in potestate mites, in administratione curæ familiaris servientes, sint ipsi humiles, mites, injuncta officia benigne suscipientes. Sunt enim quidam, qui prælatorum occupationem accusant, ingressus et egressus eorum damnant. Causas eorum ignorant, et si cognoverunt, turbant. Consiliis se ingerunt, cur. quomodo, a quo factum sit quærunt. Sic Maria, quæ in silentio debet esse, Marthæ detrahit, et quæ

A verba Domini audire consueverat, verbositati servit. Hæc est falsa Maria. Est enim vera Maria et falsa Maria; vera Martha et falsa Martha. Vera Maria tacet, audit, lacrymatur; falsa Maria conqueritur quod non egrediatur, quod exteriora non ordinet, quod sæcularibus non admisceatur. Vera Maria emit unguentum, frequentat sepulcrum, ut ungat mortuum. Emit pretio boni operis, frequentat desiderio devotionis, ungit verbo consolationis. Falsa Maria vendit, frequentat non sepulcrum, sed forum. Timeo autem, ne cum redierit, cum fatuis virginibus clausam inveniat januam (*Matth.* XXV). Vera Martha conqueritur, quod sola ministret, quod solitudine rei familiaris turbetur, quod cum sorore verba Domini non audiat. Sed quid dicit ei Dominus?
B *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium* (*Luc.* X). Docet Christus quid sit necessarium; *unum*, inquit, id est, ut idem semper sit animus, ne frangatur adversis, ne prosperis elevetur. Hinc et de Anna dicitur: *Et vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati* (*I Reg.* I). Vultus in diversa non mutantur, quando mens post virtutes ad vitia non inclinatur. Sic et *post aquæ motum in piscinam multi descendebant, et sanabatur unus* (*Joan.* V). Et Psalmista: *Unam petit a Domino* (*Psal.* XXVI). Unitas igitur vitæ, sanitas est animæ. Falsa vero Martha, quod sola ministret, non conqueritur, sed solis exterioribus delectatur. Sed quia similis similem quærit, vult tamen habere sociam falsam
C Mariam. Quibus licet unum esset necessarium, unum tamen est contrarium; quia cum unitatem servare deberent, detractioni student. Tales prælatorum dignitatem non reverentur, nec potestatem timent, sed abutuntur lege claustrali, et claustri statuta turbant.

CAP. XI. *Quod duodecim sunt abusiones claustri.*

Duodecim autem sunt abusiones claustri, quibus tota religionis summa turbatur, id est, prælatus negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, monachus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreverentia juxta altare. Immoremur igitur in singulis de singulis pauca disserentes.

D CAP. XII. *De prælatis negligentibus. Abusio prima.*

Sunt quidam, qui sciunt et possunt, et volunt præesse; quidam, qui sciunt, et possunt, sed nolunt; quidam, qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt; quidam qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt. Scire, et posse, et velle, charitatis est vel superbiæ; scire, et posse, et nolle, humilitatis vel inertiæ; nec scire, nec posse, sed velle, cupiditatis et stultitiæ; nec scire, nec posse, nec velle, discretionis et providentiæ. Qui enim sciunt, et possunt, et volunt præesse, si velint prodesse, charitatis est, alioquin superbiæ. Qui vero sciunt, et possunt, et nolunt, humilitatis est quod renuunt, inertiæ vero cum sciant si omnino desistunt. Qui autem nec sciunt, nec possunt. sed volunt, ambitionis videtur esse, quod volunt stultitiæ si velint, quod nec sciunt, nec

possunt. Illi siquidem, qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt, prudenter agunt. Summa est enim discretio, nolle quod non potes, providere quod nescis. Quatuor ex his, quæ prædiximus, id est, stultitia et inertia, ambitio et superbia negligentiam generant. Reliqua vero quatuor, id est, providentia et discretio, humilitas et charitas, ipsam negligentiam, etiamsi nutrita fuerit, eliminant. Ad providentiam siquidem pertinet consilium, ad discretionem judicium, ad humilitatem custodia, ad charitatem diligentia. Consilium providentiæ separat a bonis mala, judicium discretionis eligit quæ meliora sunt, humilitatis custodia virtutum evitat damnum, diligentia periculum. In his negligentia locum non habet. Illos vero qui providentiæ oculos stultitiæ caligine coopertos habent, qui ab exercitio boni operis inertes torpent, qui per cupiditatem a voluptuosa distrahuntur, et per superbiam humilibus non condescendunt; illos, dico, negligentia possidet, et eorum dissolvit actiones. Per stultitiam intrat negligentia, per inertiam manet, ambitionis desiderio pascitur, per superbiam regnat. Audiat igitur negligens pastor, quid sibi et diligenti pastori dicatur. *Bonus pastor*, inquit, *animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius vero fugit* (*Joan.* x). Animam suam pro ovibus suis ponit, qui periculosum regiminis ascendens locum, clauso silentii ostio, claustralium gregem in pace custodit. Animam ponit, qui ad sustinenda jurgia causa rei familiaris solus exit, qui inter adulantium et detrahentium linguas medius incedit, qui pro infirmis laborat, et laborantes pascit, consolatur pusillanimes, et cum superbis increpando contendit. Talis pastor dicere potest : *Cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* x). Cognoscunt oves pastorem, quem sæpe vident præsentem, quem familiaritas notum, beneficentia reddit amicum. Oves vero pastor agnoscit, dum subjectorum mores et actus diligenter attendit. Unde scriptum est : *Considera diligenter vultum pecoris tui* (*Prov.* XXVII). Vultum pecoris considerat, qui quid singuli subjectorum possint, non ignorat cui per confessionem corda, per circumspectionem opera, per experientiam quid possint, per effectum quid velint, ratio manifestat. *Et vocem*, inquit, *meam audiunt* (*Joan.* x). Tres sunt pastoris voces, suavis scilicet, dulcis, alta. Suavis ad infirmum, ad morientem dulcis, ad surdum pertinet alta. Infirmatur autem qui tentatur, moritur qui desperat, surdus est qui non audit : audiunt autem, qui obediunt. Audit enim quandoque infirmus vocem suavem consolationis, desperans dulcedinem obsecrationis, surdus asperitatem increpationis. *Et sequuntur me meæ* (*ibid.*). Oves pastorem sequuntur. Quem? illum qui præcedit. Quo? ad vitam, si diligens; ad mortem, si negligens præcedat. *Si* enim *cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt.* (*Matth.* XV). Quomodo præcedunt? vita et doctrina. Sic *fiet unum ovile, et unus pastor* (*Joan.* x) : pastor unus debet esse in se, et unus cum grege; unus in se, ut quod docet verbis, impleat opere ut

A per iracundiam non mutetur a mansuetudine, non elevetur prosperis non frangatur, adversitate, sed idem permaneat patientia perseverante. Tenet autem pastor unitatem cum grege, quando non dividitur a subjectis per pretiosiorem habitum, vel per delicatiorem cibum, dum fit unus per compassionem cum infirmis, per dispensationem cum delicatis, ut cum Apostolo dicere possit : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (*I Cor.* IX). Pastor vero negligens fugit. Sunt quidam prælati, qui fugiunt, quod precipiunt. Cum onera gravia et importabilia imponunt, et ea digito movere nolunt, fugiunt quod præcipiunt; fugiunt, cum se subtrahunt; fugiunt, cum per alienas domos vagantes discurrunt; fugiunt, qui quæ sua

B sunt quærunt; fugiunt, licet præsentes sint, qui cum negligentias viderint, se sub silentio abscondunt; fugiunt, qui remoti a conventu suo otio vivunt, qui a communi fratrum consilio recedunt, qui prava agunt et reprehendi nolunt. Unde beatus Gregorius : « Libet, inquit, ut dum licenter etiam illicita faciunt, subditorum nemo contradicat. » Et in eodem : « Cunctis se existimat prælatus amplius sapere, quibus se videt amplius posse. » Hoc amant, scilicet videri sapientes, et esse potentes, hæc causa fuit angelicæ et humanæ ruinæ. *Ponam*, inquit angelus, *sedem meam ad Aquilonem* (*Isai.* XIV). Et homini dixit : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* I). Timeat igitur prælatus, quod meruit homo et angelus. Angelus enim, cum

C vellet esse potentior, corruit; homo, cum vellet videri sapientior, desipuit. Sunt et tres species negligentium prælatorum scilicet qui bene vivunt, et subjectos male vivere permittunt : quidam male vivunt, et subjectos bene vivere cogunt; quidam male vivunt, et subjectos male vivere volunt. Qui bene itaque vivunt, et subjectos male vivere permittunt, exemplo quidem præcedunt; sed, dum corrigendo non increpant errantes, delinquunt. Licet enim bene vivant, necesse tamen est, ut de grege sibi commisso, gregis Domino rationem reddant. Cur suscipiunt curam gregis, et fugiunt pondus laboris? Si nesciunt, cur suscipiunt? si sciunt et peccare permittunt, cum soli bene vivere possent, cur mortem incurrunt? Tales prælati nutriunt filios

D Heli, qui cum mulieribus, quæ observant ad ostium tabernaculi, dormiunt; qui venientes in Silo, sacrificare non permittunt, sed antequam incendatur adeps, carnem crudam rapiunt (*I Reg.* II). Quasi filii sunt Heli, qui sub prælatis bene viventibus male vivunt. Qui cum mulieribus dormiunt, cum vel hoc realiter agunt, vel cum carnis desideriis se conjungunt. Illos qui veniunt in Silo, ne sacrificent impediunt, cum noviter conversos verbis et exemplis ab exercitio bonæ actionis avertunt. Accendi non permittunt adipem, quia exstincto charitatis igne non infundunt bonæ actioni cordis dulcedinem. Carnem crudam, non coctam quærunt, quia tribulationis ignem fugientes, paupertati et labori se subtrahunt. In

camino etenim paupertatis decoqui solent vitia A carnis. Carnem crudam idcirco desiderant, ut quando, et quomodo, et quantum velint sibi coquant. Tales sunt quidam, qui morantur in claustro, quasi in Silo, qui nihil aliud faciunt, nisi quod vel quomodo, vel quantum volunt. Illi vero qui male vivunt; et subjectos bene vivere cogunt, errantes revocant, sed fortes occidunt. Revocant verbis, occidunt exemplis. Religiosi videri student, quia religiosos sub se habent. Gloriantur de eorum patientia, non de sua. Quod operari nolunt, imperant : operantur ipsi quod aliis operari licitum non esse putant, subjectos cogunt, et a nemine cogi volunt.

CAP. XIII. *De discipulo inobediente. Abusio secunda.*

Inobedientiæ morbus ex superbiæ tumore pro- B cedens, sicut sanies ex vulnere, sic ex ulcere contemptus emanat. Morbus inobedientiæ languor est animæ. Qui enim operari non vult et potest, vivit, sed languet. *Vivit potestate, sed languet voluntate.* Hoc morbo primus homo languit, qui cum viveret potestate, et sanus esset voluntate, bestiis terræ præpositus fuit, per inobedientiæ vero culpam suppositus, etiam nunc muscis, et culicibus per posteros servit. Quando infirmitas carnis adunatur in tumorem, contingit quandoque ut generet languorem. Mens enim carnalis per tumorem superbiæ incurrit sæpissime languorem inobedientiæ. Duæ autem sunt tumoris species, duri videlicet et mollis. Duritia tumoris in carne, est obstinatio carnalium in conversatione. Huic C autem tribus modis mederi solent, emplastro scilicet, unguento et ferro, id est, exemplo boni operis, verbo commonitionis, disciplina correptionis. Cum enim mens non emittit saniem per confessionem, vel ex commonitione non promittit emendationem, restat ut ferri recipiat incisionem, id est, correptionem disciplinæ. Est autem tumor mollis, cum mens inflata delectatur voluptuosis; cum sectatur otium, sommolentia torpescit. Ex his igitur languor animæ nascitur, quando duritia obstinationis pressa, vel mollitie dissoluta, mens superba nihil operatur. Assumit sibi inobedientia quandoque nomen obedientiæ, ut solo nomine glorietur. Sed quia obedientia multis modis dicitur, expedit ut sermo de ea habitus altius repetatur. Imponitur enim nomen obe- D dientiæ, præcepto, facto et loco, ut designet quod præcipitur, monstret quod agitur, nominet locum in quo quis moratur. De præcepto enim dicitur, injungit ei obedientiam ; de facto complevit eam ; de loco, apud illam moratur obedientia, cum aliquam remotam servat villam aut cortem. Prima est facilis, secunda gravis, tertia ad utrumque se habet. Leve enim est præcipere, sed labor est implere. Locus vero aliquando placet, aliquando displicet. Placet quibusdam, non quia abundet fratribus, sed piscibus. Placet, quia famulis abundat et fabulis. Placet, quia solus cuncta possidet ; et sic fit, ut vocetur obedientia cum non sit. Hanc obedientiam multi desiderant ut extra obedientiam esse queant. Multis autem modis hæc obedientia quæri solet, id est, auxilio, consilio et ingenio. Auxilio videlicet parentum, concilio fratrum, simulationis ingenio, ut quod minus parentum, vel exhortationibus fratrum non potest obtineri, saltem simulationis ingenio possit adispici. Hæc autem obedientia, quæ conceditur alicui, parentum exactione, seu fratrum seductoria exhortatione, vel etiam boni operis simulatoria ostensione, obedientiæ nomen habet, sed re caret. Ad hanc etiam obedientiam aliis modis pervenitur, ut quod illis tribus præcedentibus non potest, promissione muneris obtineatur. Sic adhuc cum Petro Simon Magus moratur in Ecclesia, et Saphira cum Anania, (*Act.* V, VIII) ; per Petrum boni prælati ; per Simonem, Ananiam et Saphiram mali subjecti designantur.

Voluit emere Simon gratiam, isti obedientiam. Ananias et Saphira absconderunt partem substantiæ, isti vero negotii incumbunt acquirendæ pecuniæ. Hæc est obedientia cum Simonia. Est et alia species inobedientiæ, quæ tamen obedientia vocatur, de qua dicitur : Quia obedisti voci uxoris tuæ plus quam meæ, maledicta terra in opere tuo (*Gen.* III). Quatuor sunt autem voces, scilicet uxoris, mundi, diaboli et Dei. *Audiam* igitur *quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV), non quid loquatur diabolus, non quid loquatur caro, aut mundus. Vox uxoris, vox carnis ; vox autem carnis, voluptas ; vox mundi, vanitas ; vox diaboli, iniquitas ; vox Dei, bonitas. Voci uxoris obediunt, qui carnis suggestionibus non contradicunt : et plus voci uxoris obediunt, quam voci Creatoris. Est autem vox Creatoris ad subjectos de prælatis dicens : *Quæ dicunt, facite ; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII). Ut perversis obedias prælatis innuit, qui etiam male operantibus obedire jussit, ut sic ingrediaris, et egrediaris cum David sub Saule (*I Reg.* XVIII), et eumdem honores, licet reprobum cum Samuele (*I Reg* XV). Inobedientes igitur et superbos seipsos esse testantur, qui prælatis licet perversis non obediunt, et eos non venerantur. Nec bonis tamen obedias in malo, nec perversis contradicas in bono.

CAP. XIV. *De juvene otioso. Abusio tertia.*

Otium stultitiam, labor scientiam generat. Est autem et labor et otium interioris hominis, est labor et otium exterioris. Labor interioris, labor scientiæ, labor exterioris, exercitium operationis. Scientiæ labor in tria dividitur, id est, in laborem disciplinæ, exercitiii et doctrinæ. In pueritia labor disciplinæ, in juventute exercitii, in senio doctrinæ, ut qui nescit, in pueritia discat ; quæ didicit, in juventute ad usum ducat ; quod ad usum duxit, in senio doceat. Est et alius labor interior, scilicet cogitationis et meditationis, ut ad requiem perveniat contemplationis, ut si quid per oblivionem sub nube dubitationis lateat obscurum, fiat cogitatione liquidum, meditatione liquidius, contemplatione liquidissimum. Cum enim aliqui de cœlestibus

offert memoria menti, prius quasi confusum in A cogitatione cernitur; postea vero meditatione discernitur; ad ultimum vero contemplatione dignoscitur. Accenditur ergo consideratione cogitatio, inflammatur discretione meditatio, illuminatur cogitatione contemplatio. Est enim cogitatio in mente, quasi fumus in igne; meditatio, quasi flamma cum fumo; contemplatio, ignis cum flamma sine fumo. Cum autem mens ad consideranda cœlestia laborat, tunc cogitatio occupatione temporalium impeditur, meditatio otio conturbatur, contemplatio curiositate revocatur, et sic fit quandoque, ut mens otiosa voluptate torpescat. Cum igitur homo interior jacet in lectulo voluptatis, dum sommo torpescit inertiæ, et somniis deluditur curiositatis, convocat et hortatur exteriorem, ut B inclinet aurem rumoribus, loquatur vana, mollibus induatur, mane comedat, gallus cœnæ terminet lectionem, euntibus dormitum surgentes ad vigilias obvient fratres, vigilantibus illis dormiant, redeuntibus surgant. Sed melius forsitan esset, si nihil dicerent, quam si subtractis syllabis, aut dictionibus, oscitando psalmos decantarent.

Hæc est tarditas otiosorum, qui nihil operantur ad horam, sed semper comitantur moram. Hi sunt, qui exspectant cum asino, nec ascendunt cum Isaac in montem, portantes paleas et stimulum, quæ ad asinum pertinent, non ignem et gladium quæ pertinent ad sacrificium. Ait enim Abraham ad pueros suos: *Exspectate hic cum asino, ego et puer cum adoraverimus, revertemur ad vos* (*Gen.* XXII). Pueri sunt pueriles sensus animi, C qui cum asino exspectant, quia tarditatem semper amant. Duo dicuntur esse pueri, otiosi videlicet et tepidi, portantes stimulum carnis et paleas levitatis. Abraham vero, qui interpretatur *pater multarum gentium,* id est animus genitor multarum cogitationum, ascendit cum puero, id est cum corde puro, portans ignem et gladium in manibus. Per ignem, charitatem; per gladium, prædicationis verbum intelligimus: portat igitur ignem et gladium in manibus, qui quod amat et quod prædicat, implet operibus. *Ego,* inquit, *et puer revertemur ad vos.* Necesse est, ut ambo redeant, id est vis rationis et puritas mentis, ut revertantur ad agendam curam carnis, non in desideriis, D sed in necessariis. Semper enim caro quærit affluentiam cibi, libertatem otii. Necessaria vero impendenda sunt, non subtrahenda. Sed, ne vacet otio, dum impenditur cibus, sequantur quæ conveniunt asino, virga scilicet et onus, virga correctionis et onus laboris.

Inter virgam siquidem et onus, non est otio locus (*Eccli.* XXXIII). Laboret igitur homo interior et exterior, ne dicatur eis: *Quid hic statis tota die otiosi?* (*Marc.* XX.) Tota die otiosi stant, qui omni tempore vitæ suæ cessantes a bono opere, in foro vanæ gloriæ torpentes perseverant. Audiant tamen prælati causam otii. *Nemo* inquiunt, *nos conduxit* (*ibid.*) Non episcopi, non presbyteri populum, non abbates, non priores conventum. Quo enim conducerent? Adquærendum forsitan honorem non ad laborem, ad curiam non ad vineam. Ibi agitur de pondere pecuniæ, non de quantitate; culpæ de examinatione argenti, non de purgatione peccati. Sunt tamen boni prælati, qui operarios ad laborem conducunt, verbo enim docent, et exemplo præcedunt. Ad hunc laborem diversi veniunt, id est pueri, juvenes et senes, et diversis temporibus, scilicet vespere, et mane, et meridie. Mane pueri, meridie juvenes, vespere senes; mane Maurus, meridie Paulus, vespere Gentianus. Hic large accipimus juventutem, ut non tantum adolescentiam, sed etiam maturam comprehendamus ætatem. Hæc est ætas labori congrua, in hac ætate Paulus volens redimere tempus, non solum instabat contemplationi, sed etiam labori (*I Cor.* VI); sic etiam Jacob cum Lia et Rachel revertitur in patriam (*Gen.* XXXI); sic Mariæ et Marthæ precibus adjuvatur Lazarus ad vitam (*Joan.* XI). Cum Rachel et Lia Jacob revertitur, quando aliquis desiderio bene operandi gradiens, activæ et contemplativæ vitæ sociatur. Lazarus vero *adjutus* interpretatur. Qui tunc resuscitatur, quando aliquis hinc bonis operibus, in lacrymis a morte peccati liberatur. Nemo igitur a labore excusatur, non pueri, non juvenes, non senes, sola tamen juventus portat pondus diei et æstus, portat materialiter pondus laboris et æstum solis, portat moraliter pondus carneæ fragilitatis, sustinet æstum libidinis. Labore igitur manuum annihilatur pondus tentationum, otio multiplicatur, tentatio, labore caro affligitur, otio nutritur. Juvenis autem in otio, quasi juvencus sine jugo, qui dum non tenetur obedientiæ vinculo, in æqualitate fraternæ societatis, quasi bos lasciviens, discurrit per desideria propriæ voluntatis.

CAP. XV. *De sene obstinato. Abusio quarta.*

Inter abusiones hujus sæculi sola major est senis obstinatio, qui morti proximus, mortis adventum non exhorret, qui quasi ad ostium mundi hujus positus foris spectat, nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec ingressum futuræ considerat; audit nuntios mortis, et credere non vult eis. Tres sunt enim nuntii mortis: casus, infirmitas. senectus. Casus dubia, infirmitas gravia, senectus certa denuntiat. Casus mortem denuntiat latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem. Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis gravitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio, sed humilitas sequi deberet. Sed forsitan funiculus triplex, quo ligatur senex difficile rumpitur.

Triplex funiculus, est pravæ consuetudinis usus, qui ex tribus conficitur, quando meditatio sermoni, sermo operationi ab otiosis complicatur. Dum enim a pueritia in mente senis per cogitationem semitam fecerit voluptas, in sermone vanitas, in opere perversitas, quid aliud agitur nisi quod in consuetudinem quasi in funem hæc tria torqueantur? Est autem laqueus in fune dulcedo temporalis in consuetudine, circumdatio funis, impedimenta sunt

carnis. Dulcedine igitur decipimur, consuetudine ligamur. Ille autem laqueum evaserat, et funiculum ruperat, qui dicebat: *Anima mea erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII). *Absalon* vero *crinibus inhærens quercui* (*II Reg.* XVIII), duritiam designat cujuslibet obstinati, qui dum patris exercitum fugeret, contigit ut condensæ quercui crinibus inhæreret. Absalon *pax patris* interpretatur, quia pater eum licet persequentem patiebatur, non pax filii, qui patrem nolebat pati. Quercus, intus durior, exterius vero fragilior esse comprobatur. Cui Absalon suspensus inhæret, quia interius obstinationem mentis, exterius vero fragilitatem carnis comitatur. Crinibus inhærens suspenditur, quia superfluitatis amore detinetur.

Mulus autem, cui insederat, pertransiit, sed ipse quercui suspensus inhæsit, quia luxuria et dolus, cui semper studuerat, periit, sed pœna peccati mansit. Tribus lanceis, id est avaritia, superbia et luxuria cor ejus perforatur. Unde et usque in hodiernum diem acervus lapidum magnus super eum projicitur, quia peccatorum sive suppliciorum multitudine gravatur. Nec mirum si magnus acervus lapidum super eum fuerit, qui per obstinationem usque in finem cor impœnitens gessit. Sunt etiam tres species obstinatorum. Prima scilicet eorum, qui non penitus obstinati ex correctione proficiunt. Secunda eorum, qui ex commonitione deteriores fiunt. Tertia eorum, qui emendationem promittunt, sed non faciunt. Ex correctione Manasses factus est melior (*II Par.* XXXIII); Nabal ex commonitione deterior (*I Reg.* XXV); Pharao ex afflictione durior (*Exod.* VIII). Manasses in carcere positus, catenis et compedibus constrictus Deum cognovit, quem prius liber cognoscere noluit. Tales sunt quidam claustrales qui, quandiu sui juris sunt, perverse vivunt; dum vero in claustro quasi in carcere tenentur astricti catenis obedientiæ scilicet et timoris, dum compedes etiam adduntur, quia vagari vel egredi foras non permittuntur, fit quandoque, ut Deum, quem prius despexerant, correpti diligant, et qui fecerant de libertate servitutem, faciant de necessitate virtutem. Quos igitur perversos propria fecit voluntas, devotos reddit per correptionem aliena potestas. Nabal vero designat quosdam doctores, qui ex commonitione subditorum fiunt deteriores, qui pueris David cibum negant, qui pure vivere volentibus verbum Dei non propinant. Tonsoribus vero suis convivium parant, quia vacantes otio, adulantium confabulationes amant. Accusat Nabal David, et dicit: *Hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos* (*I Reg.* XXV). Perversi quidem prælati dolent, cum viderint numerum religiosorum multiplicari, timent cum vident David, id est bonos suditos ungi in regem, et Saul dejici, id est perversos prælatos honore prælationis privari. Sed quare timent? ne et ipsi priventur honoribus, ne loco eorum restituatur aliquis melior. Et indicavit

A Abigail Nabal omnia verba, quæ audierat a David, et emortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis. Boni siquidem subditi perversos magistros de negligentia commonent, sed ex commonitione deteriores fieri quandoque solent. Et emortuum est cor Nabal, et factus quasi lapis, cum aliquis morte perpetua induratur in peccatis. Post mortem Nabal, Abigail regina constituitur, quia qui sub perverso magistro bene vixerit, citius ad regimen animarum sublimari promeretur, ut cum David obtineat regnum, et cum Christo regnet in æternum. *Misit* enim *nuntios* David ab Abigail; ipsa autem secuta est eos. Nuntios David Abigail sequitur, dum quilibet fidelis, Ecclesiæ doctores vita et moribus imitatur. *Sed et*

B *quinque puellæ pedissequæ ierunt cum illa* (*ibid.*). Quinque pedissequæ ejus, sunt quinque corporis sensus, qui quasi puellæ pedissequæ cum Abigail gradiuntur, dum per munditiam continentiæ cuilibet justo servientes obsequuntur. Pharao vero, qui populum Dei Moysi dimittere promisit, nec tamen divisit (*Exod.* I), illos designat, qui vitæ melioris emendationem promittunt, nec culpam dimittunt; nec tamen in columbino spiritu contritionem, sed in voce corvina dilationem quærunt. Quorum terra diversis plagis affligitur, nec emollitur, sed ex consuetudine peccandi magis ac magis induratur. Tunc enim Dominus aquas in sanguinem convertit, cum de rerum causis aliquis carnaliter sentit. Terra ranas producit, cum in ali-

C quo garrienti dominatur vana loquacitas. Cynomia siquidem et cyniphes, sunt importuni mentis impetus et canini mores. Mors pecorum, mortem designat cogitationum, quæ pecoribus assimilari solent, quando rationabili intellectu carent. Sic enim *homo comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est eis* (*Psal.* XLI). Sexta plaga est cum tument vesicæ, et corrumpuntur viscera, quod fit, dum interiora mentis tument odio et ebulliunt ira. Plaga vero grandinis in fructibus, iniquitatem manifestam designat in operibus. Plaga locustæ, est instabilitas animæ, quæ ore lædit, cum detrahit; dat saltus, dum ad carnales se extendit affectus. Plaga siquidem tenebrarum, cæcitatem designat animarum, quæ palpabiles

D comprobantur, dum perversa, quæ mens cogitat, opere perpetrantur, hoc enim palpabile est, quod manu tangi potest. Nota, quod inter plagam grandinis, et plagam tenebrarum, media ponitur plaga locustarum. Ab iniquitate enim, quæ designatur per grandinem, fit quasi saltus locustarum ad æternæ damnationis cæcitatem. Novissima vero plaga est mors primogenitorum. Primogenita siquidem mentis, sunt moraliter voluntas et intentio cujuslibet operationis, dum enim voluntas et intentio corrumpuntur, quasi primogenita Ægyptiorum morte percutiuntur. His igitur plagis affligitur obstinatio senis, qui carnalibus delectatur, loquacitate gaudet, importunus et gravis est omnibus, more pecorum pronus ad vitia, iracundia tumens,

ad injurias manifestus, ad omnia mobilis, luce veritatis carens, et ideo seipsum palpans.

CAP. XVI. *De curiali monacho. Abusio quinta.*

Quoniam de curiali monacho pauca dicturi sumus notandum fateor ut de canonico seu converso curiali eadem sentiamus. Licet enim diversus sit habitus, idem tamen debet esse religionis affectus, ut non affectent vestibus placere, sed moribus. Cum ergo dicitur curialis monachus, ex adjuncto designatur aliquid levitatis. Qui enim sæcularium hominum consortia diligunt, qui se consiliis principum libenter ingerunt, qui secretorum conscii sunt et internuntii, curiales possunt appellari. Consilia principum perversa, si ea scias, et internuntius fias, timeo ne consentias. Ordo claustri et ordo curiæ diversus est valde. Ibi sedes in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficias innocentem (*Psal.* VIII); hic audis: *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum impiis non sedebo* (*Psal.* XXV). Ibi *dextera tua repleta est muneribus* (*ibid.*); hic lavas inter innocentes manus tuas; ibi *pauperum res violenter auferuntur; hic a pauperibus sponte offeruntur*; ibi *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* (*Psal.* X), hic autem benedicitur justus. Si vis igitur esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet. Duæ sunt tamen curiæ principum sæcularium, quorumdam scilicet, qui ecclesias construunt, et quorumdam, qui destruunt. Ad utramque necessarius est religiosorum accessus, curalium vero monachorum inutilis et periculosus. Hæc et curia David, illa vero Absalon. In utraque necessarium est consilium Chusai. Lego Achitophel consiliarium David quandoque fuisse, sed tamen recessisse ab eo, et cum Absalon permansisse (*II Reg.* XV). Locus est forsitan, ut exquisitius de adducto loquamur testimonio. Duæ sunt enim curiæ David, scilicet et Absalon. In utraque prævaluit consilium Chusai non consilium Achitophel. Chusai *silentium*, Achitophel, *ruina fratris* interpretatur. *Vir* enim *linguosus non dirigetur in terra; virum injustum mala capient in interitu* (*Psal.* CXXXIX). Si autem diligis *videre dies bonos, prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII). Hoc est, consilium Chusai, illud Achitophel. Lingua enim sedet in udo, et facile labitur. In illa, ruina fratrum, in silentio vero pax nutritur, servatur David ne moriatur. Erat autem Chusai, ut scriptum est, amicus David (*II Reg.* XV). Sed quomodo amavit eum? *Obmutui*, inquit David, *et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* XXXIII). Sic enim fructum silentii justus amat, ut etiam a quibusdam bonis taceat. Sic amat consilium Chusai, ut ponat silentium ori suo custodiam, dum non loquitur nisi per licentiam. Cantat David psalmum pro verbis Chusai: *Verba Chusai, verba silentii, velamen mysterii* (*Psal.* XXXXVIII). Tria sunt tamen silentia. Silentium oris, tranquillitas mentis, velamen mysterii. Verba primi silentii, discreta: secundi, secreta; tertii, manifes-

A tatio mysterii. Historiam nosti, nota mysterium, assigna moralitatem. Persequebatur Absalon David, Judas Christum, appetitus carnis, animam. Æstuabat Absalon amore regnandi: hæc est *radix omnium malorum* (*I Tim.* IX), cupiditas, ipsa est caput, ex quo pendet vitiorum cæsaries. Hæc est cæsaries, quam nutriebat Absalon, et gravabat eum, et nonnisi semel in anno tondebatur, et tunc crines suos ponderabat ducentis siclis pondere publico. Absalon *pax patris* interpretatur. Ipse et Judas est. Audi pacem patris: *Qui mecum*, inquit, *intingit manum in paropside, hic me traditurus est* (*Matth.* XXVI). Audi pacem filii: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum* (*ibid.*). Osculo pacem promittit, et affligit. Comam nutriebat, sed quo-

B modo? *Fur erat, et loculos habebat* (*Joan.* XII). Et semel in anno tonsus est, quando semel triginta argenteos retulit, et in templo projecit. Crines ducentis siclis ponderavit, qui numerus est immundorum, quia pœnitentia ductus ait: *Peccavi, tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII). Si sciret ponderis justitiam, id est pretium sanguinis, non ad laqueum curreret, sed ad crucem Domini humilis properaret. Ponderavit autem pondere publico, non pondere sanctuarii (*Zach.* V). Posuit enim talentum plumbi, super quod sedet diabolus, non leve pondus misericordiæ, cui Dominus supponit manum suam. Posuit pondus desperationis, non misericordiæ, hoc pondus apud se habebat, illo carebat, et ideo forsitan, quia misereri noluit,

C misericordiæ veniam quærere dubitavit. Audi pondus sanctuarii: *Peccavi, delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Justum pondus abundans misericordia, delictum suum cognitum facit, confitetur injustitiam, et quo plus peccatum detegitur ab eo, tanto plus regitur a Deo. Audi pondus publicum, pondus Cain; ait enim: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen.* IV), plus suam malitiam, quam Dei misericordiam ponderavit. Sed et appetitus carnis cæsariem nutrit, quia cogitationum superfluitatem producit. Quæ cæsaries *gravat mentem, dum deprimit terrena inhabitatio sensum multa*

D *cogitantem* (*Sap.* IX). Qui tonsus semel in anno ducentis siclis crines ponderat, quando in omni spatio vitæ suæ cupiditatibus sæculi semel renuntiat, et hoc in fine. Tunc enim tantum ab iis, quæ possidet, spoliatur, quando succisione mortis ultimæ a terrenis separatur. Ponderat autem plus terram quam cœlum, plus enim amat esse in domo lutea, quam in non manufacta, quæ est in cœlis; in transitoria, quam in æterna, et hoc pondere publico, non pondere sanctuarii. Audi pondus sanctuarii, pondus Pauli: *Cupio*, inquit, *dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I). Audi pondus publicum: *Væ habitantibus in terra* (*Apoc.* VIII), non illis qui corpore habitant, sed qui corde amant. Amet igitur monachus consilium Chusai, id est, silentium claustri. Respuat autem consilium Achito-

phel, ut non amet negotia principum, nec sæcularium vagus quærat accessum.

CAP. XVII. *De monacho causidico. Abusio sexta.*

Contingere quandoque solet, ut monachi, qui curias frequentant, causas audiant, judicia perquirant, et si aliquando propriæ causæ necessitates occurrant, ad curiam securiores recurrant. Nec tantum suas, sed etiam alienas defendunt causas, hoc amant, hoc frequentant. Amant decreta conciliorum, non secreta mysteriorum. Decreta non psalmos ruminant, fiunt oratores in causis, rhetoricis utuntur coloribus; laudari appetunt, quia pro multis loquuntur. Sed monachus multum loquens, multis displicet. Conjugia copulant illicita, licita quandoque dissolvunt, quorum non noverunt patres, atavos nominant, consanguinitatis ordinem narrant, hunc ex illo descendisse confirmant, de incertis judicant, testantur sæpissime quod ignorant. Si vero aliquoties illicita connubia conjungunt, communem utilitatem prætendunt, Ecclesiarum quietem promittunt, pacem populi, patriæ salutem. Si vero res sic ad effectum pervenire non valeat, monachus causidicus tunc parat, ut quod alibi fieri non potuit, Romæ fiat. Pro principe igitur sæculari Alpium frigus, Italiæ calorem libenter patitur, qui pro magistro spirituali multo leviora forsitan invitus pateretur. Quæratur chartulis, auctoribus fultus revertitur, ponit diem causæ, personas inducit, quæ si velis, paratæ sunt jurare quod est, et si velis, iterum jurare quod non est. Hæc sunt principium negotia. Audi judicium Joannis Baptistæ in consimili causa: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*Marc.* VI). Quid igitur dicam? Nonne magis amat monachus esse causidicus, de simul discumbentibus cum Herode, quam in vinculis, et carcere teneri cum Joanne? In quo convivio licet non videat caput Joannis in disco, tamen videt quæ effuso sanguine acquiruntur, vaccam viduæ, et porcum pauperis. In carcere principis pauper moritur, et tamen de substantia pauperis comedens monachus principi blanditur. Sed et ego ipse, charissime, quandoque cum Herode in convivio moraliter discumbo, saltantem puellam considero, caput Joannis truncatum in disco conspicio. Herodes siquidem *pellis gloria* interpretatur. *Omnis* enim *gloria filiarum Sion ab intus* (*Psal.* XLIV); gloria vero filiarum sæculi deforis est. In convivio igitur cum Herode sedeo, cum in delectatione vitiorum, vanæ gloriæ favorem quæro, saltantem conspicio filiam Herodis, dum mihi placet vanitas curiositatis. Hæc sunt illa duo, quæ auferunt caput Joannis, vanitas scilicet et curiositas. Joannes *gratia Dei* interpretatur. Hujus gratiæ Deus caput est. Caput igitur a corpore separatur, quando aliquis non Deo, sed sibi ascribit bonum quod operatur. Tales apud Deum gratiam non inveniunt, quia nec quærunt. Superbi enim apud homines, apud Deum humiles gratiam quærunt. Unde et Paulus: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia Dei in me vacua non fuit* (*I Cor.* XV). Audit monachus causidicus Apo-

A stolum dicentem: *Ne repetas* (*Luc.* VI). Audit, et determinat: *Ne repetas*, inquit, cum litigio, non cum molestia prosequaris, et tamen si quid ei auferatur, subire judicium non recusat; periculum perjurii, cum vel aliquis pro seipso vel pro alio juret, non evitat. Inde conqueritur Apostolus, quod fraudem pati nolumus, quod judiciis contendamus, quod ira succensi nosmetipsos vindicamus, dicens: *Non nosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ!* (*Rom.* XII). Proh dolor! Ubi vera religio? ubi perfectionis integritas? ubi charitatis invenitur fundamentum? forsitan in claustralibus, qui seipses judicantes quotidie accusant, summi judicis sententiam formidant dicentes: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia*
B *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Scrutantur enim claustrales judicia Domini vera, non sæcularia, legem Domini custodiunt vivendo, meditando amando. Vivendo puritas conscientiæ, amando charitatis perfectio solet adipisci. Habet enim lex claustralium, judices et testes, atque consiliarios suos. In lege etenim Domini duo testes sunt, vita et conscientia; duo judices, meditatio et scientia; duo consiliarii, amor proximi et amor Dei. Bonus testis bona vita. Coram Deo testis est conscientia, coram hominibus vita. Concordant autem in judicio scientia et meditatio, dum quod fit aut quod dicitur diligenti consideratione providetur. Tota vero justitia prædictæ legis pendet ex duobus præcedentibus consiliariis. *Ex his duobus mandatis tota lex pendet*
C *et prophetæ* (*Matth.* XXII). Si quid igitur in hoc sæculo perfectionis est, in claustralibus reperiri potest. Nec tamen servari potest integritas, nisi diligatur paupertas. Qui enim divitiis abundant, si cor apponant, gravantur curis, implicantur negotiis.

CAP. XVIII. *De habitu pretioso. Abusio septima.*

In vivendo docet Apostolus qualis esse debeat religionis habitus ait enim: *Non in veste pretiosa* (*I Tim.* II). Qui mollitiei mulierum pretiosam vestem negat, putasne monacho pretiosiorem habitum concedat? Plus amat sponsus sponsæ castitatem quam pretiosam vestem, plus simplicitatem quam tortum crinem. Sic immortalis sponsus plus amat interiorem habitum quam exteriorem. Molles mollia quærunt, elati pretiosa, delicati specio-
D sa. Exterior ergo superfluitas, animi nuntiat vanitatem. Juxta Regulam: « Quod vilius occurrerit, non quod carius fuerit, emendum puto, ut sit diversitas inter indumentum palatii et monachi. » *Qui* enim *mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* XI). Loquor qualiscunque canonicus de monachis. Sed quid dici debeat de quibusdam nostri ordinis canonicis? et mens, et facies vehementer erubescunt. Lectuli eorum culcitris fulciuntur plumeis, linteis et lodicibus accurate parantur, cothurnis leguntur et opertoriis, quod si forte videres, lectulum sponsæ quæ sponsum desideret forsitan æstimares. Cappa canonici, et cuculla monachi non differunt a pallio militis; sed, ut ait quidam sapiens, miles et monachus ex eo-

dem panno partiuntur cucullam, et chlamydem. A
Non multum differt habitus canonici regularis et sæcularis, sed si forte regularem videas archidiaconum vel episcopum te vidisse contendas. Sed forsitan dices, delicatis delicata conveniunt, ex regula testimonium proferens. Ait enim beatus Augustinus : « Si eis, qui venerunt ex moribus delicatis ad monasterium aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorumve datur, quod aliis fortioribus, et ideo felicioribus non datur, cogitare debent, quibus non datur, quantum de sua sæculari vita illa ad istam vitam descenderint. » Consentimus auctoritati, ut detur delicato quod sufficiat ne deficiat, non quo superbiat. Audi et tu, charissime, beatum Augustinum. « Non contingat, inquit, detestanda perversitas, et in monasterio B
(ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi) fiant pauperes delicati. » Mentior, si non vidi quosdam, quorum paupertas talis erat, quando foris erant, quod nec ipsa necessaria poterant invenire. Et quia invenerunt victum et tegumentum, quale foris invenire non poterant, erigentes cervicem, voluerunt sociari eis, ad quos foris accedere non audebant, sed egressi de paupere Ecclesia circuierunt ditiores, ut ibidem reciperentur, et qui semper veteres pannos aut viles habere consueverant, nunc semper novos aut pretiosos habere contendant, et qui ante conversionem lectulum proprium nusquam habebant, nunc si forte voluntas eis fuerit eundi aliquo, ornamenta lectuli secum portant. Timeo autem, ne in hujusmodi lectulis C
videantur somnia vanitatis, ne in eisdem patiatur animus illusionem carnis. Sicut in exteriori lectulo caro molliter volutatur, sic et in voluptatis lectulo anima spoliata virtutibus enerviter delectatur. In lectulo igitur fluxæ mentis dum dilectus quæritur, non invenitur. In hoc lectulo jacet paralyticus omni compage membrorum dissolutus, id est, animus in omni actione dissipatus in lectulo Jacob ad caput ponitur lapis, non pluma levitatis quæ vento superbiæ ad aquilonem rapitur, cum dicitur : *Ponam sedem meam ad aquilonem, similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV). Jacob in itinere sub capite lapidem posuit, et dormivit, *scalam vidit, angelos ascendentes et descendentes, et Dominum innixum scalæ* (*Gen.* XXVIII). In itinere dormit, qui D
in transitu vitæ præsentis oculos (quos ad concupiscendum aperuerat) ab appetitu sæcularium claudit. Videt angelos, quanto desiderio super se Deo inhæreant, quanto charitatis affectu nobis infirmis condescendant. Videt etiam Dominum innixum scalæ, *ut videat, si est intelligens aut requirens Deum* (*Psal.* XIII). Nec mirum si hoc videat, qui caput in lapide posuit, id est, mentem in Christo. Audistis de lectulo, audite de vestimento : Et induit, inquit, eum mater sua vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat (*Gen.* XXVII). Forsitan cum audis, quod induit eum mater sua vestibus valde bonis, similiter pretiosis vestiri quæris, dum legis tunicam Joseph fuisse talarem, conaris et tu habere longiorem. An nescis, quod, ut ait Apostolus, *omnia contingebant illis in figura ?* (*I Cor.* X). An ignoras, quod in Jacob fragrantia vestimentorum famam designat virtutum ; in Joseph tunica talaris perseverantiam longanimitatis ? Hæ sunt igitur vestes, quas apud se habebat Rebecca, et quibus induit Jacob cum a patre benediceretur, quia perseverans patientia custos est virtutum, ut in fine quilibet benedictione perfruatur. Inter illos etiam, qui tunicis induuntur voluptas pedem posuit, non quod camisiis utantur, sed quodam delicato panno, qui vulgo *saia* dicitur. In ostentione igitur lanei vestis, asperitatem conversationis ostendunt, sed in delectatione delicati panni suavitatis mollitiem quærunt. Vidi et ego, ni fallor, monachum camisiam indutum, locantem et dicentem : carior est stamina, quam camisia ; tunica vero vestiri magna est difficultas. Sed forsitan dices, quod infirmus fuit hujusmodi, imo sanus et petulans, et pingui residens equo, abundans rebus, et curias frequentans. Qui tamen ante conversionis habitum, pedes ire consueverat, nec semper lineis induebatur. Et ideo hæc abusio non tantum claustri, sed etiam abusio sæculi potest appellari.

CAP. XIX. *De cibo exquisito. Abusio octava.*

Non negat religio quod requirit necessitas naturæ, prohibet tamen quod appetit superfluitas gulæ. Causari etenim solent quidam sæculares, quod tam diversis et tam delicatis utuntur cibis, quod tam magno labore cibus conficitur, et tam cito deglutitur. Nec minus forsitan causari debent quidam religiosi, qui delicatiores possunt appellari. Qui enim delicatiora quærunt, delicatiores dici possunt. Cum enim legas deliquisse Jonathan in gustu mellis (*I Reg.* XIV). Esau in edulio lentis (*Gen.* XXV). Sodomitas in saturitate panis (*Gen.* XIII), putasne sine periculo esse tot carnium ferculis, tot piscium generibus, tot frixurarum diversitatibus delectari ? Nonne sic differt palatium a refectorio, sicut Ægyptus a deserto ? Si igitur in deserto sumus, mirandumne est si ollas carnium suspiramus ? Ollas carnium suspirat, quem carnis desiderium tentat. Isti autem quare suspirent, qui ollas carnium semper habent ? *Adhuc escæ* (inquit) *eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos* (*Psal.* LXXVII). *Esca* enim *ventri, et venter escis ; Deus autem et hunc et has destruet* (*I Cor.* VI). *Occidit* enim *pingues eorum, et electos Israel impedivit* (*ibid.*), *et quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum* (*Philip.* III), Per similitudinem sæpe Scriptura loquitur, ut quod in re aliqua discerni non potest, in consimili discernatur. Per similitudinem Deo venter comparatur, cum dicitur : *Quorum Deus venter est, et gloria eorum in confusione.* Solent enim diis templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes, coctæ carnes, fumus incensorum, odor saporum. Hæc in Jerusalem non construuntur, sed in Babylone, quia *quorum Deus venter est,*

et gloria eorum in confusione. Ipse est enim princeps coquorum, qui muros Jerusalem destruxit, qui transtulit vasa Domini in domum regis Babylonis, et fecit vasa templi, vasa palatii, et ut verius dicam, vasa mensæ divinæ fecit vasa coquinæ (*IV Reg.* xxv). Ait enim Apostolus : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* iii). In hoc templo vasa sunt corda, quæ tunc sunt vasa templi Domini, cum plena virtutibus placent divinæ voluntati, fiunt autem vasa palatii, quando placere desiderant cuilibet humanæ potestati. Fiunt etiam vasa coquinæ, dum cor, quod prius sobrietati servierat, postea servit gulæ. Unde Jeremias : *Qui nutriebantur*, inquit, *in croceis, amplexati sunt stercora* (*Thren.* iv). Crocus in Oriente nascitur, et colorat, et saporat. In croceis igitur nutriuntur, qui in initio conversionis suæ interius sapore virtutum reficiuntur, exterius vero boni operis exemplo colorantur. Sed hi, qui sic nutriuntur in croceis, amplexantur stercora, dum post sobrietatis et continentiæ vitam, revocat eos ventris cura. Et fit quandoque, ut qui in sua domo ante conversationem sobrie vixerat, postmodum in monasterio gulosus fiat. Placatur Deus venter diversorum hostiis ferculorum, inclinat aurem rumoribus, excitatus saporum generibus, demulcetur confabulatione non oratione, otio gratulatur, somnolentia delectatur. Per similitudinem igitur Deo venter assimilatur, dum ei tanta devotione per omnia serviatur. Habet itaque monachus canonicos et conversos, qui ei obnixius serviant, eos videlicet, qui sub otio in Ecclesia Dei remisse vivunt, qui non quærunt secretas orationes, sed fabulosas otiosorum confessiones; inter quos non audiuntur singultus et suspiria compunctæ mentis, sed risus et cachinnationes, et ructus ingurgitati ventris. Miserabilior inter alias abusiones hæc abusio, ut delicatius in ecclesia quam in domo propria vixisse convincaris, et dicatur de te : *Parit sterilem, quæ non parit, et viduæ bene non fecit* (*Job* xxiv). Sterilis quæ non parit, caro est, quæ, juxta verbum Domini, *non prodest quidquam* (*Joan.* vi). Vidua vero est anima, quæ sponso viduata est cœlesti. Cui bene non facit, qui inutilis carnis concupiscentiis deservit, et animæ curam in excolendis virtutibus non attendit.

Cap. XX. *De rumore in claustro. Abusio nona.*

Noruntaliqui, quod affluentiam ciborum comitari solet inundatio verborum. Norunt etiam multi quod saturitatem ventris sequitur levitas operis, et vanitas mentis. Scriptum est enim : *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* xxxii). Ludere, inquit, non legere. Sunt enim quidam qui post delicati cibi diversa fercula, cum in claustro sedeant, non lectioni et silentio, sed rumoribus et curiositati vacant, qui locum et tempus loquendi et tacendi nusquam et nunquam servant, sed instabiles et otiosi nunc hos, nunc illos ad colloquium vocant. *Pone*, inquit Psalmista, *custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* cxl). Ostium dixit, non murum. Si enim murus poneretur, lo-
A quendi licentia omnino negari videretur. Sed ostium ponitur, quod tempore et loco clauditur et aperitur. Est tempus et locus loquendi et tacendi. Aperitur itaque ostium in claustro hora constituta lectioni, in capitulo confessioni, in ecclesia orationi. Clauditur iterum in claustro confabulationi, in capitulo excusationi, in ecclesia vanæ modulationi. Hoc ostium clauditur sæpius fratribus noviter conversis, tepidis et perversis. Aperitur tamen eisdem propter necessitatem operis, vel ad doctrinam ordinis, seu ad ædificationem mentis. Potest hoc ostium appellari licentia loquendi, quæ aperitur, aut clauditur, cum datur aut negatur. Per hoc ostium sæpe introeunt, qui ostium mentis frangunt, fascinatio enim nugacitatis seducit cor. Cavendum est
B tamen, ne hoc otium pateat vento venienti a regione deserti, ne domus quatuor angulis concussa subvertatur, et filii Job oppressi moriantur (*Job* i). Deserti regio, est dæmonum seu perversorum fratrum a Deo derelicta multitudo, a quibus ventus venit, id est, gravis tentatio irruit, quæ a tranquillitate conscientiam subvertit. Domus vero mentis, quæ quatuor angulis, id est prudentia, temperantia, fortitudine et justitia constituitur, quandoque vento tentationis, sed turbine verborum quassata turbatur. Sæpe etenim per ignaviam prudentia, per delectationem temperantia, fortitudo per timorem, justitia per amorem franguntur, quibus quassatis, virtutes animi, scilicet sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas et ti-
C mor moriuntur, quando a suis contrariis feriuntur. Obruitur enim sapientia per stultitiam, intellectus per hebetudinem, consilium per præcipitationem, fortitudo per timorem, scientia per ignorantiam, pietas per duritiam, timor per superbiam. Sed ab hac ruina puer evadit, qui beato Job nuntiet, id est discretio mentis, quæ cum animo agit, ut quod perdere cœperat, pœnitudo conservet. Hi sunt rumores claustralium, ad quos non pertinent bella principium sæcularium, sed pugnæ tentationum. Delectare igitur, charissime, his rumoribus, non exterioribus. Venerat et alius nuntius ad beatum Job, qui diceret : *Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros occiderunt gladio, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi* (*ibid.*). Chaldei feroces, id
D est dæmones ; cameli, bonas terrenarum rerum dispensationes, pueri custodes, sollicitas circumspectiones, nuntius qui evadit discretionem designat animi. Camelus partim mundum animal, quia ruminat, partim immundum quia ungulam non dividit, bonas terrenorum dispensationes innuit, quas diabolus modo torpenti, modo præcipitata actione ferit, modo pigra vel immoderata locutione confundit, pene autem semper nimiis cogitationum molibus premit. Sic igitur Chaldæi tribus turmis camelos rapiunt, quando illicita cogitatione, superflua operatione, inordinata locutione curas dispensatorum confundunt. Sæpe autem quid sibi, quid proximis debeat, attendit, nec per immoderationem sollicitudinis aliorum se negligit, nec

per sui curam, aliorum postponit; sed, cum hæc utraque solerter agit, aliqua subito causa emergit, quæ omnes circumspectiones obruit; et sic sola discretio animo damna nuntiat, et quasi Dominum ad lamenta vocat. Audi igitur, charissime, quid tibi nuntiet puer, qui evasit, id est puritas discretionis quid nuntiet menti. Audi damna camelorum, et casum puerorum. Hi rapiuntur, illi moriuntur. Auferuntur curæ dispensationum, dum per negligentiam perit puritas circumspectionum. Gaudent multi claustralium cum de regibus fabulantur, dum casus militum narrant, dum pro illis loquuntur, a quibus non agnoscuntur, multorum partes defendunt, pro multis irascuntur, pro multis litigant, ignorant tamen quod negant aut affirmant. Si autem de regibus sermo est, docet lectio claustri regum certamina casus et eventus bellorum, quomodo moriatur Saul, quis ejus mortem nuntiaverit David. *Cum* enim *reverteretur David a cæde Amalech, et maneret in Siceleg, venit homo de castris Saul ad David, dixitque ad eum David: Unde venis? De castris Israel, inquit, fugi. Quod est verbum, inquit, quod factum est? Qui ait: Saul et Jonathas filius ejus interierunt. Unde scis, inquit, quod mortui sunt? Et ait adolescens: Casu veni in montem Gelboe, et Saul incumbebat super hastam suam, et conversus post tergum suum, vidensque me vocavit. Cumque respondissem: Adsum, dixit: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalechites ego sum. Sta, inquit, super me, et interfice me; et interfeci eum* (*II Reg.* I). Hi sunt rumores ruminandi claustralibus. Cum enim reverteretur David a cæde Amalech, venit ad eum homo de Castris Saul, quia dum post mortificationem vitiorum carnis appetitus non tantum proprios lapsus nuntiat, sed etiam defectus aliorum narrat, fit ut per exempla majorum ad voluptatem carnis inclinet mentes aliorum. Quos enim Saul, nisi superbos in Ecclesia prælatos significat? qui ab humero et sursum eminere sibi videntur super universum populum. Qui in monte Gelboe ab Amalechita percussus occumbit, dum in monte superbiæ posita, per diversa carnis desideria mens fluxa decurrit. Super Saul ut eum occideret, Amalechites stetit; quia animus, cui carnis delectatio dominatur, cito perit. Sed tu, charissime, præcipe uni de pueris tuis, id est spiritui puræ discretionis, ut interficiat in te Amalechitam istum, qui ausus est manum mittere etiam nunc quotidie in Christum Domini. Hæc enim multum nocent prælatis, amor scilicet propriæ excellentiæ, et voluptas carnis. Audire forsitan velles, charissime, rumores pacis non belli, concordiæ non discordiæ. *Regina Saba novit rumores hujusmodi, quæ, audita fama Salomonis, ingresso Jerusalem, locuta est ei universa quæ habebat in corde suo, et ille docuit omnia quæ proposuerat, vidensque civitatem, quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus et habitacula servorum, et ordinem ministrantium et vestes eorum, et pincernas, et holocausta, quæ offerebat in domo Domini: Verus est*, inquit, *sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, et sapientia tua. Non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod dimidia pars mihi nuntiata non fuerit. Major est sapientia, et opera tua, quam rumor, quem audivi* (*III Reg.* X). Saba, captiva, vel, ut quidam volunt *conversio* vel *incensio* interpretatur. Dum enim aliquis sub lege peccati adhuc in sæculo positus tenetur, audita fama Salomonis per verbum prædicationis ad Dominum convertitur; conversus, igne charitatis accenditur. Et ingressa Jerusalem cum incipit diligere pacem, locuta est ei universa, quæ habebat in corde suo per confessionem, et ille docet omnia verba, quæ proposuerat, si pœniteat, habere remissionem. Videt regina Saba sapientiam veri Salomonis, quam ostendit nobis per humilitatem filii; videt domum Ecclesiæ, quam quotidie ædificat per gratiam Spiritus sancti, videt cibos mensæ, et habitacula servorum, id est intellectus diversos Scripturæ, et congregationes religiosorum, videt ordinem ministrantium, id est statuta recte viventium. Considerat etiam vestes, martyrum scilicet et confessorum carnes, has purpureas rubore proprii sanguinis, illas vero nigras exercitio laboris, seu pallidas mortificatione carnis. Videt pincernas, qui cum cibo prædicationis propinant vinum compunctionis. Accendit etiam holocausta, quæ offeruntur in ara cordis contribulati. Sed cum hæc videt animus noviter conversus, dicitur de eo quod sequitur, et non habebat ultra spiritum. Habebat, et non habebat. Habebat enim spiritum humiliatum non elatum, spiritum gratiæ non nequitiæ, spiritum Dei non spiritum mundi. *Verus est*, inquit, *sermo, quem audivi in terra mea, et non credebam narrantibus mihi donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit.* Parum itaque videtur captivo, liberato converso et accenso audire prædicationem, nisi veniat per affectum, videre per cognitionem, nisi probet per affectum. Cum enim videt in domo conversionis bona contemplationis, et recogitat in se ea, quæ audierat adhuc in sæculo positus de bonis activæ vitæ, opera scilicet misericordiæ, benignitatis et concordiæ, pondus laboris, afflictionem carnis, vilitatem cibi, quietem silentii, et iterum attendit per contemplationem, futuræ vitæ præmia, ubi erit justis æterna bonitas, felix æternitas, gaudium sine dolore, quies sine labore, cum, inquam, hæc videt dicit: *Media pars mihi nuntiata non fuerat.* An nescis, quia *Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X.) Quanto meliorem et longiorem, tanto majorem. In activa siquidem vita finis est in labore, in contemplativa vero nec defectus in bonis, nec terminus in delectatione.

CAP. XXI. *De lite in capitulo. Abusio decima.*

Infirmitati mortalium omnipotens Deus benigne providens, in Ecclesiis instituit tria, scilicet medicos, loca, remedia. Hæc tria designantur per Samaritanum, per stabulum, per vinum et oleum. Medici sunt prælati: loca, capitula; modi pœnitentiæ, remedia. Attende igitur in Samaritano prælatum; in

stabulo capitulum, in infusione vini et olei, fomentum consolationis, et asperitatem correptionis. In hoc capitulo est etiam piscina compunctionis, in qua sanatus est infirmus post commotionem veræ confessionis. Nec tamen sanatur nisi unus. Nisi enim adsit unitas, deest sanitas. Qui igitur amant litem, destruunt unitatem. Intolerabilis igitur hæc abusio, ut ibi litiges, ubi te ipsum accusare debes; ut ibi augeatur culpa, ubi deleri potest; ut ubi contemnis vicarium Christi, contemnas Christum. Ait enim ipse de prælatis: *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Sed forsitan dicet aliquis: Religiosum pati possum magistrum, sed cum negligentiam prælatorum considero, obedire contemno; cum video fratres meipso deteriores, accusationes eorum pati nolo. Cum dicis fratres teipso deteriores, deterior factus es. Quare contemnis magistrum? An nescis Christum coram Pilato judicatum? An nescis regem cœli a militibus in terra flagellatum? (*Matth.* XXVII.) Tulit Christus crucem pro peccatis tuis, non pro suis, et tu virgam renuis? Flagellari non erubuit coram populo, et tu dedignaris spoliari coram magistro? Accusatur Christus, et tacet coram militibus, ut daret nobis exemplum patientiæ; accusaris et tu, et litigas, ut sis exemplum fratribus perversitatis et malitiæ. Quare ergo resistis Spiritui sancto? Spiritui sancto resistunt, qui obdurata mente pœnitere nolunt, qui veritati contradicunt, et humilitatem confessionis spernunt. Si in hoc perseveras, in Spiritum sanctum peccas. Sed *qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Luc.* XII). Quare ergo in loco remissionis inducis litem contradictionis? Hic est locus diabolo præ cæteris odiosus, hic amittit quos alibi acquisivit; hic est enim locus Spiritui sancto consecratus. Ubique Pater, ubique Filius, ubique Spiritus sanctus; sed tamen, ut diximus, iste locus Spiritui sancto dicitur esse deputatus. Possunt enim quædam de persona Filii dici, quæ non debent dici de persona Spiritus sancti. Incarnatio siquidem pertinet ad Filium, nec incarnatum legimus Spiritum sanctum. Sic etiam ad Spiritum sanctum proprie pertinet remissio peccatorum. Diversæ personæ, idem Deus, una essentia, et ideo secundum diversitatem personarum, diversa singulis assignantur officia. Consideratur etenim in Patre pietas miserationis, in Filio affectus redemptionis, in Spiritu sancto benignitas remissionis. Motus siquidem Pater pietate misit Filium ut redimeret, promisit etiam Spiritum sanctum in quo peccata dimitteret. Videsne quomodo pertinet ad Patrem potestas mittentis, ad Filium humilitas obedientis, ad Spiritum sanctum remissio pœnitentis? Est igitur capitulum officina Spiritus sancti, in qua filii Dei congregantur, ut ei reconcilientur. Noli esse frater quasi Satan inter Filios Dei (*Job.* I). Inter filios Dei Satan dicitur, qui fratres suos conturbat; qui fratribus detrahit, et eisdem malevolus insidiatur. Satan, *adversarius* interpretatur. Et Satan est, qui magistro contradicit, et fratribus adversatur. Ad quem dicit: *Unde venis?* (*ibid.*). De eo quæritur unde veniat, qui nunquam est stabilis, sed semper instabilitatem amat. Unde et subditur: *Circuivi terram, et perambulavi eam* (*ibid.*); hoc enim solent perversi fratres facere, officinas, parentum domos, vicinas ecclesias vagando circuire. Sed cum Satanas a facie Domini exiit, beato Job, et substantiæ ejus molestus fuit; quia quidam fratres perversi et cum remanent in claustris, et cum exeunt, bene viventibus intus et exterius molesti fiunt. Scio tamen, quod quidquid intus et exterius delinquitur, in capitulo per confessionem relaxatur. Hæc est domus vicina paradiso. De domo etenim confessionis fit transitus ad beatitudinem æternæ pacis. Tres sunt itaque domus, in quibus hospitamur egressi de carcere antiqui hostis, domus scilicet misericordiæ, domus obedientiæ, domus indulgentiæ. In domo misericordiæ, apud Patrem suscipimur per pietatem visitati; in domo obedientiæ, apud Filium per passionem redempti; in domo indulgentiæ, apud Spiritum sanctum per gratiam a peccati jugo liberati. Prima domus, renuntiantibus peccato affinis est Ægypto. Secunda domus, proficientibus in bono proxima est deserto. Tertia delectantibus in Domino conjuncta est paradiso. Esto igitur humilis, ut sis in paradiso sublimis. Noli quæso, esse in capitulo, sicut Satan in cœlo, vel sicut Adam in paradiso. Unus enim desperat, alter excusat. Tanto autem Satan deterior, quanto desperatior. An nescis Satan expulsum a capitulo cœli; Adam a capitulo paradisi; Judam a capitulo Christi? Primum capitulum fuit in cœlo, secundum in paradiso, tertium in horto. In unoquoque tamen præerat Deus. In primo, prima culpa superbiæ; in secundo, inobedientiæ; in tertio, avaritiæ et infidelitatis. De primo dicitur, *ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). De secundo dicitur, *de ligno boni et mali ne comedas* (*Gen.* II). De tertio dicitur, *et retulit triginta argenteos, et projecit in templo* (*Matth.* XXVII). Pœna culpæ primæ, casus; secundæ, labor; tertiæ, laqueus. De prima dicitur: *Vidi Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* x.) De secunda: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III). De tertia: *Laqueo se suspendit, et crepuit medius* (*Matth.* XXVII). His tribus tres claustralium assignantur ordines: hi videlicet, qui sedem prælationis quærunt; et illis qui nec præesse possunt, nec obedire volunt, alii autem, qui familiares magistris loculos portant, et in occulto detrahentes magistros cruciant. Quid? nocetne dignitas, potestas et familiaritas? Creatus in tanta dignitate angelus ut Lucifer vocaretur, non attendens dignitatem Creatoris, casurus sedem quæsivit elationis. Sic quidam claustralium dum generis nobilitate præeminent, dum litterarum scientia pollent dum voce modulationis placent, dum in qualibet artium cæteros fratres præcellunt, elationis sedem petunt et qui ex dono tanti muneris humiliores esse deberent, contra debiliores et illiteratos superbi tument. Nostis etiam potestatem primi parentis, *qui cum in honore esset non intellexit* (*Psal.* XLIII), sed dum suo Creatori obedire con-

tempsit creaturæ, cui præpositus erat subditus fuit. Sic quidam ex data sibi potestate quandoque superbiunt, et licet eis alii obediant, ipsi tamen obedire prælatis nolunt. Unde igitur processit dejectio, in dignitate; unde subjectio in potestate; unde turbatio in familiaritate? Unde iterum malum in angelo, cum nec præcessisset, nec tunc esset? Unde peccatum in primo homine, cum melius deberet credere præcepto Creatoris, quam suggestionibus antiqui hostis? Quomodo contigit ut Judas, qui in tantum fuerat familiaris, in malum consenserit Judæis? Quare iterum Christus in tantum fecit eum familiarem sibi, quem noverat inter discipulos deteriorem? Quo digredior? Quo ascendo? Altioris est enim hoc operis et subtilioris. Scio tamen quod si veniret Satanas ad capitulum confessionis, impetrare posset indulgentiam remissionis. Sed ne desperaret homo, cum audiret angelum tantæ dignitatis desperasse, hominem tantæ potestatis peccasse; discipulum tantæ familiaritatis apostatasse, ostendit nobis Deus exempla quorumdam, qui peccaverunt, nec desperaverunt, sed amici Dei facti sunt. An ignoras Petri negationem? (*Matth.* XXVI). An nescis Thomæ dubitationem? (*Joan.* XX.) Nonne post culpam dilexit Mariam? (*Luc.* VII.) Amat Christus confitentium humilitatem, non superborum obstinationem, qui declinant cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Sed tu, benignissime Domine, *inclina cor meum ad faciendas justificationes tuas in omni tempore, ne declines cor meum in verba malitiæ* (*Psal.* CXL), sed justitiæ. *Justus* enim *in initio accusator est sui* (*Prov.* XVIII). Quid est quod clare vis illi, quem nihil latet, cui omne cor patet, qui videt in abscondito, qui novit cogitationes hominum? Abscondit se Adam in paradiso post culpam, sed abscondi non potuit, qui nudus fuit (*Gen.* III). *Oculis* enim omnipotentis Dei *nuda et aperta sunt omnia* (*Hebr.* IV). Solent etiam ex nimia simplicitate prælatorum, vel perversitate subditorum, in capitulo lites multiplicari, quia ubi deest severitas disciplinæ, oriuntur jurgia, crescunt rixæ. Loquuntur de exterioribus negotiis in domo confessionis, adducunt oves et boves in capitulum, ut ubi haberi deberet sermo de animabus, habeatur cura de bobus. Commoventur inter hujusmodi verba simpliciores fratres, turbantur discreti, habent iracundi locum, perversi tempus loquendi. Conqueritur Martha, respondet Maria, quia non est qui respondeat pro ea. Ubi enim nimia simplicitas prælatorum non servet pacem claustralium, vel non increpat culpas ministrantium, ibi nec Martha compescitur, nec Mariæ silentium custoditur. Lego questum Marthæ, sed non lego responsionem Mariæ; lego tamen Christum pro hac ad illam respondisse. In responsione siquidem Christi doceri possunt prælati. Hortatur enim Martham, laudat Mariam. Illam, ne desistat a bona operatione; istam, ut perseveret in contemplatione. Pulcher ordo recte viventium, ut in capitulo turbato fratri non respondeat, nisi qui scit quid

A debet et quid deceat. In his tribus personis designari potest forma perfectæ religionis. In Martha ministrantium, in Maria claustralium, in Christo prælatorum. In capitulo itaque, in quo discreti prævalet auctoritas prælati, nemo nisi jussus loquatur, nisi vel proclamet aliquem, vel de ordine quærat, vel culpam suam humiliter confiteatur. In his siquidem servandis summus est medicus et perfecta medicina, severus magister non crudelis, et rationabilis disciplina. Si enim aliquis emendatoriam vindictam ferre recusaverit, nec tantum fratres sed etiam magistrum clamosus et impudens contempserit, etiam si non abscesserit, de vestra societate projiciatur. « Non enim, ut ait beatus Augustinus, hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne
B contagione pestifera plurimos perdat. »

CAP. XXII. *De dissolutione in choro. Abusio undecima.*

Cum non solum in cæteris officinarum locis, verum etiam in omnibus motibus nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, congruum mihi fore videtur, ut maxime in ecclesia cum ad opus Dei ventum fuerit, humilitatis honestas diligentibus observetur, ut qui in ecclesiam ante conspectum Dei convenimus, ne ibidem deteriores simus. Sunt enim quidam, qui mente vagi, attoniti oculis, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant, aliud cantant, et aliud cogitant. In choro sunt corpore, sed in foro mente; nunc intus sunt,
C nunc foras exeunt; nec tantum intus dissoluti, sed etiam cum exierent foras curiosi. Psalmodiæ verba proferunt, sed psalmodiæ sensum non attendunt. Unde beatus Gregorius. « Vox, inquit, psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, ut intentæ menti, vel prophetiæ mysteria vel gratia compunctionis infundatur. » Idem in eodem: « Deum, inquit, per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Jesum in fine pervenitur. » Sunt etiam alii voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur, nec tantum gaudent de dono gratiæ, sed etiam alios spernunt tumentes elatione, aliud cantant quam libri habeant, et aliud forsitan iterum dicturi, si sint illud idem iterum cantaturi. Tanta est levitas vocis, for-
D sitan et mentis. Cantant forsitan, ut placeant populo magis quam Deo. Qui sic cantant, non cantant cum Maria sorore Moysi, sed in palatio cum Herodiade, ut placeant discumbentibus vel Herodi. Timeo autem, ne sicut delectantur altitudine vocis, delectentur etiam elatione mentis. Nemo tamen altius cantat eo, quem Dominus exaudire consuevit de monte sancto suo, nemo dulcius quam cui Dominus inclinat aurem suam. *Voce mea*, inquit David, *ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo* (*Psal.* III). Esto igitur in valle humilitatis, ut in monte sancto exaudiri merearis. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, et facis eam non tuam sed ementi suam. Cave ne monasterium vertas in theatrum.

Habes in potestate tua vocem tuam, habeto et animum, frangis vocem, frange et voluntatem, servas consonantiam vocum, serva et concordiam morum, ut per exemplum concordes proximo, et per voluntatem Deo, per obedientiam magistro : hæc est concordia morum. Sunt etiam tres species sonorum, quæ fiunt pulsu, flatu et cantu. Ad citharam pertinet pulsus, ad organum flatus, et ad vocem cantus. Assignari potest hæc consonantia sonorum, concordiæ morum : si referatur ad pulsum citharæ, manuum operatio; ad flatum organi, mentis devotio ; ad cantum vocis sermonis exhortatio. Percute igitur chordas citharæ manu bonæ operationis, ut concordes proximo per exemplum mortificatæ carnis. Imple organum cordis flatu, id est, Spiritu sanctæ inspirationis, ut reddas Deo dulcem sonum piæ devotionis. Ut iterum concordes magistro, canta canticum novum, canticum obedientiæ, non canticum contradictionis et inobedientiæ. Quid prodest dulcedo vocis sine dulcedine cordis ? Sicut per ascensus musicæ frangis et elevas vocem, sic per ascensus et descensus virtutum frangas et eleves mentem. Frangas descendens ad compassionem proximi, eleves ascendens ad contemplationem Dei. Noli cantare cum Lucifero in cœlo, seu cum primo homine in paradiso, sed cantes in templo cum Christo, *ejiciens vendentes et ementes ex eo* (*Matth.* XXI), ejiciens vendentes datam gratiam, et ementes vanam gloriam. Cantus diaboli cupiditas, cantus primi hominis voluptas, secundi charitas. In cantu diaboli sunt tres falsæ voces, et in cantu primi hominis tres dissonæ et discordes. In cantu etenim diaboli prima vox est elationis, secunda suggestionis, tertia desperationis. Similiter et in cantu primi hominis prima vox est delectatio, secunda consensus, tertia excusatio. Ex his sex vocibus constat discordiæ cantus. Musica diaboli ab altiori voce cantare cœpit ; inchoavit enim in cœlo antiphonam elationis dicens : *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV). Altius igitur inchoavit quam debuit. Si enim non excederet regulam subjectionis cantaret cum aliis angelis canticum perpetuæ felicitatis. Descendens vero de cœlo inchoavit antiphonam suggestionis in paradiso, desperationis in inferno. Differt itaque musica Christi a musica diaboli : illa enim incipit a voce sublimiori, hæc autem ab humiliori. Audi igitur doctorem de musica spirituali doctrinam nobis facientem : *Discite*, inquit, *a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Videsne quomodo spiritualis musica incipit a voce humanitatis ? In musica siquidem Christi sex sunt voces inter se consonæ et concordes. Prima concordiæ vox est humilitas cordis, secunda mortificatio carnis, tertia compassio, quarta consolatio, quinta oratio, sexta devotio. Nota ergo quomodo in concordia morum sunt descensus et ascensus virtutum. Nota quomodo concordet humilitas mortificationi, mortificatio compassioni, compassio consolationi, consolatio orationi, oratio devotioni. Nota iterum in descensus quomodo pertineat devotio ad orationem, oratio ad consolationem, consolatio ad compassionem, compassio ad mortificationem, mortificatio ad humilitatem. In his sex vocibus cantatur canticum novum, canticum charitatis. In his auditur jubilum unitatis, consonum melos devotionis, contemplationis dulcedo.

CAP. XXIII. *De irreverentia juxta altare. Abusio duodecima.*

Ultimam de duodecim abusionibus claustri habens in manibus, ad eam discutiendam pauca dicturus accedo, qui me solum inter cæteros in hac parte negligentiorem reperio. Qui licet ablutis manibus, lota facie, albis vestibus indutus accedam ad altare, tamen perversus opere, oro pollutus, immundus corde, Christi corpus meis non pertimesco manibus tractare. Accedo ad humilem elatus, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem: et tamen patitur humilis elatum, mitis iratum, crudelem misericors. Accedo servus ad Dominum, non amore, sed timore ; non devotione, sed usu. Accedo ad Dominum, cujus percussi servum ; ad Patrem accedo, cujus occidi Filium. Percussi verbo, occidi exemplo, nec tamen pertimesco Dominum, nec revereor Patrem. Manens in turba fratrum, turbans aliquos, et ab aliquo turbatus, quandoque accedo ad pacificum. Appropinquo etiam talis ad osculum pacis, qui prius reconciliatus accedere debuissem ad osculum turbati fratris. In altari illum eumdem conspicio, quem Simeon suscipiens manibus gratias agens benedixit in templo (*Luc.* II). Bonum est Salvatorem puerum portare in manibus et fructum salutis habere in operibus. Qui enim portat puerum in manibus, id est puritatem in operibus, cum erat exauditur, ut in pace dimittatur. Cum offerebantur in templo pueri offerri solebant in hac purificatione agnus, turtures et columbæ. Ego autem quid offeram, cum nullus istorum habere queam ? Offeram ne porcum de his, quos tandiu pavi ? Offeram ne merulam beati Benedicti, quæ toties et tam importune mihi volitans occurrit ? Offeram struthionem, quem nutrivi post conversionem ? Offeram fortassis porcum immunditiæ pro agno innocentiæ, merulam voluptatis pro turture castitatis, struthionem simulationis pro columba simplicitatis. Quid est enim moraliter porcus vertens se in volutabro luti, nisi peccator revertens ad immunditiam peccati ? Et quid est merula volitans nisi voluptas per suggestionem tentans? Vel quid est struthio in deserto, nisi simulatio in converso? Adhuc mecum habeo siliquas cibum, scilicet porcorum, quia adhuc in ore meo resonant sæculares fabulæ, quæ sunt quasi cibus spirituum immundorum. Siliqua, sicut scriptum reperi, genus est leguminis, follibus maximum et sonorum, sed granorum paucitate sterile ei pene vacuum. Ideoque per siliquas designantur fabulæ sæculares sterili suavitate resonantes. Cum igitur sæcularia narro, stultas congrego, et sicut porci siliquas, sequuntur

immundi nugas. Heu! quam sæpe occurrit mihi merula tentationis, et tam tardus curro ad vepres et urticas correptionis. « Cum autem beatum Benedictum, ut ait B. Gregorius, urgeret tentatio carnis, conspiciens urticarum et veprium juxta densa succrescere fruticeta, nudum se in illis spinarum aculeis et urticarum incendiis projecit, et per vulnera cutis eduxit vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. » Talis ad altare potest accedere, cui cum occurrerit merula voluptatis, currit humilis ad asperitatem correptionis. Ego autem quomodo accedam? qui porto plumam struthionis in habitu religionis, ut placeam non moribus, sed vestibus. Quasi enim struthio volatum simulo, sed tamen pedibus terram tango: volito habitu, sed terram tango affectu. Penna siquidem contemplationis a terrenis non elevat, quam corpulentia carneæ fragilitatis pondere suo gravat. Unde B. Job: *Penna*, inquit, *struthionis similis est pennis Herodii et accipitris* (*Job* XXXIX). Dicitur esse similis penna struthionis pennæ Herodii et accipitris, cum aliquis habitu simulat quod vitam alicujus antiqui patris habeat. In pennis igitur similes sunt, sed corpore differunt, quia struthio corpore major est, et ideo a terra non potest elevari. Qui enim terrena sapiunt, et terrenis inhiant, carnis desiderio solent aggravari. Unde et Veritas dicit: *Hi sunt, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII). Exterius autem contegor ovis vellere, intus autem sævio cupiditate. Coram Domino consisto ad altare extensis manibus quasi crucifixus, crucem simulans, et tamen non portans. Cujus crucem? forsitan latronis, sed utinam illius, cui dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Tres sunt siquidem cruces: prima latronis desperantis, secunda orantis et dicentis: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*ibid.*), tertia autem Christi. Primus meruit crucem, sed non profuit ei ad salutem. Secundus vero meruit, sed tamen ad salutem profuit. Tertius non meruit, portavit eam tamen, sed nobis profuit. His tribus assimilari possunt tres species hominum, quorum hi primi sunt, qui portant crucem mortificando carnem, et tamen non prodest eis, quia non pœnitent. Sunt autem et alii, qui mortificant carnem, et prodest eis ad salutem, orant et exaudiuntur, audiunt etiam quod dicitur: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quando autem hoc audiunt? Cum Evangelium legentes dicunt: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Sunt etiam alii liberi a pœna peccati, nullis criminibus implicati, subtrahentes se a perverso opere, ab otioso sermone, ab immunda cogitatione, in quorum manibus labor est assiduus, oratio in lingua, puritas in mente, portantes aliena peccata quasi sua hi sunt, qui portant crucem, non pro suis, sed pro peccatis alienis. Prima igitur crux diaboli, secunda cujuslibet justi, tertia vero Christi. Prima malitiæ, secunda pœnitentiæ, tertia justitiæ. In unaquaque quatuor sunt dimensiones. In cruce etenim diaboli est altitudo, qua extollitur super omne quod colitur. Profundum est desperatio, de qua dicitur: *Peccator, cum in profundum venerit malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII). Latitudo in carnalibus, qui latam et spatiosam viam sequuntur. Longitudo vero pertinacia. In cruce vero justi profundum est humilitas, longitudo assiduitas laboris; altitudo contemplatio; latitudo oratio quæ non tantum latitudine sua complectitur amicum, sed etiam inimicum. Crux autem Christi habet profundum timoris, altitudinem spei, latitudinem charitatis, longitudinem perseverantiæ. In prima cruce crucior, ad secundam tendo, pro tertia suspiro. Primam timeo, secundam quæro, tertiam desidero. In prima pœna tantum, in secunda pœna cum venia, in tertia gloria. Ad crucem malitiæ pertinet pœna, ad crucem pœnitentiæ pertinet venia, ad crucem vero justitiæ gloria. Timeo igitur pœnam, quæro veniam, desidero gloriam. Sed forsitan quæris, utrum reperire possis mensuras utriusque crucis? Dominicæ crucis profundum habet beatus Job, altitudinem David, latitudinem Petrus, longitudinem Naboth. De profundo timoris dicitur: *Erat vir rectus, et timens Deum* (*Job* I). De altitudine spei dicit David: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum* (*Psal.* XXX). Petrus vero ostendit nobis latitudinem charitatis dicens: *Ante omnia mutuam in vobis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV). Audis latitudinem cum dicit: *operit multitudinem peccatorum.* Hoc est etiam latum mandatum, ut *qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* (*Prov.* x). De longitudine vero scriptum est. Cum Achab rex Israel vineam Naboth vertere vellet in hortum (*III Reg.* XXI), quod ille moraliter intelligens mori maluit quam consentire, ut labor excolendæ carnis verteretur in hortum voluptatis, voluit esse in bono perseverantiæ mensuram longitudinis terminum mortis. Supra profundum igitur timoris altitudo spei locatur, ne per timorem ad desperationem animus perducatur. Post spem charitas, post charitatem perseverantia ponitur, ut qui sperat amet, in hoc quod amat perseveret. Primæ igitur et secundæ crucis mensuras diligens lector assignare potest cum voluerit. Nos autem revertamur ad ea, quæ cœpimus, ut sacrificium dignum Deo offerre valeamus. Tria sunt autem sacrificii genera. Unum Dominici corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis. Oportet igitur præcedere sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, ut habeatur devotio in Dominici corporis consecratione. Cum obtulisset Abraham sacrificium Domino post victoriam quinque regum vaccam triennem, et capram triennem, et arietem triennem, columbam quoque et turturem, animalium corpora divisit, aves vero indivisas dimisit. Descendebant autem volucres super corpora divisa, sed Abraham abigebat eas (*Gen.* XV). Aves sunt spirituales, animalia corda carnalia. Adversus se invicem animalia dividuntur dum perversa desideria distrahuntur. Porro aves indivisæ remanent quia spiritales semper unitati

vinculum tenent. Super corpora vero divisa volucres descendunt, quia in divisione carnalium dæmones desiderii sui pastum quærunt. Sunt et aliæ volucres, importunæ scilicet cogitationes, quæ in ipso nostræ orationis sacrificio quandoque se ingerunt, et quod in nobis Deo immolamus, hoc rapere, vel commaculare volunt. Sed Abraham abigente diffugiunt volucres, quia manus sanctæ discretionis intus fugat immundos spiritus, et perversas cogitationes. Per vaccam, ut quidam volunt, quæ grave est animal, sensualitas ; per capram, quæ altum petit, et clarum habet visum, intellectualitas ; per arietem,qui cervicosum est animal, carnalis imaginatio signatur, quæ cornibus superbiæ spiritui reluctatur : hæc trium annorum dicuntur esse, ut individuæ Trinitatis imbuantur amore.Ego autem non tantum gravor accessu volucrum, sed etiam inquietor importunitate muscarum, quæ venientes ex Ægypto adhuc sequuntur sacrificantes in deserto. In illis timeo rapinam, in his maculam. Tres sunt autem muscæ Ægypti, id est vanitas, curiositas et voluptas. Musca vanitatis inquietat, et maculat sacrificium humiliati cordis; musca curiositatis, sacrificium mortificatæ carnis. Accedo igitur ad altare vanus, curiosus, voluptati subditus. Sunt etiam multi alii in sæculo, qui non tantum vani, curiosi et voluptuosi, sed etiam cum ambitione, non cum devotione accedunt ad mensam Christi, qui non accederent, nisi seipsos aliquid accepturos sperarent. Accessit ad Jesum Petrus, accessit et Judas, accesserunt et milites crucifigentes (*Matth.* XXVII). Accedunt quotidie ad corpus Christi religiosi,accedunt et perversi sacerdotes, qui ea, quæ offeruntur ad mensam Christi, offerunt in mensa diaboli. Ipsa est alea fati, in illa Deum invocant, in ista perjurant, non enim orationi vacant, sed lusibus exsultant, legem Dei nec faciunt, nec discunt, vacantes otio comessationibus et ebrietatibus student, terrenis inhiant, terrena sapiunt; assidui in plateis, in ecclesia rari tardi ad investigandam culpam peccatoris,parati ad inquirenda vestigia leporis, velociores ad congregandos canes,quam ad convocandos pauperes; libentius porrigunt panem cani, quam pauperi : plures serviunt eis ad mensam, ad missam nullus ; famulas aut famulos habere secum volunt, sed clericos habere non possunt, quia nollunt. Hi sunt, quorum thalamus ornatior et ecclesia ; equus charior est missali ; cappa casula puchrior ; camisia delicatior alba. Ecce *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* IV). Obscuratum est aurum fuligine peccatorum, mutatus est color decoris et sanctitatis in fœditatem vitiorum. Qui sunt isti lapides sanctuarii dispersi in capite omnium platearum, nisi, ut quidam sapiens dicit, sacerdotes Christi et ministri sacri altaris, et canonicorum sancta et Deo consecrata societas, nec non et virginum et sanctimonialum numerositas, qui semper apparere debent in secreto Dei conspectibus, quos nunquam necesse est foris conspici, nunquam extraneis et sæculi actibus occupari. Sed, quod gravius est, ideo dispersi deplorantur quasi lapides sanctuarii in capite omnium platearum, qui dum per vitam et orationem intus esse in contemplatione Dei semper debuerant, per vitam reprobam foris passim vacant. Ecce jam pene nulla est sæcularis vitæ actio, quam sacerdotes Christi non administrent; nulla mundi negotia, in quibus ministri altaris se non occupent ; nulla rerum improbitas, qua monachicus ordo se non implicet ; pene nulla illecebræ vitæ blandities, qua se castitas sanctimonialum non commaculet. Sanctuarii ergo lapides dispersi sunt in plateis, cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur. Et non solum in plateis, sed in capite omnium platearum disperguntur, dum per desiderium hujus mundi opere peragunt, et tamen de religioso habitu culmen honoris vel laudis quærunt. In capite ergo platearum dispersi sunt quia et jacent per ministerium operis, et honorari volunt de imagine sanctitatis. Quid est igitur cum tales ad altare accedunt, qui nihil aliud nisi temporalia quærunt? et quæ major aut gravior abusio in claustro vel in sæculo potest esse, quam quod ad sacrificium Dominici corporis accedas sine reverentia ac sine devotione? Possunt ea quæ diximus, animum legentis instruere, si caveantur quæ noxia sunt, si teneantur utilia, ut prælati subditos diligenter custodiant, subditi prælatis benigne obediant, devoti sint senes, laboriosi juvenes, sit honestas in habitu, mediocritas in victu, in claustro assidui, ad curiam rari ; ut non sint curiales, sed claustrales ; sint intenti psalmis, non causis ; in claustro non sit rumor, sed lectio ; in capitulo non lites, sed confessio ; sit in choro severa simplicitas,circa altare reverentiæ honestas. Ex his igitur observantiæ mandatis pendet summa totius religionis.

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

Nosti, charissime, quod ea, quæ de ordinatione claustri materialis diximus, non solum scripta,sed etiam pro loco,et tempore,et personis sunt ordinata, et exsecutioni apud nos mandata. Sed forsitan dubitas utrum omnes consenserint an non consentientes recesserint aliqui.Nullus recessit, omnes consenserunt, exceptis quibusdam laicis, qui adhuc jugum

portant et murmurant, et tales qui in sæculo pauperiores vixerant quam nunc vivant, et nunc in monasterio quærunt quæ nec foris habere potuerunt. Sic, cum David ad debellandos profisceretur Amalechitas, quidam abierunt, quidam remanserunt ad sarcinas (*I Reg.* xxx). Ad sarcinas vestis et cibi remanent inertes et infirmi, ad bellum vero expediti et fortes ire non timent. Qui igitur vestes, cibos et quietem carnis diligunt ad debellandos Amalechitas, id est, ad destruendas carnis delectationes non procedunt. Hoc enim interpretatur Amalech, *populus lambens.* Sic filii Gad, et filii Ruben, et dimidia tribus Manasse renuunt transire Jordanem, et ad bella cum fratribus procedere; sed magis amant terram Jazer aptam nutriendis animalibus obtinere (*Num.* xxx). Qui terram Jazer animalibus quærunt, hi sunt qui motus animi irrationabiles in desideriis carnis pascunt. Nullus clericorum, charissime, modo discordat, sed unusquisque pondus religionis benigne portat, et quibus prius quibus fuit gravior nunc est gratior. Pro hoc igitur laboro, ut cum ipsis semper quietus vivam, et cum ipsis in pace moriar, cum ipsis et sub ipsis frater et conservus. Nunc autem ad ea, quæ de claustro sunt animæ dicenda, transeamus.

CAP. I. *Quod claustrum animæ contemplatio dicitur.*

Animæ claustrum contemplatio dicitur, in cujus sinum dum se recipit animus, sola cœlestia meditatur, separatur a terrenis, a turba cogitationum carnalium longe ponitur, dulces carnis refugit affectus, vagos sensuum motus restringit, in Domino delectatur, angelica fruitur dulcedine legit in libro vitæ, pro silentio pacem tenet, in choro virtutum, servat concordiam morum, summi Patris bonitatem, angelicæ creaturæ beatitudinem contemplatur, attendit bonitatem, cui nihil deest, beatitudinem quæ nullo indiget. Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti benignitatem considerat. Dum hæc tria contemplatur, tribus modis consolatur. Peccavimus enim contra patrem, peccavimus contra Filium, peccavimus contra Spiritum sanctum. Ex infirmitate contra Patrem peccavimus, quasi contra potentiam; ex ignorantia contra Filium, quasi contra sapientiam; ex malignitate contra Spiritum sanctum, quasi contra benignitatem. Consolatur igitur nos potentia Patris, qua peccata puniuntur, ut fortitudinem capiamus contra fragilitatem carnis: consolatur sapientia Filii, quæ refecit quod per ignorantiam deficit; consolatur benignitas Spiritus sancti, ne subintret desperatio. Hujus claustri ambitus, virtutum columnis decoratur, sustentatur patientiæ basibus, ac regula justitiæ quadratur, virtutum coadjacentibus officinis munitur, muro boni operis, claustri septa forinsecus ambiuntur, quæ clauso silentii ostio vagæ mentis gressum prohibent. Ab hoc claustro *egressa est Dina Filia Jacob, ut videret mulieres regionis alienæ. Quam cum vidisset Sichen filius Hemor, adamavit, et rapuit, et dormivit cum illa, et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque blanditiis delinivit* (*Gen.* xxxiv). Audi beatum Gregorium: « Dina, inquit, ut mulieres videat regionis alienæ egreditur, quando undaquæque mens sua studia negligens, alienas actiones curans, extra habitum atque ordinem proprium vagatur. Quam Sichem princeps terræ opprimit, quia inventam in curis exterioribus diabolus corrumpit. Et conglutinata est anima ejus cum ea, quia unitam sibi per iniquitatem recipit. » Sed quia, cum mens a culpa recipiscit atque admissum flere conatur, corruptor et spem, et securitatem ante oculos revocat, quatenus utilitatem tristitiæ subtrahat. Recte illic subditur; Tristemque blanditiis delinivit. Modo enim aliorum facta graviora, modo nil esse quod perpetratum est, modo misericordias Domini loquitur, modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur, ut dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur. Sic, charissime, quandoque mens egreditur, et egressa curis sæcularibus implicata capitur. Fratres autem Dinæ sororem suam in aliena domo diu morari non permittunt, sed interfecto Sichem cum reliquis masculis, urbe depopulata sororem suam tollunt, uxores vero eorum captivas ducunt (*ibid*). Sororem suam filii Jacob, cum reliquis masculis interfecto Sichem reducunt, quando viriles animæ motus contra vitia luctantur expulso diabolo, et majoribus vitiis extirpatis, mentem a carnali desiderio violatam secum quasi vi ab hostibus ereptam manere cogunt. Mulieres vero captivæ ducuntur dum delectationes animi extra terram carnis exsulantes a desideriis carnalibus privantur. Sic igitur congregati filii Jacob a finibus illius exeunt cum sorore, quia dum mens post lapsum resipiscit, virtutum collectis agminibus, ne iterum capiatur a carnalibus desideriis longius recedit, nec tantum longius recedit, sed etiam altius ascendit. *Ascendit* enim *in Bethel* (*Gen* xxxv). Sed hoc fit, quando mens ascensiones virtutum in se disponit. Sic igitur in Bethel pervenitur, quando cor cujuslibet, *domus Dei*, quod interpretatur Bethel, efficitur. In hac domo altare Domino erigitur, in hac domo claustri spiritualis ordo stabilitur.

CAP. II. *De quatuor lateribus claustri.*

Sicut ex quatuor lateribus claustri materialis structura fieri solet, sic in quatuor virtutibus animæ quadratura claustri spiritualis per similitudinem assignari potest, quæ sunt contemptus sui, contemptus mundi, amor Dei et amor proximi. Ex his quatuor lateribus unum vergit ad Occidentem, alterum ad Septentrionem, tertium ad Orientem, quartum ad Meridiem. Dum enim defectus carnis assiduo cernimus, dum quotidianos occasus animi videmus tunc quasi in latere claustri, quod ad occasum respicit, sedemus. Quid enim aliud nisi occasum cernimus, dum in nobis subtractis radiis superni solis diem divinæ cognitionis deficere sentimus? Recedente sole crescunt tenebræ, minuitur charitatis, sic recedente sole justitiæ, miseræ mentis cæcitas adve

nit. Ille vero, qui profundæ noctis tenebras, id est, sæcularium difficiles culpas, et eorum corda frigida, gelu desperationis concreta considerat, quasi in latere claustri sedet, quod ad Septentrionem spectat. Post tenebras vero profundæ noctis, id est, post cupiditatis et odii cæcitatem, aurora justitiæ superni solis radios expandens, mentis illuminat secretum, fugat nubes tentationum, torporem frigoris expellit, dilectionis calorem nutrit, invitat ad amorem proximi. Sicut lucifer præcedit solem, sic amor proximi amorem Dei. Hoc igitur latus claustri spiritualis, ortum respicit charitatis. Tunc enim incipit diligi Deus, cum incipit diligi proximus. Et sicut sol oriens ascendit ad australem plagam, sic per amorem proximi fit ascensus ad charitatem Dei. In latere vero claustri, quod ad meridiem respicit, sumus, quando ardente charitatis sole, divinæ majestatis lumen præ nimia claritate tenuiter videmus. Licet enim radius contemplationis recto tramite illuminet terram cordis, licet mens aut minimas, aut nullas habeat tentationum umbras, tamen cum videre plenitudinem Deitatis volumus, impeditur ratio ne possimus. Non est igitur quo divertat animus, qui inter hæc quatuor virtutum munimina manet constitutus. Non enim ad carnis voluptatem, non ad mundi vanitatem, non ad odium proximi, non ad contemptum Dei.

Cap. III. *De quatuor ordinibus columnarum, et quod ex contemptu sui duodecim columnarum ordo procedit.*

In his quatur claustri lateribus quasi quatuor ordines columnarum disponuntur. Ex contemptu etenim sui duodecim columnarum ordo procedit, scilicet humiliatio cordis, et afflictio carnis, sermo humilis, abjectio vestis, cibus tenuis, pondus laboris, amor subjectionis, contemptus honoris, laudem fugere alterius consilium suo præferre, subditis obedire, de se diffidere. Hæ columnæ secantur, sculpuntur et poliuntur. Secantur quando discretione virtutis a vitiis separantur. Sculpuntur, quando ea quæ mens cogitat, manus operatur. Sic Salomon in templo cælaturas prominentes fecisse legitur (*I Reg.* VI). Prominent cælaturæ, dum mentis cogitationes exterius apparent in exemplo et operatione. Sed quomodo poliuntur? Quando tribulationis adversitate feriuntur. Quod politur, æquale efficitur. Æquale non elatum, læve non asperum. Prima igitur columna, id est, humiliatio cordis politur, dum æqualitatem servat dum, non exasperatur per iram, nec inæqualitatem recipit superbiæ, quæ sibi nullum existimat æqualem, sed efficitur cor Deo subditum, proximo amicum, in se modestum. Æqualitas mentis lineam servat religionis. Sunt enim quidam, qui nunc afflictione carnis macerantur, nunc ad carnis voluptatem revertuntur, sæpe vigilant aliis dormientibus, sed sæpius dormiunt aliis vigliantibus. Nunc humilia, nunc sublimia, nunc blanda, nunc aspera loquuntur, nunc de fratribus, nunc de parentibus gloriantur, nunc nihil nisi ordinis statuta perstrepunt, nunc nihil nisi fabulas audire volunt. Nunc albas, nunc nigras, nunc medio colore coloratas delectantur habere cappas, nunc vilis placet habitus, nunc mediocris, nunc superfluus. Nunc dant illis olera pastum, aqua potum, nunc vero exquisitis ferculis, nunc diversis poculis utuntur. Nunc laborant, nunc labor displicet. Amant subesse, ut possint præesse, honores fugiunt, ut honoribus occurrant. Hæc est inæqualitas columnarum, hæc est asperitas earum. Paulus apostolus æqualitatem et lævitatem [lenitatem] docet. Lævitatem [Lenitatem] cum dicit : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII. Et in eodem : *Non vosmetipsos defendentes*, inquit, *charissimi, sed date locum iræ* (*ibid.*) Æqualitatem vero, ubi ait : *Scio humiliari, scio et abundare, ubique institutus sum, et in omnibus, et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat* (*Philip.* IV). Unde beatus Gregorius : « Qui, inquit, acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc misericorditer cum indigentibus dividit, scit abundare. » Qui acceptis alimentis, non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit quam necessitas petit, scit satiari ; qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus aliquid agit, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo in abundantia superbia non elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Cum autem diceret *omnia possum*, ne per elationis tumorem excederet æqualitatem, statim subjunxit, *in eo qui me confortat*. Qui enim quod faciunt, Deo ascribunt, et humiliter sentientes de se diffidunt, talibus non evanescit fructus sui laboris, quia nec extollitur in auras vanæ gloriæ nec vento rapitur elationis.

Cap. IV. *De basibus columnarum : Quod tres in Scripturis basium species inveniuntur.*

Sicut bases suppositæ columnis materialibus portant ædificii sui pondus, sic patientiæ virtus, ædificii spiritualis sustinet onus. Tres autem in Scripturis basium species inveniuntur, scilicet ænea, argentea et aurea. Ænea fortitudinem, argentea cum fortitudine claritatem, aurea cum fortitudine et claritate fulgorem tenet. Fortitudo in opere claritas in sermone, fulgor in mente. Qui in his tribus patientiam bene servat, quasi basis aurea virtutum structuram firmiter portat. His tribus usus est Moyses in constitutione tabernaculi, ænea scilicet, argentea et aurea (*Exod.* XXXVI). Ædificavit Moyses tabernaculum, quod moraliter designat claustrum animæ. Tria possumus assignare tabernacula, scilicet materiale, mysticum et morale, id est tabernaculum Moysi, tabernaculum Christi, tabernaculum cujuslibet justi. Tabernaculum Moysi fuit ex diversis ornamentum generibus conveniens structura. Tabernaculum Christi est. Ecclesia. Tabernaculum justi quælibet fidelis anima

Unum fit ex lignis Setim imputribilibus, alterum ex sanctis infatigabilibus, tertium ex virtutibus. Moyses suum in eremo erexit, Christus in mundo, justus in anima, omnes tamen in deserto ædificaverunt. Eremus desertum vocatur, quia ab hominibus non habitatur; mundus vero dicitur desertum, quia deseruerat Christum : similiter et anima desertum nuncupatur, quando Spiritus sancti gratia non fecundatur. Posuit Moyses in tabernaculo suo arcam, Christus in suo carnem propriam, justus vero conscientiam. Arca Moysi decoratur auro mundissimo intus et exterius. Caro Christi deauratur intus divinitate, foris miraculorum claritate. Conscientia justi interius fulget splendore puritatis, exterius vero operibus claritatis. Posuit Moyses tabulas per circuitum tabernaculi stantes, et binæ incastraturæ erant per singulas, ut altera alteri jungeretur. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur. Tabulæ, quæ disponuntur per circuitum, designant moraliter ordinem virtutum. Binæ vero incastraturæ, quæ erant in singulis tabulis, sunt affectus mentis et exhibitio operis. Dum enim mens operi concordat, ne tabula tabulam excedat, incastraturæ firmitas servat. Duæ vero bases sub singulis, sunt perseverantia et longanimitas in prosperis et adversis. Sunt et aliæ basum species, quæ nunc in nostris ædificiis reperiuntur, scilicet lignea, lapidea et picta, sed hæ fragiliores sunt præcedentibus, citius enim destrui possunt. Igne enim lignea comburitur, lapidea gelu frangitur, picta nihil portat, sed ab alio sustentatur. Hæc autem in ædificio nostræ mentis, oculo intelligibili quandoque discerni possunt. Dum enim facibus iracundiæ seu luxuriæ flammis accendimur, quid aliud in nobis quam patientiæ basis vel abstinentiæ fortitudo destruitur? Dum charitas in nobis frigescit, et mens ad diversa desideria partitur, nonne lapidea basis frigore tentationis in partes dividitur? Basis vere picta est patientia ficta, quæ similitudinem tenet non veritatem, colorem non fortitudinem. Simulationis etenim patientia in ostentatione est, non in operatione. Erigamus igitur in ædificio nostræ mentis bases perseverantis patientiæ ; erigamus bases, quæ nequeant gelu frangi aut igne comburi, quæ portent tabulas virtutum, quæ sustineant pondus columnarum, id est obedientiam prælatorum.

Cap. V. *De hospitum domo. Quod mens sapientis hospitalis esse debet.*

Inter coadjacentes spiritualis ædificii officinas, hospitum domus prima occurrit, quæ peregrinantibus in regionem longinquam, cum ad claustra animæ redierint, apertis misericordiæ januis patet. Hospitum siquidem domus, mens compatiens appellari potest. Unde Ambrosius : « Mens, inquit, sapientis hospitalis esse debet. Mens enim hospitalitatis officio fungitur, cum delinquentium fratrum culpis benigne compatitur. » Habet hæc domus ministros suos, qui hospitibus serviant. Pulsanti etenim peregrino januam charitas aperit, intrantem hilaritas recipit, receptum affabilitas detinet, esurientem collatio pascit, fesso humilitas servit. Hæc hospiti debentur, hæc reverenti filio, *qui luxuriose vivendo partem substantiæ dissipaverat,* paterfamilias exsolvit (*Luc.* XV). A longe enim venientem cum videret, occurrit, amplectitur, occidit vitulum saginatum, ordinat chorum, symphoniam tangit. Sic et spiritualium patrum pietas, quæ quasi paterno affectu præsidet subjectis, delinquentem discipulum (cum per pœnitentiam redierit) longe venientem videt compatiendo ; occurrit indulgendo, amplectitur familiarem se illi faciendo ; occidit vitulum, carnis mortificationem prædicando ; chorum ordinat, symphoniam tangit, morum concordiam et unitatem docendo. Invitat igitur pietas desperantem, trahit charitas invitum, iratum misericordia pacificat, hilaritas securum reddit, affabilitas familiarem, familiaritas secretum aperit, apertio secretorum amicitiam servat, prædicatio instruit, morum concordia facit amicum proximo, humilitas Deo. Sed dum hæc fiunt, timeo ne frater ille, qui foris erat, superveniat et dicat : *Pater, ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer* (*ibid.*). Sed postquam hic filius tuus, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum. Revera ille dicitur esse extra domum compassionis, qui nescit beneficium consolationis, qui tantum novit increpare non obsecrare. Sic tamen temperanda est misericordia regentis, ne impunita remaneat culpa delinquentis. Sic quandoque spiritales patres quosdam delinquentes recipiunt, quos fratres despiciunt, qui domum compassionis intrare dedignantur ; et sic extra morantur, et qui fratribus compati debuerunt, crudeliores prælatis fiunt. Ovem perditam Christus ad caulas violenta manu non reduxit, sed humeris propriis impositam reportavit. Sed et angeli super uno peccatore pœnitentiam agente gaudent (*ibid.*). Quid igitur, charissimi ? Concordat angelus et Creator cum convertitur peccator et frater fratri dedignatur compati, dum pater spiritualis misericorditer ignoscit filio delinquenti. Descendit Samuel de excelso in oppidum, ut in regem Saulem ungeret (*I Reg.* IX). Descensus Samuelis exemplum designat condescensionis ; per unctionem vero demonstratur, ut qui descendit misereatur, ut qui præbet effectum compassionis, ungat blandiens oleo consolationis. Descendit superior ad inferiorem, ut sublimet ad honorem, ut qui sequebatur asinas, regat animas, id est, qui carnis affectus quærebat irrationabiles, eligatur ut eosdem regat et obtineat spiritales. Qui jacet, non erigitur, nisi qui jacentem erigit, inclinetur. Unde beatus Gregorius : « Jacentem, inquit, non erigit, nisi qui statum suæ rectitudinis per compassionem flectit. » Tales quandoque eriguntur per amorem, quandoque vero per timorem. Sed qui per timorem disciplinæ erigitur, quasi per se surgere cogitur ; qui vero per

amoris dulcedinem trahitur, quasi per compassionem blandientis adjuvatur. Amor erigit, trahit et sustentat; timor cogit, erigit, sed cruciat. Ad hoc pertinet quod per beatum Augustinum ad prælatos de subjectis dicitur: « Plus, inquit, a vobis amari appetant, quam timeri. Nec tamen nimium parcat amor, nec nimium terreat timor: sed sic amorem timor comitetur, ut nec timor odium pariat, nec amor negligentiam patiatur. » Hinc per beatum Job dicitur: *Cum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator* (*Job.* XXIX). Ecce timor ex auctoritate regiminis, amor autem ex dulcedine consolationis. Sic et vulneribus illius, qui incidit in latrones, Samaritanus vinum et oleum infudit (*Luc.* X); in vino scilicet designans severitatem districtionis, in oleo vero mollitiem pietatis. Unde per beatum Gregorium dicitur: « Faciendum est quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. » Sed et in arca tabernaculi virga simul et manna erant (*Hebr.* IX), id est, virga districtionis, et manna dulcedinis. Hinc Psalmista: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII). Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Hæc est virga directionis per correptionem, hic est baculus sustentationis per consolationem. Sed, ut superius dictum est, plus amari a subjectis prælati appetant quam timeri, ne severitatis nimiæ vultus eliminet, quos compassionis benignitas per consolationem fovere debet.

CAP. VI. *De capitulo animæ. Sicut fratres in capitulum conveniunt, ut errata corrigant, sic ratio cogitationes convocat.*

Sicut fratrum multitudo, ut errata corrigat, statutis horis ad capitulum confluit, sic mentis ratio cogitationes diversas ad secretum cordis quandoque convocat, ut incorrigibiles ejiciat, corripiat inquietas, negligentes emendet, erudiat simpliciores, mitiget iracundas, voluptuosas restringat, pigras excitet, consoletur pusillanimes, doceat indiscretas. In hoc spirituali capitulo abbatis locum ratio possidet, conscientia culpas accusat, perversitas excusat, superbia reatum defendit, innocentia confitetur, humilitas seipsam judicat, arrogantia vero alienos. More perversorum fratrum vitia præceptis contradicunt, more vero simplicium virtutes obediunt, seipsas tamen quandoque virtutes invicem accusant. Accusat enim misericordia justitiam, justitia misericordiam, honestas humilitatem, humilitas honestatem. Accusat misericordia justitiam, quod manus usque ad crudelitatem extenderit, quod iracundiæ verba protulerit, quod mansuetudinis vultum mutaverit. Justitia vero misericordiam accusat, quod severitatis vultum non induerit, quod peccatum impunitum dimiserit, quod delinquentem saltem verbis non increpaverit. Accusat humilitas honestatem, quod excedat mediocritatem, quod sequatur superfluitatem, quod non tantum utatur honestis, sed etiam voluptuosis. Honestas vero accusat humilitatem, quod nimiam diligat paupertatem, quod non impendat corpori necessitatem, sed amet nuditatem, pannositatem et egestatem. Ait enim quandoque misericordia remissius, justitia crudelius, humilitas, parcius, honestas abundantius, nec tamen desinunt esse virtutes, licet imperfectæ sint. Dum enim accusantur, quasi ad suspiciendam disciplinam denudantur. Sed quomodo denudantur? Quando per confessionem vitiorum occulta declarantur. Duæ siquidem sunt species disciplinæ, interior scilicet et exterior. Interior disciplina est per districtionem cordis, correctio morum; exterior vero per afflictionem carnis, correctio actionum. Exterior quandoque generat interiorem; quia, dum mens non spargitur ad exteriora, revertitur ad quietis amorem. Ad hoc pertinet quod *Lamech Noe genuit* (*Gen.* V), id est, disciplina requiem. Interpretatur enim Lamech *percutiens*, quod proprium est disciplinæ: Noe vero *requies* interpretatur, quæ tunc nascitur, quando mens ab exterioribus per disciplinam reprimitur. Hic est Noe, qui construit arcam (*Gen.* VI), id est, ædificat animam, quæ irrationabilia animalia in inferioribus ordinat, homines et volatilia in superiori parte locat, id est, motus carnales subjicit, spiritales superponit. Si autem inundaverit diluvium carnis, tunc intrat arcam mentis; et licet circumfluant torrentes iracundiæ, fluenta luxuriæ, voragines gulæ, licet ebulliant fontes delectationum, abyssus cupiditatum, maria conturbationum, intrat tamen Noe securus arcam, id est, quietus animus clauso foris silentii ostio possidet animam. Sed et Lamech interfecisse Cain legitur (*Gen.* IV). Cain autem *possessio* interpretatur. Cujus? diaboli non Dei, sui non magistri, proprii non communis. Inter folia jacens Cain occiditur, quia perversus in levitate cordis et multiplicitate verborum volutatur. Sic igitur per Lamech Cain occiditur, et ex alio Lamech Noe generatur, quia quandoque perversus per disciplinam ejicitur, et per disciplinam nutritus, quietæ mentis efficitur. Accusatur Cain de morte fratris. Qui enim nullo obediunt, qui seipsos possident, qui exemplum pravæ operationis fratribus ostendunt, quid aliud quam fratris animam propriis manibus, id est propriis actibus, occidunt? Quid igitur utilius disciplina, quæ quietem generat, perversos necat.

CAP. VII. *De opere spirituali. Post capitula exeunt fratres ad laborem: sic et animus egreditur a contemplatione cœlestium ad meditationem Scripturarum.*

Post capitulum ad laborem manuum fratres egredi solent: sic post quietem contemplationis egreditur animus ad providendum laborem corporeæ neccessitatis. Egreditur a contemplatione, qui cœlesti fruebatur delectatione. Egreditur, et descendit, quo, et quomodo? Egreditur a contemplatione cœlestium ad meditationem Scripturarum, et ibidem moram faciens audit vitæ præsentis miseriam, futuræ vero beatitudinem, considerat præmia justorum, attendit et pœnam damnatorum. Deinde de præmiorum amore tractus et pœnarum

timore tactus, descendit ad suorum memoriam delictorum. Qui dum culpam propriam cognoscit, alienæ citius ignoscit, et ideo post memoriam delictorum descendit ad compassionem proximorum, inde vero progreditur ad agendam curam eorum. Potest et hoc per similitudinem demonstrari, cum aliquis egreditur de thalamo in domum, a domo in porticum, a porticu in vicum, a vico in agrum. Egreditur siquidem a contemplatione cœlestium ad meditationem Scripturarum, quasi a thalamo in domum; a meditatione Scripturarum ad memoriam delictorum, quasi a domo in porticum; a memoria delictorum ad compassionem proximorum, quasi a porticu in vicum; a compassione proximorum ad agendam curam eorum, quasi a vico in agrum. In contemplatione igitur quies est, in cæteris labor. In meditatione Scripturarum laboramus, timentes ne præmia justorum amittamus; in memoria delictorum laborantes gemimus, ne cum damnatis simus. In compassione vero proximorum labor est operationis. In primo monemur, in secundo docemur, in tertio movemur, in quarto meremur. Monet Scriptura quid agere debeamus; docet memoria delicti, ut pœniteamus; movemur compassione, ut diligamus; opus vero bonum meretur, ut nobis, qui aliis succurrimus, succurratur. Exit et animus in hortum, ut videat hortulanum, videlicet Christum, qui plantat gramina virtutum. Exit et olera rigare, id est, fragilitatem carnis deplorare lacrymis. Sed, sicut sol post pluviam clarior fulget: sic Christus post irrigationem lacrymarum benignior apparet, extendens radios suæ cognitionis et illuminans corda verbo consolationis. Exierat Maria Magdalene ad sepulcrum quasi in hortum, ut plantaret et irrigaret; invenit eum qui dat incrementum, et audit: *Mulier, quid ploras? Quem quæris* (*Joan.* XX). Ecce post pluviam compunctionis irradiat claritas consolationis. At illa, audito quid quæreret, existimans quia hortulanus esset, ait: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego tollam eum* (*ibid.*). Desperabat Maria de fructu laboris, quia dubitabat de veritate resurrectionis. Unde dicitur quod conversa est retrorsum (*ibid.*). Convertitur retrorsum, quæ in Domini faciem per dubitationem miserat deorsum. Plantaverat Maria per amorem, sed de fructu resurrectionis dubitabat propter resurrectionis dilationem. Cum autem cognoscit Christum, colligit fructum. Quid enim prodesset semen corruptionis, quid flos nativitatis, quid maturitas passionis; nisi sequeretur fructus speratæ resurrectionis? Egreditur iterum animus, ut circumfodiat *ficulneam*, ut quæ sterilis erat, fructum ferat (*Luc.* XIII), ut cophinum stercoris mittat, id est, ut memoriam peccati fetentem reddat. Intrat et in vineam, ut circumfodiat eam, ut succidat sarmenta, id est, superfluitatis incrementa, ut quod luxuriat in palmitibus, redundet in fructibus. Unde in Canticis canticorum: *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas; videamus etiam si floruerit vinea, si flores fructus parturiunt* (*Cant.* VII). *Egrediamur*, inquit, *in agrum*. Egreditur animus a contemplatione ad sui circumspectionem, egreditur a cura sui ad agendam curam proximi, ut consoletur pusillanimes, corripiat inquietos, ut fiat ager virtutum qui prius fuerat veprium et spinarum. *Commoremur*, inquit, *in villis*, id est in illis qui sunt villani, id est rudes et tardi ad percipienda documenta curiæ Christi. Sunt enim quidam claustrales quasi curiales, quinam vero villani, id est inordinati, qui non quærunt ædificationem mentis, sed repletionem ventris, terrenis inhiant, terrena sapiunt. In his necesse est ut faciamus moram per doctrinam, per disciplinam. *Mane surgamus ad vineas.* Qui enim volunt succidere sarmenta vinearum, id est superfluitates animarum, oportet ut surgant mane, id est, non pigre, sed præcedant exemplo et operatione. *Videamus an floruerit vinea, an flores fructus parturierint*, id est, videre faciamus, an bonis cogitationibus animus floreat, an boni operis fructus gignat. Quid? Nonne inter opera quiescendum? Dicat igitur animus: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideravi, sedi* (*Cant.* II). Tria sunt in malo consideranda, videlicet umbra grata, fructus bonus, odor suavis. Dat enim Christus umbram præceptorum, quæ defendit ab æstu vitiorum, *ut per diem non urat sol, neque luna per noctem* (*Psal.* CXX). Habet fructum inter folia, id est, bonum opus inter verba. Scriptum est enim de eo: Fecit quod docuit (*Act.* XXI). Odor vero fructus illius est suavis, id est, fama bonæ operationis. Sub umbra igitur, quam desiderat, sedet animus, qui vult esse quietus. Sed quandoque sedet super fenum, quandoque super scabellum, quandoque super scamnum, quandoque super cathedram. Super fenum sedet, cum carnem subjicit; super scabellum, cum subjicit mundum. Unde beatus Hieronymus: « Magna, inquit, exultatio est animæ, mundum habere sub pedibus. Cum vero sedet super scamnum, novissimum eligat locum, ut audiat: *Amice, ascende superius* (*Luc.* XIV), ne cum rubore descendat et audiat: *Da huic locum* (*ibid.*). Qui humilitatem sequitur, ad superiora vocatur; qui vero superba eligit, ad inferiora descendit. Super cathedram sedent non justitiæ, sed pestilentiæ, de quibus dicitur: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXVII). Post pausationis quietem iterum surgit animus ad laborem, ut colligat botros de vineis Engaddi (*Cant.* I), non de vinea Sodomorum; de vinea Sorec, non de suburbanis Gomorrhæ: ut inter ubera sua comportet myrrhæ fasciculos, ut in agro Boos recipiat spicas, quæ messorum manus effugerant (*Ruth.* II). De vineis Engaddi, et de vinea. Sorec animus botros colligit, cum fructus pœnitentium vel electorum præmia requirit. Engaddi, *fons hædi;* Sorec *electa* interpretatur. In hunc fontem qui descendunt hædi, ascendunt agni novelli. In fonte etenim compunctionis abluuntur sordes carnis, abluitur fetor hædi, id est voluptas peccati, hædi petulantia, id est carnis luxuria. Ex vineis Engaddi vinum bo-

num, ex vineis Soneth vinum optimum; illo inebriantur chari, isto charissimi. Illud aqua mistum, illud est purum. Illud adhuc turbatur fæce naturali id est voluptate carnali; istud vero non turbatur etiam qualibet tribulatione temporali. Illud veterum vasorum retinet saporem, id est, memoriam peccati; istud redolet munditiam, id est, dulcedinem cordis purificati. Vinum igitur de vineis Engaddi, et de vinea Soreth conditur pigmentis et melle, vinum de vinea Sodomorum, et de suburbanis Gomorrhæ, venenis et felle. *Fel* enim *draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (*Deut.* XXXII). Gomorrha, *siccitas;* Sodoma, *sterilitas* interpretatur. Qui enim remoti sunt a fonte compunctionis, qui non humectantur pluvia prædicationis, qui non suffunduntur cœlestis aspersione roris, id est, subtilitate contemplationis, quid mirum si sunt sicci aut steriles? Humor enim generat fecunditatem, siccitas sterilitatem; myrrhæ vero fasciculos inter ubera sua portat, qui corde compatiens et manuum laborem impendens, proximorum necessitates sustentat. Myrrhæ fasciculos portat, qui carnis voluptatem per afflictionem, videlicet jejunando, vigilando, laborando, domat. Myrrhæ fasciculos inter ubera sua portat, qui lapidationem Stephani, ignem Laurentii, crucem Petri, mortem Christi in corde (quod est inter ubera) compatiendo locat. Unde in Canticis: *Quasi fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur* (*Cant.* I). Inter ubera sponsæ quasi fasciculus myrrhæ dilectus commoratur, dum in corde cujuslibet Christi passio cum amaritudine per memoriam renovatur. *In agro vero Boos quæ messorum manus evaserant, spicas colligit* (*Ruth.* II), qui sententias a magnis doctoribus intactas diligenter inquirit. Sic Ruth Moabitis, anima scilicet peccatrix, secuta nurum suam venit in Judæam confessionis terram. Ibi in agro Boos sequens post terga metentium, ne a doctrina aberret, eorum spicas, id est, sententias colligit, quas lex in cibum viduæ, pupilli et advenæ remanere præcepit. Deinde messem suam virga, id est, subtili discretione discutiens, invenit tres modios, qui sunt triplices intellectus secundum mensuram donationis Christi. Ex his igitur sustentamur tempore famis, ut vivat anima nostra.

CAP. VIII. *De refectorio animæ. Quod in refectorio spirituali ponuntur tres mensæ, in quibus Christus ministrat.*

Sicut homo exterior in refectorio materiali ad horam cibo potuque reficitur, sic homo interior in refectorio sanctæ meditationis potatur vino compunctionis, et diversis exemplorum saginatur ferculis. In hoc refectorio tres ponuntur mensæ, id est, triplices intellectus divinæ Scripturæ, videlicet historialis, mysticus et moralis. Prima mensa simplicibus, secunda doctoribus, tertia communis est utrisque. In prima cibus grossior, in secunda subtilior, in tertia dulcior. Prima saporem continet exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedi-

A nem morum. In una Christus vinum ministrat, in secunda frangit panem, in tertia docet. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis. Res miraculorum corroborat fidem, impletio figurarum spem, doctrina morum charitatem. Dum enim aqua in vinum mutatur, dum Lazarus suscitatur, leprosus mundatur, cæcus illuminatur, tunc simplicior turba miratur: sed fides inde crescit, quia Deus hoc fecisse creditur. Dum vero discipulis panis frangitur, et corpus Christi esse perhibetur, dum templum destrui, et post triduum sub figura resurrectionis reædificari promittitur, cum hoc evenisse cernitur, nonne de gloria venturæ resurrectionis spes inflammatur? dicebat enim de templo corporis sui. Dum Christus in parabolis lo-
B quitur, dum semen seminantis quibus terris congruat assignatur, quid aliud in mentibus hominum nisi verbi Dei amor ordinatur? Ponuntur itaque mensæ, ponuntur et panes. Affert Moyses conspersum apostoli hordeaceum, Elias subcinericium. Hordeum tenacissima palea tegitur, in quo Vetus Testamentum figuratur, quod legalibus observantiis obumbratur. Per conspersum designatur panis lacrymarum, qui populo Dei in cibo conceditur, dum de Ægypto egreditur. Per panem vero subcinericium notatur vita peccatorum: qui tandiu supra se cinerem portant, quandiu carnalium voluptatum desiderio flagrant. Unde scriptum est: *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur* (*Ose.* VII). Panis sub cinere partem subtus
C habet mundiorem: illam, quæ supra est, sordidiorem. Sic mens terrena cogitans, super se cinerem portat. Si autem panis reversetur, excusso cinere, totus extat mundus. Hoc pane subcinericio nondum bene a cinere excusso pastus est Elias, dum fugiens a facie mulieris fornicariæ, *venit in Bersabææ Juda, ubi puerum suum dimittens perrexit in desertum viam unius diei, sedensque subter unam juniperum, projecit se, et obdormivit, et ecce ad caput ejus subcinericius panis, et vas aquæ* (*III Reg.* XIX). Fugit igitur, qui mundo renuntiat, fugit mulierem fornicariam, qui fugit luxuriam. Venit in Bersabææ Juda terram confessionis, et puerum suum ibi dimisit, qui pueriles actus deserens, ad viriles ascendit; pergit in desertum viam unius diei, qui servata unitate communis vitæ
D mundanis renuntians, spiritualia quærit. Subter unam juniperum sedet, qui, nolens aculeos peccati sustinet. Unde Apostolus: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII). Projecitque se, et obdormivit, cum ab amore superni hominis deficiens, in fomite peccati quasi sub umbra juniperi requiescit. Ab angelo excitatur quando a sermone Dei (qui media nocte a regalibus sedibus venit) suscitatur. Et ecce ad caput ejus subcinericius panis. Caput mentis, ratio est. Ibi subcinericius panis invenitur, quia nondum mens a memoria peccati ex toto mundatur. *Surrexit, et comedit, et rursum obdormivit*, non in umbra juniperi ut prius, sed in amore mysterii, non

jam comedens panem subcinericium, sed fortem ac solidum cibum, liquet quia fortem, ambulavit enim in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Fortis cibus est charitas. *Charitas* enim *omnia suffert, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII), et usque ad altitudinem divinæ contemplationis animum provehit, et sustollit. Surgentes autem ministri diversa genera apponunt vini, Stephanus scilicet vinum passum, Isaias aqua mistum. Inebriantur autem duo. Noe *requies*, Loth vero *declinatio* interpretatur. Est autem requies mentis, et requies carnis. Qui quærunt requiem carnis, inebriantur vino aqua misto ; qui vero requiem mentis, vino passo. Apponit Paulus olera (*Rom.* XIV), tres pueri legumina ministrant (*Dan.* I). Paulus infirmis per olera, tres pueri vero per legumina delicatis dant exemplum servandæ sobrietatis. Sequuntur autem tria generalia fercula, scilicet caro agnina, arietina et vaccina. Abel agnum, Abraham arietem, Josue vaccam apponit. Agnus obtumescens coram tondente, est Christus humilis in passione, nos patientes in tribulatione. Aries adhærens inter vepres cornibus, Christus in cruce manibus, non obedientiæ operibus. Aries præcedens gregem, Christus vita plebem, prælati exemplo congregationem. Vacca occisa extra castra, Christum extra Hierusalem, nos extra mundi vanitatem mortificari designat. In agno simplicitas cordis, in ariete fortitudo operis, in vacca lac prædicationis. Non sit autem in nobis simplicitas sine discretione, nec discretio sine lacte doctrinæ, sed simus sicut illi, qui ut nubes volant, *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X), ne sit nubes sine pluvia, serpens sine prudentia, columba sine simplicitate : sed careat columba felle, serpens veneno, nubes siccitate, ut sit simplicitas justi sine amaritudine, prudentia sine malignitate, doctrina sine vanitate. Post carnium fercula tres piscium diversitates apponuntur, scilicet pisces de mari, de flumine, de stagno. Pisces de mari sæculares, pisces de flumine doctores, de stagno claustrales. Tales tamen apponantur, squamas et pinnulas habeant, id est, asperitatem rectæ conversationis et alas contemplationis. Piscis de mari Cornelius, de flumine Paulus, de stagno Maurus. Apponit igitur Petrus ad mensam Cornelium (*Act.* X), Ananias Paulum, Benedictus Maurum. Cum enim leguntur opera Cornelii, conversio Pauli, vita Mauri, quid agitur quam quod ex eorum exemplis animus saginatur? Hujusmodi ergo pisces sunt comedendi, id est, vita et moribus imitandi. Imitandus est enim Cornelius fide et opere sæcularibus, Paulus vita et doctrina doctoribus, Maurus humilitate et obedientia claustralibus. Quod enim aqua Mauro se calcabilem præbuit, virtus obedientiæ, et magistri meritum fuit. Quod virtutem miraculi magistro ascripsit humilitatis officium docuit. Afferunt et alii alios pisces. Afferunt enim pisces de mari Jacobus et Andreas, de flumine Tobias, de monte Honoratus. Jacobus *supplantator*, Andreas *virilis* interpretatur. Qui enim vitia supplantant, id est, qui viriliter agunt, exemplo bonæ operationis pisces de mari, id est, sæculares ad littus conversionis trahunt. Tobias vero, qui descendit ad flumen, Christus est descendens ad mundum, justus ad lacrymas. Tobias, ut lavaret pedes, Christus ut ablueret peccata, justus ut carnales mundaret affectus. Invenit Tobias piscem, Christus diabolum, justus quodlibet diaboli membrum. Piscem Tobias extrahit, diabolum Christus ejecit, justus impium convertit. Exenterat Tobias piscem interiora projiciendo, Christus diabolum malignitatem ejus aperiendo, justus per confessionem occulta pectoris ejiciendo. Non carent isti sale, quo pisces suos aspergant, habet enim Tobias materialem, Christus mysticum, justus moralem. Tobias igitur non caret sale materiali quo piscis condiatur ; Christus sale sapientiæ, quo diabolus caveatur ; justus sale doctrinæ, quo noviter conversus doceatur. Affert et Honoratus piscem de monte, exemplum scilicet sobrietatis et abstinentiæ. Affert et Moyses diversas ferculorum species, *mel scilicet de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ meracissimum* (*Deut.* XXXII). Audis petram, et saxum durissimum. Petra erat Christus ante passionem, saxum durissimum post ressurrectionem. Petra prius propter patentiæ firmitatem ; saxum vero durissimum postea propter immortalitatis æternitatem. Petra enim erat, frangi poterat, quia adhuc mortalis fuerat ; nunc autem saxum durissimum est, quia factus immortalis, iterum mori non potest. Per mel igitur de petra, designatur melliflua doctrina prædicationis, per oleum vero de saxo durissimo, ab eodem procedens spiritus consolationis. Hæc est enim effusio olei, remissio peccatorum per gratiam Spiritus sancti. Si habes igitur, charissime, apud te vas mundum, imo quia habes, accipe mel de petra. Ait enim, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Ecce mel humilitatis cum dulcedine mansuetudinis. Sicut mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diversitatibus specierum, sic et humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum.

Per butyrum vero de armento, signatur in patriarchis et prophetis doctrinæ spiritualis pinguedo, quia sicut pinguedo lactis in vasis supereminere cognoscitur, sic et in verbis propheticis sensus de divinitate et humanitate spiritualer superabundans reperitur. Sed hæc pinguedo butyri speciem non recipit, nisi quando prius agitata tunsionibus indurescit. Sic et Deus in homine non cognosceretur, nisi prius Deus homo flagellis cæsus, cruci affixus, per potestatem divinatis a mortuis suscitaretur. Hoc igitur butyro pascimur, dum in verbis propheticis contemplatione divinitatis delectamur. Per lac vero de ovibus, designatur innocentia cordis in sim-

plicibus. Unde et Propheta : *Pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos* (*Psal.* LXXVII). Ad cor pertinet innocentia, ad corpus, operum munditia, ut innocens habeatur intentio cordis, et munda sint opera carnis. Hæc sunt lac et lana, hoc lacte debemus pasci, hac lana vestiri. Hæc igitur ad simplicitatem claustralium pertinent, qui munditia carnis vestiuntur, et nulli nocent ; in adipe vero agnorum et arietum, designatur in prælatis dilectio fratrum. *Hi* enim *dicuntur filii Basan* (*Deut.* XXXII), id est, pinguedinis in quo demonstratur dulcedo charitatis. Per hircos siquidem figuratur vita pœnitentium, qui sunt imitatores Christi passionum, hoc est enim, quod dicitur, hircos cum medulla tritici, pœnitentes videlicet mortificando carnem suam, et imitatores passionum Christi. Sanguis vero uvæ meracissimus, sanguis est Christi, nulla peccatorum fæce turbatus. Qui igitur usque ad effusionem sanguinis perversis resistunt, quem pro nobis Salvator bibit, pro calice calicem bibentes reddunt. Unde et Propheta : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV). Sunt et alii cibi Ægypti, summopere vitandi, quia sæpissime generant infirmitatem, et quandoque mortem. Si quæras qui sunt, ut vitari possint, hi sunt cibi noxii, alia videlicet, cæpe, et porri, hæc filii Israel in deserto cum ollis carnium suspirabant, quæ tamen comesta graviter inflant et ventositatem generant, cerebrum turbant, oculos gravant, lacrymas provocant. Ægyptiæ carnes sunt mundanæ delectationes, in quibus infirmitates animæ latent, quæ postea per effectus et operationes exterius apparent. Inflat enim elatio, ventositatem generat verborum inundatio, turbat cerebrum iracundia, cordis oculos gravat inertia. Hæc igitur provocant pœnitentiæ lacrymas, si ante mentis oculos in manu discretionis ponas.

Ut tu igitur sanus justo moderamine vivas,
Noxia devitans alimenta, salubria sumas.

CAP. IX. *De dormitorio animæ.*

Potest mentis tranquillitas animæ dormitorium per similitudinem nuncupari, in qua ponitur lectus conscientiæ, substernitur fenum carnis, carpitur pacis somnus. In his siquidem dormit anima, dormit et quiescit. Custodi igitur, charissime, ne dormitorii tectum discooperiatur turbine tentationum ; compone lectum conscientiæ, ne mens incomposita cessat a quiete. Substerne fenum carnis, ut animalitas subjaceat rationi mentis ; compesce turbam vitiorum, ne impediant quiescentis somnum. Ordo siquidem dormitorii talis esse debet, ut claustralium nullus aliquid proprium circa lectum repositum servet. Sic et conscientiæ lectus talis sit, si requiratur, ut nihil in ea propriæ voluntatis inveniatur. Oportet etiam ne sub feno carnis absconditum lateat, quod oculos abbatis omnia videntis offendat. *Ut autem in pace et in idipsum dormias et requiescas* (*Psal.* IV), *inquire pacem et persequere eam* (*Psal.* XXXIII), ipsa enim A sicut somnus ab oculis, ita evanescit ab intuitu mentis.

Quatuor igitur sunt attendenda, quæ solent inquietare pacis somnum, videlicet hostis, servus, uxor et vicinus. Hostis est diabolus, servus mundus, uxor caro, vicinus quilibet proximus.

Cum ergo diabolus ejicitur, mundus subjicitur, caro affligitur, proximus diligitur, quid aliud agitur, nisi quod pax ex omni parte stabilitur ? Inter hæc igitur non habet animus quo se divertat, non enim ad odium fratris, non ad amorem carnis, non ad superbiam mundi, non ad malitiam diaboli. Ecce quomodo Salomon habet pacem ex omni parte per circuitum (*III Reg.* IV). In circuitu pacem habet, qui non turbatur memoria præteritorum
B delictorum, nec inquietatur desiderio futurorum, non frangitur adversis, nec elevatur prosperis. Hæc est vera pax. Est enim vera pax, et falsa pax. De falsa pace dicitur : *Pax, pax, et non erat pax* (*Jer.* VI). De pace vera dicitur ab Abisai ad David : *Pax, pax tibi et pax adjutoribus tuis* (*I Par.* XII). Falsæ vero pacis tres species sunt. Est enim pax opinata, pax simulata, pax imperata. Deum enim inter sæculares pacem quærimus, dum discordes ad concordiam revocamus, opinantur sæculares, quod pacem inter nos habeamus, dum in vestimentis ovium foris incedimus, et intus quasi lupi rapaces gregem simplicium fratrum lacerando dispergimus (*Matth.* VII), pacem simulamus, sed non habemus. Dum vero prælati pacem subditis
C imperant, et eos disciplinæ legibus non coarctant, solummodo pacem docent, sed non tenent. « Non enim sufficit, ut ait beatus Gregorius, ut pacem tantum doceas verbis, nisi adhibeas etiam manum correctioni. » Videsne quomodo cum non sit in nobis, opinentur pacem sæculares, simulent perversi claustrales, imperent et non teneant tepidi doctores ? Sic igitur existimatur a nescientibus, simulatur a non habentibus, imperatur a non tenentibus.

Veræ siquidem pacis tres esse species perhibentur. Esi enim pax probata, pax confirmata, pax certa. Pax enim Dei hominibus quandoque datur, data probatur, probata confirmatur, confirmata certificatur. Probatur tentatione, confirmatur tri-
D bulatione, certificatur cohabitatione. Cohabitatione siquidem pax vera cognoscitur, quam lingua et habitus exterius simulatorie loquuntur. Dicunt enim quandoque lingua et habitus, pax pax ; si autem requiratur animus, respondet quod non sit pax. An vera enim sit pax animi, assiduæ cohabitationis spatium demonstrat, ut sit pax in opere non in ore. Lingua quandoque pacem prædicat, sed sæpius turbat. Cum autem habitus, cor et lingua concordant, pacem servant. Ubi vero lingua dissoluta discurrit, pacem solvit.

Ad hoc pertinere moraliter videtur, quod cum tribus Dan possessionem sibi quæreret, ut in ea habitaret (usque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat) venerunt de filiis Dan ad domum Michæ, et invenerunt ibi ephod, et scul-

ptile, atque conflatile (*Judic.* XVIII). Dan interpretatur *judicium. Justus* enim *in initio accusator est sui* (*Prov.* XVIII). Filii Dan quærentes sibi sortem hæreditatis, designant quosdam de sæculo providentes sibi ab habitandum domum conversionis.

Inveniunt igitur ibi quandoque ephod, id est, habitum religionis, et cum eo sculptile perversi operis, et conflatile confabulationis. Nostris, fratres, quod cum fieri debeat conflatile, metalli species circumpositis follibus ponitur in igne, fit tumultus follium attracto et emisso aere, commoventur cineres, crescit flamma, volant scintillæ. Sic in quibusdam ecclesiis evenire solet, dum simul in aliquem locum conveniunt otiosi fratres. Ponunt igitur in medio metallum, id est, materiam rumorum. Aerem folles attrahunt et emittunt, cum rumores audiunt fratres et dicunt. Auditur ibi tumulus follium, id est, dissensio impatientium, commoventur cineres, quia cito turbantur leviores, crescit flamma dum succenditur ira, volant scintillæ, id est, verba discordiæ. Sic Aaron, ut faciat vitulum conflatilem, a filiis Israel petiit inaures (*Exod.* XXXII). Inaures sunt rumores; quia, sicut inauris imponitur auri, sic rumor auditui. Ex his igitur procedit vitulus petulantiæ, qui si præcedat, aufert a nobis rectitudinem viæ. Non enim graviter incedit, sed ludendo discurrit. Cum igitur aliqui de sæculo ad domum religionis veniunt, et hæc inveniunt, domum Michæ se reperisse credunt. Michas enim interpretatur, *quis est hic?* dum autem inveniunt ephod, id est, habitum religionis, et conflatile, id est, verba detractionis, exeunt quandoque, et recedunt, et admirantes hujusmodi conversionem, quis est hic dicunt. Multi quidem istorum societate pejores fiunt, multi vero ab eis discedentes ad meliora transcendunt. Hæc sunt, charissime, quæ pacem spiritualis dormitorii sollicitant, quia tranquillitatem quietæ mentis turbant. Incipientem etenim dormire rumor exagitat, curiositas excitat, et sic de uno latere in alterum latus dormiens vertitur, dum curiositatibus distrahitur atque conturbatur. Dum autem renuntiat curiositatibus mundi, quietus dormit. De his igitur Ezechiel propheta dicit: *Et tu dormies super latus suum sinistrum* (*Ezech.* IV). Cum hoc propheta dicit personam cujuslibet noviter conversi moraliter inducit. Super latus enim sinistrum dormit, qui prælibet sibi adversantia sub se æquanimiter premit. Sed cum iniquitates domus Israel super se portat, et meritis suis ascribens peccata quæ fecerat, elationem quæ de contemptu vitiorum nascitur premit, dum annos iniquitatis sub certo numero dierum portat, licet diu peccato servierit, tamen post laborem pœnitentiæ veniam sperat. Audi igitur quod sequitur: et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dextrum. Cum enim vitia succumbunt, dum virtutes obediunt, tunc de sinistro latere in dextrum se vertit, et cui vitia prius resistebant, amanti quietem virtutes obsequia præstant. Felix anima, cui vitia serviunt, virtutes obediunt, quæ in dormitorio

A tranquillitatis ordinavit lectulum mentis, ut somno frueretur pacis, quæ non egreditur sub obscuritate noctis, id est, non recedit tempore tentationis, quæ non discurrit per plateas civitatis, nec intrat lupanar luxuriosæ voluptatis, quæ capta non trahitur ad obscuritatem carceris, id est, ad oblivionem mentis, nec jacet in grabbato dissolutionis, in voluptate videlicet dissolutæ carnis. Homo siquidem interior indutus vestibus egreditur, quando per plateas civitatem sæcularium meditando delectatur. Ad hoc forsitan pertinet, quod Scriptura sacra quosdam dormire dicit in pulvere, quosdam in gremio mulieris, quosdam in grabbato, quosdam in carcere: Job in pulvere (*Job* VII), Samson in gremio mulieris (*Judic.* XVI), Petrus in

B profundo carceris (*Act.* XII). Paralyticus in grabbato jacuisse refertur (*Matth.* XXIX). Ait enim beatus Job: *Ecce nunc in pulvere dormiam* (*Job* VII). Dormit in pulvere, qui gaudet levitate. De Samsone vero dicitur, quod in gremio dormiens mulieris amiserit affectum virtutis. Nihil enim mentem citius enervat, quam cum aliquis ad luxuriam affectum cordis inclinat. Petrus vero dormit in carcere, id est, in oblivione sui et ignorantiæ cæcitate. Inter duos autem milites dormit, videlicet inter vitia carnis, et vitia mentis, quæ adversus animam militant, quia contra virtutes semper vitia pugnant. Paralyticus jacet in grabato dissolutus omni membrorum compage, id est, dissipatus in omni actu suo et cogitatione. Videsne,

C frater charissime, quomodo ad nostram doctrinam scripta sunt hæc omnia? Videsne quod per pulverem designatur levitas, per gremium mulieris voluptas, per profundum carceris ignorantiæ cæcitas, per grabatum paralytici conturbatio fratris dissoluti? Excutere igitur, charissime, de pulvere; consurge de gremio mulieris, solve vincula colli tui, tolle grabatum tuum et ambula. Si autem quæras quo pergere debeas, utere consilio Rebeccæ, discede ab Esau, vade cum Jacob, diverte ad domum Laban, ut ibidem Liæ et Rachelis utaris conjugio, ut liberis et ovium gregibus ditatus revertaris ad patriam (*Gen.* XXXVII). Si vero revertenti tibi occurrerit Esau, si amplexabitur stringens collum tuum, et osculatus fleverit, cave, ne

D decipiaris (*Gen.* XXXIII). Si dixerit tibi: Gradiamur simul, ne consentias (*ibid.*); ipse enim cum impetu graditur, parvulos autem tuos et ovium greges suaviter oportet incedere. Rebecca, *multa patientia* interpretatur. Consilium siquidem Rebeccæ est exhortatio patientiæ ut ab his, in quibus animæ periculum times, cedens declines. Duo enim Rebecca præcepit Jacob, videlicet ut recederet ab Esau, et serviret Laban. Hoc idem præcepit David: *Diverte*, inquit, *a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII). Per Esau sero designatur carnalis affectus. Ab Esau igitur discedit, qui carnalibus desideriis non consentit. Cum Jacob vero graditur, qui contra vitia luctando, ambulans in via immaculata, in lege Domini meditatur die ac nocte. Laban siquidem serviunt, qui Deo obediunt. « Hæc enim tria fecit Jacob, ut ait

beatus Ambriosius, obedivit matri, cessit fratri, servivit avunculo. » Quam dulce est commorari in domo Laban etiam laboranti? Nihil est amanti difficile, nihil est grave desideranti venire in amplexus Rachelis : videntur enim pauci dies laboris præ amoris magnitudine. *Recipit* ergo *Jacob et Liam* (*Gen.* XXIX), id est, activam vitam et contemplativam. Ditatur autem liberis et gregibus ovium, dum bonis operibus abundat, et multitudine simplicium cogitationum. Sed huic revertenti, ad patriam, quem prius fugerat frater occurrit. Mira res, etiam perfectis quandoque blanditur affectus carnis. Ecce quomodo Jacob ambulat cum Esau, *amplexatur et stringit osculatur et plorat ?* (*Gen.* XXXIII). Ambulatio spiritualis Jacob et carnale, Esau est animi voluntas, amplexus voluptas, strictio cupiditas, osculum, adulatio, fletus carnis affectio. Ambulat itaque pedibus, amplectitur brachiis, manibus stringit, labiis osculatur, oculis plorat. Duo pedes quibus Esau ambulat. id est, carnalis affectus cum animo spirituali sunt levitas et vanitas voluntatis. Duo brachia deliciæ et divitiæ voluptatis. Duæ manus quibus stringit, sunt rapacitas et tenacitas cupiditatis. Duo labia, sunt captatio benevolentiæ et ostensio carnalis amicitiæ, quæ pertinent ad adulationem. Duo oculi, sunt societas et consanguinitas quæ respiciunt carnis affectionem. Hæc sunt, quæ blandiuntur nobis ambulantibus in via Domini. Igitur, charissime, si occurrerit tibi Esau, roga ut discedat, fuge perversum fratrem ut habeas pacem, vade cum Jacob : cum eo enim parvuli ambulant. Qui enim vitia supplantant, humilitatis societatem semper amant. Quære ergo lectum Jacob : ipse enim spirituali dormitorio lectum suum posuit. Ibi dormit Samuel, ibi dormit Joseph. Joseph dormit in domo (*Matth*, II), Samuel in templo (*I Reg.* III), Jacob in itinere (*Gen.* XXVIII). Videt Joseph angelum sibi in somnis apparentem ; audit Samuel Dominum sibi colloquentem : Jacob vero non tantum videt angelos ascendentes et descendentes, sed etiam videt et audit Dominum respicientem et loquentem ad se. Audit Joseph angelum monentem ; Samuel Dominum corripientem ; Jacob Dominum promittentem, Audit Joseph : *Accipe puerum, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi; futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Audit Samuel : *Prædixi Heli quod Judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod indigne agere filios suos noverat, et non corripuit eos.* Audit Jacob : *Terram, in qua dormis, tibi dabo.* Possunt per hos tres homines, tres hominum species designari moraliter. In Joseph incipientium, in Samuele proficientium, in Jacob perfectorum. Monetur incipiens ut fugiat, docetur proficiens ut corripiat, invitatur perfectus ut recipiat. Joseph dicitur accrescens, id est, incipiens. Tunc enim incipiens crescit, cum in initio conversionis noviter conversus de virtute in virtutem proficit. Accipit puerum, dum novæ vitæ tenet institutum. In puero enim habetur spes crescendi, et in nuper converso spes proficiendi. Nec tantum jubetur accipere puerum, sed et matrem, id est, bonam voluntatem. Mater enim boni propositi, bona voluntas potest appellari. *Fuge*, inquit, *in Ægyptum*, id est, attende mundum, considera teipsum, reduc ad mentem tenebras veterum delictorum, ut si vanæ gloriæ stimulis inciteris, qualis in mundo fuisti humiliter mediteris, et esto ibi usque dum dicam tibi, id est, non avertas oculos mentis ab intuitu mundani casus, et defectu propriæ fragilitatis, donec de Ægypto ad Hierusalem revoceris, id est, a consideratione veterum delictorum ad contemplandam beatitudinem supernæ pacis. *Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Mentes siquidem nuper conversorum vana gloria (quæ per Herodem designatur) quandoque vexat, ut bona initia perdat. Hoc enim interpretatur Herodes, *pellis gloria.* Omnis enim gloria filiarum Dei ab intus (*Psal.* XLIV). omnis gloria filiarum sæculi extrinsecus apparet. Sicut enim caro animalium exterius pelle tegitur, sic animalis spiritus appetitu vanæ gloriæ ad exteriora se spargens, forinsecus delectatur. Hic est Herodes, qui clam magos vocat, ut ab eis tempus stellæ diligenter inquirat (*Matth.* II), Clam vocat, quia in occulto vana gloria mentem vexat. Vana siquidem gloria mentes quærentium Dominum tentat, ut ab eis modum et intentionem conversionis subtilius discat, quam scilicet intentionem mens habuerit, quando illi spes appetendæ religionis apparuit, utrum sapiens aliquis conversus confidat in proprio sensu, an glorietur dives in oblato sensu, utrum fortior de labore, an nobilior pro genere glorietur, utrum temporalia ad spiritualia spiritus attendat, utrum respiciat intuitu appetendæ religionis commodum beneficii temporalis. In his igitur ab Herode quotidie nobis, id est a vana gloria consilium datur, ut per eum transeant singuli, et per eum revertantur. Defuncto Herode monetur Joseph, ut reducat puerum cum matre. Puer cum matre, puritas est in voluntate. Quæ revertitur cum Herodes moritur. Dum enim mundus despicitur, dum caro affligitur, et in nullo istorum animus gloria laudis inflatur, scito quod tunc inanis gloria prorsus annihilatur. Ut igitur servetur humilitas incipientium, fugiamus in Ægyptum.

Si autem sequi volumus altitudinem proficientium, ascendamus in excelsum, ascendamus in Silo, ibi enim moratur Samuel in templo. Quatuor autem modis proficiunt homines, videlicet in se, juxta se, super se, sub se. In te est animus, juxta te proximus, super te prælatus, sub te discipulus. In te igitur proficis per bonam vitam, in proximo per doctrinam, in magistro per admonitionem, in subditis per correctionem. Ecce quomodo Samuel habitat in templo, ecce quomodo loquitur ad Heli verba Domini, quomodo post eum præponitur multitudini filiorum Israel (*I Reg.* III). Habitas in templo, dum cor tuum sanctis meditationibus exerces. Aperis ostia templi, dum proximum doces. Loque-

ris ad Heli verba Domini, dum de emendatione fratrum magistrum mones. Regis multitudinem filiorum Israel, dum subditos tibi disciplinæ lege coerces. Hæc est vita proficientium. In Jacob autem, ut diximus, figuratur vita perfectorum. Nota vitam beati Jacob ; filius fuit Isaac et Rebeccæ, id est, risus et patientiæ, gaudii videlicet spiritualis, et patientiæ temporalis, ut sit gaudium in contemplatione, et patientiæ virtus in tribulatione. Unde dicitur : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom.* XII). Hæc est hostia cum cauda. Cauda siquidem hostiæ, est in bonis actibus consummatio perseverantiæ. Hæc est ænea basis, hæc est tunica talaris, hæc est longitudo Dominicæ crucis, in quam Christus ascendens terminavit spatium vitæ temporalis. In hac nobis possessio animæ promittitur cum dicitur : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). Extende igitur, charissime, membra tua in longitudine crucis, id est, in perseverantia bonæ actionis, ut cum Christo in pace dormiens moriaris. In imo, id est in humilitate, spiritualis ædificii locus quæritur, fundamentum in latitudine, id est, in charitate disponitur, in altum vero bonorum operum paries erigitur, sub spe divinæ protectionis tectum desuper locatur, sed necesse est ut in longitudine patientiæ perficiatur. Qui igitur in pace perseverat, in dormitorio spirituali, id est, in tranquillitate mentis lectum suum locat. Dulce id animo spirituali, imo nihil dulcius esset ei quam in dormitorio tranquillæ mentis commorari, in lectulo mundæ conscientiæ velut in albis linteis delectari, nisi surgendum nobis esset, et orandum.

CAP. X. *De oratorio animæ.*

Congruum nobis, charissime, videtur, ut de dormitorio tranquillæ mentis transeamus ad oratorium piæ devotionis. Surgam igitur et egrediar et prosternar. Surgam de lectulo mundæ conscientiæ ut prosternar in oratione, egrediar de domo Salomis ut ingrediar templum Salvatoris. Qui enim habitat in domo pacis, transire merebitur ad beatitudinem æternæ salutis. Attendamus igitur humanam fragilitatem ; attendamus et divinam pietatem. His duobus pedibus itur ad templum, his duobus pedibus calcatur caput et cauda serpentis antiqui. Caput serpentis antiqui est elatio, cauda desperatio. Per recordationem igitur propriæ fragilitatis calcamus caput elationis, per spem vero divinæ miserationis calcamus caudam desperationis. His pedibus ambulamus super mare. Est autem mare, cor tumidum, cor carnale. In hoc autem, mari surgunt undæ, impetus videlicet iræ, incursus luxuriæ, vorago gulæ, ventus turbinis, id est, turbatio commotæ mentis. Profunditas hujus maris et voluntas cujuslibet peccantis. Cujus profunditatis finis vix reperi potest, quia semper peccaret homo si liceret. Super mare igitur ambulamus, dum carnem subjicimus. Qui autem orat, in spe oret. Cum igitur oramus assistentes coram summi judicis majestate, tria sunt attendenda, videlicet, insinuatio, captatio, postulatio, ut insinuemus miseriam, captemus benevolentiam, postulemur veniam. Hic est ordo supplicantium, ut respiciat miseriam misericordia, benevolentiam diligentia, veniam gratia. Sunt autem quædam in oratione ad memoriam reducenda, id est, oppressio, liberatio et justificatio. Ad insinuationem miseriæ siquidem pertinet memoria oppressionis, ad captationem benevolentiæ pertinet memoria liberationis, ad postulationem veniæ memoria liberationis, ad postulationem veniæ memoria justificationis. Insinuemus igitur humiliter misericordis judicis diversas oppressiones, quibus gravamur. *Ipse enim respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum* (*Psal.* CI). Tria sunt autem, quibus opprimimur, videlicet carcer, captivitas, et infirmitas. Gravatur infirmus debilitate et dolore, incarceratus catenis et compedibus, captivus servitute et labore. Hæc iterum insinuanda sunt pio judici quia *ipse de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum* (*ibid.*). Quatuor autem sunt in captivitate, quatuor in carcere, et quatuor in infirmitate notanda. In captivitate siquidem sunt locus et tempus, pondus laboris et crudelitas exactoris. Locus, dum in Ægypto sumus, tempus quandiu male viximus, pondus laboris, quantitas operis, crudelitas exactionis, pertinacia Pharaonis. Sic igitur sub Pharaone id est, sub diabolo in conficiendis lateribus dum sub peccato sumus, tenemur in mundo. De iis vero, quæ ad carcerem pertinent, dicit propheta : *Sedentes in tenebris et umbra mortis, vinctos in mendicitate et ferro* (*Psal.* CVI). Sedent in tenebris, qui morantur in ignorantia propriæ fragilitatis. Umbra mortis, ipsa est imago futuræ damnationis. Umbra corpus sequitur, et imaginem vitæ vitiosæ mors æterna comitatur. Mendici vero vocari possunt, qui per alienas domos discurrentes, ostiatim victui necessaria quærunt. Sic et nos mendici sumus quia, proximorum res, quas habere non possumus, desiderio et affectu animi mendicantes concupiscimus. In hac autem mendicitate ferro ligamur, quia duris et opprimentibus culpis aggravamur. Ferrea etenim et indissolubilia vincula, sunt gravia et inseparabilia peccata. Ad infirmitatem vero pertinent quatuor, de quibus propheta dicit. *Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit* (*Ibid.*). Et iterum : *Omnem escam abominata est anima eorum* (*ibid.*). Audis quod esuriunt, et sitiunt abominantur et fastidiunt. Esuriunt et sitiunt, infirmitati contraria ; abominantur, et fastidiunt sanitati convenientia. Esuriunt enim curiositatem, sitiunt voluptatem ; abominantur, et fastidiunt verbum Dei, quod est robur animæ et alimonia spiritualis. In fame igitur et siti generatur desiderii tormentum, in fastidio novimus esse defectum. In se ergo per se deficiunt, quia ipsi per se sibi non sufficiunt. Ne igitur omnino in seipsis remanentes deficiant, in Deum proficiant. De talibus enim propheta dicit : *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit*

eos (*Psal.* CVI.). Insinuavimus igitur, charissime, A ea quæ pertinent ad miseriam, captemus amodo benevolentiam. Ipse est enim, de quo dicitur : *Eduxit eos Dominus de tenebris, et umbra mortis, et vincula eorum disrupit. Satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis* (*ibid.*). Misit Verbum suum, et sanavit eos, misit Verbum, ut sanaret infirmum, id est jussionem de qua dicitur : *Dic verbo, et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII). Laudanda est igitur potentia, annuntianda sunt beneficia liberationis, ut captetur benevolentia liberantis. Ipse enim eduxit nos, reduxit, deduxit et induxit de carcere ad patriam, per viam rectam, in civitatem habitationis. Eductos de carcere redemit pretio sui sanguinis, ut irent in viam rectam, præcessit exemplo boni operis, comitatus B est euntes, factus particeps tribulationum, manentes in domo propria sanavit medicamine virtutum. *Clamabo* igitur *ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi* (*Psal.* LVI). Ipse enim *eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab iis qui oderunt me* (*Psal.* XVII). Sunt autem fortes inimici, sunt fortiores, sunt fortissimi. Fortes inimici sunt vitia carnis, fortiores vitia mentis, fortissimi sunt diaboli. Hi autem, qui me oderunt, sunt falsi fratres, seu quilibet proximi, qui mihi detrahunt. Sed forsitan dicet aliquis : Non te eripuit Dominus ab his. Eripuit quidem Dominus voluntate, licet aliquando subjaceam ex præcedenti usu peccandi et assiduitate, licet aliquando detinear animi vanitate, licet aliquando succumbam per carnis infirmita- C tem, licet aliquando decipiar per diaboli calliditatem. Sed iterum dicet : Non te eripuit ab his qui te oderunt, quoniam confortati sunt super te. Eripuit quidem per patientiam, vincendo malitiam. Cum enim per patientiam perversos porto, licet graviter afflictus, tamen exsuperans vinco. Scriptum est enim de ea : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). Possidet igitur qui sustinet. Audisti igitur, charissime, quanta fecit Deus animæ meæ. *Non* enim *amavit orationem meam, et misericordiam suam a me, sed factus est Dominus protector meus* (*Psal.* LXV). Insinuata itaque miseria nostra per enumerationem tribulationum, captata benevolentia per recordationem beneficiorum, postulanda est venia de perpetratione D peccatorum. Vestigiis igitur pedum pii judicis obvolutus, clamabo et dicam : *Operi manuum tuarum porrige dexteram* (*Job.* XIV.) *Dextera* enim *Domini exaltabit me; non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini (Psal.* CXVII). Osculabor igitur pedes Domini, ne moriar per culpam, erigam me ad osculum manuum, ut bonis operibus vivam, innixus pedum summitatibus et manibus reptans, extendam me, ut osculum ori sumam. Osculum oris est reconciliatio generis humani facta per incarnationem mediatoris. Ad pedes igitur cognoscitur miseria, ad manum datur venia, ad os gratia. In uno itaque invenitur pius, in alio largus, in tertio gratus. Habes, nunc, ubi servus se dejiciat pro culpa, ubi pauper recipiat munus a divite, ubi amicus ab amico honoretur. Circa pedes pulvis, accede ad manum ipsa te excutiet, ipsa te sustentabit, ipsa te trahet ad osculum oris. In primo suspirium doloris, in secundo exercitium laboris, in tertio indicium amoris. Hoc est Mariæ suspirium, iste est labor Marthæ, ille Joannis amor ; hic plorat Maria, ibi Martha conqueritur, illic Joannes quiescit. In his tribus possunt denotari tres animi affectus, videlicet affectus confitentium propriam miseriam, affectus agentium pœnitentiam, affectus quærentium gratiam. Affectus cognosces per effectus. Maria lavat pedes Domini lacrymis suis, capillis tergit, labiis osculatur *(Luc.* VII). Videsne in affectu confessionis effectum cumpunctionis ? Videsne quomodo crines spargit ad tergendum, quos prius ordinare consueverat ad placendum ? Non effundit aquam de vasculo, sed de oculo, non panno tergit, sed crine ; in quibus mundo placuit, in his Deo servit. Tria possumus similiter assignare in Martha, sollicitudinem, turbationem et questum. Sollicita est, ne quod agit fiat pigre ; turbatur, ne fiat tepide ; conqueritur ut adjuvetur, ne fiat tarde (*Luc.* X). Tales enim debent esse affectus pœnitentiam agentium, ut si quid eis præcipiatur, sollicite perficiatur. Turbantur etiam si eis aliqua occurrerint, in quibus aliquando casu vel infirmitate peccantes offenderint. Conqueruntur ut adjuventur, quia religiosorum preces et suffragia sibi propitiari obnixius deprecantur. Nota iterum in Joanne affectum quærentium gratiam ; attende iterum effectum ut cognoscas affectum. Carnales, ut aiunt nuptias deseruit : supra pectus Domini in cœna recubuit (*Joan.* XIII), pendenti in cruce cum Maria matre ejus præsens adfuit (*Joan.* XIX). Quærit igitur donum gratiæ per effectum munditiæ, per exhibitionem præsentiæ, per assiduitatem frequentiæ. Munditia siquidem videt Deum ; præsentia tangit, frequentia cognoscit. Consequitur itaque visio beatitudinem, tactus sanitatem, cognitio consolationem. De primo dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). De secundo : *Tetigit fimbriam, et cessavit sanguinis fluxus* (*Matth.* IX). De tertio : Frequentabat Maria sepulcrum, et cognovit Dominum consolantem et dicentem sibi : *Mulier, quid ploras ? quem quæris ?* (*Joan.* XX.) Præsentat igitur Joannes munditiam, frequentat præsentiam, ut recipiat gratiam. Confidant in his, qui voluptates evaserunt carnis, qui in pectore Ecclesiæ requiescunt, qui Dominicæ passioni quotidie devoti assistunt. Confidat etiam in his, sed ante alios munda juvenum societas, qui cum Joanne blanditiis miseræ carnis renuntiaverunt ; qui cum justo Lot declinantes ab impiis, sulphureas et ideo fetentes Gomorrhæorum evaserunt flammas (*Gen.* XIX) ; qui in pectore Jesu dormiunt, qui in ministerio Scripturæ sacræ imitando mentem ponunt : qui et in animo tenent memoriam Dominicæ passionis, et in carne portant crucem mortificationis ; qui per omnia placent mundo, et tamen mundum fugientes serviunt Deo. In hac siquidem ætate flavescunt crinès, caro ni-

tescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corpori vires subministrat, juvenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit. Tunc enim viget ratio, vigent etiam corporis sensus. Tunc etiam visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus jucundior. Qui igitur in hac ætate se domant, et Deo se sociant, præmium Joannis exspectant. Hujusmodi discipulis affectum suæ dulcedinis Dominus præbet, sic affectis seipsum familiarem præ cæteris exhibet, et sicut Joanni virgini virginem commendavit, ita istorum mundo cordi sociat mundam carnem. Tales offerunt hostiam viventem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, turbantur oculi, et ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt Agnum immaculatum, sed, ut ita dicam, porcum curtatum. Sicut enim porcus in immunditiis, sic et senex jacuit in vitiis : et sicut porcus siliquis pascitur, sic et senex fabulis et rumoribus delectatur. Simul autem quandoque et convertitur, et moritur, et ideo hoc sacrificium caudæ caret officio in hoc vitæ spatio, nisi forte dicas, quod habuerit caudam in capite, id est, principium conversionis in fine. Amant hujusmodi senes hæredes quos reliquerunt quandoque carnaliter, amant insipienter, amant enerviter. Nimis enim carnaliter diligunt, quos adhuc secum spiritualiter converti nolunt. Amant insipienter, quando hoc, quod perverse acquisierunt, perversis relinquunt. Enerviter iterum alios amant, quorum damna et tribulationes non æquanimiter portant. Amavit Joannes dulciter, sed non insipienter. Amavit Joannes dulciter, quoniam, sicut clavus clavo expellitur, ita dulcedine dulcedinem, spirituali carnalem expulit. Amavit sapienter. Nemo enim prudentius diligit, quam qui consilio sapientiæ et veritatis seipsum committit. Nec tantum dilexit sapienter, sed etiam fortiter amavit, quia pendente in cruce Domino, dilectus cum dilecto commorari non dubitavit (*Joan.* XIX). Habet itaque munditia dulcedinis affectionem, præsentia sapientiæ discretionem, frequentia patientiæ compassionem. Cave igitur ne consentias carni blandienti, ne credas mundo decipienti, ne credas diabolo persequenti, sed oppone vitam Christi voluptatibus, quia Christum induisti ; prætende vitam Christi falsis mundi promissionibus, quia teipsum mundo non credidisti, præpone virtutem Christi persecutionibus, quia crucem Christi non erubuisti. Delectare itaque in pulchritudine munditiæ, in rectitudine justitiæ, in fortitudine patientiæ. Hic est lectulus contemplantium, hic requiesces, hic dormies, hic quæres gratiam et invenies, hic in candidis munditiæ linteaminibus, et quasi in molli patientiæ culcitra, et in lectulo conscientiæ veræ pacis capies somnum. Tria sunt autem, quæ hujus quietis pacem conturbant, videlicet pannorum immunditia, somnia, lecti duritia. Pannorum immunditia, est carnis

A spurcitia ; somnia, mundana gaudia ; lecti duritia, impatientia. In his siquidem pannis sunt propriæ carnis vermes, videlicet immundæ carnis affectus, et mentis corruptæ cogitationes. Pungit culicis more stimulus luxuriæ, mordet appetitus gulæ, sollicitat ornatus superbiæ. Somniis vero deluditur, dum favoribus gaudet, dum honoribus extollitur, dum personarum sublimium familiaritate gloriatur. Transeunt hæc omnia quasi somnia, velut aura pertransiens, velut hospes unius noctis, summo mane recedens. In duro siquidem lecto jaces, dum tribulationis asperitatem patienter sustinere non vales. Ad abluendos igitur hujus lectuli pannos Maria Magdalene præbuit aquam ; eosdem extorsit Martha manibus ut siccarentur ;

B accendit Joannes ignem. Illa scilicet aquam mœroris, ista extorsionem laboris, Joannes ignem amoris. Conveniunt igitur hæc tria ad munditiam faciendam, videlicet aqua, manus, ignis, in est mœror, labor et amor. Aqua siquidem abluit sordes, manus exprimit, ignis exsiccat. Mœror abluit fetorem, labor extrahit humorem, calor præbet candorem. Prima aqua sordida, secunda turbida, tertia liquida. Sordida pro peccati perpetratione, turbida pro recordatione, liquida pro depositione : habet enim sordes culpa, turbationem pœna, hilaritatem venia. Prima lavat pedes, secunda manus, tertia faciem. Pedes sunt animi affectus, manus opera pœnitentiæ, facies intentio putra. Lavantur siquidem pedes, id est affectus coinquinati

C sorde peccati. Lavantur manus, id est, opera pœnitentiæ, quæ quandoque sunt aspera pulvere, id est, vanitate. Facies vero quamvis munda, lavatur, dum intentio pura desiderio veniendi ad Deum inflammata lacrymatur. Isti sunt pedes cujuslibet fidelis animæ, hæ manus, hæ facies. Hi sunt pedes Jacob, quibus egressus est de Mesopotamia Syriæ (*Gen.* XXXI), id est, de altitudine superbiæ. His manibus luctabatur, hac facie intendebat in faciem Domini (*Gen.* XXXII). His pedibus renuit ire Jacob cum Esau (*Gen.* XXXIII), id est, cum carnali affectu. Hæ sunt manus, quibus tenebat virgam et baculum, virgam directionis per correctionem et baculum sustentationis per consolationem. Hanc faciem avertit a facie Esau.

D Faciem Jacob ab Esau avertit, cum justus quilibet carnalibus desideriis non consentit. De his etiam pedibus Propheta dicit : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Sed tu, Domine, tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me* (*Psal.* LXXII). Quæ autem major gloria potest esse homini, quam ipsum hominem cum verbo uniri ? Quæ major gloria servo, quam ut vestiatur servus et filius ex eodem panno ? Ecce videmus Filium sedentem ad dexteram Patris coopertum pallio nostræ carnis. Ecce super angelicam naturam videmus exaltari nostram. Hæc est gloriatio mea, hæc est exaltatio capitis mei. *Quid ergo mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? Nihil aliud adhærere Deo, et ponere in Domino*

Deo spem meam (*Psal.* LXXII). Huic assiste charissime, quotidie præsens, in oratorio puræ devotionis, flexo genu obedientiæ, elevatis bonorum operum manibus, humiliato vertice mentis, non differas, sed accelera, discurre per altaria templi, ingredere Sancta sanctorum. Ibi est enim altare æneum, ibi est altare aureum, ibi sancta sanctorum. In altari æneo immolantur carnes, in aureo thymiamata, in Sancta sanctorum sunt tabulæ legis. Immola igitur carnes, si apud te adhuc aliquas habeas ; accende thymiamata ; intende legi Dei. In immolatione carnis intelligitur carnalium desideriorum mortificatio ; in odore thymiamatis oratio, in tabulis legis divinæ sapientiæ contemplatio. Hic quidem habes, quem, et ubi, et pro quibus ores, id est, pro delictis miseræ carnis, in ara cordis, misericordiam divinæ majestatis. Sed quoniam de templo mentionem fecimus, et nos ipsi, ut ait Apostolus, templum Dei sumus *(II Cor.* VI), placeret forsitan tibi, charissime, ut de ipso templo materiali exponendo aliquid diceremus, ut hæc, quæ facta sunt in templo materiali, assignare possemus in mystico vel morali.

CAP. XI. *De templo Salomonis.*

Notandum est igitur a quo, quibus auxiliis, ubi, et quando, quantum, et quale factum fuerit hoc templum, ut breviter edisseramus. Fundatum est enim a Salomone, Hiram rege Tyri auxiliante, in monte Moria, in area Ornam Jebusæi, 480 anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, speciosum valde, marmoreum, cedrinis tabulis, et auro purissimo decoratum (*III Reg.* VI). Potest itaque hoc templum referri ad ipsum Christum mediatorem Dei et hominum, qui ait : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud, dicebat enim de templo corporis sui* (*Joan.* II). Pertinet etiam ad ipsam Ecclesiam, vel moraliter ad quamlibet fidelem animam. Unde dicit apostolus : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (*II Cor.* VIII). Ecce quomodo per assumptam carnem factus est nobis templum, ecce quomodo nos illi per inhabitantem Spiritum. Est ergo unusquisque nostrum spirituale templum. Hoc autem templum Salomon ædificavit, qui interpretatur *pacificus*, animus videlicet vacans sibi, liber a forensi cura, seipsum possidens, tranquillus et quietus. Refert historia quod Salomon ædificaturus templum Domino quæsierit auxilium ab Hiram rege Tyri, qui erat amicus David omni tempore, miseritque Hiram ipsi artifices, ligna et aurum (*III Reg.* V). Hiram interpretatur *excelse vivens :* excelse vivunt, qui remoti a plano voluptatum per arctam et arduam viam, quæ ducit ad vitam, ad eminentiam virtutum concedunt. Hi sunt, qui habitant in montibus Israel, unde veniet auxilium nobis (*Psal.* CXX). Qui igitur sic vivunt, ligna de Libano cedrina verbo prædicationis succisa transmittunt. Ligna de Libano sunt hi qui sublimes et gloriosi fuerunt in mundo. Cum enim videmus eos, qui fuerant in sæculo divites, in monasterio fieri pauperes, nobiles servire, et esse humiles, potentes, subditos, sapientes vultu et habitu despectos, nonne isti per exemplum bonæ operationis ponuntur in ædificio templi spiritualis ? Transferuntur itaque de monte superbiæ ad montem justitiæ, de silva tortuosæ sæcularitatis ad rectitudinem vitæ, et ad habitaculum sanctitatis.

CAP. XII. *De artificibus templi.*

Misit etiam Hiram artifices, quia de claustris excelse viventium ad alia claustra mittuntur quandoque religiosi fratres, qui arte regendi et disciplina discretionis ædificantes domum Domini superinducant ibidem formam veræ religionis, qui lapides de monte cæsos, sed adhuc inæquales et asperos, artificio veræ sapientiæ reddant æquales et politos id est, iracundos et incorrigibiles fratres, arte disciplinæ faciunt mansuetos et mites. Cedrinas tabulas superponunt marmori, sub linea jungentes æqualitatis, dum coarctant fratres sub æqualitate fraternæ societatis. Sculpunt eas disciplina, pingunt doctrina. Misit et aurum, ut per fulgorem metalli et puritatem, illam, quæ supereminet cæteras virtutes, doceamur habere charitatem. Pro quibus Salomon Hiram plurimos tritici et olei coros in cibum domus suæ singulis annis præbebat (*III Reg.* V). Accipiant igitur unde vivant, et unde videant. Recipiunt enim triticum, partem videlicet fructuum bonæ operationis, quos in illa seminaverant per exercitium disciplinæ, et per verbum prædicationis. Recipiunt et oleum ; qui enim aliis præesse cupiunt, ex hoc providentiæ et discretionis lumen acquirunt. Nec prætereundum est quod ad Hiram Salomon dicit : *Præcipe*, inquit, *ut præcidant mihi cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis* (*ibid.*). Servi Hiram ut ligna præcidant, servi Salomonis ut mensuram ponant. Ligna cædere, est vitia in hominibus resecare. Mensuras ponere, in corrigendo modum tenere. Hoc etiam est, quod superius diximus, ut qui sibi volunt spirituale templum construere, ex illis, qui excelse vivunt, aliquos secum saltem per exemplum velint habere. *Non est*, inquit, *in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidoni* (*Ibid.*). Sidonii interpretantur *venatores*. Hi sunt qui persequuntur non tantum in se, sed etiam in aliis, motus animales ; qui bestiarum vestigia indagare norunt, id est, actiones occultas hominum per conjectuas, et signa conscientiæ prudenter discunt, inventas vero bestias percutiunt sagittis, quia facta carnalium antiquorum Patrum damnant auctoritatibus et dictis. Tales dico quotidie occidunt, et eosdem in cibum sumunt, quia carnales quosque mundo mortuos, in corpus Ecclesia prædicando convertunt. Unde et Petro dictum est : *Macta et manduca* (*Act.* X).

CAP. XIII. *De operariis templi.*

Elegitque Salomon operarios de omni Israel, et erat indictio triginta millia virorum, mittebatque eos in Libanum decem millia per singulos menses (*III Reg.* V), ita ut duobus mensibus essent in domibus suis. Numerus triginta continet in se ternarium atque denarium. Triginta enim, ter decem

sunt. Tria siquidem denuntiant sanctæ Trinitatis in confessione veræ fidei cognitionem: decem evangelici denarii remunerationem. Trium vero mensium, quæ singulis lignorum cæsionibus erat attributa, distinctio sunt mystice tres virtutes evangelicæ, videlicet eleemosyna, jejunium et oratio. Unus autem mensis, in quo ad cædenda ligna templi egredimur, est eleemosyna, in qua per opera misericordiæ in cura proximi laboramus. Duo vero reliqui menses, quibus in domibus suis morantur operarii sunt jejunium et oratio, in quibus quilibet spirituales castigando carnem intus conversi ad Dominum vacant sibi. Possunt etiam moraliter isti tres menses tres virtutes designare, id est, lectionem, meditationem et prædicationem. Mensis unus, quo ligna cædimus, est prædicatio; secundus et tertius est meditatio et lectio. In una itaque foris laboramus, in duobus reliquis domi sumus, quescimus, reficimur, ferramenta paramus. Super mensam enim Scripturæ reficimur in lectione, ferramenta acuimus in meditatione, securim tenemus laborantes in prædicatione. Hic cædimus ligna, id est, vitia; ibi ferramenta acuimus, id est ingenia; illic cibum capimus, exemplo gustando moralia. Hi sunt menses morales, hi proprie pertinent ad claustrales, hi sunt operarii templi, de quibus dicitur: *Adoniram erat superhujuscemodi indictione* (*ibid.*). Per Adoniram, qui *Dominus meus excelsus* interpretatur, ille Dominus excelsus, qui humilia respicit, veraciter designatur. Ipse itaque hujusmodi operartis præponitur, dum per eum quibus oris lectioni vacent, quibus meditationi, et prædicationi insistere debeant, ordinatur. Ex solo enim gratiæ suæ dono datur nobis affectus, et consequitur effectus.

CAP. XIV. *De iis qui portant onera.*

Fuerunt etiam Salomoni septuaginta millia eorum, qui portarent onera, octo millia latomorum in monte, absque præpositis qui præerant singulis operibus numero trium millium trecentorum præcipientium populo, et iis qui faciebant opus (*III Reg.* V). Habuisti superius cæsores lignorum, habes et nunc cæsores lapidum. Latomi etenim cæsores lapidum solent appellari. Sunt et alii qui onera portant, quia alios sustentant. Portat enim humilitas ligna, patientia lapides, stabilitas sabulum seu arenas, mansuetudo calcem, continentia aquam. Portant enim de monte superbiæ ad ædificium spirituale humiles elatos, patientes duros, stabiles levitati deditos, mansueti igne iracundiæ dissolutos, continentes in lapsu positos. Audis proceritatem lignorum, duritiam lapidum, levitatem sabuli, ardorem calcis, effluentiam aquæ. Cum autem aqua cum calce et sabulo miscetur, jam aliud quam prius esset efficitur, fit enim cæmentum, unde lapides in ædificio colligantur. Quæ enim prius levia et dissoluta fuerant, jam sunt in ipsa conjunctione aliquantulum solidata. Dum autem cæmentum inter lapides ponitur, magis ac magis induratur, et sic quandoque fit, ut lapides velocius frangi possint, quam ipsum cæmentum conteri. Hoc idem in Ecclesia quotidie solet fieri, ut in sæculo qui fuerant instabiles, et dissoluti, in congregatione etiam inter perfectos fratres stabiles inveniantur et firmi. Potest etiam cæmentum moraliter intelligi concordia morum. Hi autem, qui opus faciunt, lapides in cæmentum ponunt. Et sicut lapis sine cæmento non potest in altum erigi, sic et paries virtutum sine cæmento concordiæ non potest elevari.

CAP. XV. *De præpositis operum.*

Præpositi vero operum sunt doctores Scripturarum, qui docent qualiter debeamus onera portare propria seu aliena, qualiter inscios docere, contemptores corrigere. De quibus Apostolus dicit: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite imfirmos, patientes estote ad omnes* (*I Thess.* V). *Præcipitque rex, ut tollerent lapides grandes pretiosos in fundamentum templi, et quadrarent eos* (*III Reg.* V). In ædificanda domo Domini in primis fundamentum ponitur, quod nonnisi eversa et ejecta terra firmum reperitur, ne ædificemus super terram, sed supra petram. *Petra* autem *erat Christus* (*I. Cor.* X). In quo fundamento lapides pretiosi et grandes tolluntur, id est, vita grandes et fama, suo Conditori adhærentes disponuntur Prius tamen debent lapides quadrari et sic in fundamento poni. Quadraturæ lapidum potest assimilari stabilitas electorum. Electi siquidem quadrantur, dum inter quatuor virtutes, prudentiam scilicet et temperantiam, fortitudinem et justitiam constituuntur. Tunc enim quocunque vertatur electus, firmus manet, ne ad ignaviam prudentia, ad delectationem temperantia, fortitudo ad timorem, justitia ad amorem se inclinet. Habent etiam quadrati lapides sex superficies, inferius, videlicet et superius, ante et retro, dextrum et sinistrum, id est, prælationem et subjectionem, occulta et aperta, prospera et adversa. Si igitur quadratus lapis fueris, in quocunque latere jaceas firmiter stabis. Quos dolaverunt cæmentarii Hiram, et cæmentarii Salomonis. A cæmentariis Salomonis, et a cæmentaris Hiram lapides pretiosi dolantur. Non enim ab aliis, nisi ab iis qui pacem tenent et mortificant carnem, electorum vita quadratur. Si enim districte vivas, et pacem non teneas, vel si pacem teneas, et dissolute vivas, non bene lapidem dolas. Sic canta in tympano, ut cantes in choro (*Psal.* CL). In tympano cantant, qui carnem mortificant. In choro cantant, qui concordiam morum servant. Porro Biblii præparaverunt ligna et lapides. Biblos civitas est Phœniciæ, pro qua in Hebræo Gobel sive Gebal continetur, quod *definiens* sive *determinans* interpretatur. Qui enim mentes hominum fidelium ad spirituale ædificium volunt instruere, tales debent esse, ut quid faciendum sit, quid rejiciendum, sciant definire, terrenis adhærentes a mundo abstrahere, abstractos instruere. Qui enim opus templi spiritualis præparant necesse est ut provideant, quas virtutes in fundamento humilitatis prius ponant.

CAP. XVI. *Quando factum sit templum.*

Factum est igitur *quadringentesimo et octogesimo*

anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense zio (ipse est mensis secundus regis Salomonis super Israel) *ædificare cœpit Domum Domino* (*III Reg.* VI). Audis quod longe post egressionem filiorum Israel de terra Ægypti, posuit Salomon fundamentum templi. Non enim quam cito mundo renuntias, ædificii spiritualis templi fundamenta locas. Adhuc enim superest transitus maris Rubri, habens in se colorem sanguinis, et commotionem turbationis. Adhuc enim turbaris, adhuc et gloriaris. In pace autem debes esse, et in humilitate. In deserto autem prius reperis aquam, sed amarissimam (*Exod.* XV). Dum enim peccata deseris, adhuc gemis; fit autem aqua potabilis imposito ligno crucis. Cum enim ad memoriam passio Christi reducitur, dulcescit animus dum eidem morte Domini Salvatoris peccati remissio promittitur. *Adhuc bella sustines et contradictiones, ne transeas; adhuc ollas carnium suspiras* (*Exod.* XVI). Cum vero appropinquas ad terram promissionis, bibis aquam fluminis, aquam Jordanis, aquam dulcem non tamen cum silentio currentem (*Exod.* XVII). Dum autem ex aquis Siloe, quæ cum silentio currunt (*Joan.* IX), oculos levas ut videas, tunc appropinquas ad montem visionis, in quo ædificii tui fundamenta ponas. Non igitur hoc facis sub Moyse, sed sub Salomone. Non etiam primo regni sui anno, sed in quarto. Anni, menses, dies et noctes humanæ vitæ sunt distinctiones. Habet enim quælibet fidelis anima moraliter annos, menses, dies, noctes quibus designat suas actiones. Primus igitur annus regis Salomonis super Israel, est abjectio sui, secundus subjectio mundi, tertius ejectio diaboli, quartus dilectio proximi. In primo humiliatur, dum elegit et exoptat *abjectus esse in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII). In secundo subjicit sibi regnum, id est, hunc mundum. In tertio ejicit hostem, id est, diabolum. In quarto, acquirit pacem, dum diligit proximum. In tribus primis materiam præparat, in quarto ædificat. Nec etiam in primo mense anni, sed in secundo. Primus mensis in mensibus anni apud Hebræos erat Aprilis, secundus vero Maius. In Aprili siquidem innovatur terra: in eodem fiebat Pascha, id est, phase, quod interpretatur *transitus*. Dum enim de vitiis ad virtutes recenter transeas, dum adhuc novellus sis in dilectione, nondum potes fundamenta templi ponere. Cum autem diligis inimicum, tunc quasi in secundo mense ponis fundamentum. Primus enim mensis in dilectione anno est diligere amicum, hoc etiam ethnici faciunt. Secundus vero, diligere inimicum. Tertius, diligere Deum. Dum ergo inimicum diligis, fundamentum templi in latum disponis. Dum diligis Deum, ædificii spiritualis parietes erigis in altum (*Matth.* V). In his vero mensibus et in his annis dies et noctes possunt assignari. Habet enim anima diem, contemplationis lucem, noctem, tentationum caliginem. Istum illuminat sol indeficiens, illam luna decrescens. Hic vides Deum, ibi offendis proximum. In die rides, in nocte ploras. Unde Jeremias: *Plorans, ploravit in nocte* (*Thren.* I). Mens enim, quæ tentationum turbine quandoque concussa dolet, exhilarata radio contemplationis postmodum gaudet. Habes nunc, charissime, fundationis tempus: restat etiam ut ejusdem templi determinetur locus, de quo in Paralipomenon manifeste dicitur.

CAP. XVII. *Ubi fundatum sit templum.*

Cœpit Salomon ædificare templum in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus in loco quem præparaverat David in area Ornam Jebusæi (*II Par.* III). Ædificanda est itaque domus Domini in Jerusalem in monte, id est, in pacifica mente, in eminentiori videlicet hominis parte. Qui mons Moria vel visionis nuncupatur, quia in mente pacifica Dominus habitat, et in eadem oculo contemplationis videri desiderat. Qui demonstratus fuerat David, et quem præparaverat. Demonstratur enim manu forti, id est, bene operanti per Spiritum, præparatur ab eodem per desiderium. In area Ornam Jebusæi quæ mundanda est ventilabro discretionis a palea vanæ cogitationis. Ornam illuminatus; Jesubæus, *conculcatus* interpretatur. Habet enim mens quandoque lumen discretionis, et lucem scientiæ; sed tamen adhuc conculcatur a spiritibus immundis, et implicatur sæcularibus curis. Cum vero Jebusæus locum areæ suæ David regi venderet, in qua templum Domini Salomon ædificaret, non jam Jebus, sed Jerusalem nuncupatur. Mens enim, quæ renuntiat omnibus quæ possidet, conculcatore diabolo, superato, Deum quem desideraverat, in pace videt. Recipit ergo pro loco areæ, regnum felicitatis æternæ. Quia vero secundum situm loci mensurari solet quantitas ædificii: ideo congruum videtur subjungi de tribus dimensionibus templi. *Habebat* enim *sexaginta cubitos in longitudine, viginti in latitudine, centum autem et viginti cubitos in altitudine* (*ibid.*). Longitudo domus est longanimitas boni operis in exsilio hujus peregrinationis. Latitudo est charitas, quæ non tantum de prosperitate gaudet amici, sed etiam damno compatitur inimici. Celsitudo altitudinis est spes de præmio æternæ retributionis. Sic fit ut moraliter sis in bona operatione longus, in misericordia latus, in desiderio altus; ita scilicet ut perseverantia duret usque ad ultimum vitæ finem, misericordia dilatet manus usque ad pauperem, altitudo vero desiderii gustet æternitatis dulcedinem. In hac igitur longitudine, latitudine, altitudine parietum disponuntur diversi ordines lapidum. In mystico siquidem disponuntur homines, in morali virtutes. Tria enim assignamus templa, videlicet materiale, mysticum et morale. Primum in monte, secundum in mente, tertium in congregatione. Unum de lignis et lapidibus, alterum de virtutibus, tertium de justis hominibus. Habes nunc utriusque templi locum et materiam, artificem et mensuram. Sed quoniam de morali templo et spirituali loqui suscepimus, idcirco ad ædificationem claustralium interponentes aliquid de mystico, quæ restant aliquantulum latius exponendo

moraliter transcurramus. Ædificemus igitur spirituale templum, id est cor nostrum ad Deum conversum. Habemus enim, ut supra diximus, montem in Jerusalem, locum videlicet ædificii, pacificam mentem. Habemus materiam, ligna et lapides, id est diversas virtutes. Habemus et artificem, intellectum rationabiliter singula discernentem. Habemus etiam mensuras longitudinis, latitudinis et altitudinis, id est, perseverantiam boni operis in peregrinatione hujus exsilii, largitatem vel latitudinem beneficii, spem desiderii. Ordo siquidem lapidum est processus virtutum qui in altum dirigitur, dum mens de virtute in virtutem ad perfectionis culmen sublevatur. Ex his eriguntur templi parietes, rectæ videlicet operationes. In ædificio mystici templi primus lapis Abel in ordine ponitur, a quo usque ad ultimum justum linea justitiæ protenditur. Abel interpretatur *luctus* sive *vanitas*, vel *vapor* seu *miserabilis*. Attendamus igitur interpretationem nominis ad quid respiciat, ut ipsius moralitatis diversitas ad bene operandum mentem cogat. Vanitas enim respicit ad mundum, luctus ad peccatum, vapor ad teipsum, miserabilis ad Deum. Fuge igitur, luge, attende et deprecare. Fuge mundum, quia vanitas est ; luge peccatum, quia iniquitas est ; attende carnem tuam, quia fragilis est, et quasi *vapor ad modicum parens est* (*Jac.* IV). Deprecare Deum, quia miserabilis es tu, et ipse misericors et clemens est (*Jonas* IV). Hic lapis primus ponitur in porticu templi, primus enim exstitit inter patres Veteris Testamenti. Ponitur enim lapis iste in porticu morali, porticus enim templi designat moraliter renuntiationem mundi. Si hanc igitur porticum ædificas, congruum est ut ad significationem nominis supradicti accedas : et sic in primis tibi placeat vanitatem mundi fugere, iniquitatem peccati deflere, fragilitatem miseræ carnis attendere ; et quia sic miserabilis es, ad ipsum misericordem Deum questum dirigere. Hæc igitur ponenda sunt super fundamentum humilitatis, disposita in latitudinem charitatis, ut omnia in charitate fiant. Habes nunc moraliter porticum, quæ est ante templum, renuntiationem mundi ; mysticam vero, patres Veteris Testamenti. Cor autem ad Deum conversum est morale templum ; Ecclesia, mysticum. In hoc templo quasi primus beatus Stephanus ponitur, ut ab ipso regula justitiæ dirigatur. Stephanus autem interpretatur *norma nostra*, sed norma nostra est regula justitiæ, in qua dirigitur æqualitas lapidum, id est ordo virtutum. Secundum rectitudinem hujus regulæ in ædificio cordis tui virtutes dispone ; hoc autem facis, dum tribulationes libenter pateris, dum inimicum diligis, dum pro persequentibus fundis preces. Unde cum Stephano oculo contemplationis, jam proximus oraculo : *Filium Patris ad dexteram stantem vides* (*Act.* VII). Vides enim stantem non quasi sedentem, sed velut ædificanti auxilium præbere volentem. Si enim oraculum intraveris, quietum videbis. Oraculum moraliter est contemplationis secretum, mystice vero significat cœleste regnum. In quo seraphin ponitur quasi lapis primus, quia in fundamento divinæ majestatis per amorem hæret propinquus. Seraphin incendentia sive incensa dicuntur incensa ab illo igne, de quo dicitur : *Qui approximant mihi, approximant igni* (*Levit.* X). Hic ignis accenditur in aqua, ardet in turbine, lucet in occulto. Hic ignis est ardor dilectionis accenditur in aqua compunctionis, ardet inter turbines tribulationis, lucet in occulto contemplationis. Videsne quomodo lapis iste in ordine suo concordet secundo lapidi et primo? Abel enim designat moraliter pœnitentiæ luctum. Stephanus patientiam tribulationum, seraphin amoris incendium. Hic est incipientium dolor, proficientium labor, perfectorum amor. *Fecit enim Salomon ostium in porticu, in templo, in oraculo* (*II Paral* III). Ostium porticus mystice, ut ait Beda, sermo est propheticus ; ostium templi, Christus ; ostium oraculi, patriæ cœlestis introitus. In porticu vero renuntiationis moraliter est ostium cognitio mundi ; in templo conversionis, cognitio sui ; in oraculo vero contemplationis, cognitio Dei. Dum enim in te casum mundi attendis, videlicet quod sis positus in incerto divitiarum, in lapsu voluptatum, in periculo dignitatum, tunc ad ostium porticus accedis. Dum vero propriæ carnis attendis defectum, ortum pueritiæ, juventutis momentum, vesperam senectutis, dum hæc consideras, per ostium templi transire festinas. Cum autem bonitatem Dei attendis, bonitatem cui nihil deest ; beatitudinem quæ nullo indiget, et accedis ad videndum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ (*Psal.* CV) : dum hæc facis per ostium intrare paras oraculi spiritualis.

CAP. XVIII. *De æquinoctio, sub quo arcam testamenti sol in templo ter irradiabat.*

Nota quoque, ut legimus, quod sol æquinoctialis directis radiorum suorum lineis per illa tria ostia videlicet porticus, templi et oraculi, arcam testamenti illuminare solebat. A sole enim intelligentiæ directus radius considerationis, nubes cogitationum penetrans, quæ discurrunt per aerem meditationis, per supradicta tria ostia illuminat arcam, id est, conscientiam. Hoc autem fit quoties æquinoctium, evenire contingit. Fit autem æquinoctium, cum dies noctibus et noctes diebus æquales fiunt. Habet animus noctes et dies morales, prospera scilicet et adversa, damna et lucra, tristia et læta, mentis puritatem et perturbationem, lucem contemplationis et caliginem tentationis. Dum hæc animus deliberat, quasi sub æquali mensura dies et noctes librat. Duo sunt autem æquinoctia, vernale scilicet et autumnale. Sunt etiam anni quatuor tempora, ver, æstas, autumnus et hiems. In vere intelligitur temperantia mentis ; in æstate fervor charitatis ; in autumno tepor in hieme torpor : tepor in mente, torpor in opere. Ab autumnali æquinoctio, incipiunt crescer

noctes, a vernali dies. In hieme enim torporis crescunt caligines tentationis ; in æstate vero fervoris multiplicantur illuminationes contemplationis. In quorumdam autem mente fit æquinoctium autumnale. Sunt namque multi quamvis tepidi, qui attendant miseriam mundi, defectum carnis, beatitudinem æternitatis, et sic sol justitiæ et intelligentiæ, directis per supradicta ostia radiis considerationis, illuminat arcam conscientiæ. Ab hoc æquinoctio minuuntur dies, et noctes crescunt ; quia, tepidi licet hæc omnia considerent, tamen tempore tentationis recedunt. Comitatur etiam longas noctes frigus hiemis, id est, desidia mentis et corporis. Crescunt noctes, dum multiplicantur tentationes. Has noctes percurrit luna negligentiæ, cooperta oblivionis nube, obtenebrata nubilo ignorantiæ. Sunt autem alii frigore hiemis egressi quasi in æquinoctio vernali constituti, in quibus ver oritur, in quibus æstas sequitur, de quibus etiam dicitur : *Æstatem et ver tu plasmasti ea* (*Psal.* LXXIII). In vere enim omnia renovantur, in æstate vero maturantur. In vere ornatur terra floribus, et in noviter converso vita moribus. Ab æquinoctio itaque vernali crescunt dies usque ad perfectum diem æternæ beatitudinis; ab autumnali vero crescunt noctes usque ad continuam noctem æternæ damnationis. Hunc diem nulla nox interpellat, illam noctem nullius lucis splendor illuminat.

Cap. XIX. *De fenestris templi.*

Fecit etiam Salomon obliquas fenestras in templo (*III Reg.* VI). Obliquæ fenestræ sunt doctores Ecclesiæ, qui, dum fideles in Ecclesia verbo prædicationis docent, quasi suscepto solis lumine, templi penetralia claritate replent. Hi siquidem obliquæ fenestræ dicuntur esse, quia sinum mentis dilatant in dilectionem, dilatant ad compatiendum proximo, extendunt in contemplando Deo. Sunt etiam in templo cujuslibet fidelis animæ septem aliæ fenestræ, septem videlicet dona Spiritus sancti, quæ sunt spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus timoris Domini. Per fenestram siquidem timoris, intrat lumen confessionis. Per fenestram pietatis, lumen condescensionis. Per fenestram scientiæ, lumen circumspectionis. Per fenestram fortitudinis, exemplum bonæ operationis. Per fenestram consilii, radius deliberationis. Per fenestram intellectus, lumen discretionis. Per fenestram sapientiæ lux ædificationis. Sapientia enim ædificat, illuminat : per ipsam siquidem oritur in mente sol justitiæ Christus Deus noster : doctrina enim et exemplo conversationis Christus replet luce sapientiæ secretum cordis nostri. Audi fenestrarum obliquitatem, audi diffusam luminis claritatem. Nihil enim occultum in absconso mentis, quod non appareat in luce veræ confessionis.

Cap. XX. *De parietibus templi.*

Ædificavit Salomon parietes templi intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et super tabulas cedrinas induxit aurum (*III Reg.* VI). Mystici templi parietes sunt populi fideles, qui ad similitudinem parietum per successionem temporis sese invicem subsequentes, quasi ordines lapidum diriguntur in altum. Fiunt autem ex marmore, decorantur tabulis cedrinis, auro supervestiuntur. In fortitudine siquidem marmoris, fides ; in altitudine cedri, spes ; in pretiositate auri, quæ virtutes supereminet cæteras, intelligi potest charitas. Substernitur itaque firmitas fidei, ut vestiatur sublimitate spei, ut decoretur auri pretiositate ; id est charitate. *Teguntur autem parietes templi cedro, a pavimento usque ad summitatem parietum*, quia spei perseverantia nullum debet habere finem in hac vita, sed a primo justo usque ad ultimum justum, sub tutela spei insudare debet Ecclesia bonis operibus, et studio virtutum. Moraliter autem in spirituali templo structura parietum est processus virtutum. Fit igitur de marmore Pario, vestitur cedro, decoratur auro. Marmor Parium candidum esse dignoscitur, cedrus odore suo serpentes fugat, aurum puritate sua metallorum omnes exsuperat species. In marmore itaque puro candorem, in cedro reperimus odorem, in auro splendorem ; candorem videlicet munditiæ, odorem bonæ famæ, splendorem bonæ conscientiæ. Candor igitur in marmore est quasi munditia in mente ; odor in cedro, suavitas famæ procedens ex bonæ operationis exemplo ; splendor vero in auro est quasi puritas conscientiæ in animo.

Cap. XXI. *De cœlaturis variis, et torno.*

Sed et omnes parietis templi per circuitum sculpsit cœlatures variis, et torno (*III Reg.* VI). Mystice parietes templi variis cælaturis sculpuntur, dum diversis fidelibus per spiritum diversæ donationes attribuuntur, ita ut detur *alii sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia curationum, alii interpretatio sermonum* (*I Cor.* XII). Sculpuntur etiam parietes cum torno, cum omnibus, quæ divina Scriptura præcipit, nullus fidelium contradicit, sed ex animo clamat cum Psalmista : *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (*Psal.* CXVIII) ; et alius propheta : *Ecce ego, mitte me* (*Isai.* VI). In torno sunt, qui mandatis divinis obediunt. Moraliter vero variis cælaturis sculpuntur templi parietes, dum per diversa loca diversarum rerum imprimuntur imagines, ut habeant singulæ virtutes juxta moralitatis intuitum formas sibi convenientes. Attende igitur in quolibet loco intelligibilis templi, bovis imaginem, id est, mansuetudinem. Imprime, et alibi figuram leonis, rigorem videlicet severæ districtionis. Imprime columbam, simplicitatis formam. Adde et turturem, id est, castitatem. Adjunge arietem, ovium scilicet ducem, id est, magistrum verbo et exemplo præcedentem turbam discipulorum. Interpone munditiam lilii, seu rosam martyrii. Habes igitur in templo spirituali diversas cælaturas, dum intrinsecus in animo virtutum diversitates locas.

Sculpuntur etiam morali torno, dum in volubilitate A obedientiæ virtutes animi disponuntur sub prædicationis ferro. Doctrina enim verborum, potest appellari tornatoris ferrum. Tornator est in mente discretionis vigor, qui ante se dicitur habere tornum, id est, rationalem intellectum. In torno autem quatuor considerantur, ferrum, virga, corrigia, lignum sub pede per quod instrumentem movetur. In ferro igitur doctrina, in virga disciplina, in corrigia animalis mortui mortificatio carnis intelligitur, in qua animus spiritualis involutus detinetur. Per lignum vero quod movetur sub pede designari potest velocitas obedientiæ. Cita enim debet esse obedientia et quasi sub pedibus posita, ut fiat cum humilitate et sine tarditate. Unde et in Canticis canticorum ; *Manus ejus tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis* (*Cant.* v). Fiunt manus tornatiles, dum affectus animi facile divertuntur ad quaslibet operationes. Sunt aureæ dum affectiones animi ab omni appetitu carnalis desiderii redduntur puræ. Plenæ sunt hyacinthis, dum æstuant amore et desiderio cœlestis patriæ. Duo vero acumina ferri, in quibus ponitur quidquid in torno volvitur, sunt timor et amor : timor pœnæ, et amor beatitudinis æternæ. Inter hæc igitur animum habemus fixum, non ita tamen quin teneat volubilitatis suæ cursum. Nota quoque quod doctrinæ verbo velut tornatoris ferro, superflua docendo resecantur. Virga vero desuper inclinans se et elevans percutientis more disciplinam minantur. Corrigia autem ligatur in summitate virgæ, et ligno quod tenetur sub pede : hæc enim carnem mortificant, et mentem domant, labor videlicet obedientiæ et correctio disciplinæ. Lignum sub pede premitur, virga desuper minatur, quia ad obedientiam cogimur, dum disciplinæ legibus coarctatur. A duobus acuminibus ferri animus pungitur, inter quæ duo ponitur : unum, ne ad sæculum redeas ; aliud, ut ad regnum transeas. Timor enim compellit, amor vero trahit. Inter hæc itaque volvitur, qui in torno spirituali ponitur, et dicit : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* CVII). Bis dicit paratum, id est interius in mente, et exterius in operatione, intus ad cogitandum recta, foris ad faciendum utilia.

CAP. XXII. *De cherubin, et palmis, et variis picturis in parietibus templi.*

Et fecit in eis cherubin, et palmis, et picturas varias, quasi proeminentes de pariete, et progredientes (*III Reg.* VI). Facit Salomon cherubin in parietibus templi mystici, dum quoslibet fideles Scripturæ præcepta, in qua est scientiæ multitudo, docet imitari. Cherubin facit, dum fieri docet in terris, quod angeli tenent in cœlis, dum docet humanam creaturam, angelicam possidere vitam, dum etiam cæteros in mundo multitudine scientiæ præcellunt, qui Deum præ cæteris diligunt. Nonne et nunc vides aliquos a sæculo longe remotos, tanta scientia præditos, ut scientia sæcularis subdatur eis, ut non tantum vocentur ad consilia principum, sed etiam intersint negotiis regum, ut qui cœperunt dominari propriis moribus, dominentur etiam alienis, et honorentur a personis sublimioribus ? Hi sunt, qui loquuntur inter philosophos sapientiam, quorum rhetores mirantur eloquentiam. Quos enim nullis seu paucis artibus imbutos in sæculo viderunt, nunc de singulis loquentes audiunt, et ad tantam scientiæ multitudinem eos pervenisse cognoscunt, ut sapientibus hujus mundi divinæ Scripturæ profunditatem, et secreta cœlestia verbis pandant. Palmas facit, dum spem et memoriam retributionis æternæ post agonem legitime certantibus sine dubitatione habituros repromittit. Facit picturas proeminentes de pariete, et egredientes, cum ad hoc electi ex bona consuetudine perveniunt, ut quid dicendum vel quid faciendum, non ab aliis sed a seipsis proferentes quærant. B Moraliter vero cherubin facit in pariete, dum per spiritum scientiæ, qui novit omnia prudenter disponere, virtutes ordinat in mente, dum duabus alis a terrenis se allevat, et duabus alis, ne oculo vanæ gloriæ videatur, corpus velat. Zelum quoque secundum scientiam habeat, et modum teneat, ut sciat *pati penuriam et abundare, satiari et esurire* (*Philip.* IV), ut sit in eo multiplex supradicti angeli scientia, intus videlicet in ordinandis ac disponendis virtutibus, exterius in multiplicandis bonis operibus. Palmas facit, dum in conflictu vitiorum de diabolo triumphans victor existit. In palma siquidem notatur victoria, palma enim post victoriæ finem ornamus manum victricem. Quotidie etenim pugnamus, et quotidie vincimus, C quia quotidie nobis lucta est cum diabolo, et quotidie diabolum superamus. Tenemus itaque quotidie palmam in manu, id est, victoriam de conflictu. Habemus etiam difficilem pugnam adversus carnem et sanguinem, ut quæ nolumus aliquando ea faciamus. Sed cum, Deo annuente, vincimus, palmam in manu tenemus, et pertingimus ad victoriam per patientiam. Scriptum est enim : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). Fecit quoque picturas varia proeminentes de pariete, et egredientes. Proeminent picturæ variæ de pariete, et egrediuntur, dum ea, quæ cogitantur in animo, *ut luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* V), opere perficiuntur. Hoc autem fit, cum apparet misericordia in affectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia D in cohabitatione, patientia in tribulatione. Si autem velis cognoscere effectum misericordiæ, ipsa est, quæ compatitur miseris, succurrit egenis, ex dulcedine vero benignitatis efficitur mansueta facies et mitis. Si autem fuerit animus humilis, fit et habitus exterior eidem animo similis, pannosus scilicet, abjectus, et vilis. Gestus siquidem modestiæ demonstrantur ex habitu conscientiæ, ut talis appareat foris, qualis est et intus. Effectus autem veræ patientiæ proeminet et egreditur, dum prospera et adversa toleras cum hilaritate.

CAP. XXIII. *De pavimento templi.*

Sed et pavimentum domus texit auro interius et exterius in oraculo, et in templo (*III Reg.* VI), id est

in contemplatione coram Deo, et in actione coram A proximo. Est autem mysticum pavimentum, humilis concordia fratrum, qui in spirituali fraternitate sub magisterii regula humiliter seipsos prosternunt calcandos etiam persequentibus, concordi societate, ne in dispositione pavimenti scientia, quæ inflat, inter fratres inæqualitatis offendiculum ponat; ne in aliquo nobilitas generis scrupulum faciat elationis; ne is, qui de sæculo ad monasterium aliquid de proprio attulit, remissior in labore, paratior in habitu, delicatior in victu, honoratior præ cæteris esse velit; sed ordinatis fratribus in pavimento benevolæ subjectionis, detur unicuique sicut opus unicuique fuerit, juxta constitutum apostolicæ dispositionis. Texit itaque pavimentum auro prius tamen marmoreos lapides super ter- B ram sternens, deinde vero marmori tabulas superponens abiegnas (*II Paral.* III). In marmore videlicet fortitudinem fidei, in abiete altitudinem spei, in auro pretium charitatis designans. In his igitur est ambulandum desideranti pervenire ad regnum cœleste. Sed et moraliter pavimentum domus intrinsecus, et extrinsecus auro tegitur, ita scilicet ut prius marmor, ac deinde tabulæ abiegnæ superponantur. Intelligitur itaque in marmore propositi infirmitas; in abiete, desiderii proceritas; in auro intentionis puritas. Habes nunc abietem in medio cum marmore et auro, ut si quid desideres, in puritate vitæ firmiter conserves. Est igitur morale pavimentum, humilis concordia morum. Intrinsecus et extrinsecus vestitum auro, interius C scilicet intentionis puritate, exterius bonorum exemplorum splendidissima claritate. Hoc enim aurum fulget in pavimento templi contemplationis, et in oraculo piæ conversationis. Super hoc pavimentum calcas, dum in proposito et in puritate superni desiderii firmiter ambulas. Istud est, charissime, oratorium animæ. In hoc oratorio si pronus ores, aurum non terram vides. Ubi est enim puritas mentis, non apparet pulvis terrenæ cupiditatis. Nihil enim erat in interioribus templi, quod non tegeretur, ut ait Scriptura, puritate auri. Si enim respicias sursum, vides aurum, quia dum contemplaris cœlestia, pure diligis Deum. Dum respicis parietes, aurum vides, quia dum diligis proximum, ut pure diligas ipsum, diligis propter D Deum. *Nihil erat in templo quod non tegeretur auro* (*III Reg.* VI), quia in perfectorum mente nihil est, quod non vestiatur supereminentis dilectionis puritate. Sed quia nemo cito fit summus, *et justus initio accusator est sui* (*Prov.* XVIII), et iterum ad ædificium, quod est in monte, oportet per gradus ascendere: idcirco si ad pulchritudinem tantæ sublimitatis ascendere, festinas, necesse est ut per gradus virtutum pedetentim ascendas. Attende igitur dispositionem ædificii materialis, ut in te disponere possis materiam et ordinem spiritualis. Erat enim in materiali ædificio templi atrium exterius. Quod in libro Paralipomenon vocatur basilica grandis, in quam conveniebat vulgus (*II Paral.* IV). In eam siquidem adducebantur pecudes, ut de manu populi susciperent eas sacerdotes. Erat autem et aliud atrium, quod vocabatur sacerdotum, in quo erat mare æneum positum ad abluendas manus et pedes sacerdotum (*ibid.*). Ibidem erant luteres ad abluendas hostias, ibi altare æneum ad immolandum eas. Sequitur: *Et porticus templi, in qua Salomon duas columnas æreas fixit, inde et templum, in quo mensæ aureæ, et candelabra aurea, in quo et altare aureum ante ostium oraculi positum* (*III Reg.* VII). Erat etiam in interiori domo oraculum, in quo erat arca fœderis, in qua erant tabulæ legis. Immoremur itaque in his, quæ prælibavimus, ut ex ipsis aliquid ad ædificationem claustralium extorquere valeamus.

CAP. XXIV. *De atrio exteriori.*

Fecit Salomon basilicam grandem (*II Paral.* IV), id est, exterius atrium, in quo designantur corda carnalium. Qui per hoc quod in communi et simplici fide manent, ad ædificium templi pertinent. Nec tamen tales sunt, ut per se hostias immolent, sed in manu sacerdotum eas offerunt, ut pro eis orent. Hostias etiam offerunt, dum ex abundantia rerum, quas possident, egentes quosque sive ministros Ecclesiæ offerendo pascunt. De infirmis ad Dominum clamant, dum de profundo terrenæ habitationis erui toto desiderio mentis exoptant. Longe a templo remoti sunt, et tamen in templum intuitum dirigunt. Auri fulgorem et pulchritudinem operis admirantur, dum virorum sublimium vitam, quam attingere nequeunt effectu, piæ devotionis venerantur affectu. Sed exterius atrium moraliter designat recordationem peccatorum. Adducuntur eodem, ut sacerdotibus offerantur pecudes dum ad memoriam recordationis reducuntur motus animales. Hoc autem fit, cum animus ad memoriam reducit vitulum petulantiæ, hædum lasciviæ, taurum superbiæ. Sæpissime enim gaudet animus vanitate, carnis desiderio delectatur, inflatur scientia, honoribus sublimari desiderat. Offert autem hæc omnia animus summo sacerdoti in manu misericordiæ, ut in holocaustum ponantur super contritionis altare. Intuetur etiam oculo discretionis licet longe positus (dum aperitur templum) ipsius templi pulchritudinem, dum in conversis quibuslibet per exemplum boni operis foris apparentem attendit morum venustatem. Ad Dominum clamat, dum pro iis, in quibus jacet, ad Dominum suspirans anhelat.

CAP. XXV. *De atrio interiori.*

Ædificavit quoque Salomon atrium intrinsecus tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri (*III Reg.* VI). Interius atrium vitam designat illorum, qui non tantum hostias offerunt, sed etiam immolant et occidunt. Affligunt enim carnem suam in laboribus et jejuniis, incendunt igne tribulationis. Tres autem ordines politorum lapidum, sunt tres diversitates hominum, videlicet credentium, sperantium, amantium. Unus vero ordo lignorum cedri, bene operantibus per similitudinem potest assignari. *Fides* enim *sine operibus mortua*

est (*Jac.* II). Et recte politorum dicit, ut quomodo credere, quod sperare, vel diligere debeat unusquisque dignoscere possit; ne inveniatur in fide scrupulus erroris, in spe defectus terroris, in charitate offendiculum rancoris; sed poliatur fides boni operis exercitio, spes æternitatis desiderio, charijas exhibitionis obsequio. Junge igitur lignum lapidi, cedrum marmori, fidem operi, ne sit fides ficta, spes cassa, charitas infructuosa. Dum hæc igitur attendis, lapidem polis, cedrum marmori conjungis. Ædificavit etiam Salomon moraliter atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri. Interius atrium, est moraliter confessio delictorum. Unus ordo cedri, est in pœnitentia longanimitas perseverandi. Tunc enim cedrus conjungitur marmori, dum pœnitentiæ perseverantia continuatur veræ confessioni. Tres vero ordines lapidum politorum in atrio confessionis, sunt tres qualitates in ædificio mentis, id est, timor, dolor, pudor. Hi igitur lapides inæqualitate sui sæpius exasperantur, et ideo necesse est ut diligenter et artificiose poliantur. Exasperatur enim timor propter peccati magnitudinem, dolor propter multitudinem, pudor propter turpitudinem. Dum enim animus attendit turpia quæ gessit, dum etiam eorumdem in secreto conscientiæ nullo vidente perhorret recordari: non est mirum si alteri hæc eadem pudor sit confiteri. Cum autem considerat, quod quamvis turpia tamen perpetravit multa, non est mirum si multum doleat animus multis vitiorum irretitus nexibus. Cum iterum non tantum recogitat multitudinem turpium delictorum quæ gessit, sed etiam magnitudinem eorum ante oculos mentis ponit, si timeat et abhorreat non est mirandum, sed summopere ne desperet est evitandum. Poliendi sunt igitur lapides, ne exasperentur per desperationem fidelium mentes. Poliendus est siquidem timor benignitate misericordiæ, dolor assiduitate pœnitentiæ, pudor puritate conscientiæ. In poliendis enim lapidibus tria sunt assignanda, scilicet oleum, lapis et manus. Infunditur enim desuper oleum, lapis durior in superficie volvitur, manus vero lapidem premit, et premendo trahit. Benignitas itaque misericordiæ quasi oleum asperitatem lapidum lenit; assiduitas pœnitentiæ velut lapis peccatorum scrupulos terit; puritas vero conscientiæ quasi manus ad ultimum peccati sordes tergit. Istud est oleum spiritus, hic est lapis angularis, hæc est dextra Dei Patris. Primum lenit, secundum premit, tertium trahit. Rogo ergo, benignissime Pater, ut dolorem meum lenias, animi mei timorem premas, operi manuum tuarum dexteram porrigas, jacentem erigas, erectum trahas. Dum enim: sancti Spiritus oleum infundis, cordis duritiem molliendo dissolvis. Dum vero humilitatem et patientiam filii prætendis, in nobis tumorem superbiæ ipsius exemplo premis (*Job* XIV). Et sic ad dextram, quam diu per exspectationem porrexisti, accedimus, ut cum electis ad dextram Patris simus. Hæc igitur consideranda sunt in atrio confessionis, ordinata sub regula

A justitiæ, et sub funiculo prædicationis. Dicitur etiam hoc atrium interius, vocatur et atrium sacerdotum. Et recte dicitur interius, quia quidquid per confessionem manifestatur, occultum debet esse sicut erat prius. Sed et atrium sacerdotum dicitur esse, quia specialiter in atrio confessionis sacerdotibus licet ministrare.

Cap. XXVI. *De mari fusili in templo.*

Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu (*III Reg.* VII). Sicut superius per atrium sacerdotum moraliter designatur confessio, ita per mare æneum designari potest cordis compunctio. Sicut enim in mari æneo lavari solebant sacerdotes, ita in amaritudine compunctionis lavantur quotidie fidelium
B mentes. Hoc autem vas, maris nomine meruit appellari, quia propter amaritudinem delictorum comparatur mari. Appellatur etiam æneum. Æs enim super cæteras species metalli, est valde sonorum. Æs siquidem, quando ab aliquo tangitur, stridet, ac velut plangentis more conqueritur. Dum enim vas compunctionis tangitur manu propriæ reprehensionis, reddit tinnitum, dum emittit questum. Erat autem vas illud fusile, quod sit dum materia metalli ponitur in ignem defluens per ductum canalis ad perfectionem formæ. Ignis, est ardor tribulationis; metalli materies est peccati species: quod per recordationis tractum, quasi per carnalis ductum in formam vasis trajicitur, cum mens emollita per ardorem sancti Spiritus,
C ad efficiendum vas compunctionis eliquatur. *Erat etiam decem cubitorum a labio usque ad labium.* In denario siquidem numero spes intelligitur, quæ laborantibus promissa datur. A labio igitur, id est, ab initio primæ conversionis usque ad labium perfectæ per mortem separationis veniam sperat, quicunque vas compunctioni intra mentis suæ ambitum format. Lavat enim lacryma sordes criminis, ita dico si ponatur intra atrium veræ confessionis. Et erat rotundum in circuitu, quia non tantum præterita et futura, sed et prospera, et adversa debent irrigari fletu. Rotunditas, siquidem maris designat ambitum discretæ compunctionis, quæ cum ea, quæ ante et retro, a dextris et a sinistris sunt, respicit, et nihil absque compunctionis amaritudine transire permittit, quid aliud agi-
D tur, nisi quod mari æneo rotunditas circumspectionis imponitur? Et altitudo ejus erat quinque cubitorum. Ipsa est sublimitas quinque sensuum corporeorum. Sed, quia varietas sensuum per diversa mundi oblectamenta defluit, convenienter auctoritas subjungit: *Et resticula trigenta cubitorum cingebat illud per circuitum* (*ibid.*). Resticula est præceptorum disciplina, qua fluxa restringimus, quoties a nostris voluptatibus opera et cogitationes religamus. Quæ nimirum resticula triginta dicitur esse cubitorum, quia, cum ad triginta annorum terminum perveneris, tu qui ante in annis juvenilibus remissior fueras, saltem cum ad perfectam ætatem perveneris, fluxa voluptatis restringas.

CAP. XXVII. *De decem lateribus templi.*

Fecit quoque Salomon in interiori atrio decem luteres ad abluendas hostiarum carnes (*III Reg.* VII). Sicut enim sacerdotes lavabantur in mari æneo, sic in luteribus hostiarum caro, ut quæ offerebantur, et qui offerebant mundi essent. In mari æneo manus et pedes sacerdotum mundabantur a pulvere, in luteribus vero hostiarum carnes exprimebantur a sanguine, a pulvere vanitatis, a sanguine voluptatis. In mari igitur æneo, et in luteribus duas compunctionis species intelligere debemus, timoris videlicet et amoris. In uno siquidem lavantur operationes manuum, in altero vero carnis delectationes. Sic hostiæ latæ in lutere compunctionis, et expressæ manu rectæ operationis, deferuntur a sacerdote, ut accendantur super contritionis altare.

CAP. XXVIII. *De altari æneo in templo.*

Et pulchre altare æneum contritioni cordis simile esse dicitur, quod in contritione cordis desideria carnis flamma tribulationis accenduntur. Hoc autem altare æneum, magnitudine sui, specie metalli, positione loci aliquid designat. Erat enim amplum, quia plures sunt, qui carnis concupiscentias deflent, quam qui puritate cœlestis desiderii gaudent. Erat etiam æneum, quia multi sunt, qui dicunt : *Mente servimus legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII). Erat ante fores templi porticus, quia pauci sunt, qui renuntient omnibus, quæ possident, ut ad ostium porticus appropinquent. Porticus siquidem templi est, ut superius diximus, renuntiatio mundi. In hac porticu duæ eriguntur columnæ, una castitatis, altera sobrietatis, ut qui mundo renuntiant, sobrie et caste Deo vivant.

CAP. XXIX. *De altari aureo, et mensa aurea, et candelabris templi.*

Post porticum renuntiationis sequitur templum rectæ conversationis. In hoc templo est altare aureum, est mensa propositionis aurea, sunt et candelabra de auro purrissimo facta. In altari accendebantur thymiamata, in mensa panes ponebantur, in candelabris lucernæ. Altare aureum, sunt corda electorum : thymiamata, bona opera : ordo thymiamatum, boni operis exemplum. Fumus qui ascendit superius, est intentio orationis, quæ ex affectu cordis ad desideranda cœlestia tendit. Mensa vero aurea est divina Scriptura ; panes sunt apostoli sive eorum successores, ex quorum actibus A tanquam ex panibus reficiuntur fidelium mentes. Qui panes propositionis convenienter possunt appellari, quia ad imitandum proponuntur universo orbi. Decem candelabra, sunt decem legis præcepta ; lucernæ lumen doctrinæ. Possunt et hæc aliter dici. Si igitur altare dilectio, mensa lectio, candelabra meditatio. Puritas auri in mensa sanus intellectus in lectione. Puritas auri in altari, est animus perfectus in dilectione. Puritas auri in candelabris, purus affectus in meditatione, ut nihil carnale quærat dilectio, nihil hæreticum doceat lectio, nihil terrenum optet meditatio. In altari accenduntur thymiamata, in mensa ponuntur panes, in candelabris lucernæ ; thymiamata orationis, panes refectionis, lucernæ cognitionis. Per B orationem enim quæritur Deus, per refectionem gustatur, videtur in lumine cognitionis. Quærendo desideratur, gustatus dulcescit, cognitus amatur. Habent thymiamata odorem, panes saporem, cognitio amorem. Oratio siquidem redolet Deum, panes sapiunt, cognitio diligit. Infundit autem Deus odori suavitatem, sapori dulcedinem, amori dilectionem, ut sit odor suavis, gustus dulcis, amor delectabilis. Hæc omnia debent esse in conversione. Hæc ministrantur a sacerdotibus et levitis in templo conversionis. Si autem oraculum intrare desideras, intra *in sanctuarium Dei, ut intelligas in novissimis eorum* (*Psal.* LXXII), *eorum* videlicet qui *perierunt propter iniquitatem suam, et eorum quorum mors pretiosa est in conspectu* C *Domini* (*Psal.* CXV). Ibi enim intelliges et præmia justorum, et pœnas damnatorum. In hoc oraculo posuit Salomon arcam fœderis, et in ea tabulas legis. Est autem oraculum divinæ revelationis secretum. Ibi Salomon arcam posuit, et ibidem qui pacem desiderat, mentem ponit. In ea sunt tabulæ legis, scientia videlicet divinæ districtionis. Huc solus pontifex intrat. Sunt enim pauci, quibus revelatur consilii divini secretum. Hic solus ores, si solitarius esse desideras, si suavitatem quietis amas. Attende ergo ut oratio tua sit discreta et secreta, dulcis et humilis. Discreta propter idiotas, secreta propter hypocritas, dulcis et humilis appetitu, ut quod appetit diligat, nihil altum sapiens humilia concupiscat. Sit pura et tranquilla, D nec quidquam commodi temporalis oratio postulet, nec tranquillitatem orationis curiositas conturbet. Si igitur talis esse desideras, ad illud claustrum non manufactum, quod est in cœlis, pervenire festinas.

LIBER QUARTUS

PROLOGUS.

Rogas, charissime, rogas, et obnixius deprecaris ut solito festinantius exsequar quod promisi. Libelli siquidem, quem Claustrum animæ vocas, ultimam, id est, quartam requiris partem, ut quasi integrum de manu nostra recipias panem. Mirum tamen est, quod de manu pauperis panem requiris, nisi forte quod panis grossior quibusdam solet

esse salubrior. Non enim habeo panem alium, A nisi per ostia mendicatum, id est, per ora docentium nobis aliquando prædicatum; vel de spicis in alieno agro collectis, de sententiis videlicet in campo divinæ Scripturæ congregatis. Sic enim vivitur, et in talibus vita spiritus mei. *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam* (*Psal.* XLI). Non est mihi panis de simila ingenii subtilitate discussus, sed simplicitate eloquentiæ per cribrum grossioris sensus exagitatus. Non enim Græcas, aut barbaras, vel inusitatas, quæ turbant simplices, interposui dictiones; sed etiam ea, quæ ab aliis obscure dicta reperi, simpliciori stylo, et verbis planioribus dilucidare curavi. Simplicibus itaque placere desidero, et ideo quibus eis placere valeam verbis, quæro. Sic Christus inter duo animalia positus, vilibus est pannis involutus (*Luc.* II). Ponitur Dei sapientia inter bovem et asinum, ut erudiret rudem, moneret tardum, rudem sensu, tardum intellectu, erudiret simplicitatem per humilitatem. Qui igitur involvi se permisit in vilibus pannis, permittet forsitan, ut de eo loquar simplicibus verbis. Similiter qui magis per stellam ostenditur, per angelum pastoribus nuntiatur, ut qui sapientibus loquebatur per signum, simplicioribus innotesceret per simplex verbum (*Matth.* II). Nunc autem de iis, quæ ad claustrum non manufactum (quod est in cœlis) pertinent, pro modulo imbecillitatis meæ aliquid dicere ultra non differam, ut ex ipso ordine, et dilectione illius summi abbatis, et ipsorum spirituum supernorum, doceri et instrui C possit prælatorum diligentia, et humilitas subditorum. Sequar igitur post terga metentium, ne aberrare videar a doctrina priorum.

CAP. I. *De civitate magna Hierusalem.*

Civitatis magnæ Hierusalem quædam pars adhuc in terris peregrina ducitur, quædam vero pars in cœlis firmiter locata stabilitur. Hæc autem Hierusalem ad illam cœlestem quandoque transiet, in qua nemo morietur, sed in æterna felicitate sine fine vivet. Nemo enim ad illam felicitatis æternitatem transire merebitur, nisi qui se civibus illius patriæ bene vivendo in sæculo hoc moribus conformabit. Sed qui in hoc sæculo præsenti cælibem vitam ducere cupiunt, in futura vita supernis civibus conformes erunt. Quatuor siquidem civitates D in divina Scriptura fuisse perhibentur, quarum unaquæque Hierusalem nuncupatur, id est, materialis et mystica, moralis et anagogica. Materialis Hierusalem est quædam civitas in Judæa posita, mystica vero est Ecclesia, moralis quælibet fidelis anima, anagogica cœlestis patria. Prima constat ex lapidibus et lignis; secunda ex justis et justificandis; tertia ex virtutibus; quarta ex angelis et hominibus. Materialis aliquando destruetur, mystica transferetur, moralis ædificabitur, anagogica vero in æternum non commovebitur. Prima continet res gestas, secunda mysteriorum figuras, tertia exempla morum, quarta diversitates cœlestium mansionum. Restat igitur ut de iis, quæ præmisimus, ad ædificationem claustralium aliquid disseramus.

CAP. II. *Quod Hierusalem sit in Judæa historice.*

Sicut divina Scriptura testatur, in regione Judææ Hierusalem fundata fuisse memoratur (*I Par.* XXXVI). Ferunt autem hanc civitatem habuisse muros et portas, vectes et seras, vicos et plateas. Judæa *confessio*, Hierusalem *pacis visio* interpretatur. In Judæa ergo Hierusalem ponitur, quia in confessione veræ fidei pax Ecclesiæ solidatur. Qui enim Christum confitetur esse Deum, pacem Ecclesiæ prædicat, et in ædificanda Hierusalem mystice laborat. Qui vero in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscit, et in potentia majestatis adorat unitatem, ejusdem fidei firmitate B ab omnibus adversitatibus Ecclesiam munit. Pulcher ordo, ut prius agnoscat, postmodum adoret, ad ultimum vero signo crucis se munire festinet. Licet enim agnoscat Trinitatem, et adoret unitatem, nisi Christum Deum et hominem esse, et post mortem a mortuis resurrexisse crediderit, Ecclesiam destruit, non munit. Non agnoscit Judæus Trinitatem, nec gentilis unitatem, et tamen Abraham tres vidit, et unum adoravit (*Gen.* XVIII). *Confitebimur tibi Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum* (*Psal.* LXXIV). Confitebimur personam Patris, confitebimur personam Spiritus sancti, sed familiarius invocando confitebimur personam Filii, videlicet Jesu Christi; Jesus enim, sicut dicitur, *Salvator* interpretatur. Sub hoc nomine credimus Christianos esse salvandos. Si igitur aliquando homo delinquit, mirandum non est si ad hominem Deum homo delinquens securus recurrit. *Ipse est* enim *Dei et hominum mediator, homo Christus Jesus* (*I Tim.* II). Ad hunc igitur Christiani recurrunt, quia per ipsum Deo se reconciliari posse credunt.

CAP. III. *Item de eadem moraliter.*

Moraliter Judæa confessionem peccatorum designat, in qua fidelis animus seipsum judicans humiliter accusat. In hac siquidem Judæa Hierusalem fundata esse dicitur, quia in confessione peccati peccator pœnitens Deo reconciliatur. *Confitebimur tibi, Deus confitebimur, et invocabimus nomen tuum* (*Psal.* LXXIV). Per hoc quod dicit *confitemur*, confessio necessaria esse perhibetur. Quod tamen *confitebimur* replicat, misericordiam divinæ pietatis demonstrat, et ne desperes innuit, qui iterum peccantem si pœniteat, non repellit. *Eamus iterum*, ait Dominus, *in Judæam* (*Joan.* XI). In Judæam iterum Dominus ire discipulos hortatur, ut si quis peccaverit, pœniteat, et iterum peccatum humiliter confiteatur. In quacunque enim hora peccatum confitendo peccator ingemuerit, Scriptura testante procul dubio salvus erit (*Ezech.* XVIII). Attende qualiter diligit qui toties et tam benigne peccantem recipit. Si hæc attendis, Domini misericordiam cognoscis. *Notus*, inquit, *in Judæa Deus* (*Psal.* LXXV). In Judæa Deus cognoscitur, quia in confessione peccati misericordia Dei manifeste demonstratur. Per pietatem

siquidem peccantem revocat, per patientiam sustinens exspectat. In Bethlehem Judæ Christus nascitur, sed in Nazareth nutritur, et tamen non Bethlehemites, sed Nazareus appellatur. In Bethlehem Judæ Christum natum Scriptura fuisse meminit, quia per confessionem spiritualiter ad hominem Deus descendit. Nazareth *flos sive munditia* interpretatur. In Nazareth igitur nutritur et habitat, qui in flore nunditiæ delectatur, et eam semper amat.

Cap. IV. *Quod multi sint, qui Judæam et Hierusalem destruunt.*

Multa sunt, quæ confessionem impediunt. Multi siquidem hostes Judæam invadunt, nec Hierusalem quietam manere permittunt. In libro siquidem Machabæorum scriptum reperi, quod rex Demetrius Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Judæam, datis mandatis ut ipsum Judam Machabæum caperet, et eos qui cum eo erant dispergeret. *Nicanor tamen audiens virtutem comitum Judæ, sanguine judicium facere metuebat. Quamobrem misit nuntios, ut darent dextras, et acciperent. Et cum diu de his consilium ageretur, et ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium una fuit sententia amicitiis annuere, et congruum consilium fecerunt. Morabatur autem Nicanor Hierosolymis, et nihil inique agebat, gregesque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit. Exasperatus itaque Demetrius scripsit Nicanori, dicens graviter quidem se ferre de amicitiæ conventione, jubere tamen Machabæum citius vinctum mittere Antiochiam. Venit igitur Nicanor ad sanctissimum templum, et a sacerdotibus jussit sibi tradi Judam. Et extendens manum ad templum juravit : Nisi mihi vinctum Judam tradideritis, istud fanum in planitiem deducam, et altare effodiam* (*II Mach.* XIV). *Comperit autem Nicanor Judam esse in locis Samariæ, et cogitabat die Sabbati cum omni impetu bellum committere, tamen non obtinuit consilium, ut perficeret. Cum summa autem superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda. Machabæus autem confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo adfuturum, et hortabatur suos ne formidarent. Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus et hortationibus. Nicanor autem, et qui cum eo erant, cum tubis et canticis sese admovebant. Judas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed cordem Deum orantes. Prostraverunt autem triginta quinque millia præsentia Dei magnifice delectati ; et cognoverunt Nicanorem ruisse cum suis armis. Præcepit autem Judas caput Nicanoris et cum numero manum abscissam Hierosolymas perferri; linguam etiam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari* (*II Mach.* XV). Patet moralis sensus. Demetrius siquidem interpretatur *nimium persequens*, Nicanor *lucerna stans*, Judæa *confessio*, Judas *confitens* interpretatur. Quem igitur per Demetrium persequentem nimium possumus intelligere, nisi diabolum ? Et quem per Nicanorem lucernam stantem, nisi mentis elationem ? Nicanor itaque elephantorum turmis præponitur, quoties incorrigibilium mentibus superbia dominatur. Ossa siquidem crurum elephantorum juncturis carent, unde superbis assimilantur, qui a suo proposito flecti nequaquam valent. Mittitur itaque Nicanor a Demetrio, id est spiritus elationis a diabolo. Mittitur in Judæam, ut destruat confessionis terram, ut Judam capiat, et eos qui cum eo sunt dispergat, ut eos scilicet, qui peccata sua confitentur, curiositate teneat, et perversa consuetudine liget ; et eos, qui confitentes consolantur, impediat, orationem et cogitationem turbet. *Audiens tamen Nicanor virtutem comitum Judæ, et animi magnitudinem, sanguine judicium facere metuebat.* Habet Judas comites, diversas videlicet corporis et animæ virtutes. Habet enim comitem, cordis gemitum et contritionem. Habet socium etiam laborem et jejunium. Habet et alios comites innumerabiles, opera scilicet pœnitentiæ, et humiliate mentis cogitationes. Contra comites ergo Judæ Nicanor sanguine judicium facere metuit, quoniam superbiæ spiritus hujusmodi viribus non resistit. Hæc enim sunt, quæ carni et sanguini contradicunt. Quamobrem Nicanor tres nuntios misit, qui dextras darent et acciperint. Tres nuntios mittit, quoties peccator in aliquo bono cogitationis, locutionis et operationis confessioni consentit. Dextras dant et accipiunt, quando invicem bonis operibus se consentire promittunt. *Et cum diu de his consilium ageretur, et ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium fuit una sententia amicitiis annuere.* Diu consilium agitur ut Judæ Nicanor reconcilietur. Hoc enim vix aut nunquam evenit, ut superbus confessioni humiliter sociari possit. Sed cum res ad hoc perducitur, ut amicitiis annuatur, tunc diem constituerunt, quo secreto inter se agerent. Inter Judam et Nicanorem dies constituitur, quando hujus libet animus confitendi peccata desiderio inflammatur ; dies constituitur, dum ad lucem confessionis peccator invitatur. Et tunc secreto inter se res agitur, quando aliquis pœnitens peccatum humiliter confitetur. Et congruum colloquium fecerunt Judas et Nicanor, dum peccator quod male gesserat detegit, et ille, cui confitetur, diversos pœnitentiæ modos imponit ; dum iste se humiliter judicat, et ille ne desperet confortat ; dum alter malis, quæ gessit, renuntiat, alter vero bonis quæ facere debeat, pœnitentem informat. *Morabatur autem Nicanor Hierosolymis, et nihil inique agebat, gregesque turbarum, quæ congregata fuerant, dimisit.* In Hierosolymis Nicanor manet, quando post pœnitentiam pacem peccator tenet, et nihil inique agit, quia ab iis, quæ malefacere consueverat, in pace quiescit. Gregesque turbarum quæ congregatæ fuerant, dimittit, quia de præteritis turbari nequit ; sed ea, quæ prius ægre tulerat post confessionem æquanimiter portat. Habebat autem Judam semper charum, et ex animo erat viro inclinatus. Nicanor Judam diligit, dum peccator ea quæ recolit, de iis quæ male gesserat dili-

genter attendit. Et ex animo inclinabatur viro. A De eis enim, quæ prius erecta cervice se fecisse recolit, humiliato mentis vertice, in confessione se postea substernit. Et *Exasperatus rex Demetrius scripsit Nicanori dicens graviter se ferre de amicitiæ conventione, jubere tamen ut Machabæum vinctum citius mitteret Antiochiam*. Dum Nicanor cum Juda in bonum pacis inducitur, tunc Demetrius rex exasperatur; quia, dum peccator ad pacem confessionis redit, diabolus graviter insurgit. Jubet ut Judas vinctus Antiochiam citius mittatur, ut per hoc absque mora bonum confessionis impediatur. Ligari Judam postulat, ut opus pœnitentiæ, quod confessionem sequitur, debilitare queat. Solent enim qui alios captos tenent, hoc habere consuetudinis, ut transversis post tergum manibus eos ligent. B Per manus bonas operationes intelligere solemus. Unde scriptum est: *Plaudite manibus* (*Psal.* XLVI), id est operibus. Post tergum igitur manus ligatas gerit, qui bonum opus, quod ante oculos habere consueverat, oblivioni tradit. Hoc enim Demetrius agere non cessat, quin peccatorum funibus ligatum Judam, id est aliquem peccata sua confitentem, a bonis operibus, si possit expertem reddat. Venit Nicanor ad sanctissimum templum in Hierusalem, non ut conservet, sed ut destruat pacem; et a sacerdotibus virum sibi tradi præcepit, ut eorum, ad quos confessio pertinet, confessionis vires enervare possit. Manum contra templum iratus extendit, quia superbus ea quæ sunt religioni contraria facere non omittit. *Nisi*, C inquit, *tradideritis mihi vinctum Judam, istud Dei fanum in planitiem deducam*. Imo si Judam traderent Nicanori, non remaneret lapis super lapidem in constructione templi. *Templum*, inquit, *Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III). Si enim destrueretur confessionis virtus, destrueretur quilibet fidelis animus. Nec remaneret lapis super lapidem, quia superbiæ spiritus subverteret confessionis humilitatem. *Et altare*, inquit, *effodiam*, id est devotionem cordis (in qua orationum thymiamenta cremantur) omnino subvertam. *Comperit autem Nicanor Judam esse in locis Samariæ, et cogitabat in die Sabbati cum omni impetu committere bellum*. Sabbatum *requies*, Samaria *custodia* interpretatur. Loca igitur Samariæ sunt loca custodiæ, D Sabbatum cor quietum. Cum enim aliquis in bono opere quiescit, et seipsum solerti circumspectione custodit, tunc Nicanor, id est spiritus superbiæ non obtinet, ut consilium perficiat, et cum Juda die Sabbati in locis Samariæ prælium committat. Erectus autem Nicanor cum summa superbia, commune trophæum cogitaverat statuere de Juda. Commune trophæum de Juda Nicanor statuit, quoties non privatam gloriam, sed communem superbus de subversione confessionis quærit; dum enim peccator culpam suam defendit et excusat, tunc de Juda Nicanor omnino triumphat. Sed dum seipsum judicat et affligit, tunc Judas de Nicanore triumphans humiliter vincit. *Machabæus autem confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo adfuturum*. Non solum Judas in præsentibus spem ponit, sed etiam de futuris, Deo auxiliante, confidit, et illum securius invocat quem futurum sibi propitium post mortem patienter exspectat. *Nec tantum munitione clypei et hastæ socios armat, sed sermonibus optimis et hortationibus eorumdem animos informat. Nicanor autem et qui cum eo erant, cum tubis et canticis sese admovebant*. Tuba intus est vacua, et fit ex ære, metalla videlicet valde sonoro, signat autem sæculi vanitatem. Sed ut tuba sonum reddere valeat, necesse est, ut aliquis eam ori suo jungat, ventum attrahat et emittat. Ori suo tubam ut resonet apponit qui per sæcularis eloquentiæ dulcedinem, aliorum favorem quærit. Ventum attrahit, qui vanæ gloriæ desiderio inflatus superbit. Ventum emittit ut tuba resonet, quoties aures audientium jactantiæ verbis superbus inflat. Cum tubis igitur et canticis Nicanor, et qui cum eo erant sese admovent, dum vanæ gloriæ seu jactantiæ mentes audientium delectatione demulcent. *Judas vero, et qui cum eo erant invocato Deo, per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed corde Dominum orantes*. Hæc tria sunt confessori necessaria, lingua videlicet, et cor, et manus, ut in corde contritio, in lingua sit oratio, in manu operatio. In contritione autem cordis deleat peccator culpam, in oratione petat veniam, in operatione agat pœnitentiam. *Et cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis*. In hoc bello Nicanor moritur, dum in corde culpa cognoscitur, dum lingua veniam deprecatur, dum quod per pœnitentiam injungitur, manus humiliter operatur. Cum hoc agitur, Nicanor moritur, quia tunc superbus ad humilitatem revocatur. *Præcepit autem Judas caput Nicanoris et manum cum humero abscisam Hierosolymas perferri; linguam etiam Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari*. Caput Nicanoris, est intentio perversæ operationis, manus perversum opus, lingua detractionis verba. Caput Nicanoris amputat, qui intentionem perversæ operationis damnat. Manum abscindit, qui perversum opus judicat et reprehendit. Lingua præciditur, dum otiosus sermo per silentium amputatur. Lingua Nicanoris avibus particulatim dari præcipitur, cum a pœnitente pro iis, quæ male gesserat, sanctorum suffragia quæruntur. Sed et aves sunt quilibet viri spirituales. Aves enim sunt, quia remoti a terrenis sublimiter vivunt. Hujusmodi avibus linguam dividit, qui pro diversis peccatis diversas orationes fundit. Hæc autem Judas Hierosolymas perferri jussit. Nihil enim proderit, nisi pacem teneat, qui peccata præcidit.

CAP. V. *De iis, qui defendunt Judæam et Hierosolymam.*

Longe, frater, digressi sumus ut aliquid de confessione ad ædificationem claustralium diceremus; sed nec adhuc differam quin de confessione sub brevitate aliquid dicam. Ipsa est enim initium, et finis humanæ conversationis, nec ad Hierusalem mysticam, vel moralem, vel etiam cœlestem perve-

nire poterit, qui confessione fidei, vel confessione peccati dum vixerit, et in mortis articulo carebit. Exeuntibus autem de sæculo, et exeuntibus de corpore necesse est ut exeant, Juda duce, id est confessione præcedente. Primus Judas Machabæus inter fratres ducatum tenuit (*I Mach.* III). Prima tribus Juda per turmas exercitus sui ad orientem tabernaculi fœderis tentoria fixit (*Num.* II). Primus juxta imperium Domini Judas per turmas suas castra movit. Primo die, Naason filius Aminadab de tribu Juda oblationem suam obtulit (*Num.* VII). Primus inter fratres Judas Machabæus ducatum tenuit, quia inter cæteras virtutes confessio primatum tenet, et ducit ad salutem. *Exiit*, inquit, *Judas et fratres ejus, et expugnabant filios Esau in terra, quæ ad austrum est* (*I Mach.* V). Judas exit, dum quod in corde latet, confitendo per os procedit. Et expugnat filios Esau, quando carnales affectus exstirpat bonæ operationis manu. Maxime autem eos, qui sunt in terra quæ est ad austrum, destruxit, quia eos, qui carnis desiderio fervent, citius exstinguit. Sed et fratres ejus cum eo exeunt et pugnant, quoties virtutes confessioni affines opus confessionis juvant. At *Machabæus*, inquit, *congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur, et superveniens castellis et civitatibus improvisus succedebat eas, et opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat* (*II Mach.* VIII). Judas multitudinem congregat, quia confessio multas virtutes sibi sociat. Et fit gentibus intolerabilis, id est vitiis animæ, et affectibus carnis. Superveniens castellis et civitatibus improvisus succendit eas. Castella sunt corda rebellione plena, civitates sunt mundanæ voluptates plenæ vitiis, quia abundant divitiis. In has autem superveniens Judas improvisus intrat, quando præcedente Spiritus sancti gratia, corda sublimium voluptati dedita confessio ad humilitatem inclinat. Intrat et succendit, quia quos Spiritus sancti gratia replet, ardentes facit. Opportuna loca occupat, ut ex opportunitate locorum hostibus sine periculo superior fiat. Loca opportuna Judas occupat, dum loca quæ religioni conveniunt, pœnitentibus assignat. Non paucas hostium strages facit, quando in confessione vitiorum multitudo succumbit. Primus exit et ultimus a bello revertitur, quia non tantum voluntarios, sed etiam ad confessionem tardos exspectat, et eis in fine, sociatur. *Erat*, ut refert historia, *Judas congregans extremos, et hortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Juda. Cum reverteretur Judas a prælio quod contra Timotheum gesserat, extremos congregare non cessat* (*I Mach.* V). Timotheus interpretatur *beneficus*. Habet enim diabolus quosdam ministros, quos dicunt esse beneficos, qui subjectos sibi in otio et voluptate nutriunt, et eosdem perverse vivere permittunt, et quia hoc agitur, a quibusdam benefici vocantur. Cum autem Timotheus trans torrentem castra poneret, et Judas ad torrentem aquæ veniens appropiaret, ait Timotheus, principibus exercitus sui : Si Judas ad nos prior transierit, non poterimus sustinere eum ; si vero timuerit transire, transfretemus ad eos, et poterimus adversus illum. Et transfretavit ad eos Judas prior, et contritæ sunt gentes (*ibid.*). Torrentem aquæ Judas prior transire non timuit, quando aliquis peccata sua confitens, ad confessionem cum lacrymis accedit. Sed utinam Timotheus aquæ torrentem ad Judam transiret, ut qui voluptuose vivere consueverat, cum lacrymis pœniteret. Primus igitur Judas non timet transire fluvium, et cum revertitur, extremus sequitur exercitum. Dispersos congregat, quia diversos animi motus ad unitatem mentis revocat ; fessos erigit, dum consolatur eos quos itineris protensi labor frangit. Tardos increpat, et eorum pigritiam, ne ab hostibus capiantur, accusat ; vulneratos ne desperent instruit, sed ad spem salutis revocat et accendit ; oneratos sublevat, et, ne succumbant oneri, verbis et exemplis juvat. Dispersi sunt, qui dissolute vivunt ; fessi, quibus est tædio vita Christi ; tardi sunt, qui ad bene operandum, a nemine cogi possunt. Vulneratos illos esse dicimus, quos diaboli speculis percussos esse videmus. Onerati sunt, qui sub onere longæ conversationis dolentes gemunt. Sequitur : *Hortabatur autem populum per totam viam, donec veniret in terram Juda.* Per totam viam populum Judas hortari non desinit, quia peccator pœnitens per totam viam orationum suffragiis incumbit, donec ad terram Juda perveniat, id est, in firmitate boni operis per confessionem stabilis existat. In primis tribus Juda, sicut superius diximus, exiens de Ægypto per turmas exercitus sui ad orientem tabernaculi fœderis tentoria fixit. In primis castra movit : Primo die Naason filius Aminadab princeps de tribu Juda oblationes obtulit. Tribus Juda in primis tentoria figit, quia qui confitetur peccata sua in misericordia Dei spem ponit. *Non* enim *hic habet manentem civitatem, sed futuram inquirit* (*Hebr.* XIII). Ad orientem tentoria figere dicitur, quia in initio confessionnis radio cognitionis illuminatur. Cognoscit et judicat quod male gesserat, prævidet et discernit quod in futuro sine culpa fieri possit. In primis castra movere festinat, ut ad terram promissionis per gradus virtutum pervenire queat. Primo die Naason filius Aminadab princeps de tribu Juda oblationem obtulit, quia qui sponte seipsum offerre desiderat, ad offerendum citius accedit. Naason, *serpentinus ;* Aminadab, *pater meus spontaneus* interpretatur. Serpens, ut dicitur, per angustum foramen transire nititur, ut pelle veteri spolietur. Sic peccator per angustum foramen confessionis egreditur, ut veterem exuat hominem, et induat novum, qui de die in diem renovatur per confessionem : in hoc siquidem foramine districtæ confessionis remanere dicitur pellis, id est gloria mundanæ conversationis. Ibi enim serpentis pellis remanet, ubi per humilitatem confessionis superbia relicta jacet, et ibi pellis

relinquitur, ubi peccator a perversa consuetudine per districtionem disciplinæ separatur. Videsne quomodo hi, qui ad Judam pertinent, in omni negotio primatum tenent? Audisne qualiter in libro Judicum post mortem Josue Judas obtinuit principatum? Ait enim Scriptura : *Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : Quis ascendet ante nos contra Chananæum et erit dux belli? Dixitque Dominus : Judas ascendet, et ecce tradidi terram in manus ejus* (*Judic.* I). Josue, *salvator* interpretatur. Mors Josue, est privatio spiritualis vitæ. Filii Israel Dominum consulunt ; quando ii qui Deum videre desiderant, ducem veniendi ad terram promissionis quærunt. *Quis ascendet ante nos*, inquiunt, *contra Chananæum, et erit dux belli*? Ascendit, qui de virtute in virtutem proficit. Contra Chananæum ascendere nititur, qui contra mundana negotia totis viribus præliatur. In mundanis siquidem negotiis quotidie bellum geritur, quia de iis quæ mens cogitat, vel manus agit, multoties animus gloriatur. Sed ad hæc expugnanda Judas eligitur, ut quod in mundanis negotiis delinquitur, in virtute confessionis deleatur. *Judas*, inquit Dominus, *ascendet*, quia qui peccata sua humiliter confitetur, populum virtutum ad terram promissionis deducet. Et ecce in manum ejus terra traditur, cum terrenis desideriis virtus confessionis dominatur. Chananæus, negotiator sive *humilis* interpretatur, quia animus multoties etiam de humilitate gloriatur, et efficitur longo tempore humilis, ut postea possit fieri sublimis, mutuata humilitate pro sublimitate. Et *ait Judas Simeoni fratri suo : Ascende mecum in sortem meam* (*ibid.*). Judas *confessio*, Simeon exauditio interpretatur. Qui enim peccata confitetur, necesse est ut a Domini exaudiri mereatur, ut contritionem veræ confessionis sequatur devotio fraternæ orationis, et qui se in confessione coram Deo humiliat, suffragia sanctorum, et orationes fratrum sine cessatione quærat. Ecce qualiter Judas cum Simeone, id est, confessio cum fraterna oratione contra Chananæum pugnant, ut eum deleant, et terram promissionis obtinere queant. Oppugnantes ergo filii Juda Hierusalem, cœperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem. Hierusalem, *visio pacis* interpretatur. Est autem vera pax, et falsa pax. Oppugnant igitur filii Juda Hierusalem, dum ii, qui peccata sua confitentur, habuisse cum fratribus seipsos accusant falsam pacem. Oppugnant et capiunt, dum qui falsam pacem tenuerant, veræ paci non contradicunt. In ore gladii eam percutiunt, quando gladio doctrinæ verbi Dei vitia succidunt. *Tradentes*, inquit, *incendio cunctam civitatem*. Incendio Hierusalem a filiis Juda traditur, cum post confessionem cor cujuslibet conversi gratia Spiritus Sancti inflammatur. Sic igitur filii Juda Hierusalem possident, ædificant pacificam mentem moribus, firmant bonis operibus, et veræ pacis concordiam tenent, et qui fictam pacem cum fratribus habere consueverant, totis animi medullis fratres veraciter amant. Ex iis quæ diximus, satis aperte conjicimus, quod quando filii Israel exierunt de Ægypto, facta est Judæa sanctificatio ejus. *In exitu* siquidem *Israel de Ægypto, facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus* (*Psal.* CXIII). Narrat propheta nobis exitum Israelitici populi de Ægypto, ut per historialem intelligamus mysticum et moralem. Mysticus Israelitici populi exitus est exitus totius Ecclesiæ de potestate diaboli. Exitus vero moralis fit, quoties per pœnitentiam a peccatis exuitur quælibet anima fidelis. Audis quod Jacob et Israel de Ægypto exeunt. Sunt enim quidam, qui adhuc contra vitia luctari non desinunt ; sunt et alii, qui subactis vitiis Deum videre contendunt. *Domus*, inquit, *Jacob de populo barbaro* (*ibid.*). Barbarus a barba et rure dictus est. Unde Cassiodorus ponens hujus dictionis significantiam dicit : « Barbarus a barba et rure dicitur, qui nunquam in urbe vixerit, sed semper ut fera in agris habitasse noscatur. » De populo barbaro igitur domus Jacob exire nititur, quando ab incultis moribus et a feritate cordis animus separatur. *Facta est Judæa sanctificatio ejus*. Ne timeat qui contra vitia luctatur, quando de Ægypto egreditur, quia Judæa, id est confessio, sanctificat illum qui luctando vitia supplantat. *In exitu Israel de Ægypto*, confessio justum facit de impio. Cum vero ab Ægypto discesserit, in via gradientem per desertum ab hostium incursione defendit. Cum autem ad terram promissionis pervenerit incolumen custodit. Adhuc plura libenter de confessione dicerem, nisi delicato lectori tædium inferre timuissem. Deo tamen annuente, quandiu vixero, in Judæa manens inseparabilis Judæ comes ero.

CAP. VI. *De Hierusalem mystice et allegorice.*

Mystice Hierusalem est Ecclesia per orbem terrarum ubique diffusa. Ipsa enim Hierusalem designat Ecclesiæ pacem. Sub interpretatione siquidem hujus nominis intelligere solemus visionem pacis. Habet autem civitas ista plures inimicos, multos scilicet diversi generis hæreticos, qui non tantum Ecclesiæ pacem suis incursionibus turbant, sed etiam totis viribus conantur, ut eam a statu suæ rectitudinis subvertant. Sunt et hujus civitatis cives et amici, quilibet viri catholici, qui non solum hæreticis verbo contradicunt, sed etiam usque ad sanguinem certantes, eis resistere non desistunt. Multis modis Arius, Hebion, et Cerinthus, et alii hæretici pacem Ecclesiæ suis assertionibus subvertere sunt conati. Sed contra beatus Augustinus, Hieronymus, et Ambrosius, et cæteri viri catholici, sancti Spiritus gratia roborati, occurrerunt eis in faciem, ut defenderent Ecclesiæ pacem. Usque ad sanguinem Stephanus certasse legitur, qui *norma* nostra interpretatur. Normam siquidem justitiæ Stephanus nobis proposuit, qui primus mori pro Domino non dubitavit. Mortem enim, quam Salvator pro omnibus dignatus est pati, hanc ille primus reddidit Salvatori. Lapidatur

Stephanus, crucifigitur Petrus et impletur quod dicitur: *Sequere me* (*Joan.* XXI). Imitatur enim Petrus Christum per mortem consimilem, id est, per crucis passionem. *Simon*, non tantum *Petrus*, sed etiam *Cephas* appellatur. Cephas ut quidam volunt, *caput* interpretatur. Unde acephali, sine capite solent appellari. Simon vero *obediens* interpretatur. Sicut enim membra subjacent capiti, sic et prælatis debent obedire subjecti. Petrus vero interpretatur agnoscens. Dissolutionem Petri cognoscimus, si ejus trinam negationem diligentius attendamus. Si vero attendimus Petri recordationem, scire poterimus negationis agnitionem. Recordatus enim Petrus verbi, quod dixerat Dominus: *Priusquam gallus cantet, ter me negabis, exivit foras, et flevit amare* (*Luc.* XXII). Ter Petrus Christum negasse dicitur, et ne desperet, ter utrum diligat Christum, a Christo Petrus interrogatur. *Amas, amas, amas? Amo, amo, amo. Pasce, pasce, pasce. Amas* Patrem, *amas* Filium, *amas* Spiritum sanctum? *Amo, amo, amo*, corde, ore et opere. *Pasce, pasce, pasce*, vita, doctrina et exemplo (*Joan.* XXI). Ecce quomodo discutitur Petrus, ut ei grex Dominicus pascendus tribuatur. Ecce qui ad vocem ancillæ prius Christum negaverat, nunc fratres confirmat; et qui mulieris verba tolerare non potuit, pro Domino crucem portare non renuit. Sunt igitur cives Hierusalem, qui defendunt Ecclesiæ pacem. In hac civitate, David rex fuisse legitur, quæ tunc temporis inter cæteras urbes sublimior habebatur (*II Reg.* V). David manu fortis interpretatur. In hac igitur civitate ille manu fortis primatum tenuit, qui mortem moriens stravit.

CAP. VII. *De Hierusalem tropologice.*

Quælibet fidelis anima Hierusalem dicitur, quæ contemptis sæcularibus curis meditando cœlestia contemplatur. Hæc autem civitas abundat multitudine civium, id est, simplicium cogitationum copia, et abundantia virtutum. Sunt etiam in hac civitate viri robustissimi, viriles scilicet affectus animi. Principatum hujus civitatis obtinuisse dicitur David manu fortis. Virtutem siquidem boni operis imitari solet multoties abundantia veræ pacis. Inde est, quod post David Salomon in Hierusalem regnum obtinet (*III Reg.* II), quia animus, qui bonis operibus abundat, in pace manere solet. Vivente autem David, Salomon in regem ungitur, quia vigente boni operis affectu, animus quietæ mentis dominatur. *Unxerunt*, inquit, *Salomonem Sadoc sacerdos, et Nathan propheta regem in Gihon* (*III Reg.* I). Sadoc, *justus;* Nathan, *donans;* Salomon, *pacificus;* Gihon, *lucta* interpretatur. In Gihon Salomon in regem ungitur, quia cum magna difficultate agitur, ut animus sibi ipsi etiam in pace dominetur, ut regat in pace subjectum populum, id est, diversos motus carnis, et turbas multiplicium cogitationum. Salomon non ungitur, nisi quando ad culmen prælationis sublimatur. Honores, inquit, mutant mores. Tunc enim Salomon, id est, pacificus animus unctione indiget, quia locus prælationis aut vix aut nunquam elationis tumore caret. Necesse est igitur ut Salomon ungatur, ne pellis sicca rumpatur, id est, ne populus a rege separetur, sed regentis animus humilitatis oleo molliatur. Salomon in regem ungitur, quando pacificus animus gratia Spiritus sancti fecundatur. Est autem locus sancti Spiritus, animus humilis et quietus. Pellis peruncta absque læsione patitur, ut in longum vel in altum sæpius extendatur. Sic pacificus animus ad quælibet opera misericordiæ trahitur, si oleo veræ humilitatis aliquoties perungatur. *Unxerunt*, inquit, *Salomonem Sadoc sacerdos, et Nathan propheta.* Sadoc et Nathan Salomonem in regem ungunt, quando justitia et misericordia animum cujuslibet potentis modestum reddunt, ut extendi valeat per dispensationem, ne ipse vel per iram rumpatur, vel alios a seipso separet per nimiam crudelitatis oppressionem. *Et imposuerunt eum semper mulam regis.* Mula ex æqua et asino nascitur. Unde hoc animal ex velocitate equi, et tarditate asini naturaliter temperatur; et Deo per malum intelligimus temperantiam. Super mulam sedens Salomon in Gihon ducitur, quia necessse est ut qui ad luctam regiminis trahitur, per temperantiam moderetur. Utinam tales essent, qui in Ecclesia primatum tenent, ut in Gihon luctantes contra vitia laborarent; ad compassionem vero fratrum uncti oleo sancti Spiritus extendi possent, ut inter Sadoc et Nathan medii incederent; et sic ex una parte justitiam, ex alia vero misericordiam haberent, sederentque super mulam regis, ut in omnibus tenerent modum temperantiæ et discretionis. Roboam filius Salomonis post mortem patris populum non divideret si super mulam, quam David Salomoni reliquit, humilis sedisset. Se enim teneret modum, non divideret regnum. *Venit autem Roboam in Sichem. Illuc enim congregatus fuerat omnis Israel ad constituendum eum regem. Venit ergo omnis multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes; Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis. Tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo, quod imposuit nobis, releva nos, et serviemus tibi. Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. Iniit itaque consilium cum senioribus. Qui dixerunt ei: Si obedieris hodie populo huic, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. Qui dereliquit consilium senum, et adhibuit juvenes, qui cum eo nutriti fuerant, et dixerunt ei juvenes: Sic loqueris populo huic. Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro. Videns autem populus quia noluisset eos audire rex, respondit ei, dicens: Quæ nobis pars in David? aut quæ hæreditas in filio Isai? Revertere in tabernacula tua, Israel* (*III Reg.* XII). Cum moritur Salomon, Roboam filius ejus ad regnum promovetur. Congregatur etiam omnis Israel in Sichem, ut constituat eum regem. Salomon *pacificus,* Roboam *latitudo populi*, vel *impetus populi* interpretatur. Tunc

enim Salomon, id est, pax in animo cujuslibet hominis moritur, dum in qualibet mente impetus iracundiæ, ut regnare debeat, radicatur. Congregatur etiam omnis Israel in Sichem, ut inclinet humerum ad laborem. Conqueritur quod ei gravissimum jugum imponitur. Sed Roboam usque ad tertium diem inducias postulat, ut interim de prædictis consilium sumat. Sed impetus iræ, qui nunquam maturo consilio novit consentire, juvenile consilium sequitur, quia juvenilis impetus levitatem per omnia comitatur. *Tertia die populus ad Roboam rediit, sed populo Roboam dura respondit. Pater meus*, inquit, *cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus* (*ibid.*). Audit populus quod antea metuebat, sed ne impetus iracundiæ usque ad crudelitatem procedat, ideo fugiens quod metuit populus ad Roboam id est, ab impetu iræ, videntium Deum simplicitas recedit. Audis quod post mortem Salomonis Roboam regnavit in Hierusalem, quia impetus iracundiæ illam, quæ diu pacem tenuerat, inhabitat mentem. *In anno quinto regni Roboam ascendit Sesac rex Ægypti in Hierusalem, et tulit thesauros domus Domini, et thesauros regios, et universa diripuit, et scuta aurea quæ fecerat Salomon, pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea* (*III Reg.* XIV). Sesac interpretatur *byssus cilicii.* Cilicium est vestis pœnitentium. Hac enim veste se induunt, qui peccata plangere noverunt. Byssus vero est genus panni subtilitate et mollitie delicati. *Qui enim in domibus regum sunt, mollibus vestiuntur, et voluptuosa quærunt* (*Matth.* XI). De cilicio igitur byssum faciunt, qui asperitatem vitæ in voluptatem vertunt. *Tulit autem Sesac thesauros de domo Domini*, id est, secreta divini consilii. *Sed et thesauros regios obstulit*, quia discretas dispensationes voluptas dissolvit. Thesauros quos Salomon id est pacificus animus, forsitan congregaverat, regnante Roboam Sesac rex Ægypti, id est voluptas sæculi, dissipare non cessat : *scuta* vero *aurea* sunt sacræ Scripturæ verba. *Scuta sunt* quia veræ fidei firmitatem defendunt ; *aurea*, quia ex puritate procedunt. *Quæ scuta*, inquit, *Salomon fecerat*, quia quietus animus contra hæreticos in pace verba defensionis parat. *Pro quibus rex Roboam scuta ærea fecit.* Scuta ærea sunt sæcularia verba. Scuta sunt, quia multoties veritati resistunt fiunt ex ære, id est, ex sonora materia sæcularis eloquentiæ. Æs enim quando tangitur, procul auditur, quia impetuosus animus cum manu reprehensionis tangitur, ad lites et jurgia provocatur. Aurum vero, dum tangitur, non clamosa vocis sonoritate stridet, sed etiam fortiter percussum silet. Similiter animus pacificus etiam convicio tactus, convicium patitur tacitus. *Et universa*, inquit, *diripuit* (*III Reg.* XIV). Universa Sesac rex Ægypti diripit, quia voluptas carnis quidquid alii congregant, in usus proprios consumit.

CAP. VII. — *De muro Hierusalem mystice, et moraliter.*

Hierusalem mystica, id est Ecclesia, dicitur ha- A bere divinæ Scripturæ murum per quem repellat subtiles insidias et apertos insultus hæreticorum. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes ; non cessabunt die ac nocte laudare nomen Domini* (*Isai.* LXII). Custodes murorum sunt doctores Scripturarum. Qui muros custodiunt, quia divinæ legi vigilantes intendunt. Die ac nocte nomen Domini laudare non cessant, quoniam in prosperis et in adversis ad Deum clamant. Hoc nomen, quod invocant, dicitur Jesus. Jesus autem *salvator* interpretatur. Qui enim nomen Salvatoris invocant, hi sunt, qui desiderant ut omnes homines salvi fiant. Moraliter autem murus animæ fidelis, est structura bonæ operationis ; custodes murorum, solers custodia circumspectionum. Quæ in B nocte negligentiæ per providentiam vigilant, in die vero discretionis munitiones parant. Nomen Domini laudare non cessant, quia pro salute animæ assiduis desideriis ad Deum clamant. Clamant cives, clamant et hostes. Longe tamen diversus est clamor hostium a clamore civium. Clamant enim Catholici, clamant et hæretici. *Clamavit*, inquit Jeremias, *cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion. Clamavit cor eorum* (*Thren.* II). Quorum ? hæreticorum. Murus vero filiæ Sion sunt qui veritatem fidei defendunt. Super muros hæretici clamant, qui se dicere potiora gloriantur, quam catholicæ fidei doctores dicunt. Super muros clamant, quia superiores in conflictu disputationum doctoribus Ecclesiæ se esse putant. Clamant C ad Dominum non in contritione cordis, sed crudelitate iniquitatis. Super muros hæretici sunt, dum prævalent et destruunt. Cor eorum ad Dominum clamat, quando per elationem cordis divinæ potentiæ derogat. Moraliter autem per hostes, animæ carnales affectus possumus intelligere ; per cor hostium, delectationem carnalium ; per murum, ordinem virtutum. Cor igitur ad Dominum clamat, quia delectatio carnis ad hoc laborat, ut ordinem virtutum interrumpat. Hunc murum pro culpa civium Dominus dissipare permitiit, dum vel Ecclesia hæreticis, vel quælibet anima fidelis vitiis non resistit. Unde Jeremias : *Cogitavit*, inquit, *Dominus dissipare murum filia Simon* (*ibid.*). Murum filiæ Sion Dominus dissipare cogitat, quandiu peccantium culpas per patientiam portat. D Cogitat et destruit, dum eos, quos patienter exspectaverat, puniendos hostibus relinquit. Nec tantum muros civitatis destruit, sed etiam muros turrium in manus inimicorum tradit. Unde prædictus propheta : *Tradidit*, inquit, *Dominus in manus inimici muros turrium ejus* (*ibid.*). Muri turrium sunt ii, qui in sublimitate vitæ alios præcellunt. Sunt etiam muri turrium, quæ supereminent alias virtutes, discretæ circumspectiones virtutum. In manus ergo inimici muri turrium traduntur, cum vel doctores Ecclesiæ hæreticis, vel summæ virtutes animæ vitiis subjiciuntur. Cum hoc ergo agitur, absque muro Hierusalem inhabitatur. Unde dicitur : *Absque muro inhabitabitur Hierusalem* (*Zach.* II). Murus autem Hierusalem incolumis stare

dicitur, dum divinæ Scripturæ verbis Ecclesia, nullo contradicente, munitur. Stant etiam muri turrium, dum vita et moribus commendatur doctrina prælatorum.

CAP. IX. *De portis Hierusalem moraliter.*

Habet etiam Hierusalem portas, exhortationes videlicet sanctorum Patrum discretas, per quas ingredimur in Ecclesiam et egredimur ad æternam vitam. *Attollite*, inquit, *portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). Principes sunt boni vel mali doctores. Malorum portæ sunt perversæ suggestiones; bonorum vero sanctæ exhortationes. Per istas itur in cœlum, per illas descenditur ad infernum. Istæ gravantur, illæ elevantur. Istæ æternales sunt, quia ad æternitatem perpetuæ felicitatis ducunt; illæ sunt portæ mortis, quia perducunt ad abyssum perpetuæ damnationis. Per istas introibit rex gloriæ, per illas diabolus rex superbiæ. *Defixæ sunt in terra*, inquit Jeremias, *portæ ejus* (*Thren.* II). Defixæ in terra portæ Hierusalem esse referuntur, quoties amore terrenarum rerum prælati Ecclesiæ delectantur. Et erectæ sunt, quoties cœlestia quærunt. Unde per Ezechielem prophetam dicitur: *Porta*, inquit, *respiciebat viam aquilonis* (*Ezech.* IX). Via aquilonis est vita peccatoris. Viam aquilonis porta respicit, quando quilibet doctor spiritualis considerat, et reprehendit vitam peccatoris. Porta enim doctor esse dicitur, quia per ipsum ad æternam vitam recto tramite pervenitur. Sed et per portas animæ designare possumus diversos corporis sensus. Portæ enim sunt, quia per eas intrant, et exeunt, qui civitatem subvertunt. Exeunt et intrant, qui cives ejusdem civitatis quandoque muniunt et conservant. Hæ siquidem portæ tunc in terra defixæ jacent, quando sensus corporis terrenis desideriis penitus inhærent. In vectibus vero erectæ pendent, quoties corporis sensus divinæ contemplationi patent.

CAP. X. *De portis Jerusalem ex verbis Nehemiæ.*

In verbis Nehemiæ filii Elchiæ de portis Jerusalem legisse me recolo, quod huic operi ad ædificationem claustralium inserere volo. *Egressus sum*, inquit, *per portam vallis nocte et ante fontem draconis, et portam stercoris: et considerabam murum dissipatum, et portas ejus combustas igni. Et transivi ad portam pontis, et aquæductum regis, et non erat locus jumento, cui sedebam, ut transiret: et ascendi per torrentem Cedron, et considerabam murum, et reversus veni ad portam vallis, et redii* (*II Esdr.* II). Porta vallis, est virtus humilitatis. Per portam vallis Jerusalem ingreditur, cum aliquis corde humilis ad pacem rediens, mente Deo reconciliatur. Per portam vallis egreditur, ut destructionem civitatis videat, qui ruinas Ecclesiæ, vel lapsus animæ humiliter reparare festinat. Et ante fontem draconis. Fons est origo fluminis, et diabolus initium angelicæ et humanæ defluxionis. Per fontem diabolus intelligitur. Unde diabolus *deorsum fluens* interpretatur. Deorsum fluit, qui a Deo corde et opere recedit. Est autem diabolus fons draconis, id est, initium elationis. Ab ipso enim diabolo culpa superbiæ sumpsit exordium. Unde post elationis inundationem, ruinæ meruit lapsum. Draco cæteris serpentibus major esse dicitur, quia caput superbiæ etiam cœlum tetigisse memoratur. Ante fontem igitur draconis transit, quia ruinam angeli, et lapsum hominis ad memoriam reducit. Et ad portam stercoris. Porta stercoris, est virtus confessionis. Sicut enim per portam fimus extra civitatem vehitur, si per confessionem, peccati fetor a mente necesse est ut ejiciatur. *Et considerabam murum Jerusalem dissipatum, et portas ejus igni exustas.* Murum Jerusalem dissipatum considerat, et circuit, qui lapsus carnis, et scissuras mentis diligenter attendit. Considerat portas igni exustas sensus videlicet corporis igne luxuriæ et flammis iracundiæ consumptos. Et transivi ad portam pontis. Pons ibi construitur, ubi de uno loco ad alterum transitur. Pontem facimus, cum pœnitentiam agimus. In ponte ligna ponimus, dum transeunti animæ carnem subjicimus. Pontem transimus, quando de vitiis ad virtutes transmigramus. Si vero porta fontis legitur, sicut in quibusdam codicibus scriptum reperitur, non est mirum si portam stercoris sequitur porta fontis, ut fetor criminis mundetur lacrymis. Et ad aquæductum regis. Aquæductus est desiderium contemplandi Deum. Aqua, gratia. Aquæductus dicitur esse regis, id est, rationis suo judicio cuncta regentis. *Et non erat*, inquit, *locus jumento cui sedebam, ut transiret.* Cum ad aquæductum regis perveniret, non erat jumento locus, ut transire posset. Jumentum est hebetudo mentis, sive sensualitas carnis. Si igitur aquæductus regis est amor contemplationis, si aquæductus gratia sancti Spiritus, si jumentum hebetudo mentis, vel sensualitas carnis, non est mirum si sensualitas carnis tam cito non transeat ad gratiam contemplationis. *Et ascendi*, inquit, *per torrentem Cedron.* Cedron interpretatus *tristis* vel *mœror*. Anima de captivitate reducta, id est, noviter ad Deum conversa, in initio conversionis mœrens et tristis, ascendit per torrentem compunctionis. Hic est enim ordo conveniens, ut prius defleat quod male gesserat et post ad gaudium divinæ contemplationis ascendat. *Et considerabam murum.* Iterum considerat murum. Murum destructum iterum considerat, qui lapsus corporis, et animæ ruinas in mente per recordationem sæpius retractat. *Et reversus veni ad portam vallis, et redii.* Ad portam vallis, per quam exierat, revertitur. Per hoc enim innuitur, ut quidquid agitur, humilitatis beneficio condiatur.

CAP. XI. *De seris portarum Hierusalem mystice et moraliter.*

Habet Jerusalem in portis seras, auctoritates videlicet Scripturæ firmas, quæ quod dicunt, firmiter asserunt. *Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum* (*Psal.* CXLVII). Seras portarum confortat, qui quod docet, auctoritate confirmat. Laudet igitur Jerusalem Dominum, laudet Deum suum Sion. quo-

niam confortavit seras portarum utriusque. Quidquid enim de Christo prophetia prædixerat, auctoritas Evangelii factum fuisse demonstrat. Habent autem seræ portarum clavem et pessulum. Qui clavem custodiunt. Ii sunt qui Ecclesiæ curam gerunt. Clavis est potestas regentis. Per pessulum accipere possumus obedientiæ præceptum. Clavis pessulum impellit, et retrahit, quia potestas prælatorum quosdam intrare prohibet exclusos, et quosdam intus manere compellit. Nempe ingressos ne exeant prohibet : exclusos ne intrent ab ingressu potenter arcet. Moraliter autem anima in portis seras habet, quia sensus corporis, ne pateant hostibus, id est, vitiis, clausos tenet. Aperit, quoties venienti dilecto cordis secretum pandit. Unde in Canticis dicitur : *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo. Habet ostium hoc clavem, et pessulum* (*Cant.* v). Clavem scilicet discretionem, pessulum discretionis modum. Ratio portat clavem, ut quod nocet, ab ingressu mentis arceat, quod autem decet, per clavem discretionis intrare permittat. Sed quandoque seræ inveniuntur obseratæ, ut si dilectus advenerit nequaquam intrare possit, et si ratio quæ clavem gerit accedat, intrare non valeat. Hoc autem fit, quoties animus discretionis modum excedit. Sed tandiu ratio foris exspectat, donec, si fieri possit, pessulum tantando retrahat. Clavem discretionis apponit, monendo vertit, nec tamen animum convertit. Cum autem intrare non valet, qui clavem portat, necesse est ut pessulum obstinationis, disciplinæ securis frangat ; ut quod monitionibus fieri non poterat, viribus disciplinæ post modum fiat. Contingit etiam quandoque, ut qui clavem portare debuit, clavem perdere sæpius consueverit. Oportet igitur ut iis, qui clavem discretionis sæpius amittunt (quia curam sui gerere nesciunt) aliquis discretus provideat, qui de secretis eorum, cum tempus advenerit, curam gerat.

CAP. XII. *De vectibus portarum Hierusalem.*

Sicut superius diximus, portæ sunt exhortationes sanctorum Patrum discretæ. Vectes portarum, statuta eorum. Vectes sunt, quia portas vehunt. In vectibus portæ pendent, nec sic tamen, quin moveri possint, vectibus inhærent. In vectibus portæ moventur, ut clausæ teneantur, vel ut aperiantur. Similiter statuta Patrum, aliquando stricte servantur, aliquando per dispensationem temperate laxantur. Nota etiam, quod seræ portis semper inhærent ; portæ vero circa vectes mobilitatem tenent. Sic auctoritates sanctorum Patrum immobiles esse debent ; statuta vero pro tempore, et loco, et persona interdum mutari solent. Possumus etiam per vectes portarum intelligere consilia Judæorum de quibus per prophetam dicitur : *Perdidit et contrivit vectes ejus* (*Thren.* II). Vectes ejus perdidit et contrivit, quando consilia eorum ad effectum venire non permisit. Erat eorum consilium, ut occiderent Christum. Consilium eorum perdidit et contrivit, quia quod facere cogitaverant, ad nihilum redegit. Ad nihilum redegit, quia Christus a morte resurrexit. Consilium

A eorum perdidit, cum eos a terra procul ejecit. Consilium eorum contrivit, dum diversis gentibus subjectos per diversas regiones dispersit. Moraliter. *Et contrivit vectes ejus.* Vectes sunt quædam animæ virtutes, quæ portas sustinent, ne sensus corporis a sua stabilitate vacillent. Vectes perdidit et contrivit, quando virtutes vitiis sublato robore mentis divina permissione subjecit. Sed et de vectibus alibi dicitur : *Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit* (*Psal.* CVI). Unde Cassiodorus super psalterium. « Portæ, inquit, æreæ, sunt hominum consuetudines vitiosæ. Vectes vero ferreos, spiritus immundos non improbe videmur accipere. » Hæc enim duo metalla pro fortitudine delictorum videntur adhibita. Sed ista viribus ho-
B minum desperata, virtus divina confregit, quando periclitantes adventus sui lumine miserata respexit. Vectes etiam in divina Scriptura possunt accipi, quibus arca per eremum a filiis Israel solebat deportari. *Facies*, inquit, *vectes de lignis setim, et operies auro, inducesque per circulos, qui sunt in lateribus arcæ, ut portetur in eis : qui semper erunt in circulis, nec unquam abstrahentur ab eis* (*Exod.* XXV). Arca, est Ecclesia : vectes, Ecclesiæ doctores. De lignis setim vectes fiunt, quod genus ligni albæ spinæ simile esse dicunt. De lignis igitur imputribilibus vectes fiunt, id est, de viris qui corruptioni non succumbunt. Auro vectes operit, qui virtutem boni operis certius per exemplum proximis ostendit. Vectes per circulos inducit, qui quatuor Evan-
C geliorum verbis mentem attentius apponit. Nec ab eis unquam extrahitur, sed *in lege Domini die ac nocte meditatur* (*Psal.* I).

CAP. XIII. *De vicis Hierusalem*

Fertur habere prædicta civitas vicos et plateas. Vici sunt in Ecclesia continentes et conjugati. Sicut enim in materiali vico duo sunt ordines domorum, sic in vico Ecclesiæ sunt duo ordines, videlicet continentium et conjugatorum. In libro Esdræ scriptum reperi, quod Melchias filius Herem ædificavit in Hierusalem mediam partem vici (*II Esdr.* III). In Jerusalem mediam partem vici ædificat, qui conjugatorum legitime jura conservat. Alteram vero partem ejusdem vici ille ædificare dicitur, a quo munditia continentium per omnia custoditur. Inter hos ordines domorum est
D quasi via media, activa vita. Per hanc igitur ambulant, qui ad cœlestem Hierusalem pervenire festinant. Sunt autem in Hierusalem majores et minores vici. Majores vici sunt activi et contemplativi. Minores vero ad illos pertinent, qui ex illis derivantur, vel ipsis inhærent. Sunt et in anima quidam vici morales, diversæ videlicet virtutum species. Sicut enim in materiali vico sunt diversi ordines hominum, sic in vicis animæ sunt diversitates morum. Habet autem anima vicum timoris, et vicum amoris. Vicus timoris descendit ad portam vallis, id est, humilitatis. Vicus amoris ducit ad portam pontis, id est, ad contemplationem futuræ retributionis. In vico timoris habitant servi et mercenarii. In vico vero dilectionis habitant, qui Patrum hæreditates

spectant. Servi præ timore pœnæ serviunt, mer- A
narii pro labore mercedem quærunt, filii pro sola
lectione laborant, non ut soli hæreditatem possi-
eant, sed ut cum patre sine fine vivant. Sed et in
rusalem morali alii vici possunt assignari, id est,
cus sacerdotum, et vicus scuta vendentium. Vi-
s sacerdotum, est vicus sanctæ exhortationis,
ui ducit ad portam sterquilinii, id est, ad portam
nfessionis. Sicut enim fimus ejicitur per portam
erquilinii, sic etiam per portam confessionis eji-
ur fetor peccati. Est etiam vicus scuta venden-
um. Sunt enim quidam, qui scuta emunt, et scuta
runt, quia in necessitate fratres defendunt. Sunt
alii, quia scuta faciunt, et scuta vendunt, quia,
et ingenium et potestatem juvandi alios ha-
ant, non tamen absque pecunia fratres in neces- B
ate juvant. Scuta, sunt defensionis verba. Scu-
m manu tenet, qui quod ore loquitur, operibus
nplet. Scutum contra hostes elevat, qui in defen-
one pauperum auxilium pro viribus præstat.
uta martyres emerunt, quia pro defensione di-
næ legis corpora sua ad supplicia tradiderunt.
uta Judas Machabæus et fratres ejus emerunt
uando possessiones suas pro defensione fratrum
epopulandas hostibus reliquerunt. Emerunt au-
m Machabæi scuta aurea. In historia siquidem
gitur Machabæos habuisse clypeos aureos. *Reful-
t*, inquit, *sol in clypeos aureos, et resplenduerunt
ontes ab eis* (*I Mac.* VI). Sunt autem clypei aurei,
uxilia defensionum, quæ sunt absque commistio-
temporalis lucri. In his igitur clypeis sol reful- C
t, quia in puritate cordis per exemplum bonæ
erationis justitia clarior apparet. Et resplendue-
nt montes ab eis. Montes sunt homines vita et
oribus sublimes. A clypeis ergo aureis montes
lendorem recipiunt, quia cum aliquis justus
ne operatur, cæteri viri sublimes per famam
onæ opinionis clariores fiunt. Sed et in exercitu
gis Antiochi multi fuerant, qui clypeos aureos
cum habebant. Sunt autem, sicut superius dixi-
us, aurei clypei, verba quæ in defensione proxi-
i proferuntur absque commistione temporalis lu-
i. Sed istorum clypei ideo aurei sunt, quia cum
oximis verba defensionis proferunt, non pro pre-
, sed pro justitia se loqui dicunt. Cum autem
l justitiæ in his clypeis resplendet, tunc veritas D
paret. Et sic montes ab eis splendorem recipiunt,
ia contra eorum falsitatem montes, id est, justi
ce veritatis clariores fiunt. Nota etiam quod in
erusalem domus scuta vendentium esse dicitur,
alicui, quod diximus, mirum videatur. Ait
nim Scriptura: *Ædificavit Melchias filius auri-
cis usque ad domum Nathinæorum, et scuta ven-
entium contra portam judicialem* (*II Esdr.* III).
cuta vendunt, qui pro justitia munera libenter
ecipiunt. Sed domum scuta vendentium contra
ortam judicialem esse, Scriptura dicit. Illos enim,
ui justitiam vendunt, conscientia reprehendit; et
ontro portam judicialem domus eorum positæ
unt, quorum mens et conscientia veritati contra-
eunt. Hoc autem toties mystice, vel moraliter agitur, quoties aliquis vir ecclesiasticus cupiditate vincitur, vel quoties animus adulationis laude remuneratur. Nec mirum si in Hierusalem, id est, in Ecclesia vel in anima, istud agitur cum econtrario in Damasco, id est, in sæculo vel in sæculari animo, vicus rectus et domus Judæ reperiatur. Dixit enim ad Ananiam in visu Dominus: *Surge, et vade in vicum, qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine Tharsensem, ecce enim orat* (*Act.* IX). Ananias, *gratia Domini:* Judas, *confessio*, Saulus, *tentatio respicientis;* Tharsensis, *exploratio gaudii* interpretatur. Ad Saulum Ananias mittitur, quando ad eum, qui peccatum considerat, gratia pœnitendi tribuitur. Tentationem considerat et respicit, qui tempus et locum, delectationem et consensum tentationis attendit. Talis in domo Judæ quæritur, et invenitur, qui in domo confessionis, adhuc manens in sæculo, demoratur. Ponitur autem hæc domus in vico, qui vocatur *Rectus.* Qui enim in domo confessionis manet, procul dubio metam recte vivendi tenet. Sed qui Tharsensis est virum cœlestem in terris tolerat, ut postmodum cœlestis gaudii explorator fiat.

CAP. XIV. *De plateis Hierusalem.*

In Hierusalem plateæ dicuntur esse. Unde per Jeremiam dicitur, cum in lamentationibus suis de civibus Hierusalem loqueretur: *Cum deficerent,* inquit, *quasi vulnerati in plateis civitatis* (*Thren.* II). Habet igitur Hierusalem cives bonos et malos, habet paleas et areas. Habet in horreis grana cum paleis. In plateis Hierusalem boni sunt, sed non deficiunt, quia vanitatibus sæculi dediti non succumbunt. Mali vero in plateis civitatis sunt, et deficiunt, quia vagi et instabiles voluptatibus carnis non resistunt. Plateæ sunt viæ latæ, quæ per eas gradientes ducunt ad mortem. *Cum deficerent,* inquit, *quasi vulnerati in plateis civitatis.* Peccata sunt quasi vulnera. Quasi vulnerati in plateis deficiunt, qui deficientes in bono a delectatione peccati non resipiscunt. Ad hoc etiam pertinere videtur, quod in eodem scriptum reperitur: *Cum deficerent,* inquit, *parvulus et lactans in plateis oppidi* (*ibid*). Parvulus, est simplex et rudis populus. Lactans, est doctor carnalia prædicans. Plateæ oppidi sunt delectationes hujus mundi. In plateis igitur oppidi parvulus et lactans deficiunt, quando prælati cum subjectis cessantes a bonis operibus, passim, carnalia quærunt. Hujusmodi plateæ quandoque lutum habent, quandoque pulvere et siccitate scatent. Unde psalmista: *Et comminuam,* inquit, *eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos* (*Psal.* XVII). Pulvis, et dissolutio humanæ fragilitatis, ventus superbiæ spiritus. Ventus suo impetu pulverem sublevat, quoties aliquis vitam cujuslibet dissoluti verbis adulatoriis laudat. In pulvere vero turbinem generat, dum dissolutas actiones impetus elationis turbat. Ut pulverem ergo inimicos suos David comminuit, quando ille manu fortis actiones perversorum dissolutas remanere permitit. *Ut lutum pla-*

tearum delebo eos. Lutum in plateis, est immunditia carnis. Habet igitur David inimicos, id est, luxuriantes et lubricos. Et delebo, inquit, eos. Unde? forsitan de libro vitæ.

CAP. XV. *De quatuor plateis Hierusalem moraliter.*

Quatuor plateæ in civitate Hierusalem dicuntur esse, scilicet platea latior, et platea domus Dei. Est etiam platea ante portam aquarum, et alia platea ante portam Ephraim. De platea latiori dicitur : *Et dimiserunt Hierusalem usque ad murum plateæ latioris* (*II Esdr.* III). De platea domus Dei dicitur : *Sedit omnis populus in platea domus Dei trementes pro peccato, et pluviis. Et surrexit Esdras sacerdos, et dixit ad eos: Vos transgressi estis, et uxores duxistis alienigenas* (*I Esdr.* x). De platea, quæ est ante portam aquarum dicitur: *Congregatus est omnis populus quasi vir unus ad plateam, quæ est ante portam aquarum, et dixerunt Esdræ scribæ, ut afferret librum legis Moysi, quem præceperat Dominus Israeli* (*II Esdr.* VIII). De platea siquidem portæ Ephraim dicitur: *Egressus est populus, et attulerunt frondes de arboribus, feceruntque sibi tabernacula unusquique in domate suo, et in atriis suis, et in atriis domus Dei, et in platea portæ aquarum, et in platea portæ Ephraim* (*II Esdr.* III). Muri Hierusalem a filiis Israel ædificari dimittuntur, quando ad murum plateæ latioris appropinquatur. Latior platea, est sæcularis vita; murus plateæ, adversitas vitæ. Inde est, quod *discipuli qui erant Damasci, per murum submittentes in sporta dimiserunt Paulum* (*Act.* IX). Unde Beda super Actus apostolorum: « Murus, inquit, Damasci, qui *sanguinem bibens* interpretatur, est adversitas sæculi. » Rex Areta, qui *defensio* interpretatur, diabolus intelligitur. Sporta, quæ juncis palmisque solet confici, fidei speique conjunctionem designat. Juncus enim viriditatem fidei, palma vitæ æternæ spem significat. Si quis igitur se muro adversitatis cinctum videat, sportam virtutis, quia evadat, festinus ascendat. *Sedit omnis populus in platea domus Dei mœrens pro peccato, et pluviis. Domus Dei, est domus conversionis* (*I Esdr.* x). Quæ plateam habere perhibetur, quoties sæcularibus negotiis exterius implicatur. Sed qui diu per plateam læti discurrere consueverunt, quandoque in eadem platea sedentes pro peccato gemunt, quia qui in domo Dei sæcularitati studuerant, postmodum ad se reversi quietæ mentis esse desiderant. Nec tantum pro peccato, sed etiam pro pluviis foris stare nequeunt, sed totis desideriis animi interius esse quærunt. Tempus, inquiunt, pluviæ est, et non sustinemus stare foris. Pluvia, est catholica doctrina; foris enim stare non sustinet, quem doctrinæ spiritualis pluvia perurget. *Surrexit etiam Esdras sacerdos, et dixit ad eos: Vos transgressi estis, et uxores duxistis alienigenas, ut adderetis super delictum Israel, et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, et facite placitum ejus et separamini a populis terræ, et ab uxoribus alienigenis* (*ibid*). Ecce pluviæ, id est, correptionum doctrina. Uxores vero alienigenæ sunt sæculares curæ. Ex his confess datur, dum culpa cognoscitur. A populo terræ, ab uxoribus alienigenis separatur, qui terrena n gligit, et cui curæ sæculares odio habentur. Sequ tur de platea, quæ est ante portam aquarum, qua populus congregatur quasi vir unus, dice tes Esdræ scribæ, ut afferet librum legis Moy Porta aquarum et admonitio Scripturarum, plat peccatorum memoria. Ante portam igitur aquaru platea esse dicitur, quia per admonitionem Sci pturarum peccatum ad memoriam revocatur. qua populus quasi vir unus colligitur, dum in ui tate perseverans, per dilectionem magistris et fr tribus unitur. Et sic librum legis Moysi afferri p scit, ut per legem corrigat quæ contra legis pr cepta gessit. Platea quæ est ante portam Ephrai ultima ponitur. Nihil enim prodest laboranti, n fructus operis in fine colligantur. Ephraim eni *frugifer* interpretatur. Initium igitur boni oper est porta pœnitentis. Possumus autem hanc pl team vocare, et appellare pœnitentiam. Platea e quando adhuc in ea plangimus quod deliquimu sed in ea lutum delemus, dum per pœnitentiam lab ramus. De plantea quandoque egredimur, et ad ea quandoque revertimur; de platea egredimur, cu a sæculari vita recedimus; ad plateam vero reve timur, cum ad ea quæ male gesta sunt a no mentem revocamus. *Egredimini*, inquit, *in mo tem, et afferte frondes olivæ, et frondes myrti, ramos palmarum, ut fiant tabernacula* (*Num.* VII In montem egredimur, quando ad montem mis ricordiæ precibus sublevamur. Ipse est forsit mons Oliveti. Afferte, inquit, frondes olivæ, id e opera misericordiæ. *Oleo* (imo *eleos*) enim Græc *misericordiæ* dicitur Latine. Myrtus virtutis temp rativæ dicitur esse; palma vero in altum cr scit. Per olivam igitur opus misericordiæ, p myrtum virtus temperantiæ, per palmam spes v niæ. His itaque frondibus, et ramis in plat portæ Ephraim tabernacula fiunt, quando pr dictæ virtutes a pruina torporis, et calore delect tionis undique defendunt. In platea igitur, qu est ante portam Ephraim tabernacula ponimu quando quod male gessimus, delentes per ope misericordiæ, ad spem victoriæ pervenire desid ramus.

CAP. XVI. *Item de quatuor plateis Hierusalem moralitas.*

Moraliter per plateam latiorem possum intelligere mentis vagationem. Plateæ siquide civitatis, sunt delectationes vagæ mentis. Plat Græce, latitudo dicitur Latine. Quæ lata est opere, latior in sermone, latissima in cogitation Cum enim quod male agimus, verbis defendimu tunc plateæ latiori appropinquamus. Gra est enim peccare, sed gravius peccatum defe dere, gravissimum per delectationem pecca consentire. Cum culpa ergo defenditur, tunc plat dilatatur. Dum autem ædificatur Hierusalem, appropinquatur ad plateam latiorem, ædifice civitas dimittitur. Et hoc fit, dum culpa verbis exc

itur. Nemo enim ædificare potest aliquem reatus A
ui culpam defendentem, sed cum culpa cognosci-
ir, tunc civitatis murus, id est, bonum opus ædi-
cari permittitur. In platea latiori, sicut prædixi-
ius, culpa defenditur, sed in platea domus Dei
ccusatur, et corrigitur. Domus Dei, est mens in
ua habitat gratia Spiritus sancti. Platea domus
ei, recordatio peccati. Qui autem per hanc pla-
:am discurrere consueverant, nunc in ea pro pec-
ato trementes sedent; et qui ineptæ lætitiæ diu
uduerant, peccatum lugent. In hac platea Esdras
acerdos, qui carnes immolat, id est, animus, qui
esideria carnis in se mactat, populum increpat,
uia præceptum Domini transgressus fuerat. *Sepa-
amini,* inquit, *a populo terræ et ab uxoribus alie-
igenis* (*I Esdr.* x). Populus terræ, sunt terrenarum B
erum concupiscentiæ; uxores alienigenæ, carnis
landitiæ. Ab his vero mentem separant, qui mun-
i concupiscentias negligunt, et blandimentis mi-
eræ carnis mente contradicunt. Sequitur de pla-
ea, quæ est ante portam aquarum. Porta aqua-
um, est gratia lacrymarum. Platea vero quæ est
nte portam aquarum, est contritio animi pro de-
ectatione peccati. In hac platea populus congre-
atur quasi vir unus; populus cogitationum, qui
e per diversa sparserat, cum per contritionem in
num colligitur, secretum mentis intrat, librum
egis audire desiderat, ut transgressionis culpam
mendare valeat, et in meditatione divinæ legis
ttentus fiat. Ad plateam vero quæ est ante
ortam Ephraim animus ducitur, quando per C
ructum boni operis ad spem veniæ revocatur.
n platea igitur latiori nihil agimus, sed etiam
Jerusalem ædificare dimittimus. In platea vero
omus Dei terram evertimus, et seminamus. In
latea quæ est ante portam Ephraim fructum col-
igimus. Ibi tabernacula figimus, in quibus per
pem misericordiæ frumenta recondamus. In his
etiam plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut ve-
iente Petro saltem umbra illius obumbraret quem-
juam illorum, et liberarentur omnes ab infirmita-
ibus suis. Infirmi sunt, qui laborant morbo pec-
ati. Qui in plateis ponuntur, quando peccatorum
uorum delectationis recordantur, ut veniente Pe-
ro, id agnito per recordationem peccato, Petrus
enim *agnoscens* interpretatur, saltem umbra illius D
obumbraret quemquam illorum, ut intercessio ejus
refrigeraret animum cujuslibet ab æstu vitiorum.
Hæc enim est umbra, quæ infirmum refrigerat, ut
ab infirmitatibus liberum sanitati reddat.

CAP. XVII. *De iis qui templum destruunt, et de iis qui templum mundant, et renovant,*

In præcedenti libro de ædificatione templi diximus plura; nunc autem de destructione ejus quid historia dicat, breviter audiamus. Sicut veridica refert historia: *Antiochus illustris filius Antiochi regis qui fuerat Romæ obses, ascendit Hierosolymam in multitudine gravi: et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa ejus: et accepit thesauros occultos quos invenit, et sublatis omnibus abiit in terram suam. Post duos autem annos misit rex principem tributorum in civitates Juda, et venit Hierusalem, cum turba magna, et irruit super civitatem repente, et perdidit populum multum ex Israel, et accepit spolia civitatis, et succendit eam igni, et destruxit domos ejus, et muros in circuitu: et captivas duxit mulieres et natos, et pecora possederunt: et ædificaverunt civitatem David muro magno, et firmo, et turribus firmis: et facta est illis in arcem. Et posuerunt illic gentem peccatorum, et viros iniquos, et possuerunt illic arma, et escas* (*I Machab.* I). Ascendit in Hierusalem rex Antiochus, quando in Ecclesia dominatur diabolus, vel in anima carnalis appetitus. Ascendit autem in multitudine gravi, id est, in abundantia delictorum, et in gravitate cujuslibet criminalis peccati. Intrat in sanctificationem cum superbia, quando sanctificata per confessionem elationis spiritus aperit sibi corda. Accepit altare aureum, et candelabrum luminis, id est, puritatem orationis, et lucem divinæ complationis. Accepit universa sanctificationis vasa, diversa videlicet virtutum genera. Et omnia comminuit, quando virtutum species diversas ad nihilum redegit. *Et accepit thesauros occultos quos invenit; et sublatis omnibus abiit in terram suam.* Thesaurus, est sapientiæ intellectus, occultus diabolo, sed notus Deo. Quem tunc diabolus invenit, quando per jactantiæ vitium cæteris manifestum reddit. Sublatis omnibus in terram suam Antiochus abiit, quoties diabolus sublatis virtutibus ad terrena desideria mentes fidelium reducit. Post duos autem annos misit principem tributorum in civitates Juda. Cupiditas tributa recipit; quia et in Ecclesia, et in qualibet anima exactiones complures agit. Cum magna turba venit Hierusalem, ut conturbet simplicium pacem. Super civitatem irruit, et populum simplicium cogitationum ex Israel perdit. Et accipit spolia civitatis, quando mentem virtutum spoliat indumentis. Et eam igne succendit, dum concupiscentiæ flammis animum comburit. Interius destruxit domos, et in circuitu ejus muros, id est, intus conscientias, et in circuitu operationes perfectas. Et captivas duxerunt mulieres, imperfectas scilicet mentis affectiones; et natos, id est, actus earum imperfectos. Pecora eorum possident, cum diabolus, vel carnis appetitus in potestate sua irrationabiles animi motus retinent. Et quæ filii Israel custodire consueverant, Antiocheni mactant et manducant. Civitatem David ædificant, dum mentem cujuslibet manu fortis, id est, bene operantis, in contrariam partem mutant. Muro magno et turribus firmis muniunt, dum perversa opera et eorum defensiones in circuitu ponunt. Et facta est illis in arcem, id est perversæ mentis elationem. *Et posuerunt illic gentem peccatorum,* et viros iniquos, in anima scilicet gentem vitiorum, in Ecclesia vero hæreticos Christianæ fidei, graves inimicos. *Et posuerunt illic arma, et escas.* Arma, sunt defensionis verba, escæ, delectationes terrenæ. Hujusmodi cibis arcem muniunt, qui terrenis delectationi-

bus mentem pascunt. *Sed et rex Antiochus ire volens in Persidem reliquit hominem Lysiam nobilem de genere regali super negotia regia : et mandavit ei de omnibus quæ volebat, et de habitantibus Judæam et Hierusalem ut mitteret ad eos exercitum, ad conterendum virtutem Israel, et reliquias Hierusalem* (*I Machab.* III). *Et congregavit Lysias electorum virorum sexaginta millia, et equitum quinque millia ; et venerunt in Judæam, et castra posuerunt in Bethoron. Et occurrit illis Judas cum decem millibus viris, et commiserunt prælium, et ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. Videns autem Lysias fugam suorum et Judæorum audaciam, abiit Antiochiam* (*I Machab.* IV). Lysias ab Antiocbo ad destruendam Judæam et Hierusalem mittitur, quando spiritus luxuriæ ad subvertendam confessionis pacem a diabolo destinatur. Lysias enim *generans* interpretatur. Luxuria siquidem plures filios generat, quia diversos motus carnis ex se quotidie creat. *Et venerunt Judæam, et castra posuerunt in Bethoron :* veniunt in Judæam, dum ingrediuntur confessionis terram et in Bethoron castra ponunt, quia per iram terram confessionis invadunt. Bethoron enim *domus iræ* interpretatur. Est autem Bethoron superior, ira prælatorum ; et Bethoron inferior, ira subditorum. Quamcunque istarum alienigenæ obtineant, terram confessionis turbant. *Et occurrit illis Judas cum decem millibus viris.* Judas exercitui Lysiæ cum decem millibus viris occurrit, quando confessio fulta decem præceptis legis, diversis luxuriæ motibus viriliter resitit. *Et commiserunt prælium, et ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum.* Judas cum exercitu Lysiæ prælium committit, cum mens totis viribus luxuriæ contradicit. Et sic de exercitu Lysiæ quinque millia occumbunt, dum quinque sensus corporis in ore gladii confessioni succumbunt. Videt autem Lysias suorum fugam, et Judæorum audaciam, abiit Antiochiam. Antiochiam Lysias abiit, quia luxuria divitiarum abundantiam quærit. Antiochia enim, *paupertatis silentium* interpretatur. Ibi paupertas silere dicitur, ubi divitiæ dominantur. Postquam Judas missum ab Antiocho fugavit Lysiam, et ille victus abiit Antiochiam. *Dixit Judas ad fratres suos : Ecce contriti sunt inimici nostri; ascendamus nunc mundare, et renovare sancta. Et ascenderunt in montem Sion, et viderunt sanctificationem desertam, et altare profanatum et portas exustas, et in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, et pastophoria diruta: et sciderunt vestimenta sua, et planxerunt planctu magno* (*ibid.*). Judas fugato Lysia, id est, destructa luxuria, et contritis hostibus, luxuriæ, scilicet operibus, in montem Sion ascendit, dum vera confessio per gradus virtutum sublimia quærit. Ascendit mundare sancta, et renovare. *Cor mundum crea*, inquit, *in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* L). A vitiis munda, virtutibus innova. *Et viderunt sanctificationem desertam.* Sanctificationem desertam conspicit, qui sanctitatem mentis a Deo derelictam esse cognoscit. *Templum* enim, sicut in eodem libro dicitur, *luxuria, et comessationibus gentium erat plenum, et scortantiu[m] cum meretricibus sacratisque ædibus mulieres [se] ultro ingerebant* (*II Machab.* VI). Templum luxuria plenum esse dicitur, dum luxuriæ cogitationibus voluptuosis animus delectatur. Comessationes vero in eo fiunt, dum vitia carnis invicem divers[is] delectationum ferculis mentem pascunt. Scortantes cum meretricibus in eo habitant, dum vitia, carnis cogitationibus animi concordant. Sacratis ædibus ultro se mulieres ingerunt, dum mollities [et] blandimenta carnis in secreto mentis sese licent[er] abscondunt. Altare profanatum, et plenum illicit[is] esse legitur, dum mens ea desiderat et exopta[t] quæ in lege divina prohibentur. Portæ combust[æ] jacent, dum sensuum aditus ardenti desiderio su[c]censi, ineuntibus vitiis omnino patent. Virgulta ve[ro] in atriis nata sunt illicita desideria, quæ sicut vi[r]gulta nullo colente crescunt, sic in animo spon[te] surgere non desinunt. Pastophoria diruta, su[nt] mentis secreta, ab alienigenis, id est, a spiritib[us] immundis destructa. Pastophoria siquidem, su[nt] cellulæ in intimis gazophylaciorum factæ, aut th[a]lami in quibus habitant templorum præfecti. Ha[ec] igitur Judas a prædictis immunditiis purgat, [et] quotidie renovare non cessat.

CAP. XVIII. *Quod Judas ordinavit viros, ut pugna[rent] adversus eos qui erant in arce, donec san[c]ta mundarent.*

Ordinavit Judas viros, ut pugnarent advers[us] eos qui erant in arce, donec sancta emundarent (*I Mac.* IV). Per arcem possumus intelligere ment[is] rationem, quam toties alienigenæ possident, quo[ties] vitia menti dominantur, ut eam a virtutib[us] alienent. Mirum est tamen quod filii Israel Hier[u]salem obtinent, alienigenæ vero dominantur in a[r]ce, et in eadem potestatem habent : et nisi Apost[o]lus quæstionis nodum solveret, dubitaret forsita[n] aliquis qualiter hoc fieri posset. *Video*, inquit Ap[o]stolus, *aliam legem in membris meis, repugnan[]tem legi mentis meæ, et captivantem me in leg[e] peccati* (*Rom.* VII). Ecce alia est lex in membris, [et] alia est lex mentis. *Caro enim concupiscit adve[r]sus spiritum ; spiritus autem adversus carne[m]* (*Galat.* V). Sic aliquando alienigenæ dominan[]tur in arce : et multi etiam de populo, qui adver[]santur Judæ, manent in civitate. Multa enim cu[m] ipsa confessione in mente sunt quæ nocent, et tame[n] expelli non possunt. Multa etiam ex mala consuetu[]dine procedunt quæ rationi non obediunt, se[d] quadam assiduitate ratione vincunt. Similite[r] *Ephraim Chananæum, qui habitat in Gazer no[n] expulit, usquequo Pharao rex Ægypti Gazer cæpi[t] et eam filiæ suæ in dotem dedit* (*III Reg.* IX ; *Josu[e]* XVI). Ephraim, *fructificans* ; Pharao, *dissipans*, Chananæus, *motus* ; Gazer, *constructio* interpretatur. Cum is igitur, qui fructum boni operis colligunt motus carnis habitare non desinunt, sed eis sub tributo serviunt, quandiu filii Ephraim civitati dominantur et præsunt. Sed cum Pharao rex Ægypt[i] Gazer, id est, animam virtutibus contructam capi[t] et dissipat : omnes, qui in ea habitant, id est, vir[]

tutes animæ, trucidare non cessat. *Et dedit eam filiæ suæ in dotem* (*II Machab.* IV). Filia Pharaonis regis Ægypti, est lex peccati. Gazer igitur Ægypti rex in dotem filiæ suæ tribuit, quando lex peccati animam carnaliter viventem in dotem sibi conscribit, et sic Gazer filiæ Pharaonis in dotem tribuitur, quando constructio corporis et animæ, legi peccati subjugatur. Sed et in Hierusalem Jason frater Oniæ, gymnasium et ephebiam ædificavit sub arce. *Cum enim suscepisset Antiochus regnum, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Jason frater Oniæ summum sacerdotium. Aditoque rege Antiocho promisit ei argenti talenta trecenta sexaginta, super hoc promittebat et alia centum quinquaginta, si potestati ejus concederetur gymnasium et ephebiam sibi construere, et eos, qui in Hierosolymis erant, Antiochenos scribere. Quod cum rex annuisset, et obtinuisset Jason principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit, et ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere* (*ibid.*). *Ambiebat*, inquit, *Jason frater Oniæ summum sacerdotium.* Extunc ira tua, Domine, extunc venale sacerdotium, extunc et nunc. Adhuc enim Jason est in Ecclesia cum Onia : adhuc precibus et pretio quorumdam celebratur electio. Qui hoc ordine in Ecclesia magistri fiunt, gymnasium et ephebiam in Hierusalem, id est, in Ecclesia, quandoque construunt. Gymnasium, est domus in qua fieri solebant ludi gentilium. Gymnasium in Israel ædificant prælati, qui inter fratres sæcularia narrant : qui cum suis exhortationibus auditores ad fletum movere deberent, ad risum movent. Ephebiam vero in Israel constituunt, qui secum personas suspectas et notabiles habere non erubescunt. Eos, qui in Hierosolymis sunt, Antiochenos volunt scribi, quia divites esse cupiunt, et videri. Qui ante conversionem sæculi cum paucis ire consueverant, nunc in multitudine magna et apparatu copioso curias frequentant, et per hoc simplicibus datur intelligi, quod paupertas non conveniat prælationi. Moraliter autem Jason *desiderans* interpretatur. Gymnasium vero est locus, ubi gentilium ludi antiquitus solebant fieri. Ephebia est lupanar, ubi ephebi solebant poni. Ephebi, sunt viriles affectus animi, quos Jason assensu regis Antiochi in lupanaribus ponere statuit, quia carnale desiderium eosdem affectus instinctu diaboli libidini quandoque substernit. Gymnasium vero Hierosolymis ædificant, qui leves et instabiles animo curiositatis lusibus exsultant. Antiocheni scribi desiderant, qui divitiarum copiis abundant. Ecce et in arce et sub arce sunt qui Judæ, id est, confessioni contradicunt. *Ordinavit Judas*, sicut superius diximus, *viros, qui pugnarent adversum eos, qui erant in arce, donec sancta emundaret* (*I Machab.* IV). Viri, sunt viriles affectus animi, qui adversum eos qui sunt in arce pugnant, quando virtutes vitiis viriliter repugnant : Judas igitur ad pugnandum viros ordinat, dum vera confessio suis in locis virtutes ordinate locat. Ponit igitur in primo loco timorem pœnæ, in secundo dolorem culpæ, in tertio laborem pœnitentiæ, in quarto fructum eleemosynæ. Sed, ne desperet, adjungit spem veniæ timori, consolationem dolori, retributionem labori, eleemosynæ fructum visitationi pauperum. Adjungit etiam jejunium compunctioni, vigilias orationi, lectionem meditationi. Et sic in circuitu Judas arcem obsidet, donec ab immunditiis mentem confessio purget.

CAP. XIX. *De Juda, et fratribus ejus Simone, Jonatha, Joanna et Eleazaro.*

Postquam Judas missum ab Antiocho fugavit Lysiam, dixit Judas ad fratres suos : *Ecce contriti sunt inimici nostri. Ascendamus nunc mundare sancta, et renovare* (*I Machab.* IV). Fratres Judæ quatuor dicuntur esse, id est, Simeon et Jonathas, Joanna et Eleazarus. Hi quinque sunt filii Mathathiæ, Mathathias interpretatur *donum Dei*, Judas *confitens*, Simon *obediens*, Jonathas *columna dans*, Joanna *Dei gratia*, Eleazarus *Dei auxilium* interpretatur. Hi autem Filii Mathathiæ sunt, qui ex dono Dei hæc omnia procedunt. Judas igitur mundat, Simon ædificat, Jonathas renovat, Joanna ornat, Eleazarus protegit et conservat. Judas templum mundat, quia confessio mentem a vitiis purgat. Simon ædificat, quia ad hoc obedientia laborat, ut ædificium boni operis in altum crescat. Jonathas sancta renovare non desinit, quia columbina simplicitas ædificat, quod calliditas antiqui hostis, id est diaboli, quotidie destruxit, et in primo homine dextruxit. Joanna faciem templi coronis aureis ornat, quia notitiam victoriosæ mentis Dei gratia moribus commendat. Sed hæc omnia nihil proficiunt, nisi per Eleazarum, id est, auxiliante Deo et ordinante fiant. Si enim quod agis non Deo, sed tibi ascribis, non ædificas, sed subvertis. *Et elegit Judas sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Dei* : *et mundaverunt sancta, et ædificaverunt domum intrinsecus : et ædem, et atria sanctificaverunt, et fecerunt vasa sancta nova : et intulerunt candelabrum, et altare incensorum, et mensam in templum. Et obtulerunt sacrificium super altare holocaustorum novum* (*ibid.*). Sacerdotes sine macula Judas eligit, quando virtutes, quæ in ara cordis ministrant, immaculatas reddit. Qui in lege Dei voluntatem habent, quia aliter medullatum sacrificium non offerent, et mundaverunt sancta, id est devotionem mentis, ab omni malitiæ culpa. *Et ædificaverunt intrinsecus domum*, ipsam videlicet conscientiam, diversis qualitatibus morum. *Et sanctificaverunt ædem et atria* : intus mentem, et exterius opera. *Et fecerunt vasa nova sancta.* Vasa nova sancta faciunt, qui in novitate conversionis, juxta præceptum novi hominis, id est, Christi, corda sua componunt. *Et intulerunt candelabrum*: *et altare incensorum, et mensam in templum.* Per candelabrum possumus intelligere Dei verbum ; per lumen candelabri, doctrinam verbi ; per altare incensorum devotionem orationum, non suavem fumum adulationum ; per mensam, divinæ Scripturæ me-

moriam. Sicut enim aliquis in iis, quæ ponuntur in mensa reficitur, sic animus iis, quæ ad memoriam reducit, quasi diversis ferculis saginatur. *Et obtulerunt sacrificium super altare holocaustorum novum.* Super altare holocaustorum novum sacrificant, dum in contritione cordis, carnis desideria mactant. Hæc igitur mentem renovant, et ab immunditiis pollutam purgant. Qui igitur in hac civitate Hierusalem, id est, in pace manent; qui Judam, id est, confessionem ducem præ cæteris habent: qui templum, id est, animum a vitiis mundant, et quæ destructa sunt quotidie restaurant: credo si non deficiant, quod ex hac Hierusalem ad cœlestem sine mora transibunt.

CAP. XX. *De cœlesti Hierusalem.*

Illa superna civitas, quæ Hierusalem dicitur, inexpugnabili muro perfectæ securitatis undique munitur. In hac civitate duodecim portæ sunt, per quas beatorum animæ ad illud claustrum non manufactum, quod est in cœlis, festinant introire. Ex singulis margaritis singulæ portæ fiunt, quoniam per unitatem fidei, et puritatem mentis ad cœlestem patriam justi pervenientes intrabunt. Plateæ ejus auro mundo, et lapidibus pretiosis sternuntur, quoniam nihil in ea, nisi puritas invenitur. Per omnes vicos ejus alleluia canitur, quia ubique per eam divinæ laudis gloria prædicatur (*Apoc.* XI). In hac civitate Hierusalem quæ interpretatur *visio pacis*, fundatur claustrum perfectæ beatitudinis. Hoc claustrum habere dicitur firmæ stabilitatis quadraturam, æquitatis latera, perseverantiæ bases, columnas virtutum, divinæ protectionis capitella. In hoc claustro angelorum conventus residet, et in eo perfectæ charitatis ordinem tenet. Ibi diversis angelorum spiritibus diversa commendantur officia, singulis singula. Sunt anim ibi angeli, archangeli, throni et dominationes, principatus et potestates, virtutes, cherubin et seraphin. Huic angelorum conventui Deus Pater omnipotens abbatis more præponitur. Hic conventus per sapientiam Filii (qui minor est Patre secundum humanitatem) more prioris regitur, et Spiritus sancti gratia moderatur. Ad hoc claustrum justi relictis omnibus quæ possident, pervenire properant, ut in eo perfectæ religionis habitum, id est immortalitatis et innocentiæ vestem sumant. Adhuc tamen in locis ad hoc deputatis exspectant, donec ad illud magni judicii capitulum pervenire queant, ut ibi recepturi vestem perfectæ religionis audiant: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV).

CAP. XXI. *De pace quæ in cœlesti Hierusalem est.*

Sicut superius multoties diximus, Hierusalem *visio pacis* interpretatur. Pacem tamen multi vident, qui ad eam pervenire non valent. *Inquire pacem,* inquit, *et persequere eam* (*Psal.* XXXIII). Amissam quære, fugientem sequere. Quære eam in sæculo, sequere eam in futuro. Et nisi eam in præsenti quæsieris, in futuro procul dubio non habebis. Si quæras quomodo pacem sequi debeas, audi Jesum, qui ad cœlos ascendens, pacem discipulis reliquit, ut evangelista Joannes de eo attestatur, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis* (*Joan.* XIV). Audis si attendis esse duo genera pacis. Unam quam dat Christus, alteram quam dat mundus. Pax mundi est, ut a Deo recedas, et diabolo concientias. Pax vero Christi est, ut expellas diabolum, et diligas Deum. Pax mundi est, ut tibi mundus, et tu mundo placeas, ut sic satiatus terrenis voluptatibus, inferni cruciatibus in æternum succumbas. Pax Christi est, ut adversa mundi usque ad mortem patienter toleres, ut sic post mortem futuræ vitæ felicitatem securius exspectes. Hic in pace in idipsum dormies, et requiesces (*Psal.* IV). In pace in idipsum dormit, et requiescit, qui nunquam a quiete mentis recedit. Sed quia in hoc sæculo non potest hoc fieri, ideo iis, qui in cœlesti Hierusalem manent, poterit assignari. Ibi enim est pax æterna ab æterno Patre. Hæc est Hierusalem, quæ *visio pacis* interpretatur, *civitas cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI). Scire debemus quod ista, quæ nunc agitur Hierusalem, continet indiscretos populos, illa recipit sine dubitatione perfectos. Ista contrarietatibus, illa jugi securitate lætatur. Illa plena est lacrymis pœnitentium, illa nescia lacrymarum. Participatio ejus in idipsum esse dicitur, quia qui illa perfecta beatitudine participant, nunquam suæ rectitudinis statum mutant, et cum Deo, *qui idem ipse est, et anni ejus non deficient* (*Psal.* CX), incommutabili stabilitate semper manent. Nec spiritus ibi in malo carni consentiet, nec in bono caro spiritui contradicet. Nec erit ibi diminutio vel augmentum corporis, seu finis ætatis. Puer ibi in juvenem non crescet, nec aliquis juvenis senescet. Non erit ibi senectus, nec senectutis defectus. Nemini conferet ibi timor pallorem, vel ira ruborem, nec labor sudorem, nec infirmitas dolorem. Nec mirum si ii, qui cum incommutabili Conditore permanent, formam incorruptæ perfectionis semper habent.

CAP. XXII. *Quod Hierusalem cœlestis sicut mystica vel moralis esse dicitur in Judæa.*

Hæc autem Hierusalem cœlestis sicut mystica vel moralis, in Judæa esse dicitur, quia Judæ non tantum *confessio*, sed etiam *laudans* interpretatur. *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero* (*Psal.* XVII). Laudans Dominum invocat, qui eum pro suis excessibus humiliter rogat, qui in omnibus laudem Deo tribuit, nec aliquid suis meritis ascribit, quia humilitas illuc volens ascendit, unde superbia nolens cecidit. *Laudabo* igitur *nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum novellum carnua producentem et ungulas* (*Psal.* LXVIII). Laudabo nomen Dei cum cantico, id est cum dilectionis modulo; et magnificabo eum in laude. In laude Deum magnificat, qui opera potentiæ et misericordiæ ejus mente diligit, et ea cæteris ad laudem Creatoris narrat. Vitulus autem novel-

lus est quilibet noviter conversus, qui Deo seipsum immolat, quando carnis suæ lasciviam jejuniis et orationibus mactat. Cornua producit, dum contra vitia defensionis vires sumit. Producit ungulas, dum processibus boni operis adjungit circumspectiones discretas. Vitulus est animal mundum, ruminat et ungulam dividit; sic noviter conversus prius mente cogitat et retractat, et quid faciendum vel quid non faciendum sit postea discernit. Super sacrificium autem vituli novelli, cornua et ungulas producentis, placet Domino sacrificium laudis. *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me: et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX). Est autem sacrificium pecudis, est et sacrificium laudis. Sacrificium pecudis, est afflictio mortificatæ carnis. Sacrificium laudis, est affectus humiliati cordis. Qui enim Dominum laudat, seipsum humiliat, et Deum honorat. Et illic iter ad Deum, quia per humilitatem itur ad cœlestem Hierusalem. *Quo ostendam illi salutare Dei.* In Hierusalem siquidem cœlesti ostendetur laudantis salutare Dei. Per humilitatis etenim viam revertimur ad cœlestem patriam. Hoc itinere gradiebatur Jacob, cum de Mesopotamia Syriæ redderet ad terram Chanaan, et fugiens Laban avunculum suum, et timens Esau fratrem suum, transivit vadum Jacob. *Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, dixit ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod est nomen tuum? Respondit: Jacob. Ait ille: Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Et benedixit ei in eodem loco. Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII). Jacob interpretatur *luctator*, Israel *videns Deum*, Mesopotamia *elevata vocatio*, Laban *candidus*, Esau *rubens* sive *vanus*, Chanaan *humilians* sive *negotiator*. Jacob de Mesopotamia Syriæ redit, dum cujuslibet animus contra vitia luctans ab elatione recedit. Ad terram vero Chanaan properat, dum ad peragendum veræ humilitatis negotium festinat. Laban vero avunculum suum fugit, dum dealbationi vanæ gloriæ non consentit. Esau autem fratri suo occurrere formidat, ne carnalis affectus statum mentis vanis delectationibus subvertat. Vadum transit, quando lubentia cuncta contemnit. *Traductisque omnibus quæ ad se pertinent, solus remanet*, ut collectis secum viribus mentis remotus a sæculo Dominum securius oret. Ad hoc pertinet quod sequitur: *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Jacob cum viro luctatur, dum cujuslibet justi animus Dominum obnixius solito deprecatur. *Et dixit ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora*, id est, cessa ab oratione et precibus modo, quia lux libertatis refulget in mente tua. Quandiu enim cum summis fletibus ad Dominum inclinabatur, non poterat ab illo recedere. *Et benedixit ei in eodem loco:* in eodem loco benedicitur, quia ab identitate boni propositi nequaquam permutatur. *Vocavitque nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Phanuel *facies Dei* interpretatur. Tunc igitur Jacob benedicitur, cum Dominus ab eo videtur, quia Dei visio est summa benedictio. Tunc ex Jacob fit Israel, quia post sudores bonæ operationis pervenitur ad lucem contemplationis. Ibi igitur *exsultabit Jacob et lætabitur Israel* (*Psal.* XIII). Ibi *exsultabit anima mea in Domino, et delectabitur super salutari suo* (*Psal.* XXXIV). Tunc Hierusalem cœlestis in Judæa posita erit, quoniam angelica et humana creatura Dominum tunc in pace laudabit.

CAP. XXIII. *Quod murus cœlestis Hierusalem sit ex lapide jaspide.*

Erat structura muri civitatis supradictæ *ex lapide jaspide* (*Apoc.* XXI). Structura muri civitatis, sunt diversa opera cujuslibet bene operantis. Bona siquidem opera muri sunt, quia non tantum diabolo, sed etiam vitiis resistunt. Fiunt de lapide jaspide, id est de quolibet homine in bono proposito perseverante. Tunc enim lapis in muro boni operis firmiter jacet, cum aliquis lineam rectæ conversationis tenet. Est autem jaspidis viridis color, quasi propositi nostri rigor. Sicut enim arbor dum viret, naturalis vegetationis vigorem tenet, sic viror jaspidis designat rigorem cujuslibet in bono proposito perseverantis. Viridis color aliquando in pictura est, aliquando in tinctura. Nascitur in herbis, creatur in gemmis. In pictura viridi colore lapis vel lignum linitur, sed cito color in pictura deletur. In tinctura colore viridi pannus imbuitur, sed pluviis aut nimio calore multoties decoloratur. Cum herbis viror nascitur, sed hiemis gelu marcescit, vel æstatis calore siccatur. In quibusdam gemmis creatur color viridis, nec tamen mutatur longitudine temporis, nec fuscatur nube cujuslibet obscuritatis. Per hos quatuor diversos effectus colorum possunt assignari quatuor diversitates hominum. Sicut enim quod pingitur leviter deletur, sic multi sunt qui quod proponunt citius relinquunt. Sunt autem alii qui in tinctura viriditatis aliquandiu perseverant, aliqua tamen occasione suborta, quasi amisso colore, famam bonæ opinionis mutant. Sed et alios esse novimus, quos herbæ viriditati per similitudinem comparamus, qui cum in pueritia et juventute religiose vivant, cum senectuti approximant, gelu tentationis mentem dissipant, et accensi nimio calore libidinis in senio flagrant, et sic in articulo mortis, amisso virore propositi, moriuntur cum herbis. Viriditatem vero gemmarum, quæ creatur in ipsis et permanet, dicitur habere justus, qui propositi sui rigorem sine defectu tenet. Qui igitur in viriditate boni propositi remanent, quasi jaspis in structura muri prædictæ civitati poni debent.

CAP. XXIV. *De portis cœlestis Hierusalem.*

Habet prædicta civitas in muro duodecim portas. Fiunt autem portæ civitatis de duodecim margaritis, ita ut unaquæque porta fiat tantum ex una margaritia (*Apoc.* XXI). Hoc autem genus lapidis invenitur

in quibusdam piscibus marinis. De coeleis enim marinis legitur quod in earum carne quasi calculus candidus nascitur. De cœlesti siquidem rore calculus gignitur, qui certis anni temporibus a cocleis hauritur. Candidas autem margaritas meliores esse dicunt, quam eas quæ flavescunt. Illas enim matutini roris conceptio reddit candidas: has senectus seu vespertinus aer gignit obscuras. Margarita vero mystice significat evangelicam doctrinam seu dulcedinem cœlestis vitæ. Unde legitur in evangelica parabola de homine quærens bonas margaritas, quod, inventa una pretiosa margarita, abierit, et vendiderit omnia quæ habuerit, et emerit illam (*Matth.* XIII). Unde Gregorius: « Qui cœlestis, inquit, vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit, ea quæ in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit. » In comparatione ejus vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit. Inardescit animus in cœlestibus, nil in terris libet. Deforme conspicitur quidquid in terra placebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. Habes nunc per margaritam, dulcedinem cœlestis vitæ et evangelicam doctrinam. Hæ sunt margaritæ, ex quibus fiunt duodecim portæ. Ex rore, sicut superius diximus, margaritæ fiunt, quæ certis anni temporibus cocleæ hauriunt, quia justi, qui in maris hujus sæculi habitant, quandoque dulcedinem divinæ contemplationis quamvis tenuiter gustant. Unde beatus Gregorius: « Ros desuper et subtiliter cadit. » Et toties de rore cœli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimæ, de supernis aliquid tenuiter videmus. Ex rore igitur creari dicitur, qui in dulcedine divinæ contemplationis nutritur. Nota quod structura prædictæ civitatis habet colorem perpetuæ viriditatis. Nota etiam quod margaritæ dicantur esse candidæ. Attende igitur candorem, attende et virorem. Candor in portis, est munditia castitatis. Viror in muro, perseverantia in proposito.

CAP. XXV. *De seris portarum cœlestis Hierusalem.*

De seris portarum cœlestis Hierusalem divina Scriptura loquitur, quod ad eamden Hierusalem Propheta dixisse memoratur. *Confortavit*, inquit, *seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te* (*Psal.* CXLVII). Seras confortat, qui eas, ne amplius aperiantur, firmat. Cum seras confortatas esse dicit, clausas januas beatæ civitatis ostendit. Sera in porta ponitur, ut intrandi licentia denegetur, quod illo tempore accidit, quando Sponsus intravit, sicut in Evangelio de virginibus dicitur: Et *quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua* (*Matth.* XXV), ut quidem sapiens dicit, « non ad custodiæ pœnam, sed ad beatitudinem sempiternam, quia nec inde quisquam sanctorum ulterius exibit, nec aliquis postea alienus intrabit. » Tunc enim erit beatitudo justorum secura, quæ tali lege probatur suscipi, ut nunquam possit amitti, quoniam civitas illa contuibilem Deum intus habebit. Et ideo nemo inde desiderat egredi, quia præter ipsum simile nil prævalet intueri

A *Benedixit filiis tuis in te.* Ad Hierusalem dicitur: *Benedixit filiis tuis in te*, id est in pace. Ipse enim pacem fines ejus posuit, quia in futura Hierusalem discordiæ turbatio nusquam erit. Hujus autem pacis non erit finis. *Et adipe frumenti satiat te* (*ibid*). Audi quod sequitur, quia justi ex adipe frumenti in illa civitate satiantur. Adeps frumenti est præsens contemplatio vultus Dei. Unde sic justorum sensus reficitur, ut omnem satietatem superare videatur. Si nos hic corporis sui participatione reficit, quemadmodum ibi satiabit, quos toto lumine Deitatis repleverit? Gustus est hic mirabilis, qui procedit de perfecta cognitione divinitatis.

CAP. XXVI. *De vicis cœlestis Hierusalem.*

Sicut *in domo Dei Patris mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV), sic qui divinas Scripturas spiritualiter
B intelligunt, in cœlesti Hierusalem anagogice diversos vicos assignare possunt. Diversitatem siquidem vicorum distinguit diversitas meritorum. Diversa etenim merita sequuntur diversa retributionum dona. In materiali vico alii alios interficiunt; in mystico Christianos hæretici seducunt; in mortali vitia virtutes expellunt. In cœlestibus vero vicis nec alius alium interficit, nec Christianum hæreticus seducit, nec vitium virtutes expellit. Et cum horum nihil agitur, pacis tranquillitas undique custoditur. Hic quasi hospites censuales censum solvimus, et tributum reddimus; illic libertate donamur, nec aliqua exactione ab aliquo angariati gravamur. Hic fures effodiunt, et furantur, ibi *nec fures effodiunt*
C *nec tinea demolitur* (*Matth.* VI). In cœlestibus vicis angeli superni cives habitant, qui nullo indigent, sed divitiis indeficientibus abundant. Ad illos vicos animæ justorum transeunt, cum ab hac valle lacrymarum post mortem recedunt. Ibi sunt novem vicorum diversitates, quia novem sunt angelorum ordines, id est, angeli, archangeli, virtutes, potestates, principatus, dominationes, throni, cherubin et seraphin. Sed « cur istos, ut ait beatus Gregorius, angelorum choros enumerando præstinximus, si non illorum quæque mysteria subtiliter exprimamus? Qui igitur minima nuntiant angeli, qui vero summa, archangeli vocantur. » Cum autem angeli ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina a ministeriis trahunt. Mi-
D chael namque, *quis ut Deus?* Gabriel autem *fortitudo Dei*, Raphael vero *medicina Dei* interpretatur. Quoties ergo miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu et nomine detur intelligi quod nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde *factum est silentium in cœlo dum committeret bellum draco cum Michaele archangelo* (*Apo.* XII), ut qui se ad Dei similitudinem superbus extulerat, per Michaelem peremptus discat quia ad Dei similitudinem per superbiam nullus exsurgat. Ad Mariam quoque Gabriel mittitur (*Luc.* I), qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe veniebat nuntiare, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparebat. Raphael vero, ut diximus, interpretatur *medicina Dei*, qui dum Tobiæ culos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis

ejus tenebras tersit (*Tob.* XI). Qui ergo ad curandum mittitur, dignum fuit ut Dei medicina vocaretur. Sed « quia illa superna civitas, ut ait beatus Gregorius, ex angelis et hominibus constat, ideo debemus et nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum civium ad usum nostræ conversationis trahere, nosque ipsos ad incrementa virtutum bonis studiis inflammare. » Quia enim illuc tanta ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit angelorum, superest ut ipsi homines, qui ad cœlestem patriam redeunt, ex his agminibus aliquid illuc revertentes imitentur. Nam sunt plerique, qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt. Isti itaque in angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli, qui divitiæ largitatis munere referti secretorum cœlestium summa et capere prævalent, et nuntiare. Quo ergo isti, nisi inter archangelorum numerum deputantur? Et sunt alii, qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo ergo isti, nisi ad supernarum virtutum, sortem et numerum congruunt? Et sunt nonnulli. qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis, et vi acceptæ potestatis ejiciunt. Quo itaque isti meritum suum, nisi inter potestatem cœlestium numerum sortiuntur? Et sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt, cumque et bonis meliores sint, electis quoque fratribus principantur. Quo ergo isti sortem suam, nisi inter principatuum numeros acceperunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitiis et desideriis dominantur, ut ipso jure munditiæ, dii inter homines vocentur. Quo ergo isti, nisi in numerum dominantium currunt? Et sunt nonnulli, qui semetipsis dominantur. Dumque se sollicita intentione discutiunt divino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, ut judicare recte et alios possint. Quorum perfecto mentibus dum divina contemplatio præsto est, in iis velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, et cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid igitur isti, nisi throni sui Conditoris sunt, vel quo, nisi ad supernarum sedium numeros ascribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi judicantur. Et sunt nonnulli, qui tanta Dei et proximi dilectione pleni sunt, ut cherubin jure nominantur. Quia enim, ut præfati sumus, cherubin plenitudo scientiæ dicitur, et, Paulo dicente, didicimus quia *plenitudo legis est charitas* (*Rom.* XIII), omnes, qui Dei et proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter cherubin numeros perceperunt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo Conditoris sui desiderio anhelant, nil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt. Amant et ardent, atque in ipso ardore suo requiescunt. Amando ardent, loquendo et alios accendunt. Et quos loquendo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos, nisi seraphin dixerim? quorum cor in ignem conversum lucet, et urit; quia et mentium oculos ad superna illuminant, et compungendo in fletibus, vitiorum rubiginem purgant. Qui ergo ita ad amorem sui Conditoris inflammati sunt, quo isti, nisi inter seraphin numerum sortem suæ vocationis acceperunt? Ad hos igitur vicos, ut in eis sine fine permaneant, pervenient, qui modum, quem prædiximus, in hoc sæculo pro posse suo tenent.

CAP. XXVII. *De plateis cœlestis Hierusalem.*

Plateæ Hierusalem sternentur auro mundo, et lapidibus pretiosis (*Apoc.* XXI). Platea supernæ civitatis, est latitudo perfectæ charitatis. Lapides pretiosi, sunt justi empti pretioso sanguine Christi. Auro civitas illa sternitur, quia puritate dilectionis undique vestitur. « Nec auro tantum, ut ait beatus Joannes in Apocalypsi, sed auro mundo simili vitro mundo. » Unde beatus Gregorius in Moralibus: « Appellatione, inquit, auri in sacro eloquio, aliquando splendor supernæ civitatis accipitur. » Aurum namque, ex quo civitas illa constat, simile vitro dicitur, ut per aurum clara, per vitrum perspicua designetur. Aurum quippe novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri vero natura est, ut extrinsecus visu pura, intrinsecus perspicuitate luceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur absconditur. In vitro vero, quilibet liquor qualis continetur interius talis exterius demonstratur. « Quid ergo aliud in auro vel vitro, ut ait beatus Gregorius accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem? quorum corda sibi invicem, et claritate fulgent, et puritate translucent. » Quia enim omnes sancti in æterna beatitudine summa claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Cum vero ipsa eorum claritas sibi invicem in alterius cordibus patet, et cum uniuscujusque vultus attenditur, simul et conscientia penetratur, hoc ipsum aurum simile vitro mundo esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam harmonia corporis. Sic uniusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc potest esse conspicabilis sibi. Nam corda nostra, quandiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur. Civitas igitur illa, in qua omnes sancti tanta claritate fulgent, tanta perspicuitate translucent quæ sua singulis corda manifestat ex auro dicitur simili vitro mundo, ut designetur auro clara, vitro perspicua. Restat ut in illa cœlesti Hierusalem alterius alteri conscientia pateat, nec in occulto aliquid occultum fiat. In plateis igitur cœlestis Hierusalem non erit lutum terrenæ voluptatis, nec pulvis mundanæ vanitatis, sed sternentur auro perfectæ claritatis, simili vitro imperturbatæ puritatis.

CAP XXXVIII. *De longitudine, latitudine, et altitudine cœlestis Hierusalem.*

Longitudinem, latitudinem et altitudinem supradictæ civiatis novimus esse, sicut Scriptura refert, ejusdem æqualitatis. Unde Joannes in Apocalypsi : *Longitudo, latitudo, et altitudo civitatis æqualia sunt* (*Apoc.* XXI). Unde beatus Gregorius super Ezechielem : « Quia civitas sancta Hierusalem quam inhabitat Deus, ex angelica simul et humana natura perficitur : » per hoc quod angelica creatura sursum est, et humana deorsum, potest per altitudinem et latitudinem civitatis hæc utraque creatura signari, quoniam adhuc ista in imis degit, illa vero in sublimibus permanet. Sed latitudo et altitudo æqualia sunt, quoniam humilitas hominum quandoque ad æqualitatem perducetur angelorum. Unde scriptum est: *Non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XXII). Unde etiam per Joannem dicitur : *Mensura hominis quæ est angeli* (*Apoc.* XXI), quia usque ad altitudinem gloriæ homo perducitur, in qua se solidatos angeli lætentur. Latitudo ergo civitatis tanta est, quanta et altitudo, quoniam electi quique qui modo laborant in imis, quandoque non erunt inæquales illis spiritibus summis.

CAP. XXIX. *De claustro cœlestis Hierusalem.*

In cœlesti Hierusalem claustrum perfectæ beatudinis ponitur, quod quatuor generalibus officinis undique munitur. In uno siquidem latere ponitur oratorium, in alio cellarium, in tertio refectorium, in quarto dormitorium, ut ores, ut abundes, ut reficiaris, ut quiescere possis. Pax æterna per similitudinem quasi oratorium dicitur, quia qui vincula seu carcerem hujus mundi evaserunt, ad illud confugiunt ut salventur. Hic oratorio perfectæ pacis jungitur cellarium abundantiæ divinæ suavitatis. Cellarium vero abundantiæ divinæ divinitatis sequitur refectorium satietatis æternæ. Sed licet in pace sis, licet abundes divitiis, licet fruaris ad libitum possessis ; nihil tamen proderit, nisi quiescas in dormitorio tranquillæ mentis. Nota quod hujusmodi officinæ non discooperiuntur ventorum turbine, non annihilantur vetustate, sed incolumes et integræ permanent absque fine, ut sit pax sine perturbatione, abundantia sine diminutione, satietas sine fastidio, quies sine tædio. Videsne qualiter pax pertineat ad oratorium, abundantia ad cellarium, satietas ad refectorium, quies ad dormitorium ? Attende etiam quod oratorio, id est æternæ paci, adjacet securitas quasi latus claustri. Cellario vero abundantiæ quasi latus claustri adjacet virtus sufficientiæ. Satietatis refectorio adjacet delectatio. Dormitorio quietis virtus gratitudinis. Ut sit pax secura, abundantia sufficiens, satietas delectabilis, quies grata. Excludit igitur quies laborem, satietas famem, abundantia paupertatem, pax rapacitatem. Qui igitur ad illud claustrum perfectæ beatitudinis pervenire desiderat, necesse est ut adhuc in domo

A probationis manens, ordinem prædicti claustri diligenter addiscat. Domus siquidem probationis est vita regularis. In hac domo discimus quid in futura facere debeamus. Hic probamur, ut ibi reficiamur. In hac domo habemus Christum magistrum novitiorum, ipse enim docet nos ordinem cœlestis Hierusalem. Qui igitur pacem diligit, cui quod habet sufficit, qui satiari cœlesti desiderio nititur, et in eo totis medullis cordis delectatur, qui cum gratiarum actione etiam adversa sustinet : talis, dico, adhuc in domo probationis positus, ordinem perfectæ beatitudinis ex parte tenet. Sed cum ad illud claustrum pervenerit, non ex parte, sed ex integro regulam perfectionis obtinebit.

B CAP. XXX. *De columnis claustri cœlestis Hierusalem.*

In claustro perfectæ beatitudinis sunt quatuor ordines columnarum distincti quatuor diversis proprietatibus colorum. Est enim primus ordo croceus, secundus ruber, tertius niveus, quartus cæruleus. Primus similis est croco, secundus rosæ, tertius lilio, quartus violæ. Hæ quatuor diversitates colorum designant quatuor ordines electorum. Habet enim crocus similitudinem maturi fructus. Similiter antiqui patres mature viventes, cum de hoc sæculo ad cœlestem Hierusalem transeunt, quasi de vivis lapidibus in claustro perfectæ beatitudinis croceæ columbæ fiunt. Et qui diu Ecclesiæ fabricam portare consueverant, claustrum perfectæ beatitudinis suo decore quasi croceæ columnæ

C decenter ornent. Secundus ordo columnarum roseo colore pingitur, per quem cruor martyrum non inconvenienter designatur. Harum columnarum angeli mirantur colorem, mirantur et fortitudinem, Mirantur rubrum colorem Stephani ; mirantur flammeum colorem Laurentii ; mirantur fortitudinem, quæ lapidibus frangi non potuit ; mirantur fortitudinem, quæ in medio ignis incolumis remansit. Tertius ordo columnarum est nivei coloris, et designat munditiam confessionis. Confessorum siquidem vita, jejuniis, et vigiliis, et assiduis orationibus est undique polita : et qui munditiam mentis et corporis tenere consueverant, in claustro futuræ beatitudinis candorem munditiæ sine fine servant. Quartus ordo columnarum colorem cœli cum serenum est habere dicitur, quia color, vio-

D læ aeris similitudinem cum floret imitatur. Nec mirum si integritas virginum in cœlo cœli similitudinem tenet, quæ in tersis integra, et absque carnem fragilitatis corruptione manet. In ferventis olei dolium Joannes missus, illinc exivit illæsus ; et qui virginitatis integritatem secum sociam habuit, a corruptione carnis immunis fuit. Nec calor in tormento carni nocuit, quem calor luxuriæ aliquoties non accendit. In primo igitur ordine sunt antiqui patres, in secundo martyres, in tertio confessores, in quarto virgines.

CAPP. XXXI. *De quadratura claustri.*

Claustrum perfectæ beatitudinis in quadro ponitur ut ex omni parte firmitas æqualitatis in eo teneatur.

ne elevetur prosperis, ne frangatur adversis, ne A de præteritis doleat, ne de futuris aliquid sinistrum posse contingere pertimescat. Mensura quadri non recte stat, si unum latus minus et aliud majus fiat. Oportet igitur ut mensura uniuscujusque lateris subjaceat lineæ perfectæ prosperitatis. Habeat autem hæc linea longitudinem perfectæ felicitatis æternitatem. Erit igitur in hac longitudine mensura longitudinis sine fine. In Ezechielis libro scriptum legitur de ædificio, quod in monte a propheta visum fuisse perhibetur, quod illud ædificium habebat atrium, quod æquis lateribus undique disponebatur. Dispositioni siquidem atrii assimilatur quadratura supradicti claustri. « Est autem, ut ait B. Gregorius, hoc atrium amplitudo populorum fidelium, qui dum prudentiam, fortitudinem, justitiam atque temperantiam tenent, mensuram spiritualis ædificii per quadrum habent. » Longitudo et æqualitas quatuor laterum, est in quolibet justo perseverantia usque ad mortem quatuor præcedentium virtutum. Sed forsitan aliquis dubitat an in populo fidelium aliquis perfectus existat, cum beatus Gregorius in libro super Ezechielem quærit utrum essent aliqui, « qui invenirentur in mandatis Dei vivere perfecti. » Respondit. « Sunt omnino. » Unde in Ezechiele dicitur : *Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum per quadrum* (*Ezech.* XL). Numerus centenarii per quadrum, qui assignatur atrio, est mensura perfectionis in quolibet justo. Perfecti igitur sunt, qui in quadratura hujus atrii permanent, quia recedentes ab hoc sæculo, ad illud claustrum perfectæ beatitudinis pervenient, in quo sine aliquo defectu perdurent. Ibi enim nec prudentia poterit decipi, nec fortitudo frangi, nec justitia subverti, nec temperantia minui vel augeri, et erit in hac perfectionis finis sine fine.

CAP. XXXII. *De ordine claustri cœlestis.*

In claustro perfectæ beatitudinis angeli resident, ut in eodem æternæ felicitatis ordinem conservent. Nullo indigent, et ideo non est eis necessarium ut laborent. Non esuriunt, neque sitiunt, quia cœlesti pane satiantur, et de torrente voluptatis bibunt : faciem Patris semper vident, quia præ cæteris rationabilibus creaturis perfectam de eo cognitionem habent. Amant Deum, et desiderant, nec tamen desiderio cruciantur, nec fastidio laborant. Similiter in materiali claustro multi sunt qui futuræ felicitatis ordinem diligunt. Paucis indigent, quoniam in proprios usus præter victum et vestitum nihil habent. Ea etiam, quæ carnis necessitati concessa sunt, carni subtrahunt. Naturam vincunt, quoniam cœlestem vitam in terris ducunt, contemplationi vacant, Deum videre desiderant. Et quæcunque interim contingant, adventum tamen judicis patienter exspectant. In hac vita quælibet adversa tolerant, ut æquales angelis post resurrectionem fiant. Unde beatus Gregorius : « Is, inquit, qui propter nos minor angelis exstitit, æquales nos angelis virtute suæ minorationis fecit. » Unde et moriendo docuit mortem non metui ; resurgendo, de vita confidi ; ascendendo, de cœlestis patriæ hæreditate gloriari ut quo caput præisse conspicitur, illuc subsequi et membra gratulentur. Omnes autem nos, qui in ejus fide nati sumus, ejus procul dubio corpus existimus. Non ergo fragilitas humana de se desperet. Unigeniti sanguinem consideret, et in pretio suo videat quam magna est, quæ tanti valet. Perpendat sollicite quo caput præcessit, et quæ ad vivendum præceptis astringitur, ad sperandum exemplo roboretur. Confidat cœlos, et speret supernam patriam, angelorum se sociam sciat, atque in suo capite prælatam se angelis gaudeat. Qui ergo in hoc sæculo claustri tædium seu labores ad tempus sustinent, in claustro non manufacto (quod est in B cœlis) cum angelis quiete sine fine vivent.

CAP. XXXIII. *De libro vitæ.*

Qui in claustro perfectæ beatitudinis resident procul dubio divinæ sapientiæ lectioni student. Nec retrahit eos aliqua necessitas corporis, nec aliquod impedimentum laboris. Qui enim in claustro perfectæ beatitudinis manent, nullo indigent, sed postpositis omnibus curis attende legunt in libro vitæ. Quatuor sunt libri vitæ : primus scriptus fuit in paradiso, secundus in deserto, tertius in templo, quartus scriptus ab æterno, et adhuc habetur in cœlesti claustro. Primus scriptus est a Deo in corde hominis, secundus a Moyse in tabulis lapideis, tertius a Christo in terra, quartus in præscientia divina. Primus est liber generationis, C secundus correctionis, tertius gratiæ, quartus divinæ sapientiæ. Liber qui in paradiso est scriptus, ibidem est corruptus, nec emendatus. Liber a Moyse in deserto scriptus, multoties corruptus est, et multoties emendatus. Liber in templo scriptus, est a Judæis accusatus, non est tamen a Deo reprobatus. Liber vero divinæ sapientiæ, qui est ab æterno scriptus a Deo, nunquam est corruptus, semper idem permanet, nec mendacii maculam in se habet. Cum aliquis cogitat quid agere debeat, et hoc rationabiliter disponit, quasi in libro rationis legit. Cum vero peccat, et correptus pœnitet, quasi in libro correctionis legendo studet. Si autem accusatus ab aliquo audit a Magistro : *Ubi sunt qui te accusabant ? vade, et jam noli amplius peccare* (*Joan.* VIII) ; legit in libro gratiæ : *Jesus* D *autem inclinans se deorsum digito scribebat in terram* (*ibid.*). Habes nunc scriptorem libri et titulum habes pennam et calamum, habes etiam pergamenum. Inclinatio est miserantis Dei condescensio. Scriptor est Jesus, id est Salvator. Concurrunt hæc omnia, ut qui se inclinat salvet, quatenus qui condescendit salutem præstet. Titulus in hoc opere incipit : Liber gratiæ. Non enim præcesserant merita, ut dimitterentur peccata, sed dimittuntur, præcedente gratia. Penna vel calamus, est Dei digitus, id est benignitas Spiritus sancti. Hoc calamo scribuntur tabulæ Moysi. De eodem dixerunt in Ægypto magi : *Hic est digitus Dei* (*Exod.* VIII). Pergamenum est terra, id est corda terrenis desideriis plena, desiccata a sanguine et

pilis, id est a superfluitate et carnalibus desideriis. A Libri materia, est pœnitentia, sententia, de misericordia. Intentio circa causam versatur, ad hoc enim intendit, ut peccatori misereatur. Si autem cui parti philosophiæ supponatur quæritur, ethicæ supponitur. Ethica est moralis scientia. In hoc enim libro agitur, ut destruantur pravi mores, et boni superædificentur. Reddit lectorem benevolum, docilem et attentum. Benevolum reddit, dum peccatum dimittit. Reddit attentum, dum promittit futuræ retributionis præmium. Reddit docilem, dum cœlestibus doctrinis instruit legentibus mentem. *Ubi sunt*, inquit, *qui te accusabant? vade et jam noli amplius peccare*: forsitan qui te accusabant, sicut tu peccasti, similiter et ipsi peccant. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III).— B *Et exivit unus post alium* (*Joan.* VIII), ut sequerentur præcedentem diabolum. De eo enim dicitur: *Egressus est Satan a facie Domini* (*Job.* II). Egressus est autem, non ut beatum Job sanaret, sed affligeret. Similiter isti non ob hoc venerant, ut mulierem in adulterio deprehensam liberarent, sed ut lapidarent. Non est autem justitia legis, ut aliquem judicet, quem proprii delicti conscientia remordet. *Vade*, inquit, *et jam amplius noli peccare*. Vade post Christum, non post diabolum; vade in via mandatorum Dei; vade per semitam justitiæ. Noli peccare. Et si quandoque compella, animum carnis fragilitas, repugnet voluntas. Hi tres libri, id est, liber rationis, correctionis et gratiæ, scribuntur in uno codice. Hic codex est divina C Scriptura, de quo per Joannem in Apocalypsi dicitur: *Et vidi angelum descendentem de cœlo, et habebat in manu sua librum apertum. Et accepi librum de manu angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo dulcis tanquam mel. Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus* (*Apoc.* X). Unde beatus Gregorius: « Librum devoramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus. » In quo devorationis verbo, quid aliud quam torpor pigritiæ nostræ reprehenditur, quia verba Domini atque mysteria nosmetipsos non requirimus, et inviti dicta ab aliis audimus. Librum ergo devoramus et comedimus, dum verba Dei legimus. Multi enim legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt, sed post vocem va- D cui et jejuni recedunt. Quia etsi mente intellectum sacri eloquii percipiunt, obliviscendo, et non servando quæ audierint, hæc in cordis visceribus non reponunt. Legunt autem, et jejuni a lectione non sunt, qui intelligunt, et servant ea in quibus laborant. Hi sanctum librum devorant, et comedunt, et jejuni non sunt, quia præcepta vitæ quæ sensus capere potuit, memoria non amisit. Et fit quandoque ut tales quique ex dono gratiæ cœlestis etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo, quod ipsi dulciter intrinsecus ruminant, et proximos suos suaviter pascant. *Et devoravi illum, et erat in ore meo dulcis tanquam mel*. Liber qui devoratur, et comeditur, dulcis in ore sicut mel efficitur. In ejus ore sacra Scriptura dulcis esse dicitur, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur, quoniam ei suavis est ad loquendum, cum interius expressa fuerit ad inveniendum. Nam sermonem Dei non habet, quem vita reproba, et conscientia remordet. *Et cum devorassem librum amaricatus est venter meus*. Unde beatus Gregorius super Ezechielem: In sacro, inquit, eloquio nonnunquam venter pro mente poni consuevit. » Unde Jeremias dicit: *Ventrem meum doleo* (*Jer.* IV). Ventrem quippe doluit, qui mentis afflictionem sensit. Sed sciendum est quia, cum sermo Dei in ore cordis dulcis esse cœperit, hujus procul dubio contra semetipsum animus amarescit. Sunt et alii libri, de quibus Joannes dicit in Apocalypsi: *Et libri*, inquit, *aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ. Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera illorum* (*Apoc.* XX). — *Libri aperti* referuntur, in quibus mandata cœlestia opere suo expressa cernuntur. *Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris*, quoniam in ostensa vita justorum quasi expansione librorum legunt injusti bonum quod noluerunt facere, atque damnantur ex eorum comparatione qui fecerunt. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ* (*ibid.*). Unde beatus Gregorius: « Liber vitæ, est ipsa visio judicis advenientis: » in quo quasi scriptum est omne mandatum, quia quisquis eum viderit mox teste conscientia quidquid non fecit intelligit. Liber esse dicitur, quia justus in libro divinæ sapientiæ studens a vitiis liberatur. Dicitur etiam liber vitæ, quia justum liberat ab æterna morte, et in futuro remunerat perpetua libertate. Et quos in præsenti liberat a culpa, in futuro reddet immunes a pœna. Unde beatus Jacobus: *Sapientia, quæ desursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica* (*Jac.* III). Pudica, sicut in Pastorali legitur, quia caste intelligit; pacifica vero, quia per elationem minime se a proximi sui societate disjungit. Qui igitur sapientiam, quæ desursum venit, diligit, quasi in libro vitæ legit. Cum autem ad claustrum perfectæ beatitudinis perveniret, in eo assidue legens, in scientia divinæ legis perfectus erit. De hoc libro quidam sapiens dixit quod « ejus origo sit æterna, incorruptibilis essentia, cognitio vita, scriptura indelebilis, inspectus desiderabilis, doctrina facilis, scientia dulcis, profunditas instructibilis, verba innumerabilia: et tamen unum verbum omnia. » Hujus libri litteræ in claustra humanitatis Christi sunt scriptæ, sed auro divinitatis illuminatæ. Qui igitur ad inspectionem illius libri perveniet, eruditus scientia divinæ legis in æternum vivet.

CAP. XXXIV. *De pratello, quod est in medio claustri cœlestis.*

Viriditas pratelli, quod est in medio materialis claustri, oculos claustralium reficit, et eos alacriores ad legendum reddit. Est enim natura coloris viridis, ut oculos foveat obtentu suæ visionis. Similiter viriditas pratelli, quod est in medio cœlestis claustri, oculos supernorum civium recreat, et eos semper sua novitate confortat. Amœnitas siquidem futuræ vitæ, quasi viriditas pratelli mentes supernorum

civium reficit sua novitate. Nihil enim ibi vetustum vel transitorium erit, sed semper in novitate suæ viriditatis absque dubio permanebit. Nec in vere crescet, nec in autumno deficiet ; nec calore siccabitur æstatis, nec marcescet frigoribus hiemis. Ibi enim non erit varietas temporis, ubi semper est identitas æternitatis. Unde B. Joannes in Apocalypsi dicit, *quia tempus non erit amplius* (*Apoc.* x). Mirum est tamen quod diximus, quia post resurrectionem non erit tempus, et nisi hoc auctoritas diceret, animos simplicium forsitan impediret. *Et levavit*, inquit Joannes, *angelus manum in cœlum, et juravit per viventem in sæcula, quia tempus non erit amplius* (*ibid.*). Unde B. Gregorius (*Moral.* lib. IV) : Tempus nostræ mortalitatis, inquit, quandoque transiturum est ut penitus non sit, angelo hoc in sacro eloquio attestante, qui ait, *per viventem in sæcula, quia tempus non erit amplius.* Nam etsi Propheta dicit : *Erit tempus eorum in sæcula* (*Psal.* LXXX), quia per momenta tempus deficit, nomine temporis, eorum defectum vocavit, ostendens quod sine fine omnimodo defectu deficiunt ii, qui a visionis intimæ consolatione separantur. Intelligitur igitur per tempus, mutabilitatis humanæ varius defectus. Non infundetur prædicta viriditas abundantia pluviæ, sed infusione roris, quia non eget prædicatione, sed rore divinæ contemplationis. Ubi enim unusquisque omnia scientem sciet, ibi nemo doctrina prædicationis egebit.

CAP. XXXV. *De ligno vitæ quod est in medio cœlestis pratelli.*

In medio cœlestis pratelli (quod futuræ comparavimus amœnitati) ponitur lignum vitæ, ut vita sit in amœnitate. Non est enim felix amœnitas, cum vita arctatur intra mortis metas. Sed cum vita sine morte fuerit, tunc amœnitas vitæ cum vita felix erit, ita ut audiat homo quod per Prophetam dicitur a Domino : *Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum* (*Psal.* XC) : longitudo temporis est spatium æternitatis ; ostensio salutaris est visio Salvatoris. Hoc autem salutare est lignum vitæ. Diversa sunt ligna vitæ : est enim lignum vitæ arbor quædam materialis, quæ a principio fuit in medio paradisi. Est et lignum vitæ quasi arbor quædam justitia in medio moralis claustri. Est etiam arbor vitæ Christus in medio Ecclesiæ. Sed in medio claustri futuræ beatitudinis est quasi lignum vitæ Sapientia Dei Patris. Ne primi ligni fructum tangeret homo post peccatum, antequam ejectus esset a paradiso audivit a Domino : Videte ne forte sumat de ligno vitæ (*Gen.* III). Arbor vero justitiæ, quæ est lignum vitæ, in claustro animæ ponitur, ut animi virtutes in eo delectentur. Est autem animæ claustrum contemplationis secretum. Plantatur autem arbor justitiæ in terra bonæ voluntatis, radicatur in profundo humilitatis, crescit per desiderium, expandit ramos ; per exemplum dat fructum boni operis, cibat esurientem dulcedine contemplationis. De hoc ligno per beatum Job dicitur : *Lignum habet*

A *spem : si præcisum fuerit rursum virescit, et rami ejus pullulant* (*Job* XIV). Unde beatus Gregorius in *Moralibus :* « Ligni nomine aliquando crux, aliquando vir justus, aliquando vero incarnata Dei Sapientia figuratur. » In ligno siquidem crucis habemus spem salutis. Quod vero hic de ligno dicitur, justitiæ cujuslibet hominis assignatur. *Lignum* enim *habet spem*, quia futuræ beatitudinis justus exspectat retributionem. *Si præcisum fuerit, rursum virescit.* Unde B. Gregorius : Cum in morte passionis pro veritate justus afficitur, in æternæ vitæ viriditate recuperatur. Et qui hic virebat per fidem, illic virescit per spem. *Et rami ejus pullulant*, quia plerumque ex passione justi, fideles quique ad amorem cœlestis patriæ multiplicantur :
B et viriditatem vitæ spiritualis accipiunt, dum hunc pro Deo fortiter egisse gratulantur. Ex fructu igitur ligni justitiæ, quod in medio moralis claustri ponitur, anima cum suis virtutibus satiatur. Est et lignum vitæ secundum formam humanitatis Christi in medio Ecclesiæ. Hoc autem lignum habet spem. Sicut enim superius dicitur, incarnata Dei Sapientia per illud figuratur. Hoc igitur lignum habet spem, quia si præcisum fuerit, rursum virescit ; quoniam, etsi Christus per passionem occidi potuit, per resurrectionis gloriam rursus ad vitæ viriditatem venit. Hujus rami pullulant, ut ex resurrectione illius multiplicati, longe lateque fideles crescant. Fructus hujus arboris est caro Christi et sanguis. Qui ex hoc fructu seipsos ci-
C bant, æternæ vitæ salutem absque scrupulo dubitationis exspectant. Lignum vero vitæ quod est in medio claustri futuræ beatitudinis, id est, sapientia Dei Patris, fuit ab initio creaturæ cibus angelorum ; incarnata vero Dei Sapientia facta est redemptio peccatorum, et salus justorum. Sub ramis hujus arboris, id est sub tutela divinæ protectionis, justi resident, aspectu ejus delectantur, et amœnitate gaudent; satiantur fructus dulcedine, id est contemplatione ; fructus ejus salutem conservat, et vitam præstat. Hoc est igitur lignum vitæ, quia vitam custodit incolumem sine fine.

CAP. XXXVI. *De silentio cœlestis claustri.*

A quibusdam quæritur utrum in cœlesti claustro silentium ad horam, vel continuum teneatur ? Sed nihil nos prohibet aliquid de silentio præmittere
D quod nescientes auctoritas docet et elucidat. Ait enim Joannes in Apocalypsi : *Factum est silentium in cœlo quasi media hora* (*Apoc.* VIII). Unde B. Gregorius : « Nihil prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis. » Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ, et terrenorum desideriorum se inseruerit seu implicuerit, non est in solitudine. Si vero aliquis corporaliter popularibus turmis prematur, et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. De hoc secreto cordis dictum est : *Factum est silentium in cœlo quasi media hora.* Cœlum quippe est anima justi. Anima siquidem justi, dum ad æterna et sublimia per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis co-

gitationum tumultus premit, et intra se Deo quoddam silentium facit. Sed quia hoc silentium contemplationis, et hæc quies mentis in hac vita non potest esse perfecta, nequaquam hora integra factum in cœlo dicitur silentium, sed *quasi media*, ut nec media plene sentiatur, cum præmittitur *quasi:* quia mox ut se animus sublevare cœperit et quietis intimæ lumine perfundi, redeunte motu cogitationum, stupidus de semetipso confunditur et confusus cæcatur. Bene ergo actum hoc silentium non integra, sed dimidia hora describitur, quoniam hæc contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur. Potest et hæc auctoritas aliter exponi, ut angelis in cœlo silentium obedientiæ factum ante ruinam diaboli possit assignari. Multitudo siquidem angelorum ante casum siluit, quandiu voluntati sui Creatoris humiliter obedivit. Sed diabolus silentium rupit, locutus est superbiam, et in hæc verba prorupit: *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). Hoc autem silentium in cœlo quasi media hora permansisse dicitur, quia non diu post creationem suam illud diabolus tenuisse perhibetur. Similiter sicut Lucifer in cœlo, sic quidam fratres se habent in materiali claustro. Obedientiæ siquidem silentium tenent; sed sicut Lucifer, nobilitate generis, et scientiæ claritate lucent: et qui cæteros fratres humilitate præcedere debuissent, simplicioribus fratribus exemplum perversitatis præbent. Magistris æquales videri volunt, simpliciores fratres sibi verbis seductoriis alliciunt. Et sicut Lucifer quasi fulgur de cœlo cecidit, sic a sublimitate sui ordinis unusquisque superbe cadit. Ira succensi, tonantes verbis, coruscationum præmittentes minas, a claustro quasi a cœlo recedunt, et alios secum trahunt. Cum sæcularibus habitant, seipsos excusant: ad hoc etiam laborant, ut sicut diabolus homines seducit, sic et eos, cum quibus morantur, sua persuasione perversos reddant. Obedientiam, quam diabolus primo homini præcepit, servant; a laude Dei et præceptis ejus inobedientes vacant. Sub silentio igitur inobedientiæ quiete degunt, quia neminem reprehendunt, et ipsi a nemine reprehendi volunt. De hoc quieto silentio in libro Sapientiæ dicitur: *Cum silentium quietum tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exsiliens de cœlo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit* (*Sap.* XVIII). Tria sunt silentia: primum silentium fuit angelis in cœlis, ante diaboli casum; secundum fuit in terra hominibus, post primi parentis lapsum; tertium erit in cœlo post resurrectionem, quod nunquam habebit finem. Primum fuit solis angelis, secundum solis hominibus, tertium erit angelis et hominibus. Secundum silentium fuit ab Adam usque ad Christum. Interim tamen lex subintravit, quædam promisit, sed in promissionem tandem defecit. Ideo homo considerans per legem neminem justificari posse, siluit. *Cum* ergo *quietum silentium tenerent omnia*, vere omnia, quia et ea quæ ante legem fuerant, et quæ sub lege erant. Illa enim in petitione desperabant, ista in promissione defecerant. Mirum est tamen quod hoc silentium quietum fuisse dicitur, cum sub dominio diaboli teneretur, nisi forsitan aliquis dicat, quod ille rem aliquam quiete possidet, qui absque contradictione eam tenet. Quietum siquidem silentium esse dicitur, quod nullo prohibente possidetur. *Et nox in suo cursu medium iter haberet.* Nox, id est peccatum, a diabolo cœpit, et descendens ad primum hominem, per singulos actualiter cucurrit. *Medium*, inquit, *iter haberet.* Est enim iter sursum, et est iter deorsum: sursum ad cœlos, deorsum ad inferos. Iter vero medium est præsentis vitæ spatium. Tunc vero nox in suo cursu medium iter tenebat, quia suum erat, et nemo ad cœlos ascendere poterat, sed omnes tam justos quam injustos mors secum trahebat ad infernum. Cum ergo mors omnes secum ad inferos raperet, et peccatum omni spe remota ad summum perveniret, tunc *omnipotens sermo exsiliens de cœlo a regalibus sedibus* venit, silentium rupit, ostendit revertendi viam, per quam ipse venerat, scilicet Patris obedientiam. Ut qui per inobedentiam a via veritatis exorbitaverat, per viam obedientiæ Christum sequens salutem quærat: fecit quod docuit, quia *durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit.* — *Durus*, inquam, quia *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI). Per afflictionem siquidem carnis, per effusionem sanguinis debellavit diabolum, eripuit genus humanum, et hoc in mediam exterminii terram. Terra exterminii dicitur, quia per passionem Christi diabolus ejectus a fidelium cordibus exterminatur. *Rex* enim *noster operatus est salutem in medio terræ* (*Psal.* LXXIII). Rex erat, et a regalibus sedibus venerat: et cum ad cœlos rediit, quos a servitute diaboli liberaverat, ad conregnandum secum in cœlestibus sedere fecit. Cum ergo homo ad illud beatum silentium futuræ beatitudinis pervenerit, quod petat ulterius non habebit. Tunc enim silebit iniquitas, abundabit charitas; nec quidquam ibi deficiet, ubi unusquisque omnia habentem in se habebit. *Tunc* enim *erit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XIII).

CAP. XXXVII. *Quod angeli, et animæ sanctorum loquantur ad Deum.*

Utrum in claustro futuræ beatitudinis alicui loqui liceat. Placeret forsitan tibi, frater, audire quid auctoritas inde dicat. Unde beatus Gregorius (*Moral.* lib. II): « Sciendum est quoniam incorporea natura cum loqui dicitur, ejus locutio nequaquam una eademque qualitate formatur. » Aliter enim loquitur Deus ad angelos, aliter angeli ad Deum, aliter Deus ad sanctorum animas, aliter sanctorum animæ ad Deum. Nam, quia naturæ spirituali ex corporea oppositione nil obstat, loquitur Deus ad angelos sanctos eo ipso quo cordibus eorum occulta sua et invisibilia ostendit, ut quidquid agere debeant in ipsa contemplatione veritatis legant; et velut quædam præcepta sint vocis, ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus

inspiratur. Unde cum eorum cordibus contra humanam superbiam animadversionem ultionis Deus infunderet, dixit : *Venite, descendamus, et confundamus linguas eorum* (*Gen.* XI). Dicitur eis, qui adhærent, Venite, quia nimirum hoc ipsum nunquam a divina contemplatione decrescere, in divina contemplatione semper accrescere est, et nunquam corde recedere, est quasi quodam stabili motu semper venire. Quibus etiam dicit : *Descendamus, et confundamus linguas eorum.* Ascendunt angeli in eo quod Creatorem conspiciunt ; descendunt angeli in eo quod creaturam sese in illicitis erigentem examine districtionis premunt. Dicere igitur Dei, *descendamus, et confundamus linguas eorum*, est in seipso eis hoc quod recte agitur ostendere, et per vim internæ visionis eorum mentibus exhi- B benda judicia motibus occultis inspirare. Sed et angeli ad Deum loquuntur, sicut per Joannem in Apocalypsi dicitur : *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem et divinitatem* (*Apoc.* V). Vox enim angelorum in laude Conditoris, est ipsa admiratio intimæ contemplationis. Miracula divinæ virtutis obstupuisse, dixisse est ; quoniam excitatus cum reverentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis. Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum se per innumeros modos admirationis format. Deus igitur angelis loquitur, dum eis voluntas ejus intima videndo manifestatur. Angeli vero loquuntur Domino, cum per hoc, quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt. C

Cap. XXXVIII. *Quod Deus ad sanctorum animas loquatur.*

Deus ad sanctorum animas loquitur, et sanctorum animæ ad Deum loquuntur. Unde in Apocalypsi Joannis dicitur : *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei: et clamabant voce magna dicentes : Usquequo, Domine, non judicas, et vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra* (*Apoc.* VI). Unde beatus Gregorius : « Quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii, et resurrectionem exstinctorum corporum desiderare ? Magnus quippe clamor earum magnum est desiderium. Tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat. Et tanto majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium D plenius fundit. » Animarum igitur verba, ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret : *Desiderium cordis eorum audivit auris tua* (*Psal* IX). Sed quomodo dicuntur petere, quas et voluntatem Dei certum est ea quæ futura sunt non ignorare ? De ipso ergo bibunt, quod ab ipso sitiunt. Discordarent igitur a voluntate Conditoris, si quæ eum vident velle, non peterent ; eique minus inhærerent, si volentem dare desiderio pigriori pulsarent. Sed et Deus ad sanctorum animas loquitur, sicut eis resurrectionem corporum suorum desiderantibus, per responsum divinum dicitur : *Requiescite tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum, et fratrum vestrorum* (*Apoc.* VI) Desiderantibus animabus, *requiescite adhuc modicum*, dicere, est inter ardorem desiderii ex ipsa præscientia solatium consolationis aspirare, ut et animarum vox sit hoc quod amantes desiderant, et respondentis Dei sermo sit hoc, quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo ejus, ut collectionem fratrum exspetare debeant, est eorum mentibus libenter exspectandi moras infundere, ut, cum carnis resurrectionem appetunt, ex colligendorum fratrum augmento gratulentur.

Cap. XXXIX. *Quod post resurrectionem hominibus loquatur Deus.*

Auctoritate perhibente, comperi qualiter ad angelos et ad animas sanctorum Deus consuevit loqui. Adhuc vero scire desidero quomodo post resurrectionem hominibus loqui debeat, ut quod proposui scribere auctoritati non contradicat. Unde beatus Gregorius : Cum nobis post resurrectionem ostendetur Dominus per speciem, tunc semetipsum quomodo omnibus creaturis præsit nobis insinuabit ; tunc, detersa nostræ mentis caligine, clara se visione manifestabit, et tunc implebitur quod in Evangelio Veritas dicit : *Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI). Filius enim de Patre palam annuntiat, quia per hoc, quod Verbum est, ex natura divinitatis nos illustrat. Palam itaque de Patre annuntiare se asserit, qua per patefactam tunc majestatis suæ speciem, et quomodo ipse gignenti non impar oriatur, et quomodo utrorumque Spiritus utrique coæternus procedat, ostendit. Aperte namque tunc videbimus quomodo hoc quod oriendo ab alio est, ei de quo oritur subsequens non est : quomodo is, qui processione producitur, a proferentibus non præitur. Aperte tunc videbimus quomodo et unum divisibiliter tria sunt, et indivisibiliter tria unum. Apparente igitur in judicio retributore operum, jam verba cessabunt exhortationum, et nos augustias vitæ præsentis evadentes, in illa quoque suscepti contemplatione gaudiorum, jam nullatenus indigebimus audire verba doctorum.

Cap. XL. *Qualia futura sint humana corpora post resurrectionem.*

Cum de qualitate corporum qualia per resurrectionem sint quæritur, non ego, sed beatus Gregorius audiatur. « Redemptor noster, inquit, resurrectionem, quam in se ostendit, nobis promisit ; et quia membra sui sequuntur gloriam capitis, eam in fine mundi facturus est in nobis. » Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen ejusdem resurrectionis exquiro. Credo namque quia resurrecturus sum, sed volo ut sciam qualis. Sciendum mihi quippe est utrum in quodam alio subtili forsitan vel aereo, an in eo quo moriar, corpore resurgam. Sed si in aereo corpore resurrexero, jam ergo non ero, qui resurgo. Nam quomodo vera est resurrectio, si vera non potuit esse caro ? Aperta igitur ratio suggerit quod si vera caro non fuerit, procul dubio

resurrectio vera non erit. Hæc enim recte resurrectio non potest dici, ubi non resurgit quod cecidit. Credendum est igitur quia nequaquam corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis subtilius, vel aere. Erit enim subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, et secundum passionis desideria non erit, quia devicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit. Credimus igitur, et fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram et eamdem et diversam : eamdem per naturam, diversam per gloriam : eamdem per veritatem, diversam per potentiam. Erit itaque subtilis, quia incorruptibilis : erit palpabilis, quia non amittet essentiam naturæ veracis.

CAP. XLI. *In quibus locis sint animæ justorum ante resurrectionem.*

Quoniam quidem simpliciores fratres de animabus ante resurrectionem quibus in locis sint dubitant, ideo volumus ut de eis divinæ Scripturæ verbis certiores fiant. Ait enim beatus Gregorius (*Moral.* lib. VIII) : « Cum sanctus, seu malignus spiritus aliquo moriente egredientem animam a claustro carnis acceperit, in æternum secum sine ulla mutatione retinebit : ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec æternis mersa suppliciis ultra ad remedium ereptionis ascendat. Nequaquam enim misericordia Redemptoris post mortem liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat. » Item (lib. IV) : « Electi Dei, et perfecti viri postquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia (sicut antiqui patres) a patriæ cœlestis perceptione differuntur : mox quippe ut a colligatione carnis exeunt, in cœlesti sede requiescunt. » Hoc autem quod in quarto Dialogi libro dicitur, quod ante restitutionem corporum in cœlo recipiuntur animæ justorum, hoc neque de omnibus justis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorumdam animæ justorum, quæ quibusdam adhuc mansionibus a cœlesti regno differuntur. In quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta justitia aliquid minus habuerunt ? Et tamen luce clarius constat quod perfectorum justorum animæ, mox ut hujus claustra carnis exeunt, cœlestibus sedibus recipiuntur. Hoc autem ipsis justis pro retributione suæ justitiæ crescet in die judicii : quod nunc animarum sola, postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruentur, ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores cruciatusque pro Domino pertulerunt. Præterea sciendum est quoniam etsi baptizatos omnes infantes, atque in eadem infantia morientes ingredi regnum cœleste credendum est, omnes tamen parvulos (qui scilicet jam loqui possunt) regno cœlestia ingredi credendum non est ; quia nonnullis ejusdem regni cœlestis aditus a parentibus clauditur, si male nutriantur.

A CAP. XLII. *De summo abbate, id est Deo omnipotente.*

Creator omnium Deus, Pater omnipotens, *in quo clamamus : Abba* (*Pater*) (*Rom.* VIII), qui omnia operatur quietus, nec tamen angustatur intentus, sic exteriora circumdat, ut interiora impleat ; sic interiora implet, ut exteriora circumdet ; sic summa regit, ut ima non deserat ; sic imis præsens est, ut a superioribus non recedat ; sic latet in sua specie, ut tamen cognoscatur in operatione ; sic in suo cognoscitur opere, ut tamen comprehendi non valeat cognoscentis æstimatione ; sic adest, ut videri nequeat ; sic videri non valet, ut tamen ejus præsentiam ipsa sua judicia testentur ; sic se intelligendum præbet, ut tamen ipsum nobis ra- B dium sui intellectus obnubilet ; et rursum nos caligine ignorantiæ sic reprimit, ut tamen nostræ menti radios suæ claritatis intermisceat, quatenus et sublevata quidpiam videat, et reverberata contremiscat : et quia eum sicuti est videre non potest, aliquando vivendo cognoscat. Sunt autem in Ecclesiis quidam prælati qui, licet diversis operibus sint intenti, tamen operantur quieti. Interiora domus suæ implent doctrina, exteriora vero circumdant providentia nec tamen sic doctrinæ student, ut a providentia cessent ; nec sic curis exterioribus inhiant, ut a spirituali doctrina refrigescant. Summa regunt, et tamen ima non deserunt. Illa cum potestate, ista cum humilitate. Non enim a sapientibus recedunt, sed tamen simplicioribus C fratribus condescendunt. Sic latent fratribus in sua voluntate, ut tamen aliquando cognoscantur in operatione ; sic cognoscuntur in suo opere, ut vix reprehendi possint cognoscentis æstimatione ; sic adsunt quandoque, ut videri nequeant, quia quamvis remoti sunt corpore, absunt tamen sollicita circumspectione ; sic se intelligendos præbent cæteris, ut vix intelligi valeant etiam a discretis. Nec tamen sic secretum mentis obnubilant, quin pro tempore et loco quibus congruum viderint, illud dicant. Et quia summo abbati toto affectu mentis inhærent, adhuc in terris positi formam summi abbatis tenent. A proposito suo flecti nequeunt, et eos qui sub ipsis sunt proposita sua tenere cogunt, alios reprehendunt, et ab iis reprehendi volunt. Nihil enim in se habere D desiderant, quod oculis hominum et oculis divinæ majestatis non ostendant. Et quia scriptum reperiunt : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V), ideo ut Deum in futuro videant, oculum cordis pulvere terrenæ vanitatis mundant. In futura siquidem vita Deus videbitur ab iis, quorum oculi mentis a vitiis purgantur. Unde beatus Gregorius : « Videbimus, inquit, Deum ipsum, qui erit nostri laboris præmium, ut post hujus tenebras mortalitatis gaudeamus luce divinæ contemplationis. Quæ nimirum visio fide nunc inchoatur, sed tunc in specie perficietur, quando coæternam Dei sapientiam, quam modo per ora prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte bibemus. In li-

bro etiam Dialogi scriptum reperi: quod sicut mali malos in supplicio, sic boni bonos cognoscent in regno. In qua videlicet cognitione utriusque partis cumulus excrescit retributionis, ut et boni amplius gaudeant, qui secum eos lætari conspiciunt, quos amaverant; et mali, dum cum eis torquentur, quos in hoc sæculo dilexerunt, despecto Deo, eos non solum sua, sed etiam illorum consumat pœna. Fit autem quiddam mirabilius in electis, quia non solum eos, quos in hoc cognoverunt mundo, agnoscunt, sed velut visos ac cognitos regnoscunt bonos, quos nunquam viderunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, non est quod ibi nesciunt, ubi scientem omnia sciunt. Tunc enim in clautro perfectæ beatitudinis angelis et hominibus Deus præerit quibus nihil deesse poterit, quoniam abbatis more, Dei sapientia omnia omnibus providebit. Ibi nullus in suo ordine deficiet, quia in libro divinæ sapientiæ, in quo scriptus est ordo naturæ, unusquisque leget.

CAP. XLIII. *De priore, qui præcessit nos ad labores, et deducit ad requiem.*

Sicut sapiens verbis innotescit paucis, et iterum sicut sapienti sat dictum est, quando aliquis ei pauca de multis refert; sic quando aliquis simplicibus loquitur, oportet ut eis diffusius et verbis planioribus loquatur. Ideo tractatum longius extendi, quoniam simplicioribus fratribus intendebam loqui. Priusquam tamen huic operi finem imponam, de inventore nostri ordinis simplicioribus fratribus aliquid in transitu dicam. Inventor siquidem nostri ordinis missus fuit a claustro summi Abbatis, a sinu videlicet Dei Patris. Venit in hunc mundum, induit humilitatis habitum, induit, vestem carnis; vocavit peccatores ad claustrum perfectæ religionis. Præmisit gratiam, proposuit misericordiam, promisit veniam. Collegit conventum, constituit numerum, duodecim scilicet apostolos, et discipulos complures quasi conversos. Construxit Ecclesiam per totum orbem terrarum diffusam, proposuit communem vitam secundum regulam sub sanctis apostolis constitutam. Sicut prior ad laborem cæteros præcedit, et eos post laborem ad quietem claustri reducit; sic Christus post hujus mundi laborem, suos deducet ad requiem, post laborem, scilicet mundanæ tribulationis, ad requiem divinæ contemplationis. Duodecim autem apostoli, quos recensebo, ut eos possimus saltem in aliquo sequi, hi sunt Petrus, Andreas, Jacobus, Joannes, Thomas, Jacobus, Philippus, Bartholomæus, Matthæus, Simon, Judas, et Judas Iscariotes (*Matth.* x). Petrus *agnoscens* Andreas *virilis*, Jacobus *luctator*, Joannes *gratia*, Thomas *geminus*, Jacobus *supplantator*, Philippus *os lampadis*, Bartholomæus *filius suspendentis aquas*, Matthæus *donatus*, Simon *obediens*, Judas *laudans* vel *confitens* interpretatur. Qui igitur bonitatem Dei sicut Petrus, agnoscunt, sicut Andreas viriliter agunt sicut Jacobus luctantur contra vitia, adjuvante Joannis gratia, sicut Thomas etsi aliquando dubitant, postea tamen convertuntur ut credant, sicut Jacobus vitia supplantant, sicut Philippus aperto ore Deum prædicant, sicut Bartholomæus aquas suspendunt, quia populus in lapsu mundi positos a terrenis sustollunt, sicut Matthæus omnibus quæ possident renuntiant, et seipsos donant, sicut Simon Deo obediunt, et sicut Juda confitentur peccata sua, et divinis laudibus incumbunt: ii a Deo non recedunt, nec sicut Judas Iscariotes loculos portant, et locum mutant, osculo magistros tradunt, dum illis insidiantes detrahunt. Qui tales sunt a Deo recedunt. Qui autem in tribulationibus cum Christo permanserint, in futuro cœlestis gloriæ participes erunt. Et qui secuti sunt eum ad laborem, sequentur ad requiem. Cum ipso erunt in claustro perfectæ beatitudinis, et fruentur dulcedine divinæ contemplationis. In libro vitæ legent floribus amœnitatis perpetuæ delectati. Sub umbra ligni vitæ quasi sub umbra divinæ protectionis quiescent. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI). *Ibi videbo Deum Salvatorem meum. Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum salvatorem meum* (*Job* VIII). Non dixit Creatorem, sed Redemptorem. Qui enim omnia creavit, de captivitate nostra sua nos passione redemit. Et qui inter impiorum manus occubuit, incœlo vivit. In novissimo igitur die resurgam, ut in carne mea verus homo verum hominem Deum videam. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo* (*ibid.*). Unde beatus Gregorius: « Nihil certius nos habere credimus, quam quod in sinu tenemus. » In sinu ergo spem repositam tenuit, qui vera certitudine de spe resurrectionis præsumpsit. *Laudabo* igitur *Deum in vita mea* (*Psal.* CLXV), ut possim eum laudare in futura vita. Laudabo Deum in opere humanæ creationis, et post lapsum humani generis laudabo eum de misericodia reparationis, laudabo etiam pro bono futuræ resurrectionis. Sed adhuc adjiciam super omnem laudem istam. Post primam enim creationem et peccare, et mori homo potuit, post reparationem peccare et mori non desiit, sed post resurrectionem et mori et peccare cessabit. Et hæc laus est super omnem laudem, quia non impedietur aliquo casu, nec habebit finem. *Mirabilis* ergo *Deus in sanctis suis; Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus* (*Psal.* CXVII). In præsenti mirabilis in sanctis suis in miraculis faciendis, in futuro admirabilis in bonis remunerandis. Ipse dat in præsenti plebi suæ adhuc in fide firmam virtutem, patientiæ fortitudinem; in futuro autem dabit virtutem incorruptionis, fortitudinem immortalis, quam nobis largiatur, benedictus per omnia sæcula Deus. Amen.

Hæc sunt quæ de Claustro animæ sub nomine M. Hugonis a S. Victore, canonici regularis Sancti Victoris Parisiensis, impressa comperimus; quia tamen a phrasi ejus et a professione nonnihil dis-

sident, potius accedam illi qui Hugonis a Folieto esse censerit : is enim a Regula canonica divi Augustini ad rectiorem D. Benedicti transiit, unde utriusque institutionis passim meminit. In vetusto autem exemplari, Hugoni priori canonicorum Sancti Laurentii in pago Ambianensi ascripta legi; quocirca mihi quidem adhuc sub indice lis est.

DE MEDICINA ANIMÆ

AUCTORE, UT VIDETUR,

HUGONE DE FOLIETO.

PROLOGUS.

De duplici curatione seu medicina, animæ videlicet et corporis, de qua in subsequenti agetur opusculo.

Rogas me, frater charissime, ut ea, quæ de medicina animæ ad Joannem medicum scribere cœperam, tibi transmittere non omittam. Sicut enim dicis, ea multis utilia fore credis. Nec solum, si attente considerentur, animas incolumes servant, sed etiam corporibus humanis sanitatem præstant. Brevi siquidem sermone docent quæ corpori et animæ prosunt vel nocent. Tuæ autem discretioni notum cupio fieri quod ea quæ de medicina animæ scribere cœperam, per negligentiam, priusquam alibi scripta fuissent, amisi. Sed, charissime, ea, quæ ad memoriam reducere potero, sine dilatione tibi transmittere curabo. Nec mireris si ea, quæ multo labore quæsita suis in locis ordinaveram, minus ordinate et quasi quasdam exceptiones in unum collecta componam. Sed forsitan dicet aliquis : Nova sunt quæ requiris, hæc in divina pagina reperiuntur scripta. Imo quia quædam de his in divina pagina reperiuntur scripta, ideo ad ædificationem claustralium memoriæ commendata reliqui. In Evangelio siquidem de leproso, de paralytico, de febricitante, et de multis aliis legitur, qui a Domino mirabiliter esse curati prohibentur. Nec illud solum esse factum reor ad reparationem corporum, sed etiam ad ædificationem morum, et sanationem animorum, sed et in quibusdam aliis libris de oleo, de unguento, de collyrio quædam scripta reperi, quæ a sanctis Patribus spiritaliter intellecta cognovi. Neque enim erubui aliorum dicta huic interponere lectioni. Restat igitur ut petitioni tuæ satisfaciam, et quod diu distuli, debitum petitori reddam.

Cap. I. *De homine, qui microcosmus, id est minor mundus, appellatur.*

Homo microcosmus, id est minor mundus, appellari ab antiquis solet, quia per similitudinem majoris mundi figuram tenet. Potest autem assignari magna convenientia in compositione corporis humani et constitutione mundi. Unde cœlum capiti, aer pectori, mare ventri, terra extremæ corporis parti assimilatur. In cœlo Deus residet, et in capite hominis mens principatum tenet. In Deo sunt tres personæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus ; et in capite humano tres potentiæ, intellectus, ratio et memoria. Sunt et in cœlo duo luminaria magna, sol et luna ; et in capite duo oculi, qui illuminant firmamentum faciei. Sol et luna diem et noctem illuminant, de rebus lucem cognitionis hominibus sua claritate præstant : oculi vero rerum imagines sua subtilitate in se suscipiunt et sic de iis quæ videmus, per intellectum ration[e] nuntiantes nos certos reddunt. Similiter in pector[e] sicut in aere volant cogitationes quasi nubes, fi[t] aliquando claritas lætitiæ, aliquando obscuritas tristitiæ, insurgunt illic venti tentationum, qui con[-] turbant animum, diviso aere fiunt coruscationes iræ, sequitur ignis odii, id est combustio animi qui quoties extensus ab alto, videlicet a prælat[o] descendit, toties subjectos lædit. Has autem tempestates aliquando compescunt pluviæ, aliquand[o] nives, aliquando grandines. Quoddam enim placat sermo sanctæ exhortationis, quosdam leve blan[-] dimentum consolationis, quosdam vero asperita[s] increpationis. Sed et sicut aquæ in mari, sic colle[-] ctio humorum in ventre solet congregari. Ibi al[-] hepate fit inundatio sanguinis, fit effusio fellis, fi[t] etiam more Charybdis in pulmone emissio et attra[-] ctio phlegmatis. Fit velut Circes splenis induratio In tali igitur commotione maris, id est ebullition[e] ventris, fiunt æstuationes et ejectiones quædam aliquando per superiorem regionem aliquando pe[r] inferiorem, et hoc per secessum, illud per vomitum Sicut enim mare nihil fetidum in se diu tolerat, si venter quotidie cibo indigens, ne putrefactum di[u] contineat, se per secretum naturæ purgat. Simili[-] ter hominis extremæ partes, id est pedes, assim[i-] lantur terræ, quia sunt, sicut illa frigidæ et sic[-] cæ naturæ. Dum enim extremæ partes homini[s] ægrotantis frigescunt, mortem annuntiant qui terræ, cujus naturam suscipiunt, appropin[-] quant.

Cap. II. *De quatuor elementis mundi. De quatuo[r] humoribus corporis humani, et de quatuor ann[i] temporibus ad animum vel animam applicati[s]*

Quatuor sunt elementa mundi, ignis, aer, terra e[t] aqua. Quatuor humores corporis humani, sanguis cholera rubra, cholera nigra et phlegma. Quatuo[r]

vero tempora anni : ver, æstas, autumnus, hiems. Ignis est calidæ et siccæ naturæ, aer calidæ et humidæ, terra frigidæ et siccæ, aqua frigidæ et humidæ. Similiter sanguis calidæ et humidæ naturæ; cholera rubra calidæ et siccæ ; cholera nigra frigidæ et siccæ ; phlegma frigidæ et humidæ. Sic et ver calidæ et humidæ naturæ ; æstas calidæ et siccæ; autumnus frigidæ et siccæ ; hiems frigidæ et humidæ. Elementa igitur congruunt humoribus, humores temporibus. Sed et anima per similitudinem habere dicitur sua elementa. Pro igne utitur intellectus subtilitate ; pro aere, mentis puritate ; pro terra rationis stabilitate ; pro aqua ingenii mobilitate. Ut animus de fide recte per intellectum sentiat, pure discernat, firmiter credat, sine mora fidei præceptis obediat, et sic bene operando sane vivat, quia *fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II): necesse est igitur ut subtilitas temperetur puritate, puritas subtilitate, stabilitas mobilitate, mobilitas stabilitate. Ut enim ignis alta petit, aer medium tenet, sic cavendum est ne intellectus nimis alta sentiat, ne levitate subtilitatis a veritate discedat, sed detineatur puritate revocante et dicente : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII). Cavendum est etiam ne stabilitas dissolvatur per mobilitatem, vel mobilitas per stabilitatem, sed *velox sis ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram* (*Jac.* I). Similiter et animus utitur quatuor humoribus : pro sanguine utitur dulcedine ; pro cholera rubra, amaritudine ; pro cholera nigra, tristitia ; pro phlegmate, mentis compositione. Dicunt enim physici sanguineos esse dulces, cholericos amaros, melancholicos tristes, phlegmaticos corpore compositos. Ut si dulcedo in contemplatione amaritudo de peccati recordatione, tristitia de perpetratione, compositio de emendatione. Est etiam attendendum, ne dulcedo spiritalis turbetur amaritudine temporali, vel amaritudo habita de peccato corrumpatur dulcedine carnali ; ne utilis tristitia turbetur otio vel inertia, vel mens composita dissolvatur pro illicita. Sed et anima fertur habere sua tempora : pro calore æstatis utitur charitate ; pro frigoribus hiemis, torpore tentationis; pro autumno et vere, temperantia et mediocritate. Esto igitur temperatus in corde, mediocris in opere : anima enim quæ temperamentum custodit, salubriter vivit.

CAP. III. *De phlegmate, et phlegmaticis.*

Volo, prout potero, ad ædificationem animæ de quatuor humani corporis humoribus diligenter pauca disserere, ut ex affectibus humorum facilius dignosci valeant diversitates morum. In primis igitur de flegmate loqui incipiam, ut a frigidis et humidis exordium loquendi sumam. Phlegma siquidem habet sedem in pulmone, cujus natura frigida et humida. Unde fiunt homines tardi et oblioviosi, atque somnolenti. Imitatur naturam hiemis naturam aquæ naturam decrepitæ ætatis. Purgationem habet per os, crescit in hieme. In hoc tempore melius se habent cholerici, pejus phlegmatici. Melius juvenes, pejus decrepiti. Pessima est infirmitas, quæ est ex phlegmate, ut est febris quotidiana, minus mala quæ fit ex cholera, ut tertiana: eodem bonum est uti calidis et siccis. Potest igitur natura phlegmatis assimilari compositioni mentis. Phlegma sedem habet in pulmone, quasi in discretione. Compositio etenim mentis adjuvatur beneficio discretionis. Sicut enim pulmo aerem attrahit et emittit, sic discretio quod bonum est retinet, et quod malum est expellit. Frigidæ et humidæ naturæ dicitur esse. Est autem frigus, quo refrigeramur ab æstu vitiorum, et est humor compunctionis, quo mundamur a sorde peccatorum. De primo dicitur: *Remitte me, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero* (*Psal.* XXXVIII). De secundo autem: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Inde fiunt homines tardi, obliviosi, et somnolenti. Tardi ad operandum malum. Obliviosi, ut obliviscantur populum suum, et domum patris sui (*Psal.* XLIV). Somnolenti, ut in pace in idipsum dormiant ut requiescant (*Psal.* IV). Sed et aliter accipitur frigidum et humidum, ut in frigore intelligas torporem in charitate, in humore torporem in opere. Cum enim *abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV), et sic ex corrupto phlegmate, id est ex corruptæ mentis compositione, fiunt homines tardi ad operandum bonum, obliviosi ut obliviscantur Domini Creatoris sui, somnolenti, ut si prævaleat inimicus, obdormiant in morte. Est etiam status mentis aquæ similis, quia inundatione est periculosus, fluctuatione turbatus, nutibus instabilis. Hiemis vero tempestates imitatur, tentationum etenim procellis lacessitur ; similitudinem tenet ætatis decrepitæ, quia veteris hominis, id est Adæ, defectus et inobedientia vix recedunt a mente. Respirationem habet per eos. Superfluitates siquidem mentis purgantur per os intimæ confessionis. Crescit et hieme, qua multiplicatur tentationum tribulatione. In hoc tempore melius se habent cholerici, pejus phlegmatici. Melius juvenes, pejus decrepiti. Juvenes et cholerici calidi et sicci sunt. Phlegmatici et decrepiti frigidi sunt et humidi. Qui igitur peccata sua deflent, nec tamen adhuc illo amore cœlestium succensi fervent, non est mirum si phlegmatici interpretantur. Tentationi citius et corruptioni subjacet illorum status mentis. Pessima est infirmitas, quæ fit ex phlegmate, id est ex propria mentis corruptione. Ex propria siquidem corruptione mentis nascitur quotidiana febris continuus videlicet ardor carnis. In hoc item tempore, id est in hieme, utendum est calidis et siccis, electorum procul dubio exemplis. Electorum etenim opera sancti Spiritus ardore sunt accensa. Notandum est quod frigus prædicti temporis contingere solet ex nimia remotione solis. Tunc enim sol intrat Capricornum, quod esse dicitur infimum signum. Nota naturam animalis unde signum nomen accepit, ut unde aliquid accipias moralitatis. Capra siquidem

similitudinem delinquentium tenet, quia sic capra ex corrupto per febrim continuam humore ut ex consuetudine peccandi peccator, fetet. Quæ tamen in altis rupibus pascitur, dum peccator verbis et exemplis sublimium virorum delectatur. In hoc igitur tempore sol Capricornum intrat, dum Sol justitiæ peccatorem sancti Spiritus radiis illustrat. Post Capricornum vero intrat Aquarium, ut fetorem carnis abluat lacrymis. Ascendit etiam usque ad Pisces, quod signum est tertium, et obtinet finem hiemis, ut sicuti piscis sub aquis, sic peccator vivat in lacrymis.

Cap. IV. *De sanguine et sanguineis.*

Post frigus et pluvias hiemis, post refrigerium videlicet et lacrymas compuncti cordis pervenitur ad veris temperiem, et aeris serenitatem, id est, ad puritatem mentis in novitate conversionis. Unde post illa, quæ de phlegmate diximus, ad ea quæ de natura sanguinis sunt dicenda, transeamus. Sanguis sedem habet in hepate, estque humidæ et calidæ naturæ, crescit autem in vere, in quo tempore mala est infirmitas, quæ fit ex febri quartana, pessimæ quæ fit et sanguine ut synocha. In hoc tempore melius se habent senes, pejus juvenes, melius decrepiti, pejus pueri. In hoc etiam tempore utendum est frigidis et siccis. Sicut superius diximus, sanguis est dulcedo contemplationis. Qui sedem habet in hepate quasi in suo fonte, in calore siquidem hepatis est locus fervidæ decoctionis, inde sanguis per membra dirigitur, ut eorum calore tertio decoquatur. Prima enim decoctio fit in stomacho, secunda in hepate, tertia in omnibus membris. Ex ardore igitur dilectionis quasi ex calore hepatis, more sanguinis profluit dulcedo spiritualia contemplantis. Est autem calidæ et humidæ naturæ. Calor ex amore, humor ex timore. Hoc calore et humore crescunt puri ii noviter conversi, qui assimilantur veri et aeri, id est, vitæ novitati. Crescit in vere. Cum enim aliquis noviter convertitur, spiritali dulcedine multiplicius delectatur. In hoc tempore mala est infirmitas, quæ fit ex melancholia, ut quartana. Pessima quæ fit ex sanguine, ut synocha ; in initio etenim conversionis, dum delectatur animus contemplantis, si ex abundantia boni operis quasi inundatione sanguinis nascatur tumor elationis, tunc quasi ex corruptione sanguinis nascitur synocha febris, et contingit ut sanguis, qui est amicus naturæ, fiat inimicus vitæ. Dicunt enim physici synochos esse mortis amicos. In hoc tempore melius se habent senes, pejus juvenes, melius decrepiti, pejus pueri. Ex natura etenim consimilis temporis augmentatur materia infirmitatis. Cum vero in contrario tempore infirmitas tempori contraria nascitur, dolor contrariæ infirmitatis lenitur, quia contraria contrariis curantur. Ideo in vere utendum est frigidis et siccis. Ne igitur per desiderium vanæ gloriæ fervor sanguinis ebulliat, necesse est ut animus frigus tentationum, et sterilitatem siccitatis ad memoriam reducat, et utatur hujus beneficio diætæ, ut sanior sit in vere, ne in initio conversionis appetatur amor laudis. Nota etiam quod in vere ex calore et humore temporis aperiuntur pori terræ. Procreantur diversi coloris herbarum flores, diversi scilicet generis virtutes, et fit quasi nostrum ver in nostra mente. Unde dicitur: *Æstatem et ver, tu plasmasi ea* (*Psal.* LXXIII). In vere intelliges noviter conversos, mansuetudine temperatos, in æstate provectiores igne charitatis ferventes. In hoc siquidem tempore sol ascendens tria signa fertur obtinere. Arietem in initio. Taurum in medio, Geminos in fine. Attende igitur in Ariete ducatum, in Tauro jugum, in Geminis consortium: ducatum prælationis, jugum subjectionis, consortium cohabitationis. Ut scias præesse, subesse, coesse. Discas etiam simul esse in timore et labore cum amore. Hoc est itaque temperantia veris, mansuetudo scilicet noviter conversæ mentis. Solet autem hoc tempus inconstans esse, modo pluviosum ex vicinitate hiemis, modo siccum ex vicinitate æstatis, modo eadem ratione frigidum, modo calidum. Inde homines citius in Martio infirmantur, quia corpora humana nuper aperta ex novo calore statim corrumpuntur redeunte subito pristino frigore. Noviter siquidem conversi inconstantiæ motu solent agitari, et licet corda eorum sint aperta novo calore dilectionis, corrumpuntur tamen quandoque subito frigore improvisæ suggestionis. Modo inundatione præcedentium delictorum quasi pluviis humectantur, modo vero desideria cœlestium quasi solis radiis desiccantur. Providendum est autem ne infirmitas, quæ in frigore hiemis orta fuerat, in Martio id est, in initio conversionis revertatur, et ægrotantem occidat.

Cap. V. *De cholera rubra, et cholericis.*

Congruum, charissime, nobis videtur, ut post humorem sanguinis de cholera rubra disseratur. Cholera siquidem rubra habet sedem in χολ (chole), id est in felle. Natura ejus calida est et sicca. Unde fiunt homines iracundi, ingeniosi, acuti et leves. Est autem consimilis igni, æstati, calidæ juventuti. Respirationem habet per aures, crescit in ætate. In hoc tempore melius se habent phlegmatici, pejus cholerici. Melius decrepiti, pejus juvenes. Pessima est infirmitas, quæ venit ex cholera, minus mala quæ est ex phlegmate. In eodem itaque tempore utile est uti frigidis et humidis. Oportet autem, sicut superius diximus, ut choleræ rubræ assignetur amaritudinis virtus. Sicut enim in sanguinem dulcedo, sic et in cholera rubra designatur amaritudo, ut non tantum in spiritualibus dulcescas, sed etiam contra vitia graviter amarescas. Calida est et sicca. Calida fervore bonæ voluntatis, sicca ab humore fluxæ cogitationis. Facit homines iracundos contra vitia, ingeniosos ad destruenda diaboli machinamenta, acutos ut subtiliter de rebus sentiant, leves ut audita cito percipiant. Est autem similis igni, æstati, calidæ juventuti : hæc enim sunt calidæ, et siccæ naturæ. Ut habes ex cholera rubra amari-

tudinem contra peccatum, ex juventute fortitudinem contra diabolum, ex igne claritatem, intelligentiæ cognoscendi Deum, ex æstate ardorem diligendi proximum. Purgationem habet per aures. Dum enim libenter audis quod agere debeas, per aures cordis choleræ rubræ superfluitates purgas. Crescit in æstate. Quanto enim plus abundat charitas, tanto plus odio habetur iniquitas, quia ita diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores. In hoc tempore melius se habent phlegmatici et senes ; pejus cholerici, et juvenes. Senes sunt phlegmatici, juvenes cholerici. Illi frigidæ et humidæ naturæ ; isti vero calidæ et siccæ sunt. Melius igitur habent senes et phegmatici si infirmentur in æstate, id est, in contrario tempore. Citius enim curari possunt, quia contrariis contraria conveniunt. Juvenes autem et cholerici in simili tempore pejus habent si nimis alta sapiunt, si nimio prælationis desiderio succensi calent. Unde et in hoc tempore pessima est infirmitas, quæ venit ex cholera, minus mala quæ est ex phlegmate : quia augmentatur materia infirmitatis ex consimili natura temporis. In eodem utile est uti frigidis et humidis. In tanto siquidem ardore charitatis attendendum est frigus præcedentis hiemis, id est, lapsus delinquentium ad confirmationem bonorum. Si enim stas, videas ne cadas (*I Cor.* x). Nam quanto gradus altior, tanto casus gravior. Tempera ergo calidum frigido, siccum humido, et ne aliquando nimium caleas, attende Petri casum, attende et lacrymas.

Lapsus est Petrus, post lapsum flevit amare.

Profuerunt nobis illius et casus, et lacrymæ. Utere ergo hoc unguento, non enim adhuc melior es Petro. Nimio calore flagrabat Petrus cum diceret : *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Marc.* xiv). Immensitas caloris erat nimia confidentia ex nimio affectu amoris. Et ideo quia plus exarsit quam debuit, exaruit dicens : *Non novi hominem* (*Matth.* xxvi). Oportuit igitur ut et ariditatem temperaret, et flammam nimiæ confidentiæ exstingueret. *Egressus* enim *foras flevit amare* (*ibid.*). Petrus *agnoscens* interpretatur. Est autem responsum Delphico Apolline dignum : Γνῶθι σεαυτόν, *nosce teipsum.* Si enim qualis fuisti ante conversionem consideres, mox et ariditati tuæ lacrymarum rorem infundas, et nimium calorem fragilitatis agnitione temperes. In prædicto autem tempore, id est in æstate, ascendit sol usque ad Cancrum, et fit ibidem æstivale solstitium. Hæc est eminentissima via nobis ab Apostolo demonstrata, de qua et alibi dicitur : *Est fides, spes, charitas : major autem his est charitas* (*I Cor.* xiii). In perfectione igitur charitatis fit solstitium, ut nihil diligamus plusquam Deum. Vocatur Cancer signum tropicum, id est, conversivum, ut ab amore Dei convertaris ad amorem proximi. Hic est enim regressus a Cancro ad Virginem, a ferventi amore Dei usque ad castum amorem proximi. Sol autem in eadem æstate tria signa dicitur obtinere : in principio Cancrum, in medio Leonem, in fine Virginem, ut habeat charitas in Cancro ad proximum conversionem compassionis, in Leone, vigilantiam circumspectionis, in Virgine, puritatem dilectionis. Cancer retrograditur. Leo dormiens apertos oculos habet. Virgo est quæ carnalem commistionem adhuc ignorat. In hoc itaque vigilet, qui ad amorem proximi convertitur, ut non propter aliud quam propter Deum proximus diligatur. Hujus autem temporis proprium est radices herbarum et arborum arefacere, dum nullo terrenæ delectationis humore fidelium nutriuntur mentes.

CAP. VI. *De cholera nigra, atra bili, et melancholicis.*

Restat nunc ut de natura choleræ nigræ aliquid sub brevitate dicamus. Ipsa enim dominatur in sinistro latere. Habet autem sedem in splene, frigida est et sicca, facit homines iracundos, timidos, somniculosos, aliquando vigilantes. Purgationem habet per oculos. Crescit in autumno. In hoc tempore melius se habent sanguinei, pejus melancholici ; pejus senes, melius pueri. Pessima est infirmitas quæ nascitur ex melancholia, minus mala quæ est ex sanguine. In hoc etiam tempore utendum est calidis et humidis. In cholera nigra, sicut alibi diximus, intelligi potest tristitia, ut pro his quæ male gessimus tristes simus. Sed et alia species tristitiæ dicitur esse, dum mens transeundi ad Deum desiderio cruciatur. Dominatur in sinistro latere, quia vitiis subjicitur, quæ sunt in sinistra parte. In splene sedem habet, quia quamvis de dilatione cœlestis patriæ contristetur, tamen in splene quasi in spe gaudet. Ut enim legisse me recolo, testantur physici in splene generari risum. Ex hac igitur vicinitate satis congruum esse reor ut melancholici quandoque rideant, quandoque fleant. Frigida est et sicca, frigus et siccitas aliquando in bona significatione accipiuntur, aliquando in mala. In mala significatione frigus accipitur, cum dicitur : *Jam hiems abiit, et recessit* (*Cant.* ii). Ut in frigore hiemis attendatur torpor devotionis. In bona significatione ponitur, ubi dicitur : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (*Psal.* lxv). Ut post æstum et dissolutionem transeamus ad requiem. Ignis siquidem urit, aqua dissolvit. Urit enim tribulationis adversitas, dissolvit blandientis mundi prosperitas. Vas autem igne consolidatum aquam non timet. Post transitum vero tentationis ducet nos Dominus ad refrigerium mentis. Similiter et siccum duobus modis accipitur. Unde et Psalmista : *Et siccam formaverunt manus ejus* (*Psal.* clxiv). Siccam vocat cordis nostri terram a malis humoribus dessicatam. Sed et aliter siccum intelligi potest, quando mentis ariditas cœlesti, id est sancti Spiritus rore caret. Facit homines iracundos juxta illud : *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* iv), Timidos, quia *beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* xxviii). Aliquando somnolentos, aliquando vigilantes, id est, quandoque gravios curis, aliquando vigilanter intentos cœlesti-

bus desideriis. Similis est autummo, terræ et senectuti, ut imitetur in terra terræ stabilitatem, sequatur in senio seniorum gravitatem, in autumno frugum maturitatem. Purgationem habet per oculos. Ab his enim vitiis, pro quibus tristes efficimur, si per confessionem ejecta fuerint, per lacrymas purgamur. Crescit in autumno, id est, in sensu maturo. In quantum enim plus attendis maturitatem sensus et ætatis in tantum magis debet crescere immensitas doloris de peccati perpetratione. In hoc tempore melius se habent sanguinei, pejus melancholici. Pejus senes, melius pueri. Habuisti per sanguinem dulcedinem charitatis. Habes nunc per choleram nigram, seu melancholiam, tristitiam pro peccatis. In vere vitæ novitatem, in autumno maturitatem, ut temperetur maturitas vitæ novitate, vitæ novitas consilii maturitate. Ut noviter conversus pervenire desideret ad maturitatem perfectionis, et senex recogitet quam fervens fuerit in initio conversionis. Si igitur sic in vere et autumno ætates et humores alternando consideras, in contrariis temporibus utrorumque naturas incolumes servas. Oportet etiam in hoc tempore uti calidis et humidis. Non enim sufficit ad conservandam animæ sanitatem siccari ab humore voluptatum, et refrigerari ab æstu vitiorum, nisi etiam infundaris supernæ contemplationis rore, et sancti Spiritus amore simul accendaris. Solet in autumno sol tria obtinere signa, Libram videlicet in principio, Scorpium in medio, Sagittarium in fine. Nosti, charissime, quod autumnus ad extremum maturos colligat fructus. Nosti etiam quod in hoc tempore contingat æquinoctium esse. Si igitur ad maturitatem pervenisti, si sponte non renuis ut botrus exprimi, si vinum es, si boni saporis, si in cellarium summi regis pervenire desideras, ut dicas : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I), attende Libræ signum, attende solstitium. Libra enim æquali lance ponderat noctes et dies, id est bonas et malas operationes. Scorpius vero cauda minatur, aculeo pungit. Aculeus siquidem in cauda dolor est in fine. Cum autem in senectutem perveneris, time quia periculum imminebit mortis. Post Scorpium autem signum intrat sol Sagittarium. Sagittarius ex duabus naturis constat, ferina scilicet et humana. Superior pars homini, inferior fero assimilatur animali. Qui enim rationabiliter vivunt, digni sunt cœlo ; qui autem bestialiter, digni sunt inferno. Arcum tenet, sagittamque jacit. Est autem duplex arcus, est arcus Domini, et est arcus diaboli. Illi innituntur spirituales, isti animales. Intendunt enim *arcum suum peccatores, ut sagittent in* [*obscuro rectos corde*] *occultis immaculatum* (*Psal.* X). Quos enim religionis locus et habitus immaculatos occultat, occultis insidiis diabolus infestare non cessat. Habent etiam peccatores arcum occultæ malitiæ, et chordam nequitiæ. Habent et pharetram, id est thecam, in qua portant sagittas, cogitationes videlicet perversas, *quoniam peccatores intenderunt arcum suum, paraverunt sagittas suas in pharetra* (*ibid.*). Sagittas parant, quia ad hoc student perversi ut subvertant. Sed *Dominus arcum conteret, et sagittas confringet* (*Psal.* XLV). Est autem justorum arcus spiritalis intelligentia, chorda doctrina, sagittæ verba doctrinæ, pharetra memoria. Hunc arcum tetendit Dominus, et paravit illum. Arcum Dominus parat, cum nobis intelligentiam Scripturæ sacræ explanat. Ex hoc arcu mittuntur *sagittæ potentis acutæ* (*Psal.* CXIX) : sic enim vulnerant ut corda transfigant. « Novit enim Dominus, ut ait Augustinus, sagittare ad amorem. » Nemo pulchrius sagittat ad amorem quam qui verbo sagittat. Sagittat enim ut amantem efficiat. Hac sagitta vulneratur Sponsa. *Vulnerata*, inquit, *sum charitate* [*amore langueo*] (*Cant.* II). Utinam et ipse percussus hoc jaculo morerer huic mundo.

CAP. VII. *De commistione elementorum.*

Novimus quatuor elementorum, quibus omne corpus constituitur, duo esse levia, duo gravia, quorum unumquodque duas habet extremitates et unum medium. Ut ignis unam superiorem habet extremitatem, quæ agilior, et subtilior, et levior est; alteram inferiorem, quæ jungitur aeri, quæ minus est agilis, minus levis, minus subtilis ; et inter utrumque est temperamentum, sic et aer. Sic et superior extremitas aquæ, quæ jungitur aeri, minus gravis est, minus mista, minus obtusa, inferior magis. Medium inter utrumque temperamentum, similiter et terra. Sicut autem in elementis, sic et in qualitatibus eorum animadvertendum est, scilicet in caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate. Ex his enim commistiones fiunt in corporibus. Cum igitur gravia levibus, calida frigidis, humida siccis commiscentur, fiunt inde quæcunque fieri necesse est, prout eorum diversitas expetit. In quibusdam autem prævalent levia, in quibudam gravia. Sunt tamen quædam quæ omnino sunt igneæ naturæ, ut stellæ. Aliorum vero prævalent superiores extremitates levium, et hæc sunt agiliora et leviora, et inde per aerem feruntur, ut volucres. Quarum quæ superiores extremitates superioris extremitatis levium habent, agiliores et leviores sunt, ut aquila, quæ medium, minus, ut grues, quæ inferiores graviores, ut anseres, struthiones. In quibus vero levium mediocritas præeminet, non adeo levia, sed mediocriter levia sunt, ut majora quadrupedia, quorum quæ superiores habent illius medii extremitates, sunt leviora, quæ medium minus, quæ ultimum tardiora. In quibusdam vero levium extremitas inferior prævalet, et graviora sunt, ut reptilia. Quorum quæ superioria illius extremitatis inferioris levium habent, agiliora sunt, ut serpentes ; quæ medium minus, ut bufones, quæ inferiora tardiora, ut testudo. In quibus vero graviora præeminent, supradictis magis ponderosa sunt. In quibus vero primæ gravium extremitates præeminent, minus sunt gravia, ut pisces. Quorum primam superioris extremitatis gravium qui ha

bent extremitatem; agiliores sunt, qui medium illius superioris extremitatis, minus; qui ultimum tardiores. In quibus vero gravium præminet medium, terræ semper cohærent et crescunt, ut arbores et herbæ. Quarum quæ superiora habent illius medii gravium altius excrescunt, ut pinus et abies; quæ medium illius medii gravium minus, ut coryli; quæ inferiora parum, ut virgulta. In quibus extremitas inferiora gravium præminet, gravissima sunt, ut lapides et metalla. Vides nunc, charissime, ex commistione elementorum fieri diversitates rerum. Vides etiam, quod stellæ omnino sint igneæ naturæ. Hæ siquidem prælatis assimilari debent, quia eorum mentes et amorem spirituali fervent, et bonis exemplis lucent. De his enim dicitur: *Qui ad justitiam multos erudiunt, quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt* (*Dan.* XII). Qui non tantum nostras tenebras verbo prædicationis illuminant, sed etiam superiorem locum præ cæteris servant. Vita enim præminent et bene operando limitem rectitudinis tenent. Sunt autem quidam prælati minoris meriti, qui ex merito vitæ assimilantur aquilæ. Aquila præ cæteris avibus in altum volat. Pullos suos ad volandum provocat, eosdem claritatem solis irreverberatis oculis aspicere cogit. Volentes id facere nutrit, nolentes e nido ejicit. Altius cæteris avibus tunc aquila volat, dum se pælatus a terrenis desideriis elongat. Pullos suos ad volandum provocat, quando subjectos sibi ad bene operandum verbis et exemplis invitat. Claritatem solis irreverberatis oculis eosdem pullos aspicere cogit dum ad contemplandam divinæ substantiæ claritatem mentes discipulorum trahit. Volentes id facere nutrit, quia eos qui Deum videre desiderant, verbo doctrinæ pascit. Nolentes ejicit: illos enim, qui a cognitione Dei oculos avertunt, expellendos e regno prædicit. Grues vero et anseres sunt diversi subjectorum ordines, qui in volando ordinem servant et gregatim volant: illos siquidem designant, qui et rectitudinem justitiæ tenent, et conventus amant. Longas tibias, et longum collum grues habent, sublevantur a terrenis, et silentium oris tenent. Sed et anseres qui garrulæ sunt aves, illis assimilari possunt, qui quamvis in quibusdam ordinate vivant, silentii tamen virtutem negligunt. Quæ sese rostris lacerant et conclamant, quia detrahendo sese invicem conviciis lædunt, et quandoque ex affectu mentis maledictis contendunt. Inter volucres et reptilia media sunt majora quadrupedia, quæ aliquantulum in altum se erigunt, nec tamen a terra longe recedunt. Usibus hominum deserviunt. Unde simplicioribus assignari possunt, qui quamvis terrenis inhient, spiritualiter tamen viventibus obsequium præbent. In quibus vero levium extremitas inferior prævalet, graviora sunt et reptilia; quæ pectore et ventre repunt, quia voluntate cordis et voluptate carnis internis desideriis se conjungunt. Quorum quæ superiora illius extremitatis levium habent, agiliora sunt, ut serpentes, quæ medium minus, ut bufones, quæ inferiora tardiora, ut testudo. Habent autem hæc reptilia lumen venenum et aculeum, designant siquidem serpens, bufo et testudo quasdam diversitates hominum, qui continentur in mundo. Serpens videlicet astutos, bufo elatos, testudo desidiosos. Habent desidiosi limum terrenæ delectationis. Elati veinenum lividæ detractionis. Astuti aculeum pungentis invectionis. In quibus graviora præeminent supradictis magis sunt ponderosa. Quædam tamen sunt gravia, quædam graviora, quædam gravissima. Gravia sunt, ut pisces; graviora, ut herbæ et arbores; gravissima ut metalla et lapides. Pisces assidue in aquis et luto jacent. Herbæ et arbores terræ radicibus inhærent. Lapides et metalla nisi abstrahantur ab ea, sub terra latent. Quasi pisces sunt in aquis, qui fluctuantis sæculi exagitantur curis. Sunt et alii quasi herbæ et arbores, totis desideriis terrenæ cupiditati tanquam radicibus adhærentes. Lapides vero et metalla sunt dura et incorrigibilia carnalium corda.

CAP. VIII. *De quatuor virtutibus humanæ complexioni ministrantibus.*

Docet physica quatuor esse virtutes humanæ complexioni ministrantes, videlicet appetitivam, retentivam, digestivam et expulsivam: ministrant enim virtuti nutritivæ. Virtus vero nutritiva ministrat generationi. Quod primum enim puer nascitur, necesse est ut lacte nutriatur, donec per incrementa temporis pasci valeat fortioribus alimentis. Puer igitur lacte nutritur quoties de humilitate Christi noviter conversus eruditur. Ex hoc siquidem ubere abstracto de sinu divinæ pietatis, propinatur teneritudini nostræ lac veræ humilitatis, donec illo pane charitatis possimus perfrui, de quo si assidue vesci studeas a nullo poteris superari. *Charitas* enim *omnia suffert, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII), ita ut complexionem mentis fortem et incolumem conservet. Est autem diversitas inter delicias corporis et delicias cordis. Dum enim corporalis cibus in præsenti non habetur, corpus gravi desiderio et carnis affectu cruciatur. Dum vero habetur et comeditur, comedendo ad fastidium per saturitatem devenitur. Sed e diverso cibus spiritualis cum non habetur fit vilis, cum vero a comedente percipitur majori desiderio gustatus esuritur. In corporali igitur cibo appetitus saturitas fastidium generat. In spirituali vero appetitus saturitatem, saturitas desiderium præstat. In corporali saturitas nocet, fastidium displicet. In spirituali nec saturitas gravat, nec desiderium cruciat. Est itaque cibus vitæ verbum doctrinæ, quæ dum prædictæ virtutes ordinate ministrant, statum humanæ complexionis incolumem servant. Cibum ergo doctrinæ animus appetit, dum verbum prædicatiois libenter audit et retinet, dum quod aure cordis percipit, in ventre memoriæ retentum jacet. Appetit, et retinet, et diligit, dum quod acceptum et retentum fuerat, in diversos humores, id est, in bonos mores convertit. Nec tamen appetit, retinet, et digerit, sed etiam expellit, si a-

quæ suis moribus non conveniunt, respuere noverit. Sin autem intus remanet quod expelli debuerat, etiam bene gestis corruptionem infert. Sed e diverso sunt quidam, qui cibum nullum appetunt, sed universos fastidiunt. Sunt alii, qui quoslibet cibos appetunt, sed acceptos celerius evomunt. Sunt et alii, qui appetunt et retinent, sed nullam per membra digestionem habent. Sunt iterum quidam, qui appetunt, retinent, digerunt, sed quod expelli debuerat per secretum naturæ non expellunt. Qui cibum doctrinæ non appetunt sed fastidiunt, diu vivere nequaquam possunt. De his siquidem dicitur : *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis* (*Psal.* CVI). Qui enim audire renuunt verbum prædicationis, jam ad ingressum festinant æternæ damnationis. Qui autem appetunt nec retinent cibum, projicientes illum e ventre memoriæ lacessente mentis stomacho, diu languent. Sunt alii, qui appetunt et retinent, sed per membra non digerunt, quia quod venter memoriæ retinet, in bonos actus non convertunt. Qui autem non expellunt quod debuerat expelli, ii sunt qui quod suis moribus non convenit, incorporant sibi. Dum igitur prædictæ virtutes suo ordine non ministrant, a statu suæ incolumitatis naturam mutant. Notandum est etiam, quod quatuor prædictæ virtutes ex quatuor elementis attrahunt sibi vires. Cum enim elementa conjungentur in aliquo corpore habilia membra habente, cum ignis calidus et siccus sit virtutis appetitivæ, terra frigida et sicca retentivæ, aer calidus et humidus digestivæ, aqua humida et frigida expulsivæ, necessario contingit ut ex natura sua ignis attrahat, terra quod ignis attrahit retineat ex natura sua quod terra retinuit aer dissolvat ex natura sua, aqua quod aer dissolvit emolliat. Considerandum etiam, sicut supra diximus, per ignem significari intelligentiæ claritatem, per terram mentis firmitatem, per aerem vitæ puritatem, per aquam discretionis mobilitatem. Dum enim intellectus ardori spiritali succensus cœlestia cogitat, spiritalem appetitum in mente creat, et fit desiderium in corde hominis, ut avide quærat cibum sanctæ exhortationis. Quod autem appetitus per intellectum attrahit, stabilitas animi firmiter custodit. Et quod animus firmiter conservat, puritas mentis per bonos mores fideliter ordinat. Quod vero suis moribus non convenit, discretio separat, removet et expellit. Et sic a temperamento animus non recedit, sed temperamentum servans peccati morbo non succumbit.

Cap. IX. *De medico et novem modis signorum bonum vel malum portendentium.*

Oportet medicum quasi prophetam esse, ut non solum de præsentibus, sed etiam de præderitis et futuris possit judicare, ut præsentem cognoscat infirmitatem et infirmitatis occasionem, ut sciat quæ sit morbi materia, vel quæ morbi sit causa, ut tandem per præsentia signa cognoscat morbi finem, mortem videlicet vel sanitatem. Sunt autem novem modi signorum bonum vel malum significantium, quos Hippocrates in *Prognosticis* commemorat, et de quibus in eodem libro plenarie tractat. Primus modus est fortitudo infirmi suum morbum facile tolerantis ; contrarium cujus est debilitas infirmi suum morbum pati nequentis. Secundus levitas infirmi facile se moventis ; contrarium gravitas infirmi inertem et pigrum motum habentis. Tertius effigies membrorum sibi sano, id est, dum sanus erat similis ; oppositum ejus distributio membrorum effigiei non sibi sano similis. Quartus sanitas mentis et facilis appetitus : oppositum ejus perturbatio mentis, et difficilis appetitus. Quintus bonitas somni in tempore congruo facti, et infirmum juvantis ; oppositum ejus malitia somni in non congruo tempore facti, et infirmo nocentis. Sextus suavitas spiritus ; oppositum ejus augustia spiritus. Septimus æqualitas pulsu naturali similantis oppositum ejus inæquatitas, ut modo sit magnus, modo parvus, modo fortis, modo debilis. Octavus fortitudo virtutis in loco decoctionis ; oppositum debilitas virtutis in loco decoctionis. Nonus laudabilis purgatio purgans cum sudore vel cum urina: oppositum ejus vituperabilis purgatio. Sicut ergo superius diximus, oportet medicum quasi prophetam esse, ut non solum de præsentibus, sed etiam de præteritis et futuris possit judicare. Medicus autem moraliter est quilibet prælatus qui, sicut medicus corporaliter infirmos, ita debet spiritualiter curare subjectos. Sicut enim morbus in carne, sic peccatum est in mente. Oportet igitur ut spiritualis medicus attendat peccati materiam : attendat et causam, ex qua videlicet occasione procedat, et ad quid tendat, ut destruat causam, subtrahat paulatim materiam, videat utrum ex ipso peccatum processerit, an ex alio. *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* XV). Ut vero subtrahat occasionem peccandi expellat e consortio bonorum perversum fratrem, ne « contagium serpat, » et, ut ait beatus Augustinus, « ne contagione pestifera plurimos perdat. » Oportet item ut medicus perpendat ex ægri facie signa conscientiæ. Unde Hippocrates in *Prognosticis*. « Primo, inquit, ægri faciem pernotabis. Pro ratione nominis nota Hippocrates *equi rector* interpretatur. Prognostica autem futuræ significationis judicia proprie dicuntur, præsentis vero et futuræ improprie. Hippocrates igitur equi rector dicitur. Equus autem temperatæ naturæ a physicis creditur esse. Inde est et in pace quietus, et ad bella paratus, quia *bello armantur equi* (*Æneid.* III). Necesse est autem ut habenis regatur equus. Similiter necesse est ut spiritalis medicus, videlicet quilibet prælatus, animum hominis interioris habenis regat discretionis, ne, si modum æquitatis excedat, morbum dissolutionis incurrat. Unde de illo summo medico dicitur : *Æquitatem vidit vultus ejus* (*Psal.* X). Æquitatem videt, quia animum temperatum diligit. Æquitatem videt, quia eum diligit qui in proposito bonæ operationis ma-

net. Æqua est enim via Domini. Æquitas viæ est temperamentum vitæ. Unde David : *In æquitate tua vivifica me* (*Psal.* CXVIII). Æquitas vitæ vivificatio est animæ.

CAP. X. *De primo modo in speciali.*

Est autem primus modus signorum bonum vel malum significantium fortitudo infirmi suum morbum facile tolerantis, vel debilitas infirmi suum morbum pati nequeuntis. Infirmatur qui tentatur; moritur qui desperat. Licet igitur aliquis interdum peccet, si tamen adeo fortis remanet, ut a bono opere non cesset, signum est hæc boni fortitudo infirmi. Sin autem ægri animus adeo fuerit debilis ut cesset ab affectu bonæ operationis, signum est mortis et futuræ damnationis.

CAP. XI. *De secundo modo.*

Secundus modus levitas infirmi facile se moventis, vel gravitas infirmi inertem motum habentis. Cum homo interior aliqua tentatione affectus labitur, si adeo levis est, ut facile ad virtutem convertatur, recuperandæ salutis spes tribuitur; sin autem tanta est gravitas infirmi ut obstinatus nequeat a peccato converti, signum mali est eventus, sempiterni videlicet interitus.

CAP. XII. *De tertio modo.*

Tertius modus est effigies et dispositio membrorum sibi sano similis, vel distributio membrorum effigiei non sibi sano similis. Effigies membrorum est in interiori homine compositio morum, et in membris externis distributio actionum. Qui homo tunc est sibi sano similis, quandiu actiones sequuntur temperamentum religiosæ mentis. Tunc vero non est sibi sano similis, quando variatur per opera perversitatis.

CAP. XIII. *De quarto modo.*

Quartus modus est sanitas mentis, et facilis appetitus. Vel perturbatio mentis, et difficilis appetitus. Sanæ mentis esse dicitur, qui a rectitudine consilii non alienatur. Facile vero cibum appetit, qui verbum vitæ (quod est cibus animæ) libenter audit. Qui autem est turbatæ mentis, et cujus est appetitus difficilis, si verbum vitæ non appetat, necesse est ut mortem perpetuæ damnationis incurrat.

CAP. XIV. *De quinto modo.*

Quintus modus est suavitas somni tempore congruo facti, et infirmum juvantis, vel malitia somni non congruo tempore facti, et infirmo nocentis. Tempore congruo dormit, qui dormit in nocte, id est, qui tranquillæ mentis est in adversitate. In hac quiete Deum somniat, et hujusmodi somnus infirmum juvat; dormit vero in non conguo tempore, qui dormit in die, id est, qui delectatur in mundana prosperitate. Hic enim somnus quanto magis placet tanto magis infirmo nocet.

CAP. XV. *De sexto modo.*

Sextus modus est suavitas spiritus, vel angustia spiritus. Suavitas spiritus, id est, interioris hominis est sermo consolatorius, ut cum lenitate pec-
A cantem corripiat, et emendet. Angustia vero spiritus est sermo durus, de quo dicitur : *Vos autem cum austeritate imperabitis eis, et cum potentia* (*Ezech.* XXXIV).

CAP. XVI. *De septimo modo.*

Septimus modus est æqualitas pulsus naturali similantis, vel inæqualitas pulsus, ut modo sit magnus, modo parvus, modo fortis, modo debilis. Arteriæ procedunt a corde, æqualitas pulsus in arteriis est identitas vitæ, procedens ex affectu cordis. Cum autem mens in contrarium vertitur, tunc per diversos motus inæqualitas mentis designat periculum mortis.

CAP. XVII. *De octavo modo.*

Octavus modus est fortitudo virtutis in loco de-
B coctionis, vel debilitas virtutis in loco decoctionis. Primus decoctionis, locus est stomachus, hepar secundus, cætera membra tertius. Cum autem cibus animæ decoquitur in stomacho memoriæ per recordationem, in calore hepatis per dilectionem, in cæteris membris per operationem, tunc fortitudo virtutis est in loco decoctionis. Si vero sequitur debilitas virtutis, signum est mortis.

CAP. XVIII. *De nono modo.*

Nonus modus est laudabilis, vel vituperabilis purgatio per sudorem. Sicut enim in quolibet infirmo aperiuntur carnis pori, ut per sudorem fiat purgatio morbi, sic per confessionem peccati fit laudabilis purgatio animi. Laudatur etiam sudor mediocris si habeatur in omnibus membris. Cum
C vero sudor a toto manat corpore, omnium membrorum fortitudinem (quod est signum boni) designat. Similiter oportet ut sudor confessionis fiat de peccato cujuslibet operationis. Sed cum sudor fit tantum in quadam corporis parte, velut in capite, id contingit ex membrorum debilitate. Moraliter autem per ægrum intelligimus animum, per caput intentionem, per reliquum corpus actionum sequentium distributionem, per sudorem confessionem. Cum igitur aliquis intentionem suam laudat, et hoc quod male gessit sibi conscius, creditur excusat vituperabilis esse hujus purgatio sudoris, quia sudor confessionis poros non aperit, quos excusatio clausos per obstinationem stringit.

D CAP. XIX. *De dolore capitis.*

Caput meum doleo, dixit puer patri suo (*IV Reg.* IV). Cum autem caput sit principale membrum hominis, per ipsum significatur opus principale mentis, dolor vero capitis est appetitus mundanæ felicitatis. Quæ ideo dolor esse dicitur, quia quæritur cum labore, possidetur cum timore, amittitur cum mœrore. Per puerum intelligimus puritatem cujuslibet pœnitentis animæ. Puer igitur caput suum dolet, cum puritatem animæ de transgressione mentis pœnitet. Sed prædictus puer bis caput suum doluit, dum puritas animæ de delectatione et consensu peccati flevit. *Convertetur dolor ejus*, inquit David, *in caput ejus* (*Psal.* VII). Dolor item capitis est morbus nimiæ cupiditatis. Qui dolor in caput converti-

tur, quando mens desiderio rerum temporalium anxie cruciatur. *Ecce*, inquit, *parturit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem* (*ibid.*). Concepit dolorem mali desiderii in cogitatione, parturit injustitiam circumveniendo fratrem in locutione, male possidendo peperit iniquitatem in operatione. Hic autem dolor aliquando nascitur ex calore, aliquando ex tumore. Calor est nimiæ cupiditatis ardor, ut igitur sanus fias, morbi materiam subtrahere non omittas. *Dispersit*, inquit, *dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*, etc. (*Psal.* CXI). Qui pauperibus tribuit, nullius temporalis commodi retributionem quærit. Si igitur largiendo quæ possides, contempseris mundum, anxiæ cupiditatis minues appetitum. Nec tantum materiam morbi subtrahes, sed etiam oleo rosaceo caput unges, hujusmodi siquidem olum frigidæ naturæ dicitur esse. Rosaceum vero oleum est cruor martyrum. Dum enim passiones sanctorum legis, oleo rosaceo caput ungis. Sed antequam oleum infundas oportet caput radere, id est, superflua resecare, et sic faciens simul materiam morbi destruis, et fomento frigidi olei fervorem calorum premis. Euge igitur æstum carnis, quære umbram divinæ protectionis. Roga summum medicum, et dic : *Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. Ne tradas me a desiderio meo peccatori*, etc. (*Psal.* CXXXIX.) Repetitio nominis affectum suscitat pietatis. *Virtus*, inquit, *salutis meæ*. Ipse enim cuilibet homini dat vires salvandi. *Ipse enim est refugium, et virtus adjutor in tribulationibus quæ invenerant nos nimis* (*Psal.* XLV). *Obumbrasti super caput meum in die belli*. Dies belli est prosperitas mundi. Quæ dies belli esse dicitur, quia caro adversus spiritum in eo quotidie pugnat, et multoties alter ab altero superatur. Calor diei est calor mali desiderii. Superponit igitur capiti, id est, menti summus medicus umbram, id est, patientiæ perseverantis sustinentiam, ne nimius calor mali desiderii mentem gravet, ne a desiderio suo justum peccatori conformet.

Dolor etiam capitis ex tumore nascitur, quoties ex abundantia boni operis animus gloriatur. Tumor siquidem capitis est elatio mentis. Et *qui oderunt te extulerunt caput* (*Psal* LXXXII). Extollentia capitis est superbia mentis. *Qui oderunt te*, inquit, qui odiunt non obediunt. Qui autem diligit, libens obedit. Unde Dominus : *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV). Exhibitio autem operis indicium est dilectionis. Oportet autem oleo violaceo caput ungere, ut possis calorem tumoris mitigare. Viola est humilis herba, quæ dum de terra nascitur, non procul a terra proceritate separatur. Oleum igitur humilitatis sedabit superbiam mentis. Cave tamen ne oleum peccatoris impinguet caput tuum (*Psal.* CXL). Oleum peccatoris est blandimentum adulationis. Hoc autem tumorem capitis non destruit, sed auget et nutrit. Ut autem ad plenum sanare possis tumoris morbum, habe tecum Salomonis oleum. Ait enim : *Oleum de capite tuo non deficiat* (*Eccli.* IX). Unde Gregorius : « Non deficiat oleum de capite, » id est, charitas de mente.

CAP. XX. *De dolore verticis.*

Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet (*Psal.* VII). Superius diximus caput interioris hominis esse mentem, nunc autem verticem capitis possumus appellare mentis rationem. Sicut enim vertex capitis in dextram et sinistram partem capillos dividit, sic ratio mentis bonas et malas cogitationes discernit. In verticem hominis iniquitas descendit, dum malitia peccati rationem sibi subjectam premit. Sed hæc infirmitas verticis, id est vertigo capitis hoc modo solet fieri, ut caput in duas partes videatur scindi. In duas partes caput scinditur, dum ratio mentis ad diversa partitur. Oportet autem si hæc infirmitas contingat alicui, ut caput infirmi vitta ac fascia, id est panno lineo jubeamus stringi. Caput autem vitta, vel panno lineo stringitur, dum mens vitta, id est doctrina correctrice ligatur. Hoc enim medicamine agitur, ut mentis ratio ad unum colligatur. Unde et Psalmista : *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capitis* [*capilli*] *perambulantium in delictis suis* (*Psal.* LXVII). Capita inimicorum sunt mentes superborum, vertex capilli est versutia quæstionum in disputatione subtili. Quæ ideo vertex capilli esse dicitur, quia per quamdam similitudinem, subtilitati capillorum moraliter comparatur. Cum autem mens per diversas quæstiones spargitur, lites generantur. Sed ut dicitur, lis per litem male dirimitur. Oportet autem ne huic infirmitati auxilium medicinæ desit, quia hujusmodi morbus velut cancer serpit. Unde per Apostolum dicitur ad Timotheum : *Profana et vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit* (*II Tim.* II). Et paulo post : *Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes* (*ibid.*). Solet autem infirmitati vertice dolentium nocere multiloquium. Sed ut infirmo perfectum possis præstare remedium, pro electuario et pharmaco optimo ori ejus impone silentium.

CAP. XXI. *De capillis cadentibus.*

Capillus ex fumo grosso et calido nascitur, qui ex igneis et incensis est humoribus. Quo crescente crescunt et capilli, utpote ab ipso nutriti. Hunc fumum qui perdiderit, et capillos perdit. Pro qualitate ergo fumi erunt capilli, sicut in herbis videmus, ex terræ siccitate, vel humore rarescentibus, vel sese augmentantibus. Quod si fumus omnino defuerit, pereunt in hominibus capilli, et fiunt calvi. Quibus nullæ medicinæ subveniunt, ut amplius comæ crescant. Si autem fumus ex toto non amittatur, sed solum ex aliquo humore inficiatur, infirmitas quædam nascitur, quæ alopicia, seu alopecia vocatur. Hic autem morbus ideo alopicia dicitur, quia

vulpes, quæ Græce ἀλώπεκες alopecæ nuncupantur, hunc sæpe patiuntur. Sicut autem superius diximus, mens est caput interioris hominis, capilli vero capitis sunt discretæ cogitationes mentis. Prædictus autem fumus moraliter est providentia habita de rebus futuris. Ex fumo enim capilli, qui caput tegunt, quotidie crescunt, et ex providentia discretæ cogitationes prodeunt, quæ secretum mentis abscondunt. Qui autem hoc fumo caret, calvus fiet. Similiter animus, qui in agendis rebus providentiam non habet, calvus apparet. Nec discretæ cogitationes mentem cooperiunt, sed quod interius latet, exterius videntibus apertum reddunt. Nullæ vero medicinæ proderunt, ubi discretæ cogitationes desunt. Si autem fumus ex toto non amittitur, sed solum ex aliquo humore inficiatur, et infirmitas nascatur quæ alopecia vocatur, ex calore cutis illius loci poterit cognosci ex quo humore hæc infirmitas oriatur. Si enim activa est, calida et sicca, non dubitamus ex cholera exortam esse rubra. Sicut autem in Passionario legitur, oportet, ut myrobalano, id est unguentaria glande, viola, absinthio, et his similibus medicetur. Myrobalanum oculorum prodest visui. Viola est humilis herba. Absinthium est amarissum. Hæc enim tria cum suis similibus providentiam mentis juvant, ut capilli, id est cogitationes discretæ crescant, nec defluant. Oportet enim, ut oculis cordis peccati morbum diligenter inspicias; humiliter confitearis, amare pœniteas. Hoc autem medicamine facies, ut inhæreant capiti capilli, id est providæ cogitationes. De capite siquidem capilli quandoque defluunt, et in terram cadunt, et hoc fit quoties cogitationes mentis terrenis inhiant, et terrena concupiscunt. Inhærent vero capiti, quoties inhærent divinæ majestatis contem-

A plationi. Unde in Canticis dicitur: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad* (*Cant.* IV). Per capillos intelligitur subtilitas cogitationis, comparata capris, quia, ut capræ, excelsa petit, et si quando temporali astringitur necessitate, non tamen ab æterno bono excidit intentione.

CAP. XXII. *De dolore frontis.*

Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere (*Jer.* III). De adultera muliere propheta loquitur, ut de ea quasi dolens conqueri videatur. Per eam siquidem animam sermo divinus intelligit, quæ Deum videre desiderans frontem pudicitiæ simplicitatis velamine tegere consuevit. Si autem peccati morbus eidem advenerit, per

B impudicitiam frontem discoopertam gerit, et quæ prius juste vixerat, abjecto simplicitatis velamine peccatum prædicare non cessat. Quod si in religione alicui contingat gravioris culpæ, sæcularibus incitamentum præstat. Quanto enim gradus altior, tanto casus gravior. Unde per Isaiam dicitur: *Erubesce, Sidon*, ait, *mare* (*Isa.* XXIII). Unde Gregorius: « Plerumque, inquit, ex actione sæcularium confunditur actio religiosorum, dum illi ultra habitum assumunt opera, et isti juxta ordinem proprium non excitant corda. » In Sidone quippe figuratur stabilitas religiosorum, in mari vero vita sæcularium. Quasi ergo per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium, religiosorum,

C qui muniti, et quasi stabiles cernuntur, vita reprobatur. *Noluisti*, inquit, *erubescere*. Erubescere noluit, qui pœnitere recusavit. Rubor igitur frontis est pudor pœnitentis. Si quis igitur ab hac infirmitate curari desiderat, necesse est ut emplastrum verecundiæ fronti superponat.

Finis libelli De medicina animæ quatenus exstare compertus est: nam de plurium morborum et ægritudinum curatione spirituali, ut ex prologo patet, agere constituerat.

DE NUPTIIS LIBRI DUO

Quorum prior est de nuptiis carnalibus vitandis; posterior, de nuptiis spiritualibus amplexandis.

—

PROLOGUS

Dum te, charissime, mundi hujus agitari fluctibus conspicio, timeo ne aut pondere divitiarum pressus, aut juventutis impetu compulsus, periculum Scyllæ voraginis incurras. Amor etenim mulieris est quasi quædam vorago mortis, velut unda submergens. Ligat amor mulieris, sed tunc gravius cum indissolubili nodo conjugii stringitur. Mittimus ergo summitatem funiculi spiritualis ut traharis, ne vinculo conjugii tenearis. Summitas funiculi spiritalis est sermo sanctæ exhortationis. Hoc funiculo Jeremias infixus in limo cisternæ veteris extractus respiravit (*Jerem.* XXXVIII). Trahitur Jeremias et educitur de cisterna et mundatur a contagione luti, cum modo peccator exiens per pœnitentiam absolvitur a labe peccati. Jeremias trahitur funiculo involuto veteribus pannis, nos autem veterum Patrum trahimur exemplis. Audi igitur, dilecte mi, quæ sunt incommoda nuptiarum, nec philosophorum tantum, sed etiam divinorum monitis acquiesce; utrorumque enim exempla posituri sumus.

LIBER PRIMUS

CAP. I. *De nuptiis carnalibus vitandis suasoribus Theophrasto, atque aliis philosophis et oratoribus tum Latinis tum Græcis.*

Fertur aureolus Theophrasti liber *De nuptiis*, in quo quærit an vir sapiens uxorem ducat. Et cum definisset, si pulchra, si bene morata, si honestis parentibus, si et ipse sanus et dives, si sapiens inire aliquando matrimonium, statim intulit: Hæc autem raro in nuptiis concurrunt universa. Non est igitur uxor ducenda sapienti. Primum enim studia philosophiæ impediri, nec posse quemquam libris et uxori pariter inservire. Multa sunt, quæ matronarum usibus necessaria sunt: pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, supellex varia, lecticæ; deinde per totas noctes querulæ conquestiones; illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancilla loquebaris? De toto (*sic*) veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem; alterius amorem uxor sui odium suspicatur. Si doctissimus præceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxorem relinquere, nec cum tali sarcina illuc ire possumus. Pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum. Adde quod nulla est uxoris electio, sed qualis advenerit talis sit habenda, si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fetida, quodcunque vitii est post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, et vilissima quæque mancipia, vestes et lebetes, sedile ligneum, calix et urceolus fictilis probantur prius, et sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat, quam ducatur. Attendenda est ergo semper ejus facies, et pulchritudo laudanda, ne si alteram inspexeris, se existimet displicere. Vocanda est domina, celebrandus natalis ejus, jurandum est per salutem illius, ut sit superstes optandum, honoranda est, nutrix et gerula, servus paternus et altricius, et procurator calamistratus, et in longam securamque libidinem exsectus spado, sub quibus nominibus adulteria delitescunt. Quoscunque illa dilexerit, ii gratis amandi. Si totam ei domum regendam commiseris, serviendum est; sin aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit, et in odium vertitur et jurgia. Et nisi cito consulueris, parabit venena anus. Aurifices, et aurioles (*sic*) et institores gemmarum, sericarumque vestium si introduxeris, periculum pudicitiæ est. Si prohibueris, suspicionis injuria. Verum quid prodest diligens custodia, cum uxor impudica servari non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, sed noluit. Sit pulchra, aut deformis uxor; utrinque urgetur incommodo qui eam ducit. Pulchra enim cito adamatur;

A fœda cito concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant: molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. Nihil tutum est, in quo totius populi vota suspirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat; sicque aliquo tandem modo expugnatur, quod undique incessitur. Quod si propter dispensationem domus, et languoris solatia, et fugam solitudinis ducatur uxor, multo melius servus fidelis dispensat, obediens auctoritati domini, et dispensationi ejus obtemperans, quam uxor, quæ in eo se existimat dominum, si adversus viri voluntatem, id est, si quod placet, non quod jubetur faciat. Assidere autem ægrotanti magis possunt B amici, et vernulæ beneficiis obligati, quam illa quæ nobis imputet lacrymas suas, et hæreditatis spe vendat illas, cum et sollicitudinem jactans et curam, languentis animum desperatione conturbet. Quæ si languerit, coægrotandum est cum ea, et nunquam ab ejus lectulo recedendum. Aut si bona fuerit, et suavis uxor (quæ tamen rara aut nulla est), cum parturiente gemimus cum periclitante torquemur. Sapiens autem nunquam solus esse potest. Habet enim secum omnes qui sunt, quique potius fuerunt boni, et animum liberum quocunque vult transfert, quod corpore non potest cogitatione complectitur. Et si hominum copia defuerit, loquitur cum Deo. Nunquam minus solus erit, quam cum solus fuerit. Porro liberorum cau- C sa uxorem ducere, vel ne nomen nostrum intereat, vel ut habeamus senectutis præsidia, et ut certis utamur hæredibus stolidissimum est. Quid enim ad nos recedentes e mundo pertinet si nomine nostro alius non vocetur, cum et filius non statim patri suo vocabulum referat, et innumerabiles sint, qui eodem appellentur nomine? At quæ senectutis auxilia sunt nutrire domi illum, qui aut prior te forte moriatur, aut perversissimis moribus sit, aut certe cum ad maturam ætatem veneris, tarde ei videaris mori. Hæc et hujusmodi Theophrastus edisserens, quem nostrum non moveat ad quietam continentiæ vitam? Quieta est enim continentiæ vita, quam non inquietat uxoris suspicio, non sollicitant ancillarum sumptus, nec conturbat fi- D liorum perversitas. Quæ munditiæ gignit florem, puritatis parit fructum, bonæ conscientiæ profert odorem. Hæc tergit carnis maculas, animam sincerat, restringit cogitationum fluxus. Si quis autem uxoris non est expertus incommoda, experto credat. Cicero enim rogatus ab Hircio, ut post repudium Terentiæ sororem ejus duceret, non acquievit, dicens *non se posse et uxori et philosophiæ pariter operam dare.* Fertur et Socrates duas uxores habuisse, Xantippen et Mironem neptem Aristidis. Quæ cum eum crebro conviciis aggrederentur, novissime verterunt impetum in eum et male

multatum, tandemque fugientem diu persecutæ sunt.

Sed forsitan putet aliquis concordiæ providisse, si pauperem ducat uxorem. Marcus Cato Censorius habuit uxorem Paulam, humili loco natam, vinolentem, impotentem, et (quod credere facile posset nemo) Catoni superbam. Philippum regem Macedonum, contra quem Demosthenis Philippicæ, introeuntem ex more cubiculum uxor exclusit irata. Quid igitur, dilecte mi ? num doctior es Catone ? num Philippo rege potentior ? Non acquiescit mulier superba viro sapienti, nec potentem veretur irata. Totæ Euripidis tragœdiæ in mulierum maledicta sunt, unde et Hermione loquitur. « Malarum me mulierum decepere consilia. » Scribit Herodotus, quod « mulier cum veste deponat verecundiam. Quod sine teste gerit, quasi non fecerit, obliviscitur. Si quis autem testis adfuerit, ipsa tamen artificio linguæ fateri cogit eum non vidisse quod viderit. Quod verbis excusare non valet, hoc lacrymis excusat. » Blanditur oculis, seducit osculis, amplexibus instat et vincit. Amatur in muliere forma, non anima. Amor autem formæ viriles enervat animos, non attendit cui adhæserit, rationis expers esse dignoscitur. Scripserunt sicut legisse recolo Aristoteles et Seneca de matrimonio libros, in quibus amorem formæ uterque accusat. « Amor, inquiunt, formæ rationis oblivio est, et insaniæ proximius philtrium ; fœdum, minimeque conveniens animo sapientium, turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, querulosos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, etiam ipsi novissime amori facit. » Nam, cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plurima tempora suspicionibus lacrymis, conquestionibus perdit, odium facit sui, et ipse novissime odium est. Tota amoris insectatio apud Platonem posita est, et omnia ejus incommoda Lysias explicavit, ut qui non judicio, sed furore ducatur, et maxime uxorum pulchritudini gravissimus custos accubet. Refert præterea Seneca cognovisse quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus colligabat, et ne puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat, potionemque nullam nisi alternis tractam labiis vir et uxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improvida vis ardentis affectus erumpebat. De hoc eodem exemplo dicit Hieronymus contra Jovinianum : « Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. » Nihil autem interest ex qua honesta causa quis insaniat. Unde et Sextus in Sententiis : « Adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior. » In aliena quippe uxore omnis amor turpis, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem non affectu, ut regat impetus voluptatis, ne præceps feratur in coitum. Nihil enim fœdius est quam uxorem amare perinde atque adulteram. Certe qui dicunt se causa rei familiaris et generis humani uxoribus jungi, et liberos colere, imitentur saltem pecudes, et postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos. Ducuntur plerumque uxores non causa fornicationis vitandæ, sed causa luxuriæ explendæ ; nec causa prolis, sed causa pecuniæ. Unde Martia Catonis filia minor, cum quæreretur ab ea cur post amissum virum denuo non nuberet, respondit se non invenire virum, qui se magis vellet quam sua. Quo dicto eleganter ostendit divitias magis in uxoribus eligi solere, quam pudicitiam, et multos non oculis, sed digitis uxores ducere. Optima est uxor, quam non avaritia conciliat, nec luxuria copulat. Refert œconomicus Xenophontis liber pulcherrimus, in quo De civili loquitur conjugio, quod « pari labore vir et mulier desudarent in opere. Ille foris victus et cultus humanos quæreret, illa vero domi curam ageret, avium cæterarumque pecudum fetus et fructus custodiret. » Sed post mulierum labor immutatus est, et quæ laborare consueverant, dominari cœperunt : et quandoque dominium concomitatur otium. Unde Columella cum de luxu mulierum loqueretur, inquit : « Luxu et inertia defluunt. » Ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur, sed domi confectæ vestes fastidio sint, perversaque cupidine maxime placeant, quæ grandi pecunia et totis pene censibus rediмuntur. Instrumentorum agrestium cura gravantur, sordidissimum negotium paucis diebus in villa morari dicunt. Amant enim civitatum frequentiam, platearum plausus, fori spectacula, otiosorum confabulationes, interesse choreis gaudent, videre et videri summum bonum existimant. Quæ igitur, charissime, placet tibi, an quæ sectatur otium, an quæ dominio gaudet, an quæ labore fatigatur ? Otium enim luxuria, dominium superbia, laborem jurgia sequuntur : his igitur et hujusmodi curis laborat et affligitur, qui uxoris pestiferæ consortia diligit. Restat nunc, frater charissime, ut qui philosophorum posuimus exempla, mulieris actus explicando, ad divinarum Scripturarum testimonia transeamus.

CAP. II. *Muliebris commercii, et carnalis conjugii detestatio, adductis sacræ Scripturæ testimoniis.*

Causa mali mulier, initium culpæ, fomes peccati. Scriptum est enim : *A muliere initium factum est peccati, et per ipsam omnes morimur* (*Eccli.* XXV). Ipsa est, quæ subvertit justum, sapientem decipit, exsuperat fortem. Nonne David virum sanctum, qui leoni et urso non cessit, qui Philisthæi frontem lapide comminuit, mulieris aspectus traxit ad culpam ? Quid tam ingens Samsoni virtus, vel quod Salomoni tam laudata profuit sapientia ? Vicit enim utrumque mulier. Nam, sicut ignis non satiatur combustibilibus, et avaritia nunquam satiatur pecunia, sic ardor mulieris nunquam dicit : Sufficit. Uxor propria habenti solet esse fastidio, aliena vero non sine periculo adamatur. Propria exsuperat verbis, aliena mollit sermones suos, et multo labiorum suorum blandimento seducit cor amantis. Unde Salomon :

Ut eruaris, inquit, *a muliere aliena, et ab extranea quæ mollit sermones suos, et inclinata est ad mortem domus ejus et ad inferos semitæ ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertuntur, nec apprehendent semitas vitæ* (*Prov.* II). Et in eodem scriptum est : *Favus distillans labia meretricis, et nitidius guttur ejus oleo. Novissima autem illius amara quasi absinthium, et lingua ejus acuta quasie gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus et investigabiles. Nunc ergo, fili, audi me, et ne recedas a verbis oris mei. Longe fac ab ea vitam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus. Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena et gemas in novissimis quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas : Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam ?* In favo mellis duo sunt, id est, mel et cera. In facie meretricis similiter duo, scilicet decor et gratia, hoc est pulchritudo oris, et dulcedo sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem. Sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento vero lenocinantis sermonis subvertit mentem. Stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit et facit dulcia. Hanc autem dulcedinem æternæ mortis amaritudo comitatur. Unde sequitur : *Novissima illius amara quasi absinthium, et lingua ejus acuta quasi gladius biceps.* Mors æternæ damnationis per gladium, amaritudo vero desperation s per absinthium designatur. *Custodi* ergo *animam tuam a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ, non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum : ne rapiaris nutibus illius, pretium enim scorti vix est unius panis* (*Prov.* VI). Diligit mulier, ut decipiat, decipit ut rapiat. Amat quod habes, non quod es. *Hæc est quæ*, ut Salomon ait, *vecordi juveni occurrit ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. Apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur, dicens : Victimas pro salute tua devovi, hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre et reperi. Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo. Veni, inebriemur, uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. Non enim est vir in domo sua, abiit in via longissima. Sacculum pecuniæ secum tulit. In die plenæ lunæ reversurus est in domum suam. Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens et ignorans, et nescit quod ad vincula stultus trahitur, donec transfigat sagitta jecur ejus, velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo animæ illius agitur. Nunc igitur, fili mi, audi me, et attende verba oris mei, ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus. Multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus ejus penetrantes inferiora mortis* (*Prov.* VII). Quid diligitur in muliere ? forsitan quod diligi solet in quolibet flore. In flore color, in muliere decor ; sed utrumque parvi temporis est. Rubet rosa, lilia candent, viola purpuram imitatur ferrugineam, nec tamen in hieme floret rosa, nec redolet lilium, nec viola nascitur, sed sicut verna tempestas sola florum præcipua pulchritudine vestitur, sic mulieris juventus sola decoris gratia coloratur. Ut autem flos quandoque aut exuritur gelu, aut pruina marcessit, sic decor mulieris aut infirmitate languet, aut senio evanescit. Mulier omnis aut in juventute morietur, aut erit anus. Si moritur, sequitur dolor, si eam diligis ; si anum exspectas, nemini vetula placet. Non igitur amandum quod tam cito displicet, aut tam leviter dimittitur. Illa quæ verticis crines aurea dividit acu, quæ frontem pingit, faciem colorat, gemmis digitos exornat, erit esca vermium, erit colubri cibus. Hujus collum coluber ambiet, anget anguis ubera. Et quanto pulchrior atque tenerior fuerit caro, tanto velocius putrefacta vertetur in saniem. Hæc in terra patietur. Sed quid in inferno erit ? Audi Isaiam loquentem de filiabus Sion, quæ extento collo, et nutibus oculorum elevatæ, et in pedibus suis composito gradu incedebant : *Decalcabit*, inquit, *Dominus verticem filiarum Sion, et crinem earum nudabit. Auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et pallio-la, et acus, et specula, inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et sindones, et vittas, et theristra* (*Isa.* III). Et erit pro suavi odore fetor, et pro zona funiculus, pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. Hic vermis, illic ignis ; hic putredo, illic tormentum sine termino. Erit tamen ibi vermis conscientiæ hic, nutritus delectationibus carnis, qui illic desperationis dolorem commovebit. Ecce quod amas homo, ecce quod es et quod amas. Cinis es et pulvis, et vento superbiæ sublevaris. Nocet vicinitas mulierum, cohabitatio earum multos traxit ad crimen, « *quarum*, ut ait B. Gregorius, *vox blanditur auribus, et facies oculis.* » In paradiso nocuit mulier, in terra adhuc nocet, trahitque ad inferos. Ne igitur obstruat cœlum, sapientis est providere. Unde in Ecclesiastico legitur : *In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri* (*Eccli.* XLII). Unde in Proverbiis Salomon dicit : *Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ita ut vestimenta illius non ardeant ; aut ambulare super prunas, et non comburantur plantæ ejus ?* (*Prov.* VI.) Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. Dum ægrotaret Job, et damna substantiæ pateretur, dum pro morte filiorum

cor ejus doloribus anxiaretur, dum molestia carnis affligeretur, et testa saniem raderet, inter hæc nihil est relictum, quod gravius affligeret, quam uxor insana et perversa. Ait enim viro ægrotanti : *Adhuc permanes in simplicitate tua. Benedic Deo et morere* (*Job.* II). In paradiso, ut diximus, mulier nocuit, sed in sterquilinio, ut audis, non desinit. Adfuit cum Petro in prætorio, et cum Herode locuta est in palatio. In prætorio Petro præbuit negationis occasionem, in palatio ausa est dicere Herodi : *Da mihi in disco caput Joannis Baptistæ* (*Marc.* VI). Commorari igitur cum leone et dracone magis placeat quam cum muliere nequam habitare. Nequitia enim mulieris immutat faciem ejus, et obcæcabit vultum suum tanquam ursus, et quasi saccum ostendet in medio proximorum. Ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. Averte igitur faciem tuam a muliere, et maxime a muliere compta, et ne respicias speciem alienam, propter speciem enim mulier immutat faciem suam, et multi perierunt. Hæc concupiscentia quasi ignis exardescit. *In amorem Thamar sororis suæ Amon filius David exarsit, et periit* (*II Reg.* XIII). *Exarsit, et periit in amore Dinæ filiæ Jacob Sichem filius Hemor* (*Gen.* XXXIV). Sic speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. Nonne in Proverbiis scriptum est de ea ? *Fovea profunda meretrix, et puteus angustus aliena* (*Prov.* XXIII). Insidiatur in via quasi latro, et quos incautos viderit, interficiet. *Nonne pretium scorti, seu meretricis vix est unicus panis ? Nonne qui nutrit scorta, perdet substantiam ?* (*Prov.* VI). *Ecce duo contraria si luxoriosus es et avarus. Largum enim quærit luxuria, parcum avaritia* (*Prov.* XXIX). Hæ sunt illæ duæ dominæ contrariæ, de quibus dicit Augustinus, quod contraria præcipiant. Dicit avaritia, serva ; luxuria dicit, eroga. Perdis si male erogas ; si autem non erogaveris, non recipis quod amas. Nutrimentum luxuriæ cohabitatio ministrat, præbet vires, supponit igni materiam. Nisi enim adjacentem subtrahas igni stipulam, non cessat ignis ; sic luxuria, quandiu carnalibus desideriis pascitur, non exstinguitur. Duobus modis ignis exstinguitur, scilicet dum subtrahuntur ligna, vel aspergitur aqua. Sic luxuriæ flamma, dum subtrahuntur carnis incentiva, vel dum mens irrigatur lacrymarum affluentia, suffocatur ne noceat.

CAP. III. *Invitatur amicus ad compunctionem cordis, et fontem lacrymarum, ut devitet illecebras carnis.*

Veni igitur, charissime, ad fontem compunctionis, qui oritur in valle humilitatis, qui defluit per declivia convallium, id est, per corda humilium. Cujus unda exstinguit libidinis flammam, vitiorum temperat æstus, mentium sordes lavat, carnalium desideriorum restinguit sitim. Irrigatur ab hoc fonte castitatis hortus, humectantur ab eodem virtutum plantaria. Hujus humor nutrit oliveta misericordiæ, roseta martyrii, castitatis lilia, inviolatæ virginitatis violas gignit, et varios moratæ juventutis emittit flores. Sicut ex aquarum humore, et calore solis terra ista facta fecundior copiosiorem cultori suo reddit fructum, sic hortus animæ nostræ dum lacrymarum affluentia suffunditur, dum rore cœlesti et sancti Spiritus calore vaporatur, segeti virtutum præstat incrementum, pullulare cogit virgulta justitiæ, in vineis charitatis botros multiplicat gratiæ, multiplicat et abundantiam vini, id est, intelligentiam verbi divini. Mentes etenim, quæ sitæ sunt in convallibus humilitatis, quas illuminat radius contemplationis, per calorem sancti Spiritus defenduntur a tentationis pruina, per humorem compunctionis intimæ, replentur intelligentia divina. Sicut rivulus lene sonantis aquæ objectu lapidum dat saltus, et quasi quodam delectabili murmure aures demulcet audientium, sic rivulus compunctionis dum peccatorum occurrit memoriæ, dat singultus, et psalmorum dulce murmur auribus cordis insonat. Dum enim occurrit peccatorum memoria, mens de singulis trahit suspiria. Sunt igitur rivuli saltus, animi singultus; psalmorum vero ruminatio, fluentis est aqua murmuratio. Super ripas hujus fontis dulce est commorari, et considerare *vultum nativitatis suæ quasi in speculo* (*Jac.* I). Ut si qua macula dignoscatur in facie, mundetur aqua. Contingit quandoque, ut fons compunctionis repleatur terra, nec aliquos habeat decursus, sed obstrusis venarum meatibus bitumine et limo plenus superabundet. Tunc fons oppletur terra, cum mens nihil nisi terrena cogitat sicut in Ezechiele dicitur de ædificio in monte viso : *Et terra*, inquit, *erat usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia* (*Ezech.* XLI). Per ædificium signatur Ecclesia, per fenestras ædificii, Ecclesiæ prælati, clauduntur fenestræ, quia terra erat usque ad fenestras. Intenti enim terrenis desideriis Ecclesiæ prælati lumen verbi subtrahunt subjectis, et hoc est fenestras esse clausas. Sic fons compunctionis, dum terra repletur, siccatur, nisi terra ejiciatur. Sed tunc ejicitur terra, cum per confessionem mens absolvitur a culpa. Quando autem noviter purgatur, tribus adhuc modis obscuratur. Obscuratur enim profunditate, turbatur limo, agitatur vento. Profunditas fontis est longæ consuetudinis in peccatis assiduitas mentis. Limus vero delectatio carnalis, quia licet animus peccato renuntiet, ex consuetudine tamen præcedenti, quædam dulcedo delectationis in carne quandoque remanet. Agitatur vento cum mens noviter conversa vento suggestionum aliquantulum movetur accepto. Sed dum cessat ventus, dum limus ima petit, dum illuminatur profunditas fontis radio contemplationis tunc mens tranquillitatem recipit, et fit illustre quod erat obscurum. Fit itaque fons purus, fit purior, fit purissimus. Purus efficitur per cognitionem sui, purior per cognitionem mundi, purissimus per cognitionem Dei. Cognitio sui generat humilitatem, cognitio mundi ipsius mundi despectionem, cognitio Dei charitatis ardorem. Cognitio sui illuminat profunditatem, contemptus mundi pellit delectationem, ardor vero charitatis sedat ventorum, id est, tenta-

tionum commotionem. Sic igitur congregantur illa tria, scilicet claritas, puritas et tranquillitas. In intelligentia claritas, in conscientia puritas, in moribus tranquillitas. Veniant igitur ad fontem compunctionis illi, qui sedent super flumina Babylonis. Sed quomodo venient? recordando Sion. Unde Psalmista : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordardaremur tui, Sion* (*Psal.* CXXXVI). Qui scrutantur fluctus mundanæ confusionis, quod est esse super flumina Babylonis, si contemplentur cœlestia, solo eorum desiderio excitentur ad lacrymas. More enim fluminis mundana cuncta transeunt. Amittuntur divitiæ, mutantur honores, ædificia corruunt, pretiosæ vestes conteruntur aut consumuntur, amici moriuntur : hi gladio, illi senio; hi casu, illi infirmitate. Evanescit pulchritudo, labitur ætas, sito fit de puero juvenis, de juvene senex, de sene decrepitus. Sic mundana transeunt, et tamen multi sequuntur ea. Hi enim sedent super fluenta luxuriæ, illos trahit torrens iracundiæ, hunc vorago gulæ demergit, illum cupiditatis profunditas absorbet. Hunc loquacitatis impetus subvertit, illi otiositatis stagna placent. Assimilatur otiositas stagno; quia, sicut stagnum abundantiam nutrit piscium, sic otiositas multitudinem cognitionum. Hæc sunt mortis flumina tenaci vitiorum luto repleta. Clama igitur, charissime, ut *educaris de lacu miseriæ, et de luto fæcis* (*Psal.* XXXIX), *ut venias et bibas de fontibus Israel, et haurias aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*Isa.* XII). Fons compunctionis est unus de fontibus Salvatoris. In hoc fonte salus et sanitas. Bibit Petrus ex hoc fonte, et salutem recepit. Venit Maria Magdalene ad hunc fontem, et ab languore peccatorum multorum sanata est. Ad hunc fontem fontes Israel defluunt. Septem sunt enim fontes Israel, quibus videntium Deum mentes irrigantur, id est septem sunt sancti Spiritus dona, quæ sunt Spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini. De fonte sapientiæ procedit aqua doctrinæ. Spiritus intelligentiæ emittit rivulum providentiæ. De fonte consilii procedit vena solatii. De fonte fortitudinis robur boni operis. *Emittit fons scientiæ gemitum doloris :* qui enim addit scientiam, addit et laborem. Reddit autem fons pietatis decursum compassionis. Rivulus vero timoris, fructum confessionis. Anima itaque Deum sitiens compungitur timore, compungitur et amore. Dum enim cogitat vitæ præsentis exsilium, vel dum recolit inferni supplicium, tunc affligitur lacrymis, vexatur suspiriis. Cum vero longa mœroris anxietate consumpta, de venia securitas nascitur, aut contemplatione cœlestium mens delectatur, tunc est oneri transeundi ad regnum dilatio, et cruciatur mens desiderio. Ex his igitur quatuor affectionibus animi tanquam ex quatuor rivulis, quorum duo descendunt ex superiori irriguo, duo vero ex inferiori ascendunt, fons compunctionis augmentatur et crescit. Hæc est terra, quam dedit Caleb Axæ filiæ suæ sedenti super asinum, suspirantique

A et dicenti : *Da mihi, pater, benedictionem. Terram australem et arentem dedisti mihi : junge et irriguam.* Deditque ei pater suus irriguum superius et irriguum inferius (*Josue.* XV). Axa quamlibet animam fidelem, asinus eidem animæ subjectam carnem, terra australis ardorem exprimit bonæ mentis. Irriguum superius et irriguum inferius duo genera compunctionis, timoris et amoris. Gemitus suspirantis dolorem pœnitentiæ designat. Per irriguum superius igitur, et irriguum inferius timor et amor intelligitur. Dum enim ex consideratione præsentis miseriæ, vel ex recordatione gehennalis pœnæ, profluimus lacrymis, tunc quasi geminos aquæductus ex irriguo inferiori, id est ex timore, ad fontem compunctionis dirigimus. Cum vero B animus foras mittit timorem, et mens emollitur per amorem : dum cruciat mentem dilatio, et animus ascenditur desiderio, tunc quasi ex irriguo superiori, id est, ex amore duo rivuli ad fontem compunctionis descendunt. Hæc est hæreditas Axæ filiæ Caleb, filii Jephonæ, qui duxerit eam uxorem tali ditabitur hæreditate. Caleb *cor* interpretatur Jephone *conversio :* qui enim convertuntur ad cor irrigua compunctionis possident, et australi terra delectantur, id est, bonæ menti, quæ calore Spiritus sancti fervens flagrescit, dominantur. In his rivulus animæ sordes abluuntur, et carnis inquinamenta purgantur. In inferiori irriguo animæ vestes a grossioribus sordibus mundantur, in superiori mundiores fiunt, in australi vero terra sic- C cantur. Timor lavat, amor mundat, calor siccat. In inferiori irriguo timor, in superiori amor, in australi est calor. Timor ex pœna, amor ex desiderio calor ex igne. Sensualitas timet, ratio delectatur animus radio contemplationis illuminatur. In uno sordes deponuntur, in altero munditia recipitur in tertio candor. Timor exprimit actionum peccata, amor delicta cogitationum eliminat. Ignis vero meditationum humorem carnalium voluptatum exsiccat. Unde Psalmista : *Et in meditatione mea exardescit ignis* (*Psal.* XXXVIII). Potest et aliud de hac inundatione et mundatione aquarum spiritualium per similitudinem dici. Solent etenim materiales panni, prius aqua frigida, postea vero calida lavari, et sic ad radios solis, ut siccentur, poni. Aqua D miscetur cineri, colatur, ut ita dicam, per pannum ne cinis transeat, et sic quæ lavantur, citius mundantur. Cum enim per amorem cœlestium desideriorum compunctionis lacrymæ excitantur, tunc quasi ad ignem ponitur aqua. Cum carnalis fragilitas attenditur, tunc quasi cineribus aqua miscetur. Colatur per pannum, et commovetur cinis, dum per memoriam mortis considerat animus turbationem carnalis fragilitatis. Per hoc igitur compunctionis lixivium animæ sordes abluuntur, homicidii videlicet sanguis, invidiæ venenum, luxuriæ fetor, levitatis pulvis, cupiditatis fumus, pannus menstruatæ, voluptatis cœnum. Longe digressi, charissime, cœptum reliquimus iter, more viatoris, qui juxta viam fontem reperiens ponit latus super ripam, florido gramine delectatur, conspicuas miratur aquas

sitim revelat, viæ refrigerat æstum, loca faciem lavat manus et pedes. Sic qui fontem compunctionis reperit, animæ faciem lavat, quia mentis speciem decorat. Lavat opera manuum, lavat et affectus cogitationum, quibus quasi pedibus mens ad optata progreditur. Immerari diutius liberet circa fontis hujus fluenta, saltem loquendo, nisi propositi nostri finis instaret.

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. *De duplici uxore, et duplici vita.*

Surgamus igitur, et revertamur ad rem, ut qui paulo ante carnalium nuptiarum patefecimus incommoda, nunc ad dulces spiritualis conjugii amplexus provocemus socium. Cavendum autem primum esse moneo, ne illico fruatur conjugio, neve talem ducat, quæ aut matris, aut patris offendat animum. Isaac duos habuit filios, et uterque duas habuit uxores. *Esau* enim *duxit Judith filiam Becri Hethæri, et Basemath filiam Elon ejusdem loci, quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ (Gen.* XXVI) ; Jacob vero filias Laban Liam, et Rachel sibi conjugio sociavit (*Gen.* XXIV). Qui autem hi duo fratres nisi duo motus, qui sunt in homine, designant, hoc est concupiscentiam carnis et spiritus ? Quid uxores Esau, nisi propriæ laudis amorem, et mundi sapientiam ? Quid uxores Jacob, nisi activam et contemplativam designant vitam ? Ad hoc pertinet, quod dicitur : *Factus est Esau vir gnarus venandi : Jacob autem simplex habitabat domi, vel in tabernaculis* (*Gen.* XXV). Venator carnem sequitur, et carne vescitur, quia concupiscentia carnalis sectando carnalia carnalibus desideriis pascitur : animus vero spiritualis quasi Jacob vir semplex in tabernaculis moratur, quia intus spiritualia meditando delectatur. Esau feras, Jacob sequitur oves : hic sanguinem fundit,ille lac præbet ; hic lanam, ille pilos inutiles ; hic gerit arcum, ut vulneret, et ponit laqueos ut decipiat ille baculum tenet sustentationis per consolationem, et virgam directionis per correctionem. Probans quoque Esau, quod non libenter acciperet pater suus filias Chanaan, duxit uxorem absque his quas prius habebat, Maheleth filiam Ismael filii Abraham (*Gen.* XXVIII), Erat enim Ismael ancillæ filius, quæ est Agar. Agar carnem, Ismael carnis appetitum, filia Ismaelis curam designat carnis. Duxit itaque filiam Ismaelis, qui curam carnis in desideriis facit. Uxores Jacob solæ laudantur ; in una fecunditas, in altera facies commendatur. Quibusdam tamen sola Rachel, quibusdam sola Lia placet. Amant enim quidam contemplationis pulchritudinem, quietem silentii, lectionis speculum, conscientiæ puritatem, piæ meditationis consolationem. Charitati divinæ quasi vultui Rachelis inhærent, aspectibus animi tanquam voluptuosis amplexibus illius astringuntur. Aliis vero solius Liæ fecunditas placet. Generant verbo prædicationis filios, hos nutriunt lacte consolationis, illos vero pastu cibi fortioris. Necessario serviunt labori, curam rei familiaris gerunt, necessaria fratribus subministrant, et sunt quasi vela, aut saga cilicina, quibus tota pulchritudo tabernaculi a vento et pluvia custoditur. Apud nos autem utraque ducitur, id est, Rachel et Lia, ne intolerabilis sit labor Liæ, neu quies Rachelis habebatur tædio, sed constitutis horis sibi invicem succedant. Succedat labor orationi, oratio labori, lectio meditationi, meditatio prædicationi. Sic ad Rachel Jacob quandoque intrabat, sed ad Liam sæpius intrare consueverat. Ducenda est igitur uxor, quæ summi patris animum non offendat, quæ gaudium felicitatis non conturbet æternæ. Hoc enim interpretatur Isaac *gaudium*, sive *risus*. Item cavendum est, ne talem ducas, quam lex prohibeant. Populo etenim Israel exeunti de Ægypto, cum septem gentes, id est, Chananæos, et Pherezæos cum quinque reliquis gentibus expugnaret, Dominus ait : *Non inibis fœdus cum eis, neque sociabis conjugia ; filiam tuam non dabis filio ejus, nec filium ejus accipies filio tuo, quia seducet filium tuum* (*Exod.* XXXII). Patet moralis sensus. De Ægypto exeunt, qui mundo renuntiant ; expugnant illas septem gentes et possident terram eorum, qui terram cordis sui liberant a dominio septem principalium vitiorum. Fœdus vero cum eis non inire, est consensum delectationi non præbere. Connubia non sociare, opera delectationum non adimplere. Filii autem et filiæ Chananæorum sunt opera eorum perversa, et suggestiones, vel cogitationes pravæ. Filii et filiæ Hebræorum sunt opera bona, et piæ cogitationes. Conjunguntur siquidem hæ duæ nationes inter se contrariæ mutuo, quando opus bonum suggestioni, aut cogitatio bona operi nefario consentit. Sed Hebræi filium Chananæi filia seducit, cum boni consilium operis suggestio perversa subvertit. Sic Evæ suggestio primi parentis mutavit consilium, porrexit voluptatis pomum, et ad inobedientiæ promovit transgressum. Quod si spiritualiter intelligatur, Eva quotidie primo parenti offert pomum, quia caro spiritui suggerit voluntatis affectum. Pomo enim voluptas carnis per similitudinem comparatur. In pomo enim tria sunt, scilicet odor, color et sapor. Et in voluptate tria scilicet favor, honor et amor. Favor itaque mundi est quasi odor pomi, color honor, sapor amor. Sicut enim naribus dulcis odor attrahitur, sic totis desideriis animi famæ sæcularis favor affectatur. Sed caret pomum pulchridine coloris, si voluptas privetur honore mundanæ potestatis. Odorem vero sapor sequitur, quando opere desiderium voluptatis impletur. Monstrat diabolus Evæ pomi colorem per suggestionem, odorat Eva per delectationem. Adam per delectationis amorem consentit. Hæc in nobis quotidie fiunt. Suggerit enim

diabolus, delectator caro, spiritus consentit. Adhibenda est igitur custodia, ne dominetur sensualitas, sed succumbat, ne stultitia carnis animum privet virtute rationis.

CAP. II. *Qualiter uxor jam ducta sit habenda, aut si displicuerit repudianda.*

Incassum forsitan hortor te, charissime, ne ducas uxorem, quia fortassis aliquam duxisti. Si autem duxisti, vide utrum placeat ; cave ne sit ancilla, ne adultera, ne fœda. Per Moysen etenim scriptum est : « Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu ejus, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudii, et dimiserit eam de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem,quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino (*Deut.* XXIV). » Audi,charissime, quid de adducto exemplo beatus Gregorius dicat : « Homo, inquit, uxorem accipit cum actionis terrenæ suscipit curam. Cujus cum cognoverit fœditatem, dat libellum repudii, et dimittit eam de domo sua, quia sæpe ipsa terrena actio, quæ priusquam haberetur fortiter amabatur, cum habita fuerit, ejus fœditas agnoscitur : cum scilicet esse per peccatum polluta videtur. Dimittit ergo eam vir de domo sua, ut amorem ejus abjiciat de mente sua. Quæ egressa alterum utrum accipit, quia terrenam actionem, quam tu deseris, alius concupiscit, sed fortasse etiam ipsi in odium quandoque ventura est, ut eam utiliter dimittat. » Bene autem dicitur, *dimiserit eam*, vel certe mortuus fuerit, quia unusquisque terrenam curam aut dimittet, aut morietur, id est, aut non ei ex animo succumbet, aut propter eam funditus in animæ vita succumbet, Sive ergo eam sequens maritus dimiserit, sive mortuus fuerit, maritus prior eam in uxorem non poterit recipere, quia polluta est, ut videlicet is, qui semel terrenam curam, atque præsentis vitæ intentionem reliquerit, ad eam ultra nullo modo redeat, quoniam ipse jam suo judicio se polluit, qui eam prius ideo deseruit, quia pollutam esse cognovit. Habes nunc, charissime, causam separationis idoneam. Causa enim separationis est occasio fœditatis, fetoris. Sed fetoris assiduitas fortassis quid, et præcipue vel quantum cuilibet noceat dignoscere non permittit, nec fetorem curæ sæcularis discernunt nares, nisi quæ fragrantiam consueverint boni odoris : sed qui remotus est a fetore qui moratur inter odoriferos virtutum flores, et bonorum operum velut aromatum reficitur odore, qui carnis munditia delectatur, et puritatem cordis observat, talis peccati fetentem nebulam sentit, et contaminantem superfluitatis evitat labem. Ejice igitur uxorem, et sic ejicies cum uxore fetorem, id est, de domo mentis curam expelle sæcularem. Non enim sane habitabunt simul animus spiritualis et cura sæcularis, sed tum separatur animus a terrenis, dum cœlestibus inhæret, dum interius divinæ contemplationis rore suffunditur, et gratiæ spiritualis dulcedine fruitur, cito et facile peccati pessimum discernit odorem. Veni igitur, charissime, ut curras adolescens cum adolescentulis, et dicas : *In odore unguentorum tuorum currimus : adolescentulæ dilexerunt te nimis* (*Cant.* I). Curramus igitur ut ungamur. Sunt enim quidam qui non currunt, quia nimii fetoris assiduitate imbuti fragrantiam virtutum non sentiunt. Sunt alii qui lento passu incedunt, et sic aut vix aut nunquam perveniunt. Lento siquidem passu gradiuntur, quia minorum virtutum gradibus innituntur. Sunt et alii qui currunt, quorum duæ species sunt, scilicet qui currunt et perveniunt alii vero qui dum currunt quibusdam occurrunt, et confabulantur eis, sed dum morantur quo tendebant oblisviscuntur. Currebat Cornelius, currebat Zachæus, uterque fide et opere, currebat. Currunt Ananias et Saphira, currunt et non perveniunt. Currunt interdum frustra sæculares, currunt et claustrales. Illi enim detinentur quandoque delectamentis mundi, ne exeant a mundo; isti vero revocantur delectationibus carnis, ut redeant ad mundum. Impediunt ergo cursum boni operis offendicula miseræ carnis. De hoc cursu dicit Apostolus : *Currebatis bene, quis vos impedivit?* (*Galat.* V.) Infirmi currunt ut sani fiant, qui enim delectantur odore unguentorum tactu sanantur eorum. Odor unguentorum, fragrantia virtutum est; unctio eorum, exhibitio est bonorum operum. Unguenti siquidem spiritalis tres species esse dicuntur, prima videlicet per quam tumores comprimuntur, secunda per quam contractiones solidantur, tertia per quam dolores extrahuntur. Unguentum etenim humilitatis tumorem curat elationis Unguentum consolationis læsionem refovet fractæ mentis. Unguento autem confessionis ab intimis vis extrahitur inveterari doloris. Sed tunc operatur citius quando assiduæ exhortationis manu fricatur. Tenet etiam quandoque medicinalis potionis similitudinem confessio, sicut enim per potionem curantur interiora ventris, sic per confessionem infirmæ pugnantur vitia mentis. Curantur itaque contraria contrariis, subintrant enim virtutes recedentibus vitiis : hic est autem adolescentularum cursus, virtutum scilicet profectus. Currant ergo *juvenes et virgines, senes cum junioribus* (*Psal.* CXLVIII) Sed qui plus diligit, velocius currit. Præcurrit sponsa, id est, anima perfecta, subsequuntur adolescentulæ, id est, minus perfectæ.

CAP. III. *De nuptiis spiritualibus, et earum ferculis, ornamentis, ministris ac consummatione.*

Unde veniunt, et quo currunt? Ex Ægypto ad nuptias. Ad cujus nuptias? Summi regis filii. Qui sunt qui ad eas veniunt? Pauperes et meretrices, stulti et ignobiles, et tamen Dominus nuptiarum partitur eis munera sua *dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Nec tantum trahit eos odor unguentorum, sed etiam sapor ferculorum. Fercula enim illa Deum sapiunt. Ibi audient nova amoris cantica. Canit enim sponsa: *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I). *Ibi enim videbunt regem in decore suo* (*Isai.* XXXIII), *speciosum*

forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV). Ibi tangent A fimbriam vestimenti ejus, ut cesset fluxus sanguinis (*Matth.* IX), id est, fluxa voluptas carnis. Sic omnes animi sensus aliquid de eo bene sentiunt. Olfactus odoris fragrantiam sensit; gustus saporis dulcedinem, visus rerum pulchritudinem, auditus delectabilia, tactus suavia, sed hæc in animo spiritualiter quandoque reperiuntur. Animus enim odorat dum spiritalia cogitat, audit dum attendit, videt dum intelligit, gustat dum delectatur, tangit dum operatur. Veniunt igitur ex Ægypto animæ ad nuptias, quæ mundo renuntiantes Deo spiritaliter conjunguntur, ut generent sobolem virtutum per temporis incrementum. Quæ fuerant pauperes, quia divitiis cœlestibus diu caruerant; meretrices, quia in domo mentis suæ lupanar libidinosa vo- B luptatis erexerant; stultæ, quia mundi sapientiam secutæ fuerant; ignobiles, quia peccato servierant. Sed Christus pauperem ditat, ignobilem sublimat, meretricem facit uxorem, stultam sapientiam. Veni ergo, charissime, ut videas ministros nuptiarum indutos purpura, et bysso, rosarum flores et lilia convallium tenentes, talares tunicas habentes, balteis cinctos, diversa portantes fercula. Hi, qui bysso vestiuntur, et tenent lilia, sunt justi, qui nimio labore munditiam carnis quæsierunt. Byssus de terra nascitur, et fit ex lino, quod cum eradicatur, in aquam mittitur, inde extractum ad radios solis siccatur, siccatum malleis frangitur, fractum manibus fricatur, ferri patitur divisiones, ut ab aristis et stupa sepa- C retur ducitur in filum, fit tela, transit in usum vestium. Sed byssus non dicitur, nisi subtilitatem fili, et tenuitatem cum candore comitetur. Anima autem justi induitur bysso, et operatur linum, cum mens separata a terrenis desideriis operatur bonum, sub aquis diu tenetur et postea sole siccatur, quia post peccatum lacrymis irrigata radio contemplationis illuminatur. Sed qui talis est malleum patitur, manibus fricatur, a stupa disjungitur, quia tribulationem persequentium non veretur, sed tribulationis assiduitate purgatur. Cum autem linum trahitur in filum, a læva in dexteram traducitur manu, vertitur, salivis humectatur: sic mens, cum a vitiis ad virtutes trahitur, manu et saliva id est, exemplo boni operis et verbo exhortationis ab bonum convertitur. Quidam vero lineis induuntur et non bysso, qui enim non tantum peccata carnis, quæ sunt quasi grossiora fila, relinquunt, sed etiam cogitationum delicta subtiliter examinant, hi bysso induuntur, his enim filis tela texitur religionis. Induuntur hi tunica talari, et cinguntur balteis. Tunica talaris est in bonis operibus perseverantia longanimitatis. Balteus, quo renes cinguntur, est castitas per quam luxuriæ fluxa restringuntur: hæc est igitur tunica Joseph, hic est balteus Jonathæ. Alii vero purpura vestiuntur, quæ colorem sanguinum imitatur, hanc purpuram primus tinxit Christus. Hac indutus primus Christo ministravit Stephanus. In spiritalibus siquidem nuptiis diversa diversi ministrant. Confessores abluendis manibus aquas præbent, luminario succendunt. Scriptum est enim de his: *Sint lumbi vestri præcincti; et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII). Intus enim ardent per affectum charitatis, exterius vero lucent per exemplum boni operis. Hi dant aquas manibus, non enim tantum deflent sua peccata, sed etiam aliena, hoc est enim dare aquam manibus, lacrymis succurrere peccatorum reatibus, Martyres vero diversa carnium genera ministrant, Stephanus carnes lapidatas, Joannes oleo frixas, Laurentius igne assas, Vincentius sale conspersas, Hippolyus dissipatas, dat Joannes caput in disco, Jacobus suum præbet percussoribus, portat Dionysius suum propriis manibus, Sabinus abscissas manus. Sed et virgines ministrant teneras carnes, Agatha ubera, Agnes ustulata latera, Margarita carnes virgis cæsas, Tecla flammis ereptas. Ibi auditur Mariæ tympanum, et David cum cantoribus citharam percutit. Post diversa autem divinæ scripturæ fercula, post tympanum mortificatæ carnis, post dulcæ melos citharæ, quæ morum concordiam designat, anima quæ Christo nubere quærit, intrat thalamum suum, id est, mentis secretum, parat lectulum conscientiæ, spargit virtutum flores, et dicit: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus, lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum, cedrina, laquearia, cypressina.* Si noster est, ergo communis. Quibus? Sponso et sponsæ, id est, Christo et cuilibet fideli animæ. Tu vero, charissime, exue te sollicitudine sæculari, exorna thalamum mentis tuæ virtutum floribus, et fac animam tuam talem, quam summi regis adoptet Filius. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat per æterna sæcula. Amen.

INDEX RERUM ANALYTICUS.

Notæ numerales lectorem ad columnas editionis nostræ revocant.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CENTESIMO SEPTUAGESIMO SEXTO CONTINENTUR.

HUGO DE S. VICTORE.

OPERUM PARS SECUNDA. — DOGMATICA.

—

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

DE ARCA NOE MYSTICA.

DE VANITATE MUNDI.

ERUDITIONIS DIDASCALICÆ LIBRI SEPTEM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

FINIS TOMI CENTESIMI SEPTUAGESIMI SEXTI.

Ex typis E. JAMIN, in valle Guidonis.